VINDICIAE ROMANI PONTIFICIS ET PONTIFICATUS ADUERSUS CALUMNIAS...

Francisco : de Macedo, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
47 F

VINDICIAE ROMANI PONTIFICIS ET PONTIFICATVS

B

A

VINDICIAE
ROMANI PONTIFICIS
ET PONTIFICATVS
ADVERSVS CALVMNIAS
HETERODOXORVM, ANGLORVM

præſertim, & Scotorum, in Academijs Oxonienſi, Cantabrigienſi, & Aberdonenſi.

A V T H O R E

P.M. FR. FRANCISCO A SANCTO AVGVSTINO MACEDO

Franciſcano ex Obſeruantia Prouinciæ Luſitaniæ, Lectore Iubilato, in Collegio de Propaganda Fide Controuerſiarum, & in Alma Vrbis Sapientia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Magiſtro, & S. Officij Romæ Qualificatore.



ROMAE, Ex Typographia Philippi Mariæ Mancini. M.DC.LXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

VINDICIAE ROMANI PONTIFICIS ET PONTIFICATVS

ADVERSVS CALVMNIAS

HETERODOXORVM ANGLORVM

præcipuè, & Scotorum, in Academijs Oxoniensi, Cantabrigiensi, & Aberdonensi

AVTHORE

R.M. FR. FRANCISCO A SANCTO AVGVSTINO MACEDO

Franciſcano ex Obſeruantium Prouinciæ Luſitaniæ, Lectore Iubilato, in Collegio de Propaganda Fide Controuerſiarum, & in Almæ Vrbis Sapientia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Magiſtro, & S. Officij Romæ Qualificatore.



ROMÆ, Ex Typographia Philippi Mariæ Mancini. MDCLXV

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI CAROLO CARDINALI PIO.

MAGNAM eſſe vim prouidentiæ erga eos, qui litterarum Studia profitentur, cùm antea in aliorum, tum hodie in hoc meo, quem adornaui, tomo deprehendo. Nam cùm ei à me Patronus adhibendus eſſet, qui & protegeret, & illuſtraret, ac idoneus mihi contigiſſet, acerbo meo, & Reipublicæ vulnere, cùm iam penè confectum eſſet opus

deceſſit, meque propè metam deſtituit. Verum ipſa calamitas accepta dolentem coegit ad quærendum anxiè nouum patrocinium, quo & ego ſolatium mæſtus, ſpem abiectus: & liber derelictus tutelam, ſquallidus nitorem acciperet. Ac mihi quidem modum inquirenti, non tam neceſſitas fecit acutum, quàm diuina prouidentia fęlicem. Excitauit hæc memoriam, Eminentiſſime Princeps, Tui, ac me primum expectatione erexit, deinde deſiderio accendit: tum cunctantem ob tantæ reuerentiam perſonæ, Tuæ obiectu benignitatis incitauit. Adeò, vt quod initio optare non audebam, poſteà afflictis rebus ſperare poſſem. Adhuc pendebam dubius animi, cùm menti occurrit, Te, Princeps Eminentiſſime, PIVM eſſe & re, & nomine, & cum eo, quem lugemus, Cardinali officio, & familiaritate coniunctum; ac propterea in eam ſpem veni, vt & vicem meam doleres, & quem ſemel viuum amaſſes, eius mortui amorem cuſtodires. Hæc me ſanè cogitatio fiduciæ timentem impleuit, &

vere-

verecundantem impulit. Iam planè confirmatus accedebam, cùm penè attonitus ſubſtiti. Tanta me quippè lux maiorum tuorum circumfuſa perculit, vt exterritum auerterit, ac retro radire compulerit. Vidi momento in Armorum tuorum ſcuto volare Aquilas, irruere Leones, fulgere Laminas, cuneari Clypeum, formari Crucem, circinari Orbes, decuſſari Claues, Vmbellam imminere, belli paciſque decora cumulari. Hallucinanti obiectæ ſunt imagines tuorum maiorum, quarum ſeries longiſſima per tot ſpatia temporum tracta, memoriam extinxerat, penè ſepulta origine, in nobili ſitu antiquitatis. Excitauit ſtudium inquirendi fontes ipſa longinquitas. Vix moueram greſſus, cùm per viam oppoſiti laurorum faſces, palmarum ſtrues, trophæorum cumuli, ſpoliorum acerui tardauere gradus. Subſtiti, & ſuſtuli oculos ad imagines, quarum lumina radiabant. Vidi iam inde ab Imperatoris Conſtantij tempore Heroas exoriri, Manfredos, Pios, Guidones, Padellios, Albertos, Gi-

bertos, Salaſſos inſignes Imperatores. Vidi duos illos clariſſimos Duces Fredericum, & Leonardum, à quibus in duo diuortia diuiſus ſanguis in nobiles venarum ductus influxit. Vidi in Arce Carpenſi lumina ſtirpis Tuæ, pietate accenſa imponi, & emicare. Parte aliâ eminebant Alberti, Theodori, Ludouici, egregij Antiſtites. Extabant capita coronata, frontes galeatæ, tempora infulata, colla torquata, humeri trabeati, ſinus purpurati. Nec ſufficiebant decora, nam merita ornamenta extinxerant. Nonnullæ effigies haſtas oleis, gladios caduceis implicitos præferebant. Nullum quippe honorem Piorum Familia deſiderauit. Inhonorum ſe putabat honor, qui à Pio aliquo minimè gereretur. Itaque tum ordinarij, tum extraordinarij in tuam domum confluxerunt. Ac vt ea vbique clareſceret per totam Europam Legationes obiuit, eamque ſui nominis, & luminis impleuit. Mirari Prouinciæ, & Regna in Vrbe Ferraria tam purum aurum Piorum ve-

nas

Digitized by Google

nas progignere, quod ferrea etiam in quæ interdum inciderunt tempora inauraret. Illum ſanguinem Piorum à Sole fluere, eiuſdem virtutis compotem eſſe, aurum ſecum trahere, & per venas diuidere. Sed inter omnes maiores tuos togatos vnius hominis purpura mirè rutilabat. Eminentiſſimi Principis Rodolphi Pij Cardinalis, in quo omnium virtutum idea ad exemplum propoſita, vnde documenta gloriæ peterentur; quem ſuperius ſæculum coluit, Religionis vindicem, Pacis aſſertorem, Fidei Clypeum, Eccleſiæ propugnaculum. Huic tu aureo Piæ arboris ramo, Eminentiſſime Princeps Cardinalis Carole, ramus alter aureus ſucceſſiſti, ac in ea gemmeos fructus tuliſti. Cæteris maioribus tuis nulla re niſi ætate minor, Piorum iuſtus hæres, & imitator: vt qui dotes conſideret tuas ei totius familiæ decora expreſſa occurrant. Indoles tua Generoſa, & Pia in vtramque partem documenta præbuit. Adoleſcens armorum profeſſus ſtudia æquaſti duces: Ebullirè ſanguis viſus eſt in venis, belli-

coſo turgidus ſpiritu, qui per illuſtria facinora erumperet in gloriam militarem. Hanc tu cùm ingentem comparaſſes ad Togam te conuertiſti, ac eodem animo ſtuduiſti, quo bellaſti. Acies ingenij erat acuta, & perſpicax gladio ancipiti ſimilis, ſiue in hanc armorum, ſiue in illam litterarum partem verſatilis. Optauit Te Roma, & inuitauit Pium vltra priſcos euectum, atque adeò prope perſonam Papæ locandum. Summo Pontifici Innocentio X. gratus, intimum Sacerdotem egiſti; mox theſauris Eccleſiæ Præfectus Sacras opes fæliciter adminiſtraſti. Ampliori theatro opus erat ad tanti Principis perſonam ſuſtinendam, & præſtandam. Nouerat ex intima conſuetudine Innocentius virtutes eximias tuas. Senatum ijs purpureum ornare voluit. Itaque ei Te adſcripſit, ac nemo fuit quin ſubſcriberet. Erubuit cùm in te rubuit purpura, quòd PII meritis iuſtam ſe non eſſe menſuram nouit. Per gradus paucos ad ſacram Orcheſtram aſcendiſti, quòd mi-

nus erat generoſum morari. Ob altam indolem, ac excelſum genus faſtigio propior, citò ad culmen perueniſti. In eo ſic emines, vt adſcita aliunde Eminentia opus non foret, cùm vbicumque tuis dotibus emineas; tum ingenij, tum iudicij, tum doctrinæ, tum magnificentiæ.Hæ te ad Epiſcopatum Ferrariæ, & Legationem Vrbini omnium vt votis ſatisfaceres, euexerunt. Habent virtutes tuæ quiddam ſublime, ac generoſum ſimile ſanguini Tuo, quem ſapiunt. Surgunt, extant, eminent; ac intumeſcerent, ſi tumor deceret virtutem. Ornantur comitate ſingulari, quæ te omnibus amabilem reddit, magnò beneficio omnium noſtrum, quos tui reuerentia arceret aditu, niſi Tua humanitas interceſſiſſet. Mixta eſt in te cum dignitate virtus, ſeruatque in perſona decorum; nec tu agis niſi quod deceat; pietatem, & authoritatem coniungis; ſic animos allicis, & allectos contines in officio. Dominum ſuum tua domus nouit, ſplendida, ornata,

ele-

elegans , magnifica . Et domi Principem agis , & foris Princeps videris . Vnus magna pars Curiæ , tum quòd eam ornas , tum quòd ea ad te celebrandum concurrit. Iuris vindex, æquitatis aſſertor , Religionis amans, dignitatis tenax Eccleſiaſticæ Reipublicæ conſulis , eique priuatas tuas , & alienas rationes poſtponis. Amicitias ſumma Fide colis : litteras & litteratos diligis, ac protegis , eorumque conſuetudine oblectaris . Et quidem cæteræ virtutes tuę me accedere volentem exanimabant. Hæ duæ: fides in amicos , & beneuolentia erga litteratos ſubleuarunt , & confirmarunt . Animaduerti quippe te, Eminentiſſimi Cardinalis Corradi , dum fuit in viuis , amicum fuiſſe ; & ſpero vltra cineres fore , ac mihi eum poſt cineres colenti minimè defuturum : & munus à me tibi oblatum opus litteratum eſſe , cuius patrocinium non recuſes , cùm præſertim illud verſetur in vendicanda Romani Pontificis dignitate, quam Tu ſemper , vel armatus , vel

toga-

togatus aſſeruiſti , & illuſtraſti . Duplici ratione Pius , & cum Dux , & cum Pater aſtitiſti . Nec enim opinor temerè , effigies Eccleſiæ , cum duabus Clauibus Petri in decuſſim poſitis in medio armorum tuorum viſitur, quam velut in corde Stemmatis geris : vt & illa ex te , & tu ex illa viuas. Hanc Aquilæ expanſis alis obumbras , Leonis vnguibus defendis , Laminarum pondere firmas , & interiore Clypeo protegis , ſphærulis in Orbem ductis circundas , & munis : ita vt tota Tua ex integro nobilitas ad Eccleſiæ præſidium , & ornamentum referatur. Quare non dubito quin & me harum Vindiciarum Authorem in Tuam tutelam accipias , & librum oblatum protegas, in quo poſthuma Cardinalis Corradi fama continetur . Memineris tantum eſse in Tua illuſtriſſima ſtirpe ſplendoris , vt non viuis ſolum , ſed etiam mortuis lucem poſſis impartire ; Ac vti ego poſt cineres ſum gratus , ita & te vltra mortem ſplendidum in ornan-

nandis alijs eſſe oportere. Qua ratione omnibus egregiè Te PIVM probabis, cuius Pietas, ne mortis quidem terminis circumſcribitur. Vale.

Eminentiæ Tuæ

Seruus Addictiſſimus.

Fr. Franciſcus à S. Auguſtino Macedo.

EMI-

LECTORI PIO.

HAVD difficile eſt pium te exhiberi, vbi Pius Patronus eſt, cum ſit decorum tanto Principi aſſimilari. Hoc opus (ne mirere) vnum cum ſit, duas Epiſtolas Dedicatorias habet. Sic decuit. Dicatus à me primùm fuerat Cardinali Corrado. Deceſſit is confecto iam Libro, & maximam partem excuſo. Non debui tollere quæ typis mandaram, nec illum ſuo, quem meruit, honore priuare; cum melior pars viuat, opinor, in ſuperis; ad quam fama pertingit. Nec ego ingratus videri volui etiam erga cineres, quanquam ingrati vocentur. Et confirmare debui, eo mortuo quæ eodem ſcripſeram viuo, ne adulari viderer. Hoc ſaltem profeci, vt cineres excuterem, & lucerem. Adoptaſſe Cardinalem Pium, & neceſſarium duxi, ne ſine patrocinio liber exiret, & honeſtum, quòd tantum Principem nactus eſſem, & congruens, quòd cum amicus fuiſſet viui, decebat vt patrocinium ſuſciperet mortui. Et à quo res Cardinalis Corradi defuncti curarentur, is æquum erat vt opus hoc, quod iã ille proprium fecerat, curaret. Certè mei officij fuit tantas Viri de Eccleſia, demeque benemeriti virtutes ad publicum bonum, meumque, & amicorum ſolatium palàm facere. Hæc tu Pius, opinor, ſi es Lector, non excuſabis modò, ſed laudabis. Illud item pro tua pietate conſidera, hæreticis id moris eſſe, vt ſuſpectos nos faciant ſcriptores, dicere, non ſtudio veritatis ductos, ſed ſpe prçmij allectos Romani Pontificis Primatum aſſerere, & tueri: quam ego calumniam multò antea, cùm in Anglia eſſem, vt delerem, in medio Londino Pontificiam Teſſeram eo de argumento compoſui: teſtatus nihil me de Sede Apoſtolica vel habere, vel ſperare: nec tunc ego quicquam de Roma cogitabam. Nunc Romæ cum ſim, tibi confirmo, ita me ſcribere quemadmodum ſcripſi Londini: procul ab ambitu, & lucro: nullo alieno vel Imperio, vel impulſu: ſponte mea, meis ſumptibus, quòd vnam veritatem amo, & ſector. Hæc mihi ſola & ampla merces, quam omnibus gazis, & opibus antepono. Quod ſi veritatem hoc in opere elegantiùs orno, & veſtio, eò facio, quia etſi nuda virtus placeat, incongruum mihi viſum eſt, cum Hæretici ſua mendacia tam impensè comant, & colorent, veritatem incomptam, inornatamque relinquere. Recole quę aduerſus Creſconium Donatiſtam

*ſtam de eloquentia, quam ſibi vitio vertebat, Auguſtinus reſpondeat lib.*1. Eloquentia facultas dicendi eſt, congruenter explicans, quæ ſentimus. Hoc modo ea non ſunt vſi hæretici. Nam vtique ſi recta ſenſiſſent non ſolum nihil mali, verum & boni aliquid eſſet, quod eloquenter explicare potuiſſent. Quid enim Eloquentia eſſet vtilius, ſi tam largo flumine pro Pace Chriſti, pro vnitate, pro veritate, pro charitate proflueret? *Illud moneo. Nonnulla quæ Græcè afferenda erant, me minus aptè Latinè poſuiſſe, quòd non erant typi Græcanici, quibus vterer. Eius tu mihi, ſi quod eſt in opere, vitij gratiam facito, quemadmodum etiam nonnullorum, quæ per imperitiam typographorum, & imprudentiam correctorum, errata irrepſerunt. Ea Tu, Pie Lector, excuſabis, cùm præſertim pauca ſint, quę ſenſum mutent: cætera ſolemus autores minus curare, cum facile à legente deprehendi, & corrigi poſſint: nec tanti ſint, vt propter ea tempus, cuius ſumus auariſſimi, perdamus. Vale.*

EMI.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI IACOBO CARDINALI CORRADO.

QVAE te virtutes, Eminentiſſime Princeps; amabilem iuxtà & mirabilem effecerunt, eę me ad tuum patrocinium implorandum inuitarunt, & rapuerunt. Mihi enim vindicaturo Pontificiam dignitatem à calumnijs Heterodoxorum, opus erat Patrono qui ad conciliandam apud domeſticos beneuolentiam,& commendandam apud externos authoritatem prodeſſet. Horum vnum à gra-

tia, quæ amorem comitatur, alterum à dignitate, quæ ab admiratione exiſtit Patroni, pendebat. Quippe cui tu Authori faueres, neceſſe erat eum, & gratioſum fieri, & clarum exiſtimari. Equidem vtrum magis in te mirer, neſcio: in tanta magnitudine modum, an in tanta humanitate dignitatem? A puero ſic fuiſti comparatus, vt cùm inter æquales ingenio, iudicio, doctrina excelleres, nullius in te maleuolentiam, vel inuidiam concitares. Quantum eminebas indole, tantum cedebas modeſtia. Quantò generoſiùs anhelabas ſumma, tantò moderatiùs in medijs conſiſtebas: cumque alios in ſtudijs longè poſt te relinqueres curſum doctrinæ incitatiſsimum frenabas, vt qui vix ſequi te poterant, conſequi viderentur. Dandum hoc eſt eximiæ pietati tuæ, cuius illud à teneris ſpecimen præbuiſti, vt ambiguum reliqueris, ingenita ne illa tibi fuerit, an tu illi inſitus. Spirabat iam tum ea in oculis, in ore, in corpore, ac etiamnum ſpirat. Hanc ſociam ſtudiorum, hanc ducem conſiliorum, hanc authorem actionum habuiſti. Ea tibi placuit doctrinarum, quæ legum diuinarum, & humanarum ſcientiam

con-

continet. Eas inter ſe diuerſas, & interdum malè concordes moribus tuis conciliabas. Maiora ſemper à te virtutis, quàm à legibus exempla petita. Proficiebant magis, qui tibi dicto audientes, quàm qui legum auditores erant. Tuum igitur cerebrum Caput Orbis expetijt. Vnus extra Romam tam videbare Romanus, vt Vrbs ipſa te Ciuem ſuum optaret. Subornauit te votis ambitioſa tui, prehenſauit te apud Vrbanum Pontificem candidata. Hic, cui litteræ, & litterati corde erant, ſtudioſam Apim in ſua aluearia ire compulit, & Rotæ Romanæ, quæ perpetuo curſu rerum publicarum cauſas volvit, agitatque, applicuit. Cuius tu volubilitatem diligentia præuertebas, & Fortunæ Rotam non pertimeſcens clauum conſtantis iudicij adigebas. Huic affixus, & hærens expectationem viciſti. Petijt Tè Roma Purpurata. Erubuit cùm tandiu priuatum vidit, & rubor erupit in Purpuram mixtam lilijs, quæ candorem tuum decerent. Afflauit hanc mentem Innocentio Papæ Columba, Oliuæ ramo te ſignans Sacræ Mineruæ ſtudijs addictum, lucernam olentibus. Viſus eſt Innocentius cùm te creauit Cardinalem,

bene-

beneficium dare Reipublicæ . Natus ad commune bonum officium ſplendori , & gloriæ antepoſuiſti : quippe qui Aëſina Inſula vltra Galerum auctus, & Paſtor inſtitutus, continuò remiſiſti nuntium Vrbi, & ad caulas Aula relicta profectus Gregi conſulere maluiſti. Nec te inde quicquam Paſtorem, niſi mors Summi Paſtoris auulſiſſet. Reuocatus Conclauis cauſa Romam, ſingulare in eo moderationis, & prudentiæ ſpecimen præbuiſti. Eo dmiſſio, & diuina prouidentia Alexandro Septimo creato Pontifice, compedes tibi iniecerunt priuata ſtudia, & publica, ne exires. Eminere quippe dotes animi coeperunt. Quantum valeat ad virtutem proferendam locus, in edito, & amplo poſitus oſtendiſti . Modium Candelabro mutaſti, & effulſiſti. Patère, ac micare perinde fuit. Extitit Religio in Deum, Pietas in Sacris, integritas in iudicijs , prudentia in conſilijs, moderatio in honoribus, humanitas erga miſeros, miſericordia erga pauperes. In ſublime euectus , ſed minimè elatus; excelſus , non tumidus ; generoſus, non arrogans ; ornatus , non fuca-

tus

tus: glorioſus non inſolens. Ea modeſtia oculorum, eo habitu oris, ea conformatione corporis, vt qui Eminentiſſimum Principem Cardinalem Corradum videret, his ſe virtutis Imaginem putaret intueri. Et quidem ſi videri ea oculis poſſet, vel exemplum in te haberet, vel ideam. Id confirmo, ac recipio, ſi pingi vellet, non aliam, quàm tui formam electuram.

Hac ſpecie germana, & vera virtutis captus Alexander Pontifex Maximus acer, & æquus perſonarum, & rerum æſtimator, & iudex, cùm de committendo viro alicui probatiſſimo doctrina, & moribus, ampliſſimo illo ac maximo, eodemque difficillimo diſpenſandi gratias, & conferendi Beneficia munere ſeriò cogitaſſet, vnum te elegit, quem illi præficeret. Itaque Datarium (ſic vocant non tamen quòd ille ſit author dandi, hic enim Summus Pontifex eſt, ſed quòd ſit miniſter dantis) creauit. Id quàm arduum ac difficile adminiſtratu ſit, ex turba concurrentium, & prehenſantium apparet, qui

cùm diuerſarum , ac malè concordium nationum ſint, (quanquam maior eſt intra vnam, & eandem nationem ob æmulationem ambientium diſcordia,) neceſſe eſt diſſidere, ac tumultuari , & Datarium multis modis , quos ſuper illorum apud Summum Pontificem expeditione excogitat ambitus, vexare. Nolo illorum ſubtiles artes , & callidas rationes aperire, vt virtutem, & patientiam tuam, Eminentiſſime Princeps, exaggerem. Eiuſmodi eſt lux tua, quæ non ex vmbris , ſpectetur , ſed ex radijs. Argumento difficultatis illud ſatis ſit, quòd qui ei præeſſe ſolent officio, haud diu in eo morari ſolent. Tu ab initio Pontificatus Alexandri ad hanc vſque diem, ideſt per integrum decennium , perſeueras . Non minus prudentia , quàm patientia mirabilis . Importunis concurſantium clamoribus pulſatus , duras ſolidos penè dies, & qui occupatiſſimus, tibi vix potes attendere , omnibus vacas, & conſulis . Nemini fores , nemini aures occludis . Compenſas paucitatem

Bene-

Beneficiorum , (quæ nomine Pontificis confers, vt ille ſit author , tu diſpenſator,) officiorum abundantia, ſuauitate morum, verborum lenitate eos, qui dimittuntur vacui , conſolaris . Ac vt nemo deſperet, nulli in poſterum ſpem præcidis. Gratiam inis cùm gratias diſpenſas: nec merita excludis, immò & admittis , ac ſæpè exigis , & iuſtitia gratiam condis . Illud palmarium: ſumma integritas . Fluunt apud te Gratiæ tamquam per canalem . In alios deriuantur , & tranſeunt . Domus tua in ſicco eſt: adeo vt tuis noceas innocenter, quòd hoc nomine tuorum , ipſos ſuſpectos habes . Carent Beneficijs domeſtici tui, qui ob virtutes ſuas abundarent ; quippe impetrares , ſi externi eſſent . Alijs largiris libens . Tuis non niſi iuſſus , ac penè inuitus . Vis tuos ex Te æſtimari : qui cùm ab Alexandro recèns creato Pontifice redire ad Epiſcopatum Aëſinum velles , & ille te non pateretur à ſe diuelli , ac Romæ, Reipublicæ Chriſtianæ cauſa manere

nere imperaret , tu Epiſcopatui renunciaſti , ac ex integro ad Pontificis arbitrium retuliſti : & quam tibi in eo redituum partem, Penſionis nomine, aſſignabat , repudiaſti , quòd diceres : Cuius muneris onus non ſubibas, eius te pudere fructus decerpere . Nemo in alienis neceſſitatibus acutiùs videt : nemo in ſuis obtuſiùs . Ac niſi prouideret Alexander , Tu ipſe Datarius , ob integritatem tuam, mendicus ſtipem peteres . Et quidem vi opus eſt ad ingerendum tibi à Pontifice , quod eſt opus . Quin & ingeſtis repugnas : & qui maximè es morigerus, hac vna in re videris refractarius . Itaque magnificum Principem terres . Paruo contentus viuis . Sed in anguſtis rebus largum Te Pauperes experiuntur : quorum tibi & notæ miſeriæ , & ijs tuæ ad miſerendum viæ. Ijs tu copiosè iuxtà, & occultè ſubuenis : neſciente ſiniſtra Tua, quid dextera largiatur . Norunt ambæ accipientium manus, & plaudunt. Verè tu , Eminentiſſime Princeps , Ale-

xandri

xandri Pontificis Datarius, & re, & nomine: & officio, & ingenio.

Conſtat ſatis hoc eſſe munus ad occupandum hominem capaciſſimum, & prorſus vacuum: tu tamen occupatiſſimus, videris vacuus ad alia munera & capienda, & obeunda. Vniuſcuiuſque intelligentiæ occupatio iuſta eſt vnius ſphæræ cæleſtis agitatio. Tu multarum vnus intelligentiarum munia exerces, dum omnes fermè, quot in Vrbe habentur Congregationes frequentas, & voluis. Vereor ne numerando lectores fatigem, cùm tu non fatigeris obeundo. Sancti officij: Epiſcoporum, & Regularium: Concilij: Immunitatis: Indicis: Cæremoniarum: Aquarum: Clanarum: Conſiſtorialis: Examinis Epiſcoporum: Reſidentiæ Epiſcoporum: quæ vndecim ſummam efficiunt: vt non temere hic numerus, ſphærarum, quæ mouentur Cælæſtium, numero reſpondeat: ac te parem quodammodo omnibus intelligentijs, vel ſimilem ſupremæ intelligentiæ ſignificet. Nec ſatis eſt; adhuc plu-

ra præſtas munera , teque ex integro Atlantem , qui totam Orbium molem ſuſtinet , refers. Signaturæ gratiæ , & Viſitationis Apoſtolicę officium exerces. Hæ ſunt Congregationes ordinariæ, ac ſtatæ. Quin & ad alias extra ordinem adhiberis: tanta eſt ingenij, & animi tui amplitudo , & vt ita dicam , vaſtitas. Cùm hæc ſcribo Conſultationibus interes ſuper rebus Melitenſibus , & Auenionenſibus , Caſſinenſibus, & Lateranenſibus. Eo intelligentias vincis, quòd illæ impellunt Orbes impetu : Prouidentiam Deo aſſignant. Tu conſilio temperas, & iudicio moderaris. Illæ carent corpore , nec laborant ciendo , tu cum corpore conſtes , & laborem ſentias , ita te geris , vt Spiritus obeundo videaris. Obruerent hæc alium & opprimerent. Tu extas , & emines : & ponderi, Palmæ inſtar, obniteris , & attolleris. Sed nulla in re Angelis ſimilior, quàm in meditatione cæleſtium: nam ſicut illi humana curant, & ſemper Deum vident, ita Tu Emin. Princeps, Rempub. adminiſtras, &

Deum ſemper cogitas. Omnibus quippe negotijs ſanctum orationis negotium anteponis. Foris diſtractus curis publicis, domi collectus vacas diuinis. Subciſiuis cares horis, qui continenti negotiorum curſu omnes occupatas habes. Satis erat Dauidi Regi impeditiſſimo reliquum, quod ſupererat tempus dicare Deo, ita vt diceret: Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Tibi non eſt ſatis, qui occupatiſſimus maximam, & optimam partem curarum Deo impendis, ita vt poſſis dicere. Primitiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Quemadmodum illi apud Iſaiam Seraphini è ſex alis duas ad volandum foras extendebant, & quatuor ad ſe intus colligebant, vt Deo adhærerent, ita, Emin. Princeps, tu duas tantùm alas induſtriæ, & conſilij ad negotia explicas, quatuor contrahis: quarum duas, meditationis alteram, alteram precum ſuſtollis ad faciem Dei: duas, vnam modeſtiæ, alteram pietatis demittis ad pedes proximi, & maiorem tui partem Deo conſecras. Opti-

mè

Paulin. A ipio Ep. 35. mè in te quadrat illa Paulini ad Alipium Auguſtini, (cuius te eſſe amatorem ſcio) ſententia: Etſi in populis ac ſuper populos agas, oues Paſcuæ Dei regens, ſolicitis vigil Paſtor excubijs, tamen abdicatione ſeculi, & repulſa carnis, & ſanguinis, deſertum tibi ipſe feciſti. Animo quippe recolis aureum illud Auguſtini dictum, hominis occupatiſſimi, ac Deo deditiſſimi, quem tu ad viuum doctrina, & moribus, opinor, Auguſt. Ep. 113. repræſentas. Laxatis curis mutabilium rerum, bona ſtabilia, & certa quæramus, ſuperuolemus terrenis. Nam in mellis copia non fruſtrà pennas habet Apicula: necat enim hærentem. Videmus te, Princeps Emin. multis negotijs circumdatum, ſed non implicitum: attentum, ſed non affixum: fabricantem mel Boni publici, ſed ſuperuolantem, & æterna deſiderio anhelantem. Quoniam igitur abundas alis, non deerunt hæ tibi ad hoc meum opus, quod inſcribo Vindiciæ Romani Pontificis, & Pontificatus, protegendum, quòd cùm debitum eſt

tibi

tibi, tum gratum futurum erit, qui Pontificio lateri adhæres, & Pontificatum ornas virtutibus, tueris doctrinis: atque adeo eos qui foris vtrumque & perſonam, & dignitatem ab hoſtibus defendunt, & à calumnijs vindicant ſuſcipere, ac fouere debes: cùm præſertim opus teſtimonijs Sacrarum Scripturarum, & Conciliorum & Patrum ſit refertum, quo genere ſcribendi maximè delectaris. Itaque ad præſtandum te Patrocinium, & iure trahi, & amore duci neceſſe eſt. Nec vero Tu, Emin. Princeps, Datarius, qui omnibus authore Pontifice donas, hoc à me munus recuſes accipere: cùm plus tu mihi accipiens dones, quàm reliquis donans. Accipiens quippe Patronum te efficis, quo nullum tu maius Beneficium conferre potes. Quare cùm alijs Beneficia das, aliena donas, cum à me accipis librum, ſuſcepto Patrocinio te ipſum præbes. Hoc ego certè obtento iuſtus ero, & felix vindex. Tantus eſt enim ſplendor nominis Tui, vt quod opus illius vmbra Heterodoxi prote-

ctum videant, id omnino ſperandum ſit fore vt attentè legant, & accuratè recognoſcant, & ſeriò ponderent, & calumnias ſuas manifeſtè euaneſcere ſentiant; ac demum ad ſe redeuntes Matrem Eccleſiam Romanam, quæ ſola vera eſt, & Catholica, venerentur, & amplectantur. Vale, Eminentiſſime Princeps, ac Tuis perge, quod facis, virtutibus Chriſtianam ornare Rempublicam.

Eminentiæ Tuæ

Seruus Addictiſſimus.

Fr. Franciſcus à S. Auguſtino Macedo.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI VACVO.

QVOD optandum potius,quàm ſperandum eſt, ſicubi comperiam,quæro. Vacuum Lectorem: nolo otioſum , ſed liberum & minimè præoccupatum : ſine amore , ſine odio, ſine inuidia, ſine ſtudio partium , qui non ad pręiudicium lecta referat , ſed ex lectis iudicium formet: & ſententiam in poteſtate habeat . Nec ego eum non iuſto iure peto , qui talis ſcriptor ſum , vt non modo cum animum ad ſcribendum appello , omnes illos effectus deponam , ſed illorum etiam cauſas abijciam . Non eò hęc dico , quòd mihi arrogem veritatem , ſed quòd illius me ſtudioſum profitear . Si minus frui ſapientia poſſum,meo ſaltem fungor officio.Huius pars eſt,vindicem agere iniuriarum,quę Romano Pontifici, & Pontificatui à partibus Heterodoxorũ fiunt,vel maleuolis,vel imprudentibus.Illi odio impoſtores effecti:hi incogitantia impoſturis crediderunt. Hinc calumnię vtrorumq;partim dictatæ,partim iactatę. Ijs diu in Anglia meę aures,& oculi caluerunt.Academici me mouebant:vulgus haud multum curabam , quòd videbam à peritis circumduci . Qui ſi ſemel refellerentur , cęteri de opinione facile deducerentur . Cępi depellere calumnias Londini publicata mea Teſſera Pontificia (ſic inſcripſi) qua inhibui potius impetum , quàm repreſſi . Eram quippe in procinctu ad reditum . Fuit illa tamen loco Chirothecæ,pignori ad iuſtum ex prouocatione duellum poſtea futurum datæ , quam tempore repeterem, & iuſtis inſtructus armiscum oblato pari confligerem . Recolui,quę in Anglia & legeram apud doctos , & audieram ab indoctis , & cum ea mente collegiſſem in ordinem redegi , ac ſingulas ſuis quęque locis controuerſias diſpoſui,argumentis muniui,necontra inermes pugnarem : tum aciem inſtruxi , & copias explicaui , & tela telis armis arma oppoſui , & bellaui . Lectione conſtat bellum . Per oculos ictus eruditi ad mentem penetrant . Salubria ſunt vulnera illata à Sacris Scripturis, Concilijs,& Patribus . Sanant cum altiùs adiguntur . Scuto non eſt opus ad ea,vel auertenda,vel retorquenda . Patère ſalus eſt:vincit qui ſuccumbit.Iugum qui ſubit triumphat . Cęterùm denſa , & ſolida tractatio eſt : interdum tamen aperta , & remiſſa, vt reſpiret, & laxetur oratio . Spinę Roſis miſcentur,& hę inter illas ſuauiùs purpurant : augetque ſatellititium

venu-

venuſtatem. Quo ſolent modo Heterodoxi aduerſus Orthodoxos aduocato ſplendore verborum, & luminibus eloquentię adhibitis ſcribere, eo & nos vtimur, & par pari reddimus, ne hac parte cedamus. Itaque & verbis allicimus, & ſententijs perſuademus. Ac nitimur vtile dulci condire: ad genium hominum ſtylo comparato. Omnia omnibus fieri decet eum, qui omnes Chriſto ſtudet lucrifacere. Scribo ad homines elegantes, & lautos, Latinitatis, & eruditionis amantes: ijs indulgeo, vt liberaliùs hiſce delicijs inuitatos ad gremium matris Eccleſię perducam. Sed pręcipua vis eſt in locis Scripturarum, & Conciliorum, & Patrum, quos frequenter adhibeo, vbi materies, & vocat, & fert, vt ij qui eo item genere doctrinę gloriari ſolent, comperiant apud ſeipſos nomen & obtentum, apud Catholicos rem & ſenſum valere. Et quoniam ad eos, & dirigitur, & inſcribitur opus comiter, & enixè oro vt beneuole accipiant, & attentè legant, facta ijs libera, & integra reſpondendi poteſtate.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM

SACRAE SCRIPTVRAE.

Geneſis.

1. Fecit Deus duo luminaria magna.260.&ſeq.275.

1. Faciamus hominum ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram vt præſit.274.

14. At vero Melchiſedech Rex ſalem,&c.278.

14. Da mihi animas. Cætera tolle tibi.267.

22. Tulit ligna holocauſti, & poſuit ſuper Iſaac filium ſuum.513.

23. Surrexit Abraham, & adorauit populum terrę.536.

24. Camelos deſtrauit deditque palcas ac fœnum.513.

43. Cumque adoraſſent eum fratres ſui.536.

Exodi.

39. Sicut præceperat Dominus Moyſi.593.

Numeri.

20. Ego pars & hæreditas tua in medio Filiorum Iſrael.281.

22. Adorauit Angelum pronus in terram.537.

Deuteronomij.

6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.551.&ſeq.

18. Partem ciborum eandem accipiet, &c.282. ibid. Non habebunt Sacerdotes & Leuitę.281.

Iudicum.

9. Factum eſt Gedeoni & omni Domini eius in ruinam.286.

Ioſue.

11. Omnes Iſrael vrbes bellanda cępit.283.

21. Dominus pręcepit per manum Moyſi.282.

1. Regum.

2. Accinctus Ephod lineo.598.

5. Tu paſces populum meum.19.

15. Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum.290.

2. Regum.

6. Accinctus Ephod lineo.598.

12. Tulit Diadema Regis eorum. 621.

3. Regum.

2. Eiecit ergo Salomon Abiathar. 296.&ſeq.

13. Altare hoc dicit Dominus. 292.

Paralipomenon. 1.

20. Tulit Dauid coronam Melchom de capite eius.621.

Paralipomenon. 2.

26. Iratus Ozias tenent manus thuribulum vt adoleret.293.

Eſther.

3. Non flectebat genua, nec adorabat eum.555.&ſeq.

6. Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat.

Pſalmi.

8. Minuiſti cum paulo minus ab Angelis.252.

8. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. 224.237.251.252.

22. Paraſti in conſpectu meo menſam

ſam aduerſus eos qui tribulant me. 655.
98. Adorate ſcabellum pedum eius. 577.& ſeq.
109. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech. 289.
115. Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua.603.
143. Filiæ eorum compoſitę, circumornatæ vt ſimilitudo templi.649.

Prouerbia.

8. Per me Reges regnant.269.

Canticum Canticorum.

3. Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt.641.

Eccleſiaſtici.

45. Corona aurea ſupra mitram eius. 619.
45. Dare ſonitum in inceſſu ſuo.631.
50. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, &c.633.

Iſaiæ.

49. Afferent filios tuos in vlnis, & filias ſuper humeros portabunt.

Hieremię.

22. Hęc dicit Dominus ſcribe virum iſtum de Iechonia.215.

Ezechiel.

44. Non erit autē eis hereditas.281

Zaccharias.

3. Oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem magnum.

Matthęi.

2. Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? 204.
4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.551.& ſeq.
11. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.224.
16. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. 16.20.36.
20. Principes gentium dominantur eorum.307.
21. Ecce Rex tuus venit tibi. 218.
26. Conuerte gladium tuum in locum ſuum.307.318.
Vltimo. Data eſt mihi omnis poteſtas. 224.237.

Lucę.

1. Qui fuit Heli.207.208.
2. Quid eſt quod me quærebatis? 316
12. Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos.307.319.
22. Oraui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua.11.22.& ſeq.
22. Reges gentium dominantur eorum.267.304.
Ibid. Qui maior eſt in vobis fiat ſicut minor.311.

Ioannis.

1. De plenitudine eius non omnes accepimus.232.
19. Regnum meum non eſt de hoc mundo.206.212.213.266.
21. Paſce oues meas. 19.28.& ſeq.

Actorum.

10. Procedens ad pedes eius vt adoraret.557.& ſeq.

Pauli.

15. Prędicaui Euangelium non vbi nominatus eſt Chriſtus.7.
10. Omnia in figura contigebant illis.593.
15. Oportet autē illum regnare.224.
Ibid. Viſus eſt Cephę, poſtea vndecim.19.

2. Corinth.5.

Quid ad me de his quæ foris ſunt iudicare? 38.319.

Tunc

4. *Tunc ignorantes Deum ijs qui natura nõ ſunt Dij ſeruiebatis.554.*
4. *Elementa quibus denuo ſeruire vultis.554.*
*Epheſ.*1.*Quam operatus eſt ſuſcitans illum à mortuis.*224.

1. Timoth.

1. *Soli Deo honor & gloria.*553.
2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus.*308.319.
*Hebr.*1.*Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrarum.*230.231.
7. *Melchiſedech Rex Salem.*278.
16. *De alia tribu eſt de qua nemo altario præſto fuit.*278.
2. *Decimatus eſt in lumbis Patris.*279.

Petri 1.

5. *Salutat vos Eccleſia quæ eſt Babilone.*2.3.

Ioannis.

1.*vlt. In vero Filio eius.*211.

Apocalypſis.

19. *Vide ne feceris. Conſeruus tuus ſum.*559.*& ſeq.*
22. *Vide ne feceris conſeruus tuus ſum.ibid.*

ELENCHVS VINDICIARVM.

I.

De Primatu Petri.

I I.

De ſucceſſione Pontificum in Sedem, & dignitatem Petri.

I I I.

De Vniuerſalitate Primatus.

I V.

De dominio Chriſti.

V.

De titulo & iure Pontificio ad temporalem Principatum.

V I.

Quando, & quomodò Romani Pontificis temporale dominium acceperint.

V I I.

De donatione, & Edicto Conſtantini.

V I I I.

De oſculatione pedum, geſtatione Crucis in pedibus deque ſtratorio Regum Catholicorum officio erga Pontifices Romanos.

I X.

De Adoratione Papæ.

X.

De ornatu, inceſſu, & comitatu Pontificio.

INDEX CAPITVM,

EORVMQVE SECTIONVM.

VINDICIA PRIMA.

*Cap.*1. PETRVM fuiſſe Romæ, qui, & quibus argumẽtis Hæretici negent?

*Cap.*2. Soluuntur hæc argumenta.

*Cap.*3. Suadetur Petri Romam aduentus contra Hæreticos.

*Cap.*4. Petrum Romæ non ſediſſe, quì probent Hęretici?

*Cap.*5. Propoſita argumenta ſoluuntur.

*Cap.*6. Cathedra Romana Petri, cum ſuo Primatu aſſeritur.

*Sect.*1. Quid ſit Cathedra, & quomodo intelligatur?

*Sect.*2. Probatur Primatus Petri ex Euangelio.

*Sect.*3. Obiectiones Forbeſij, & aliorum Hęreticorum contra iſtos tres locos afferuntur, & confutantur.

*Sect.*4. Proponitur, ac diluitur ſecunda obiectio Forbeſij.

*Sect.*5. Tertius Euangelij Ioannis. Cap. vlt. Textus. Paſce oues meas à corruptela Forbeſij vindicatur.

VINDICIA SECVNDA.

*Sect.*1. ERrores Hęreticorum proponuntur, & confutantur.

*Sect.*2. Diuerſo modo ſuccedi à Pontifice Romano in locum Petri, & ab Epiſcopis in locum Apoſtolorum & non ſequi hos, eo quod ſint ſucceſſores Apoſtolorum, cum æquali ijs pariue poteſtate ſuccedere.

*Sect.*3. Solum Pontificem Romanum ſuccedere Petro, vti Chriſti Vicario, cum integra, & in ſolidum poteſtate, mõſtratur.

VINDICIA TERTIA.

*Cap.*1. VTrum Papa, ſiue Romanę Sedis Epiſcopus ſit totius Eccleſiæ Catholicæ caput, paſtor, & rector?

*Cap.*2. Romani Pontificis in doctrina Fidei tradenda, & tuenda ſummam eſſe pro vniuerſa Eccleſia authoritatem, exemplis oſtenditur.

*Sect.*1. A Pio I. vſque ad Cæleſtinum exempla numerantur.

*Sect.*2. Exemplorum ab Innocentio I. ad Leonem I. ſeries texitur.

*Sect.*3.

Sect. 3. A Cæleſtino ad Hilarium ſeries texitur.
Sect. 4. A Leone I. vſque ad Vigilium exempla colliguntur.
Sect. 5. A Vigilio vſque ad Gregorium Magnum exempla numerantur.
Sect. 6. Quę documenta huiuſce veritatis à Vigilij ad Gregorij tempora inueniuntur.
Cap. 2. Hæreſes euertere, ac Hæreticos damnare Romani Pontificis in Vniuerſali Eccleſia officium fuit.
Cap. 3. Apoſtolica Romana Sedes aliarum inſtitutrix, & magiſtra normas ijs, & Regulas Sacrorum præſcripſit, ritus, & ceremonias aſſignauit, & morum doctrinam tradidit.
Sect. 1. A Clemente vſque ad Silueſtrum.
Sect. 2. A Syulueſtro vſque ad Leonem.
Sect. 3. A Leone I. vſque ad Vigilium.
Sect. 4. A Vigilio ad Gregorium Magnum.
Cap. 4. Ipſimet antiqui Hęreſiarchę hanc in Summo Pontifice Romano vniuerſalis poteſtatis pręrogatiuam agnouerunt.
Sect. 1. Argumenta, quibus Heterodoxi hanc vniuerſalem poteſtatem impugnant, plurima afferuntur.
Cap. 5. Reſpondetur adductis Heterodoxorum argumentis.

VINDICIA QVARTA.

Cap. 1. ORigo & fons huiuſce dominij aſſeritur, & explicatur.
Cap. 2. Vtrum Chriſtus iure ſanguinis Rex Iudęorum, & Dominus temporalis fuerit?
Cap. 3. An & quatenus Chriſtus Regnum, & dominium temporale in hoc mũdo habuerit?
Cap. 4. Vtrum dominium iſtud Chriſti Domini temporale ad vniuerſa ſe extenderit, & an ab eo aliquando ſit in vſum, & actum reductum?
Cap. 5. Vtrum huiuſmodi dominium vel pars eius ad Romanũ Pontificem Eccleſiamue Romanam tranſire potuerit?
Cap. 6. An poteſtas Regia ab iſto fonte excellentis in Chriſto poteſtatis originem ducat?

VINDICIA QVINTA.

Cap. 1. STatus quęſtionis proponitur.
Sect. Vnica. Animaduerſio in Hæreticos.
Cap. 2. Licere Summo Pontifici, & cuilibet Epiſcopo temporalem dominatum obtinere, & vtramque ſpiritualis paſtoris, & ſęcularis Principis perſonam agere, Scripturarum authoritate, doctrina, vſuque probatur.
Cap. 3. Non licuiſſe prophanis, & ſæ-

ſecularibus Principibus Sacrorum adminiſtrationem ſibi arrogare, eiuſdem veteris Teſtamenti locis exemplíſque oſtenditur.

Cap.4. Obiecta quædam ſoluuntur,& difficultas tollitur.

Cap.5. Vtrum in Lege Gratiæ ita inter ſe pugnent poteſtas ſpiritualis, & temporalis, vt in Pontifice ſimul eſſe nõ poſſint?

VINDICIA SEXTA.

Cap.1. A Quibus Principibus Eccleſia Romana donationes acceperit?

Cap.2. De BaptiſmoConſtantini, quando,vbi, & à quo baptizatus fuerit? duplex ſententia.

Cap.3. Refellitur ſententia Euſebij,& authoribus,& argumentis ex ijs petitis reſpondetur.

Cap.4. Conſtantinum multò ante finem vitæ baptizatum fuiſſe,plurimis, & certiſſimis argumentis oſtenditur.

Cap.5. Communis de Baptiſmo Conſtantini Romę à Syluestro Pontifice collato ſententia proponitur,& examinatur.

Cap.6. Quando & quomodo baptizatus fuerit Conſtantinus? Tertia inter duas illas Euſebij, & Baronij poſita authoris ſententia.

Cap.7. Proponitur,& ſoluitur obiectio principalis,& nonnullæ aliæ diluuntur.

VINDICIA SEPTIMA.

Cap.1. QVi, & quibus argumentis Edictum Conſtantini authores negent?

Cap.2. Edictum Conſtantini authoritate probatur.

Cap.3. Oppoſita in Cap. 1. argumenta ſoluuntur.

Cap.4. Propria explanatè, ac dilucidè proponitur, de huiuſmodi edicto,ſententia.

Cap.5. De donatis à Conſtantino.

Sect.1. Quid propriè, ac diſtinctè Conſtantinus donauerit?

Sect.2. Iure ne an iniuria Conſtantinus donarit?

Sect.3. Quo tempore Conſtantinus donarit?

Sect.4. Catalogus Imperatorum, ac Regum, qui Romanę Eccleſiæ donationes fecerunt.

VINDICIA OCTAVA.

Cap.1. REſponſio ad calumniam.

Cap.2. Crucis in calceis geſtatio ſolemnis aſſeritur.

Cap.3. Heterodoxorum de Stratorio Imperatorum,ac Regum erga Summos Pontifices officio calumnia depellitur.

VINDICIA NONA.

Cap.1. ADoratio Romani Põtificis aſſeritur, vindicatur,ſtatuitur.

Cap.2. Loci Sacræ Scripturæ ab

Anglis obiecti explicantur.
Cap. 3. Paralipomena Catholicis aſſeruntur.
Cap. 4. Obiectionis Heterodoxorum initio propoſitę, breuis, & exacta refutatio, cum epilogo.

VINDICIA DECIMA.

Cap. 1. ASſeritur, & probatur ornatus, & inceſſus, & comitatus Romani Pontificis generatim.
Cap. 2. Habitus, atque veſtitus Pōtificius vniuerſim defenditur.
Cap. 3. De mitra, tiara, chamauro, & Regno Pontificio diſceptatio.
Cap. 4. Inceſſus Pontificis defenditur.
Cap. 5. De vſu præferendæ Crucis, & Euchariſtiæ ante Summum Pontificem Romanum.
Sect. 1. De Cruce.
Sect. 2. De Euchariſtia Romanis Pontificibus prelata.

Corollarium.

Pontifices Romanos poſt adeptū, & adminiſtratum temporalē dominatum, & recognitos, & cultos ab Angliæ Regibus, ex ipſis Regni Hiſtoriarum monumentis oſtenditur.
Cap. 1. Exempla priſcorum ante Normannos Regum afferuntur.
Cap. 2. Eadem pietatis religioſę veſtigia Normannos in Anglia Reges inſtitiſſe monſtratur.

PATRES.

Aldhelmus.
Ambroſius.
Anſelmus.
Arnobius.
Athanaſius.
Auguſtinus.
Baſilius.
Beda.
Bernardus.
Chryſoſtomus.
Clemens Alexandrinus.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Hieroſolymitanus.
Damaſcenus.
Dionyſius Alexandrinus.
Dorotheus.
Enodius.
Epiphanius.
Eucherius.
Euthymius.
Flauianus.
Germanus Patriarcha.
Heſychius.
Hieronymus.
Hilarius.
Idacius.
Ignatius.
Ildefonſus.
Irenęus.
Iſidorus.
Iulius Africanus.
Iuſtinus Martyr.
Lantfrancus.
Leontius.
Maximus.
Nazianzenus.
Niſſenus.
Oecumenicus.
Optatus.
Origenes.
Oroſius.
Petrus Chryſologus.
Petrus Damianus.
Philippus Presbyter.
Primaſius.
Proſper.
Rabanus.
Remigius.
Ruffinus.
Rupertus.
Seuerus.
Sophronius.
Tertullianus.
Theodoretus.
Theodorus.
Theophylactus.
Titus Boſtrenſis.

Authores Sacri, & Prophani.

Abulenſis.
Accurſius.
Acta Liberij.
Acta Sylueſtri.
Adhalardus.
Ado.
Aegidius.
Aeneas Syluius.
Alanus Copus.
Albanus Cardinalis.
Albertinus.
Alciatus.
Alcuinus.
Alexander.
Almainus.
Alphonſus Piſanus.
Amalarius.
Ammianus.
Anaſtaſius Bibliothec.
Anaſtaſius Theopol.
Ancharranus.
Angelus Rocca.
Antoninus.
Appianus
Aragonius Cardinalis.
Argentinas.
Armacanus.
Arſenius.
Aubrij Doſee.
Aulus Gellius.
Aureolus.
Azor.
Aymonius.
Baconus.
Baldellus.
Balduinus.
Balſamon.
Baptiſta Egnatius.
Baronius.
Bartolus.
Becanus.
Bellarminus.
Berengoſius.
S. Bernardinus.
Beſſarion.

Anglis obiecti explicantur.
Cap. 3. Paralipomena Catholicis aſſeruntur.
Cap. 4. Obiectionis Heterodoxorum initio propoſitę, breuis, & exacta refutatio, cum epilogo.

VINDICIA DECIMA.

Cap. 1. ASſeritur, & probatur ornatus, & inceſſus, & comitatus Romani Pontificis generatim.
Cap. 2. Habitus, atque veſtitus Pōtificius vniuerſim defenditur.
Cap. 3. De mitra, tiara, chamauro, & Regno Pontificio diſceptatio.
Cap. 4. Inceſſus Pontificis defenditur.
Cap. 5. De vſu præferendæ Crucis, & Euchariſtiæ ante Summum Pontificem Romanum.
Sect. 1. De Cruce.
Sect. 2. De Euchariſtia Romanis Pontificibus pręlata.

Corollarium.

Pontifices Romanos poſt adeptū, & adminiſtratum temporalē dominatum, & recognitos, & cultos ab Angliæ Regibus, ex ipſis Regni Hiſtoriarum monumentis oſtenditur.
Cap. 1. Exempla priſcorum ante Normannos Regum afferuntur.
Cap. 2. Eadem pietatis religioſę veſtigia Normannos in Anglia Reges inſtitiſſe monſtratur.

P A-

PATRES.

Aldhelmus.
Ambroſius.
Anſelmus.
Arnobius.
Athanaſius.
Auguſtinus.
Baſilius.
Beda.
Bernardus.
Chryſoſtomus.
Clemens Alexandrinus.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Hieroſolymitanus.
Damaſcenus.
Dionyſius Alexandrinus.
Dorotheus.
Enodius.
Epiphanius.
Eucherius.
Euthymius.
Flauianus.
Germanus Patriarcha.
Heſychius.
Hieronymus.
Hilarius.
Idacius.
Ignatius.
Ildeſonſus.
Ireneus.
Iſidorus.
Iulius Africanus.
Iuſtinus Martyr.
Lantfrancus.
Leontius.
Maximus.
Nazianzenus.
Niſſenus.
Oecumenicus.
Optatus.
Origenes.
Oroſius.
Petrus Chryſologus.
Petrus Damianus.
Philippus Presbyter.
Primaſius.
Proſper.
Rabanus.
Remigius.
Ruffinus.
Rupertus.
Seuerus.
Sophronius.
Tertullianus.
Theodoretus.
Theodorus.
Theophylactus.
Titus Boſtrenſis.

Authores Sacri, & Prophani.

Abulenſis.
Accurſius.
Acta Liberij.
Acta Sylueſtri.
Adhalardus.
Ado.
Aegidius.
Aeneas Syluius.
Alanus Copus.
Albanus Cardinalis.
Albertinus.
Alciatus.
Alcuinus.
Alexander.
Almainus.
Alphonſus Piſanus.
Amalarius.
Ammianus.
Anaſtaſius Bibliothec.
Anaſtaſius Theopol.
Ancharranus.
Angelus Rocca.
Antoninus.
Appianus
Aragonius Cardinalis.
Argentinas.
Armacanus.
Arſenius.
Aubrij Doſee.
Aulus Gellius.
Aureolus.
Azor.
Aymonius.
Baconus.
Baldellus.
Balduinus.
Balſamon.
Baptiſta Egnatius.
Baronius.
Bartolus.
Becanus.
Bellarminus.
Berengoſius.
S. Bernardinus.
Beſſarion.

Bi-

Binius.
Blaſtar.
Bonacina.
Bonauentura.
Bozzius.
Briſſonius.
Burgenſis.
Burchardus.
Bzouius.
Cælius Rhodiginius.
Caietanus.
Calcondylas.
Calleca.
Cano.
Caramuel.
Carranza.
Cartuſianus.
Caſſiodorus.
Caſtro Alphonſ.
Caſtro Leo.
Caſtro Palao.
Catharinus.
Chriſtophorus Marcellus.
Ciaconius.
Claudianus.
Claudius Tauriuenſis.
Codex Theodoſianus.
Corippus.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Celſus.
Couarruuias.
Cuiacius.
Curopalates.
Dempſterus.
Diana.
Diodorus.
Ditmarus.
Domnizo.
Driedo.
Dublet.
Du Chaiſne.
Durandus.
Durantius.
Ekius.
Eginhardus.
Eraſmus.
Eſtius.
Euagrius.
Euchologium.
Eugubinus.
Euſebius.
Eutropius.
Fabius Pictor.
Faſciculus temporum.
Feuardentius.
Flauius Vopiſcus.
Fortunatus.
Franciſcus Turrianus.
Francorum Annales.
Fiuizanus.
Galatinus.
Gaſpar Sanchez.
Gauantus.
Gauricus.
Gemma Animæ.
Genebrardus.
Gennadius.
Gerolius.
Gloſſa Interlin.
Glycas.
Goar.
Gratianus.
Grauina.
Grethſerus.
Haymo.
Hector Boethus.
Henricus.
Henriquez.
Heriueus.
Herodotus.
Hildebertus.
Hincmarus.
Homerus.
Honorius. Auguſt.
Horatius.
Hugo Floriacenſis.
Hugo Cluniacenſis.
Hugo Victorinus.
Iacobatius.
Iandunus.
Iaſon.
S. Ignatius.
Imola.
Ioannes Andreas.
Ioannes Arboreus.
Ioannes Baptiſta Dom.
Ioannes Diacon.
Ioannes Pariſienſis.
Ioannes Sedigitus.
Ionas.
Iouius.
Iuo.
Iuuenalis.
Lampridius.
Lantfrancus.
Lazziardus.
Lazzius.
Layman.
Leo Allatius.
Leo Oſtienſis.
Leonardus Coqueus.
Leſſius.
Lexicon Caluini.
Liberatus.
Lilius Girald.
Lindanus.
Lippomanus.
Lipſius.
Lorinus.
Lucas Holſtenius.

Authores Sacri, & Prophani.

Lucifer Caralitan.
Luitprandus.
Ludouicus Viues.
Lugo Cardinalis.
Lutatius.
Lyra.
Machiauellus.
Magrus.
Maior.
Malderus.
Maldonatus.
Mantuanus.
Margarinus.
Mariana.
Marianus Scotus.
Marinus.
Marſilius.
Martialis.
Martinus Polonus.
Matthæus Pariſienſis.
Mattheus Vveſtmonaſt.
Mauclerus.
Mazzaronius.
Medina Michael.
Medina Bartholom.
Menas.
Mendoza Alphonſ.
Mendoza Franciſ.
Menolog. Græcum.
Mercator.
Metaphraſtes.
Minutius Felix.
Molanus.
Molina.
Morinus.
Munſterus.
Naclantus.
Nauarrus.
Nazzarius.
Nicolaus Alemannus.
Nicolaus Cuſanus.
Nicephorus.
Nonnus.
Ochamus.
Oecumenicus.
Onufrius Panuinius.
Ordo Romanus.
Oſius Cardinalis.
Ottho Friſingenſis.
Ouidius.
Pacatus.
Pamelius.
Papyrius Maſſus.
Pariſienſis.
Paulus Aegineta.
Paulus Æmilius.
Paulus Diaconus.
Perronius.
Petauius.
Petrus à Natalibus.
Petrus Bleſenſis.
Petrus Gregorius.
Petrus Morales.
Petrus Sotto.
Petrus à S. Romualdo.
Philippus Bergomas.
Philoſtorgius.
Photius.
Petrus Valerianus.
Pighius.
Planudes.
Platina.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polydorus.
Pomponius Lętus.
Poſſeuinus.
Poſſidius.
Porphyrius.
Priſcianus.
Procopius.
Prudentius.
Rabanus.
Rabbi Aben Ezra.
Rabbi Abraham.
Rabbi Gedelia.
Rabbi Salomon.
Radauicus.
Raphael de la Torre.
Raſis Arabs.
Raſponus Cardinalis.
Reginaldus Polus.
Regino.
Reſtaurus.
Richardus.
Roſela.
Roſinus.
Rupertus.
Sabellicus.
Sanderus.
Sauſſayus.
Scipio Dupleix.
Scotus.
Signorolus.
Seneca.
Seruius.
Sigebertus.
Sigonius.
Socrates.
Soto Dominicus.
Soto Petrus.
Sozomenus.
Spartianus.
Spondanus.
Statius.
Stephanus Valentinus.
Steucus.
Suetonius.
Sugerius.

Authores Sacri, & Prophani.

Suidas.
Surius.
Tacitus.
Tannerus.
Theodoretus.
Theophylactus.
Theophylus Raynaudus.
D. Thomas.
Titus Liuius.
Trebellius.
Turrecremata Cardin.
Turrianus Franciſ.
Turrianus Ludouicus.
Valerius Maximus.
Valla.
Varro.
Vaſquez.
Victorellus.
Victoria.
Viguerius.
Vincentius Bellouacenſis.
Virgilius.
Vlpianus.
Volaterranus.
Vrſpergenſis.
Xenophon.
Xiphilinus.
Zozimus.

Hæretici qui dedita opera hoc in Volumine confutantur.

BVcerus.
Bullingerus.
Brentius.
Buntingus.
Caluinus.
Camerarius.
Carolus Molinæus.
Cuſpinianus.
Forbeſius.
Guilielmus.
Hermanus.
Illyricus.
Lutherus.
Magdeburgenſis.
Marcus Antonius de Dominis.
Melancthon.
Mornęus.
Oſiander.
Petrus Martyr.
Petrus Molinęus.
Sacellanus.
Velenus.
Vvicleff.

SYLLA-

SYLLABVS AVTHORVM,

QVORVM VERBA HIC CITANTVR.

Pontifices Romani.

Adrianus I.II.VI.
Agapetus.
Agatho.
Alexander I.III.IV.
Anacletus.
Anaſtaſius.
Benedictus I.
Boniſacius I.VIII.
Caius.
Calliſtus I.
Celeſtinus I.
Clemens I.V.VI.
Cornelius.
Damaſus.
Dioniſius.
Eleutherius.
Euariſtus.
Euſebius.
Fabianus.
Felix I.III.IV.
Gelaſius.
Gregorius I.V.VII.
Higinus.
Honorius.
Hormiſdas.
Innocentius I.III.
Ioannes I.II.VIII. XXII.
Iulius II.
Leo I.IX.X.
Liberius.
Lucius.
Marcellinus.
Marcellus.
Melchiades.
Nicolaus I.III.IV.
Pelagius I.II.
Pius I.
Pontianus.
Sylueſter.
Simplicius.
Siricius.
Sixtus I.III.IV.
Theleſphorus.
Victor.
Vrbanus.
Zephyrinus.
Zozimus.

Concilia Vniuerſalia ordine antiquitatis.

Nicenum.
Sardicenſe.
Conſtantinopolitanum.
Epheſinum.
Calcedonenſe.
Quinta Synodus.
Sexta Synodus.
Septima Synodus.
Octaua Synodus.
Lateranenſe ſub Innocentio III.
Lugdunenſe.
Florentinum.
Lateranenſe ſub Leone X.
Tridentinum.
Syrmienſe ſuſpectum.
Conſtantienſe ex parte reprobatum.
Baſileenſe Schiſmat.
Ariminenſe Conciliabulum.

Con-

Concilia Prouincialia.

ANtiochenum.
Aquiſgranenſe.
Arelatenſe.
Arelatenſe I.II.
Brachàrenſe I.II.
Carthagin. I.III.IV.VI.
Elibertinum.
Francfordienſe.
Hiſpanicum.
Mileuitanum.
Rauennate.
Romanum ſub Victore.
Romanũ ſub Melchiade.
Romanũ ſub Sylueſtrò I. II.III.IV.
Romanum ſub Hilaro.
Romanum ſub Symmacho.
Romanum ſub Felice.
Romanum ſub Gelaſio.
Sinueſſanum.
Toletanum I. II.III.IV.
Trullana Synodus.
Turonica ſub Ioanne III.
Vaſionenſe I.II.

Imperatores quorum hic teſtimonijs vtimur.

ANaſtaſius.
Baſilius.
Carolus Magnus.
Conſtantinus Magnus.
Fridericus I.
Henricus I.VII.
Iuſtinianus.
Iuſtinus.
Ludouicus Pius.
Marcianus.
Mauricius.
Ottho Magnus.
Philippus.
Phocas.
Theodoſius maior.
Theodoſius minor.
Valentinianus.
Auguſtæ.
Eudoxia.
Galla Placidia.

FR. BONAVENTVRA CABALLVS Ord. Min. Strict. Obſeru. Sacrę Congregationis Rituum Conſultor, & in Ciſmontana Familia Obſeru. ac Reform. Commiſſarius Generalis, & Seruus: Dilecto nobis plurimùm in Chriſto P. F. Franciſco à S. Auguſtino Macedo, eiuſdem Ordinis, & Inſtituti Lectori Iubilato, & Controuerſiarum Theologicarum in Collegio de Propaganda Fide de Vrbe Profeſſori actuali, ſalutem in Domino.

OPus quoddam, cui Titulus eſt: *Vindiciæ Romani Pontificis, & Pontificatus, &c.* à te compoſitum, & elaboratum, cum à duobus Religioſis noſtræ Theologis reuiſum, & approbatum fuerit, quibus id rei commiſimus, harum vigore facultatem tibi facimus, quatenus illud cum benedictione Dei Typis mandare poſſis, ſeruatis in reliquo ſanctionibus Apoſtolicis, noſtrique Ordinis Conſtitutionibus. Vale. Datum Romæ in Aracæli, Die 22. Martij 1666.

Fr. Bonauentura Caballus Commiſſarius Generalis.

Approbatio R. P. Fr. Franciſci Maria de Caſtro S. Petri Prouinciæ Bononiæ Patris, Cuſtodis Lectoris Iubilati.

TOmum iſtum, qui *Vindiciæ Romani Pontificis, & Pōtificatus, &c.* prętitulatur, ſic mandante Reuerendiſſimo P. Commiſſario Generali, ea qua potui diligentia percurri. Cumque in eo quidpiam, quod Sanctæ Fidei, aut bonis moribus aduerſetur minimè repererim; quinimmò grauiſſimis quęſtionibus, ac ſolida doctrina refertum deprehenderim, prælio digniſſimum exiſtimaui, Prodeat igitur iantum opus in lucem, & ad tanti pręceptoris gloriam, & ad Religionis Seraphicæ decus, ac incrementum. Datum Romę die 22. Maij 1666.

Fr. Franciſcus Maria de Caſtro S. Petri Prouinciæ Bononiæ Pater, & Cuſtos.

Appro-

Approbatio R.P.Fr.Romani Petrelli, Lectoris Generalis.

OPus iſtud, cuius titulus eſt, *Vindiciæ Romani Pontificis, & Pontificatus, &c.* ex iuſſu Reuerendiſſimi P. Commiſſarij Generalis ego infraſcriptus diligenter inſpexi, cumque nihil contra Catholicam fidem, aut bonos mores, ſed potiùs omnia ad eiuſdem fidei exaltationem, & ſtudioſorum profectum vtilia inuenerim, typis mandari poſſe cenſeo. In quorum fidem, &c. Datum Romę in Conuentu S. Marię de Aracęli die 22. Maij Anno 1665.

Frater Romanus Petrellus Lector Generalis.

Approbatio R.P.Fr.Franciſci ò Molloy Strictioris Obſeruantiæ, Lectoris Iubilati.

HIs in Vindicijs, Iuſſu Reuerendiſſimi P. Hyacinthi Libelli Sacri Palatij Magiſtri à me reuiſis, & qua potui diligentia perluſtratis; nihil reperi non Orthodoxię conſonum, nihil bonis moribus aduerſum, nihil non ſolida refertum doctrina, non ſuo authore dignum. Ita cenſui opus verè terſum, vtile, eruditum eſſe. Romę ad S. Iſidorum die 3. Octobris 1665.

Fr. Franciſcus ò Molloy Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

O. Archiep. Patrac. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

VINDI-

VINDICIA PRIMA DE PRIMATV PETRI.

CAPVT I.

Petrum fuiſſe Romæ, qui, & quibus argumentis Hæretici negent?

VTRIVS maior ſit vis amoris an odij? haud facile eſt iudicare. Optimè id nouit qui dixit eos ſimiles non eſſe, ſed pares. Quem quis amet vbique præſentem habere velit, quem quis odit nuſquam eſſe malit. Hoc accidit hæreticis: oderunt Petrum, & Romanum Pontificem, nolunt Petrum Romæ fuiſſe, quamquam id ſit ſole clarius. Erit qui hoc miretur. Ego miror magis quomodo non negent eſſe Romam, & locum ipſum auferant, ne Petrus in eo eſſe poſſet. Non eſt minus cæcum odium, quam amor; neuter videt quæ patent. *Vter ſit potentior Amor? an odiū?*

Guiliel. Thom. Vvald. Primus huiuſce commenti author fuit Guilielmus quidam, præceptor Ioannis Vvicleffi, qui teſte Thoma Vvaldenſi lib. 2. Doctrinal. Fidei negauit Petrum Romæ, aut fuiſſe, aut præfuiſſe. Luther. Lutherus eiuſdem Vvicleffi diſcipulus, licet non auditor, hiſtoriam de Aduentu Romam Petri *Fabulam* in Sympoſ. vocat. Vdalr. Velen. Vdalricus Velenus venenum hoc ab ipſis hauſit, qui librum integrum hac de re edidit, in quo duodeviginti perſuaſiones ponit, vt conuincat Petrum Romæ eſſe non potuiſſe. Illyric. Illyricus his adhæſit; nam libro contra Primatum Papæ, ait, *Demonſtrationem eſſe Petrum Romam non vidiſſe*, monſtrũ melius diceret. Caluin. Caluinus aliquanto tectior primum lib. 4. inſt. cap. 6. ſ. 15. aduentum, & obitum Romæ non impugnat: Cathedram tollit. In cap. 5. prioris Epiſt. Petri, vt Cathedram auferat, aduentum *Series hæreticorum malè feriata.*

inficiatur. Ad cap. 22. Hierem. Petrum ne vidiſſe quidem Romam arbitratur. Magdeburgenſes Centur. 1. lib. 2. cap. 10. propterea negant, quia tacuit Lucas in Actis. Henricus Buntingus in Itinerario aditum omnem in Vrbem Romam Petro occludit. *Magd. Henric. Buntin.*

Rationes ſimiles authoribus ſuis ſunt. Prima: nulla de Petri Romam aduentu in ſacris litteris mentio eſt. Ergo Petrus non venit Romam. *Ineptæ rationes.*

Secunda: Res tanta taceri non debuit: tacitum id relictum. Ergo non fuit.

Tertia: Petrus Babylone ſcripſit, non Romæ, vti patet ex fine Epiſt. 1. *Salutat vos Eccleſia Babylone collecta, & Marcus filius meus.*

Quarta: Petrus in diſperſione Apoſtolorum Orientem petijt, & Antiochiæ Cathedram poſuit. Ergo non venit in Occidentem, nec Romæ Cathedram fixit; ne erigeret altare contra Altare.

Quinta: Conſtat ex Actis Paulum fuiſſe Romæ. Hinc ſuadetur non fuiſſe Petrum: nam ſi ſimul eſſent, orir etur diſſenſio inter Chriſtianos: alijs dicentibus: Ego ſum Petri, alijs contrà dicentibus. Ego ſum Pauli.

Sexta: non erat è re Chriſtiana duos Apoſtolorum Principes in vna Vrbe concludi, reliquo gemente, & indignante Orbe, quòd altero ſaltem ex ijs careret.

Traditioni autem, quæ opponitur, & communi omnium ſententiæ: reſpondent fuiſſe errorem vulgi populari pietate confirmatum.

CAPVT II.

Soluuntur hæc Argumenta.

STertunt Hæretici cum argumentantur, ſed numquam altius quam cum de Romano Pontifice ſomniant. Pudet ſoluere. Sed quid ijs hominibus faciamus, qui vigilare nolunt, ſed crapulam obdormire; clamemus oportet, vt expergiſcantur. *Somniãt cum argumentantur hæretici.*

Primo concedimus: Aduentum Petri Romam non eſſe in Actis Apoſtolorum, nec enim omnia ſcripta in ijs ſunt: eſt tamen in monumentis Patrum, & Hiſtoricorum; fateantur ergo ſaltem tamquam certum, non tamquam myſterium fidei. In quo libro Sacro eſt Caluinus, & Lutherus? Cur ijs credunt, ſeque credunt? At Hæretici facilius credent Romulum, & Remum nutritos à Lupa, quam Petro commiſſas oues Romæ fuiſſe. Melius hac in re ſentiunt ſaxa & trunci; ſilent quippe, non negant. *Spiritus vbi vult ſpirat*, non omnia ſunt narranda. *Irridentur.*

Se-

Secundo damus rem magnam eſſe , at illa non negatur : quod ſi minus reperitur,multa deſunt in Scripturis , quæ vel Hæretici tradunt , quorum Euangelium extra ſcripturam eſt . Maior eſt elephas , quam canis , nec tamen minorem in ſcriptura occupat locum canis Tobiæ,quam Elephas Ionathæ. Narratur caſus Porcorum, non commemorantur triumphi Romanorum . Formicam in documentum Salomon , non Camelum , aut Bouem, aut Struthionem produxit .

Tertio occurritur dicendo:Petrum ſcripſiſſe Romæ , eamque Babylonem nominaſſe : imò ex eo loco id probant Doctiſſimi quidam Patres,& interpretes,quemadmodum inferius dicemus, & Ioannes Euangeliſta in Apocalypſi , & Hieronym.in Epiſtolis Romam Babylonem appellarunt.

Roma Babylon dicta. *Hieron.*

Quartum diluitur fatendo:tum Orienti , tum Occidenti Petrum parem fuiſſe : & vbi ſol oritur , & occidit ſemper luxit , & Antiochiæ primum Cathedram poſuit , ſed Romæ fixit , nec vnam contra aliam erexit , ſed vtramque ſanguine ſuo confirmauit .

Quinto dicimus illud retundendo: imò æquum fuit vt Petrus, & Paulus Romam venirent , & ibi conuiuerent, vt duo teſtes veritatis eſſent, & quoniam diſcipulos binos miſit Chriſtus,debuerunt bini à Deo mitti . Apoſtolorum Princeps in Vrbe Orbis Principe debuit imperare.Altare contra altare non erexerunt , ſed ipſi victimæ effecti Chriſti aram ſuo ſanguine irrigarunt.

Retorquetur argumentum.

Sextum ſoluitur,quòd ſit ineptum , quia Orbem ſuo ſinu Roma continebat , ac perinde erat in ea , atque in toto mundo verſari . Angulus eſſe non potuit , in cuius gremium Vniuerſitas Orbis influxerat ; imo extra Romam reliquus Orbis ſolitudo quædam videbatur . Princeps Eccleſiæ , caput Religionis , vbi niſi Romæ Principe Vrbe , & Mundi capite ſedem poneret ?

Apta ſolutio.

Quod attinet traditionem ; ea omnium ætatum , omnium gentium fuit ; nec eam Heterodoxi vſque ad tempora Vvicleffi negarunt.Contra eam qui pugnat inſenſatum eſſe ſe clamat,quia contra Orbem terrarum pugnat. Pro aduentu Petri , vel ipſæ petræ Vrbis dimicabunt , & ora contradicentium tundent , & oppilabunt .

Vis traditionis.

CAPVT III.

Suadetur Petri Romam aduentus contra Hæreticos.

DVo ſunt ab Eccleſiaſtico cap. 26. dicta ſpecie contraria. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, & reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*, quæ ſic, me authore, conciliantur. Ne reſpondeas verbis, reſponde verberibus, nec enim cum ſtulto dictis eſt contendendum, ſed fuſtibus. Hac ratione ſi cum Veleno agendum eſſet, vlmea ille ſeges eſſet; helleboro indiget, dum Petrum Romæ fuiſſe negat. Nonne inſanit, qui traditionem, qui hiſtorias, qui Annales, qui Canones, qui Concilia, qui Patres negat? qui Aras, Templa, Sepulchra, Trophæa, monumenta euertit? qui Imperatorum, Regum, Principum Epiſcoporum, Chriſtianorum, Romam peregrinationes aufert? Nec momentis alijs opus eſt. In parietinis parata, in ruinis ſita, in ruderibus locata argumenta ipſis rutis, & cæſis poſſeſſionem probant quam 1400. fermè annorum inde à Petro vſque Velenum ſeries nuſquam interrupta confirmat. Sed hæretici non in hoc ſolo pedem ponunt. Errant extra anni Soliſque vias. Nauigant nimirum Anticyram mente moti, & ſui impotes. *O te Velene cerebri*.

Cõcinna interpretatio. *Velen.* *Iuſta Veleni, & ſequaciũ reprehenſio.*

An non careret cerebro qui Solem meridie negaret lucere? quanquam multo eſt euidentius Petrum fuiſſe Romæ, quam meridie ſolem eſſe. Sol quippè ſuper terram lucet, & die ex radijs probatur lucere. At Petrum Romæ fuiſſe fodiendo, & excauando terram ſaxis ipſis, & ruderibus oſtenditur, atque adeo vel in tenebris apparet. Præſtaret hos hæreticos Talpas eſſe. Nam ſubtus humum in eam veritatem incurrerent.

Acuta ſugillatio.

Reſpondeamus tamen interim ipſis, dum Romæ Petrum fuiſſe negant, fateri nos Lutherum, & Caluinum eſſe apud inferos: & ibi cum ijs Velenum ligari, & torqueri. Gratulamur hic Oxonienſibus, & Cantabrigienſibus eo nomine, quod hoc argumento prudenter abſtinuerint.

Miror voluiſſe quoſdam noſtrorum, ac inter eos Bellarminum virum egregiè doctum, & pium cum inſanis hac de re ſeriò diſputare. Ingenioſius egit Maldonatus, qui in comment. in Ioannem c. vlt. cum errorem hunc hæreticorum proponat, non alio modo refellit, quàm eos inſolentiæ in opinando, & in aſſerendo impudentiæ arguendo. Itaque tam certum eſt Petrum Romæ fuiſ-

Bellarm. candor. *Bellar.* *Maldonati ſolertia.* *Mald.*

fuiſſe, & mortuum eſſe, vt citius conuellenda ſedibus ſuis ſit Roma, quam ea ſententia ex hominum animis auferenda. Euſeb. Cæſar. Vnde Euſebius lib. 2. hiſtor. cap. 23. loquens de martyrio Petri, & Pauli Romæ. *Horum*, inquit, *teſtimonium quærere extrinſecus ſuperfluum puto, cum rem geſtam inſignia vſque in hodiernam diem, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur*. Euſebij grauis ſententia.

Quo tempore Petrus Romam venerit, quia nobis de eo varietatem hæretici magnopere obijciunt, oportet ſtatuere. Hieron. Marian. Scot. Faſcic. temp. Hieronym. de Scriptoribus Eccleſiaſticis dicit veniſſe anno 2. Claudij. Faſciculus temporum anno 4. Marianus Scotus anno 18. Heterodoxi hoc argumento negant Petrum fuiſſe Romæ, quia non conſtat quo anno venerit. Quando Petrus Romam venerit? Hac ratione negare debent Chriſti Natales, & eiuſdem mortem, quia quo anno natus, & mortuus ſit Chriſtus, non omnino inter authores conſtat. Quin & de Vrbe Roma neceſſe eſt hæretici dubitent, quod de anno, quo fuit condita dubitatur. Quid conſtantius in Scripturis, quàm regnum Græcorum, ac hebdomadæ Danielis? & tamen de illius initio, & harum exitu ambigitur. Imo ſi illud argumentum valet, negabimus hunc mundum eſſe, quia non conſtat quo tempore conditus fuerit, cum ſint qui affirment Autumno, qui Primo verè conditum fuiſſe. Inepta ergo argumentatio eſt à loco, & tempore, vti aliàs obſeruauimus.

Euſeb. Hieron. Ado. Paul. Oroſ. Communis ſententia eſt anno 2. Claudij Imperatoris Petrum veniſſe Romam. Anno 2. Claudij. Ita Euſebius in Chronico, Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Petro. Ado in Martyrologio; quibus annumerandus Paulus Oroſius dum ait, tempus aduentus illius fuiſſe initium Imperatoris Claudij. Baron Bellar. Hanc ſententiam ſequitur Baronius 1. tom. ad eum annum, & Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 5.

Confirmatur ex annis quibus Romanæ Cathedræ præfuit; Suadetur. nam à ſecundo anno Claudij ad 14. Neronis viginti quinque anni, tot enim Cathedram tenuit, numerantur. Ita Damaſus, Iſidorus, & Beda. Damaſ Iſidor. Beda. Claudius quippè imperauit annos tredecim. Menſes 8. dies 20. Nero annis 13. Menſes 7. diebus 28. iuxta Dionem, Suetonium, & Euſebium. Petrus tenuit Sedem ann. 25. Summa annorum vtriuſque eſt viginti ſeptem, Menſium quatuor, dierum octodecim. Vnde deducitur à ſecundo anno Claudij ad 13. Neronis quo mortuus eſt, annos viginti quinque remanere.

CAPVT IV.

Petrum Romæ non ſediſſe quì probent Hæretici?

NOn ferunt Hæretici Primatum Petri ſupra Apoſtolos ne cogantur fateri Primatum Sedis Romanæ ſupra cæteras Sedes. Illum nos contra eos ſtatuimus, tum in Teſſera noſtra Pontificia, tum lib. 1. de Clauibus par. 1. lib. 1. Nunc aſſerendus eſt à nobis Primatus Sedis. Oppugnant hunc Primatum hæretici duobus modis. Primò negando Petrum ſediſſe Romæ. 2. conceſſo ſediſſe, negant ſequi Sedem Romanã Principem fuiſſe. Ponemus primæ partis negantis Sedem argumenta, deinde adducemus rationes pro parte negante Primatum Sedis.

Hæretici Romanæ Cathedræ hoſtes.

Arguunt à Cathedra Antiochena.

Arguunt Primò ita: Petrus poſuit Cathedrã Antiochiæ: ſemel poſitam non mutauit, tum quia non decebat Petrum non ſuper petram ædificare, & moueri Sede, tum quia non licebat primam ſponſam relinquere, eamque vel viduam deſerere, vel alteri tradere. Igitur eam ſolam Cathedram habuit, nec Romæ illam poſuit.

A Sede Pauli.

Secundò: Paulus ſedit in Cathedra Romana, & Romæ Epiſcopus fuit: ergo Petrus non potuit in ea Cathedra ſedere, ne duo capita Eccleſiæ eſſent. Aſſumptum probatur, quia ex Actis Apoſtolorum conſtat Paulum Romæ fuiſse, & docuiſse; igitur in ea Cathedram habuit. Nam Epiſcopus ordinatus fuerat, & quam Eccleſiam nactus eſt, in ea geſſit Epiſcopatum. Confirmatur: quia Paulus præfertur Petro obtinens meliorem locum in priſcis monumentis. Ponitur enim à dextris Petri in antiquis tabulis, & ſignis, & marmoribus. Præterea Linus, qui ſecundus Pontifex fuit, Pauli diſcipulus extitit, & hoc ei nomine videtur, excluſo Clemente, qui diſcipulus erat Petri, ſucceſſiſse.

A varietate ſententiarũ

De Initio

De duratione.

Tertio non conſtat, quando illa Cathedra Petri erecta, & quandiu inſeſsa fuerit. Nam qui annus aſſignatur pro illius erectione, id eſt annus ſecundus Claudij Imperatoris, eo anno inchoari non potuit, quia Petrus in vinculis Hieroſolymis tunc erat, à quibus non eſt liberatus niſi anno 3. Claudij, vti videtur conſtare ex c. 12. Act. & ex lib. Antiquitatum Ioſephi Iudæi 16. cap. 7. Deinde non potuit ſedere annis viginti quinque, quia cum Romam venit, iam tranſierat annus ille Claudij. Itaque venire non potuit niſi anno 18. poſt Paſſionem Chriſti, vti

deducitur ex Actis Apoſtolorum, quare ſi tot annos ideſt 25. ſediſſet, viueret vſque ad Veſpaſianum, & ſub eo moreretur, quod eſt falſum. Non enim ſub eo Imperatore Martyrium facere poſſet, qui neminem Chriſtianum damnaſſe dicitur. Igitur illa Petri Sedes Romæ nulla fuit. *De morte Petri.*

Quarto: Paulus ſcripſit ad Romanos poſtquam Petrus, in ſententia Catholicorum, Romæ ſederat, & tamen in ea Epiſtola ſalutans alios pleroſque, Petrum non ſalutat, quod certè ſignum eſt Petrum non fuiſſe Romæ, & multominus Epiſcopum in ea Vrbe egiſſe. Aliter Paulus eum minimè præteriret. Accedit, quod cum multi Romæ fideles eſſent quando ad Romanos ſcripſit, & venit Paulus, aliqua mentio deberet fieri Petri, qui illos inſtituebat, & gubernabat. Hæc contra primam partem. *Ab Epiſt. Pauli.*

Contra ſecundam ſic arguunt primo: Petrus ſi venit Romam vel prædicauit ſolis Iudæis, vel Iudæis ſimul, & Gentilibus. Iudæis non ſolis prædicauit, nec Gentilibus, quia Paulus deſtinatus erat Gentium Apoſtolus. Præterea conſtat præter Iudæos aliquos fuiſse ad fidem conuerſos. Vnde ſequitur illam Cathedram Romæ fuiſse potius ad deſtructionem, quam ad ædificationem, ac proinde Principem Cathedram eſse non potuiſse. *A prædicatione Petri.*

Probatur ſecundò ex eo, quod Paulus primus fuit Doctor Romanorum, ergo ille primus Cathedrã principalem poſuit. Vnde ſequitur non potuiſse Petrum ibi docere. Probatur aſſumptum à Marco Antonio de Dominis authoritate Pauli negantis ſe prædicaſse Euangelium, vbi antea fuerat prædicatum. Sic autem inquit ad Rom. 15. *Prædicaui Euangelium non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*. Quibus ſignificat Paulus ſe prædicaſſe Euangelium, vbi antea prędicatũ non fuerat. Igitur Petrus Romę non prædicauerat ante Paulum. Ergo non potuit Cathedram erigere, nec ei Primatum dare. *A doctrina Paul.* *Marcus Anto. de Domin.* *Rom. 15*

Tertio oſtenditur, quia nulla eſt ratio, in qua fundetur primatus iſte. Nam Hieroſolyma Sacratior erat Vrbs, quam Roma, & ibi primum fides floruit, & radices egit. Deinde Antiochia prima fuit Petri Sedes, & Vrbs Domini appellata, & ibi primum fideles Chriſtiani appellati. Vnde dignior apparebat Romana Ciuitate, quæ plena erat Idololatria, & omnibus vitijs cooperta. Quod ſi Primatum ſibi vendicauit, quòd erat mundi Domina, & omnibus gentibus imperabat, fundatur primatus Spiritualis Cathedræ in dominio, & poteſtate tempora- *A loco minus apto.*

li

li Ciuitatis non in iure diuino, nec Sacra authoritate.

Succeſſio in Cathedram negatur ab hæreticis.

Quarto dato non conceſſo quod Petrus Primatum tribuit Cathedrę ſuę dum vixit, quo argumento probatur eam primatus dignitatem ad alios Romanos Pontifices fuiſſe tranſmiſsam? cum id minimè conſtet vlla Scripturæ diuinæ authoritate. Sic fermè Heterodoxos in Anglia mecum argumentari memini.

CAPVT V.

Propoſita Argumenta ſoluuntur.

Translatio Cathedræ Antiochia Romam.

Anacl. Marcel. Innoc. Damaſ. Hieron. Euſeb. Leo.

PRimo reſpondetur fatendo Petrum ſediſſe Antiochiæ annos ſeptem, poſtea Romæ vt ſcribit Anacletus Epiſtol. 3. Marcellus Epiſt. item 3. Innocentius I. Epiſt. 14. Damaſus in Pontificali. Hieronymus de viris illuſtribus. Euſebius in Chronico. Leo ſermone 1. & alij communiter. Mutare autem Sedem, & potuit, & debuit. Nam cum omnes Apoſtoli ad euangelizandum per vniuerſum Orbem miſſi eſſent, non poterant vno in loco diu conſiſtere, vt varias Eccleſias fundarent, & regerent mutatis ſubinde locis. Imò ex Apoſtolis ſolus Iacobus vnam tantùm certam, & conſtantem Cathedram habuit Hieroſolymis fixam; quod ſi alijs Apoſtolis licuit Eccleſias fundare, multo magis licitum fuit Petro, cui id veluti capiti conueniebat. Nec ratio adducta vim habet, cum ſponſæ, exemplum non vrgeat. Nam Eccleſia alio modo eſt ſponſa quam ſit ſponſa carnalis, ac proinde quotidie fieri videmus mutari Epiſcopos, & promoueri ad alias Eccleſias: certè Cardinales Romæ optant, & obtinent Eccleſias vacantes per obitum Cardinalium antiquiorum. Nazianzenus fuit Epiſcopus Saſimorum, & poſtea Nazianzi, & tandem Epiſcopus Conſtantinopolitanus illam Eccleſiam gubernauit. Si ratio ſponſæ aliquid valeret: nil valeret obiectio, quia ſponſa non eſt vxor, & mutari ſponſus ſæpè iuſta de cauſa ſolet. Quod ſi eo nomine vxorem intelligant propter vnum Epiſcopum talis dicitur, duos enim ſimul habere nequit iuxta Nicenum Concilium. Aliter Eccleſia vti mortalis vxor poſſet mori, & deficere, & vidua eſſe mortuo Epiſcopo. At illa perpetua eſt, & multos ſponſos ſubinde admittit, imò & exigit.

Mutatio Sedium Epiſcopalium licita, & ſolemnis.

Ad ſecundum latè reſpondimus lib. 1. de Clauibus. Nunc breui dicimus Paulum non fuiſſe Romanum Epiſcopum, id eſt proprium illius Eccleſiæ, ſed eum vnum Petrum fuiſſe. Exercuit

cuit tamen ibi munus cuiuſdam Epiſcopi generalis, quod tunc permittebatur propter Eccleſiæ neceſſitatem, quemadmodum Linus, & Cletus Eccleſiam Romanam adminiſtrarunt, iam Epiſcopi, adhuc etiam Petro, & Paulo viuentibus. Itaque Paulus, non certæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit, ſed vbicumque erat munus Epiſcopi non amittebat. Quoad locum dextræ manus animaduertimus hanc rationem Aduerſarijs non fauere, vti eo loco de Clauibus oſtendimus; nec multum laborandum. Nam idcirco Paulus meliorem locum in aliquibus picturis habet, quia Petrus Romæ in domo eſt ſua, ac proinde ex comitate cedit Paulo. De Lino dicimus, eum primo fuiſſe diſcipulum Pauli, ſed poſtea Petri. Vt autem largiamur Aduerſarijs eum Pauli ſocium tunc fuiſſe, cum Pontifex eſt creatus, nihil inde colligitur. Nam Petrus Clementem ſibi ſubrogari voluit, quod cum is renuiſſet, Linus creatus eſt, non à Paulo, ſed à Clero Petri vicem gerente.

Paulus non fuit epiſcopus Romanus.

Tertio reſpondetur: Ineptum illud eſſe. Non enim ſequitur, non conſtat de tempore, quo res aliqua incæpit, igitur ea eſt auferenda; quod nos ſupra tetigimus. Quos videmus currere fluuios, ij certè currunt, etſi fontes ignoremus. Hac ratione nulla erit legitima conſuetudo, nulla vſucapio, nulla præſcriptio. Imò ea certiora ſunt, quorum principia ignorantur. Sed ne hoc illis concedere videar: reſpondeo conſtare Petrum anno 2. Claudij Romam veniſſe, & Cathedram ibi collocaſſe, vt mox patebit. Tandem dicant mihi Caluiniſtæ, & Lutherani, quo anno Caluinus, & Lutherus, cum à ſeſquiſeculo ſint Cathedras peſtilentiæ ſuas formarint, & inſederint? fortè minus hoc ſcient, nec tamen eas fuiſſe negabunt, quæ vtinam numquam forent, ne peſtilentia tot gentes inficerent. Certè Caluinus multo ſibi minus conſtat in hac ſententia, quàm conſtet apud nos hæc veritas de initio Cathedræ Petri. Nam lib. 4. inſtit. cap. 6. §. 8. ingenuè fatetur Petrum Romæ fuiſſe; ſed in Commentarijs ad Epiſtolam Petri, *niſi maria*, inquit, *& terras momento tranſuolarit, Petrum longè ab Italia mortuum eſſe conſtat.* In eo ſibi contradicit, quod fatetur Petrum fuiſſe Romæ, quia id tradunt PP. ſed Petrum mortuum Romæ fuiſſe tradunt item PP. Cur ergo ijs non credit Caluinus?

Ignoratio circũſtantiam non tollat veritatem.

Caluin.

Caluini cõtradictio.

Illud autem, quod obijciunt de annis, & Martyrio Petri, eò tendit, vt Petrus cum Paulo Romæ, nec viuere, nec mori potuerit. Inepti ſunt. Tricantur quippè, non argumentantur. Itaque annos Pauli, cum annis Petri committunt. Ecquis poſſit cer-

Irridetur iure hæretici. tò numerare? Colum Parcarum aſſumant, & fila digitis premant, & ducant, & vitam vtriuſque Apoſtoli ad ſtamen redigant. Non potuiſſe vna die mori, aiunt, quod Petrus multo ſenior Paulo. Bellam rem! Si de ponte deicerentur ſexagenarij Petrus fortaſſe non viueret. At ille, opinor, deiectus non eſt. Potuit ergo viuere, vti vixere diutiſſimè Simeon, Dionyſius, Paulus Eremita, Athanaſius, & Hieronymus. Et inter Hæreticos, opinor, ſunt qui ad decrepitam ætatem perueniunt, quos eodem tempore, cum alijs multo iunioribus, imo cum adoleſcentibus, & pueris mori contingit. Si adoleſcens, & ſenex eodem die mori non poſſunt, & expectanda eſt æqualitas ætatum, fieri nequit, vt eodem die infans, & ſenex pariter moriantut, quòd nos quotidie fieri videmus. Nihil putidius hoc argumento. Ne viuant hæretici, ſi Petrus vna cum *Putidum argumẽtum hæreticorũ.* Paulo non. *Eodem die vno in loco Romæ vnius tyranni tolerauere ſententiam*, quæ ſunt verba Ambroſij ſerm. 67. Id nobis, qui ſeptem Eccleſias piè inuiſimus compertum eſt. Verum has Hæretici ſupplicationes abominantur, & quidem cùm eas nos obimus ij in luſtris ganeiſque verſantur. Ambr.

Quartum argumentum riſu eſt dignum: Paulus non ſalutauit Petrum ſcribens ad Romanos. Ergo Petrus Romæ non fuit, quòd perinde eſt, ac dicere: Cicero ſcribens ad Atticum ad Cæ- *Arguta ſolutio.* lium, ad Pætum, ad Tyronem, non ſalutat Pompeium, neque Brutum, neque Lentulum, neque Catonem. Ergo hi Romæ non fuerunt. Quid ſi Petrus tunc non erat Romæ, quando Paulus eam epiſtolam ſcripſit? Quid item ſi eius in mentem Paulo minimè venit, quòd aliud cogitabat? quid ſi conſulto fecit ne Petrum ſalutando proderet; qui fortè latere voluit? Et tamen putant Velenus, & Illyricus, & Caluiniſtæ Anglię, & Scotię rectè argumentari. Demus hoc eis Petrum minimè ſalutatum à Paulo, id tantum ex eo ſequitur, de Petro tacuiſſe. Volunt ne vt hoc ſilentium præſtet tot vocibus Patrum Petrum Romæ fuiſſe clamantium? Præſtaret hic Hæreticos tacere, quam loqui.

Argumentari à ſilentio proprium eſt piſcium, non hominum: Scapharum, non Scholarum. Silent Euangeliſtæ alij de alijs, nec idcirco veritati officiunt. Tacent quidem hiſtorici multa, quæ alij ſcribunt, nec illorum ſilen- *A ſilentio non valet argumentum.* tium quidquam detrahit narrationi. Luthero multa addidit Zuinglius, non pauca Oecolampadius, quædam Bucerus. Caluino nonnulla adiecit Beza, pleraque Molinæus. At non idcirco

circo Caluiniani in Magiſtellum ſuum inſurgunt, quod de ijs ſiluerit. Ferant igitur Paulum de Petro ſiluiſſe, nec ex ſilentio arguant Petrum Romæ minimè docuiſſe. Sin, ex eo, quod Petrus de Pauli epiſtolis commemorat, Paulus minimè de Petri litteris, nihil ab hoc ſcriptum fuiſſe deducant. Alia certè cura erat Apoſtolis, nempe fidem Chriſti propagare, & Euangelum prædicare, propterea iſtas ſalutationes, & officia comitatis omittebant. Deinde tanta erat, tum Romæ amplitudo Ciuitatis, tanta hominum turba, & frequentia, tot & tanta pericula à Magiſtratibus, & tortoribus, vt vix inter ſe noſſe, & ſalutare Apoſtolis liceret. Denique potuit Petrus Roma abeſſe, quo tempore Paulus, vti diximus, prædicabat.

Ad argumenta contra Sedem Romanam, ita reſpondetur: primo ſic: Petrus, tam Iudæis, quàm Gentilibus prædicauit, quemadmodum in ipſa iam Iudæa fecerat cùm linteum vidit, & Cornelium conuertit. An hoc non licuit? certè Eunuchus Reginæ Candaces nos monet huius euangelizandi Gentilibus poteſtatis. Verum quidem eſt Petrum præcipuè Iudæos, Paulum Gentiles curaſſe. Vna erat doctrina Petri, & Pauli, quam cùm Iudæi, tum Gentiles reciperent. Alia eſt Caluini, quam Lutherani non recipiunt. Alia Lutheri, quam Caluiniſtæ non admittunt. Nimirum Sectarij ſunt, non Catholici.

Apoſtoli ante Paulum prædicarunt gentibus.

Gaſpar Sanch.

Secundo reſpondetur primùm, cum P. Gaſpare Sanchez in tract. de Aduentu Iacobi in Hiſpaniam cap. 5. Paulum loqui de eo, quod hactenus fecerat, non de eo, quòd erat deinceps facturus. Quæ reſponſio non placet, quia ſumit id, quòd repugnat Sacris litteris. Nimirum Paulum antea ſemper prædicaſſe Chriſtum, vbi non fuerat prædicatus; cum perſpicuè conſtet, eum in multis locis, vbi Chriſtus annunciatus iam fuerat, prædicaſſe: nam & Antiochiæ, & Damaſci, & Hieroſolymis, in quibus prius Apoſtoli Chriſtum annunciauerant, prędicauit, qua ratione ruit ſolutio.

Pauli prædicatio vbi? ad quos?

Reſpondetur ſecundùm cum eodem, locum ita eſſe exponendum, vt Paulus loquatur more logico, non de actu ſecundo prædicandi, ſed de actu primo, id eſt de poteſtate prædicandi loqui, quaſi diceret. Ego ex officio doceo, & prædico inter gentes, quibus ſum deſtinatus Doctor, non autem inter Iudæos, quibus non ſum propriè deſtinatus. Sed hæc ſolutio nimis eſt acuta, & longè petita. Ecquis enim legens Paulum, non videt eum loqui ſimpliciter, & hiſtoricè de actu ſecundo prædicationis, non de officio prædicandi. Hoc indicant

illa verba Pauli, *ita vt ab Hieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti*. Hoc ad prædicationem in actu ſecundo factam ſpectat. Sequentia item verba id ipſum ſignificant. *Sic autem prædicaui Euangelium hoc non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper aliorum fundamentum ædificarem*. Hæc ad locum pertinent prædicationis, & non poſſunt intelligi, niſi in actu ſecundo, quare iſta ſolutio non placet.

Vera expoſitio loco Pauli. Vera reſponſio eſt, Paulum loqui, non de prædicatione antea facta, ſed de illa, quam fecit peregrinando, poſtquam ex Aſia profectus eſt in Europam. In ea quippè nouis populis, & Gentilibus ad quos perueniebat, Chriſtum annunciabat. Senſus igitur eſt: Paulum peregrinando prædicaſſe Gentibus, quibus Chriſtus antea cognitus non erat, idque ſe procuraſſe, vt ad eos diuerteret, qui adhuc ignorabant Chriſtum, quoniam hi magis indigebant, & Paulo glorioſius erat ijs prædicare, vt primus eorum fidei author eſſet, ac ne videretur in labores aliorum introire, & ſuper alienum fundamentum ædificare. Non loquitur ergo Paulus de Vrbe Roma, qui erat terminus ſuæ peregrinationis; vnde locus nihil concludit, atque in hunc ſenſum locum Pauli accepimus, & expoſuimus in noſtra Diatriba de Aduentu S. Iacobi in Hiſpaniam cap. vlt. *Author in Diatriba.*

Tertio membratim occurritur. Quod attinet rationem, cur Petrus Romæ ſederit? Effecta monſtrarunt, & Patres dicunt, ac imprimis Leo in Anniuerſ. Sic Deo viſum. At de hoc ſæpè alias. Quod Hieroſolyma obijciunt, Iudaicè argumentantur. Illa vrbs Domicilium Legis, non Gratiæ. Idcirco tandiu ſubdita: tam ſerò Patriarchalis. Honore illo tunc affecta, cum in Aeliam tranſijt. Si quid valeret argumentum, & id probaret, nunquam Hieroſolyma euerſum iri. Iam vero Antiochia Romæ præferri non debuit, huic nec dignitate, nec magnitudine, nec gloria comparanda. Id nimirum agebat Deus, vt pedibus Piſcatoris caput rerum gentiumq; ſubijceret. Quid? quod Antiochia Iudæorum maximam partem ſedes erat. Roma Gentilium; inter quos Deus habitare volebat. Antiochiæ Iudæi in pretio erant, Romæ contemptui. Sedes Petri non erat ponenda, vbi Iudæi imperarent, ſed vbi ſeruirent. Quod opponitur, Primatum ſequi gloriam Vrbis, leue ideſt, ac ineptum. Altiores habuit radices Cathedra, quæ in aſtris ſunt, & nos ſuo loco proferemus. Gloria Vrbis Cathedræ litauit. Succollauit, vt illa attolleretur. Poteſtas temporalis deſijt, cùm Spiritualis fuit. Iure Diuino vindicat Petrus, quicquid habet.

Cur Petrus Romæ Cathedram poſuerit.

Roma, quare Antiochiæ prælata?

habet. Nec Conſtantino Primatus, nec Phocæ, quòd hæretici muginantur, debetur. Sed de his hactenus. Infra ex inſtituto.

Quarto breuiter reſpondemus. Petrum priuatum hominem mortuum eſſe: at vti Vicarij Chriſti perſonam gerebat, mortuum non eſſe, nec mori potuiſſe. Vixit in Succeſſoribus, viuetque, ac perennabit. Næ ſatis miſer eſſet, ſi quod quilibet Rex, ac Princeps, imo & Pater familias, qui ſua Regna, & Principatus, & domos tranſmittunt ad poſteros, cōſequitur ille conſequi alia meliori ratione non poſſet. Cathedrę Philoſophorum puta Platonis, Ariſtotelis, Zenonis Succeſſores habuerunt. Cathedra Petri Succeſſoribus caruiſſet? Pudeat hos homines ſuæ argumentationis. Negant Petro, quod Luthero, & Caluino, & magiſtris ſuis in Academiarum exedris concedunt. Dicant qua, Scripturarum authoritate? Ita memini Anglis me reponere, cum Londini eſſem. Solutis argumentis.

Succeſſio in Cathedram Pōtificum Romanorum probatur.

Supereſt vna difficultas: nempè, quomodo Eccleſia Romana maiori ſolemnitate celebret Feſtum Cathedræ Antiochenæ, quàm Romanæ? quòd etiam animaduertit Bellarminus; ex hoc enim videtur colligi Petrum ſediſſe Antiochiæ, & Paulum Romæ. Facilè tamen reſpondetur Eccleſiam Romanam habuiſſe rationem antiquitatis illius Cathedræ, non dignitatis, & quia prior fuit ſolemniùs celebratur. Præterea retorquetur argumentum, quia Eccleſia Romana, idcirco maiorem exhibet honorem Cathedræ Antiochenæ, quia extera, & peregrina eſt, Romana verò domeſtica. Quemadmodum enim Romæ Petrus dextram præbet Paulo, quia Dominus eſt Romæ, & maior Paulo ex quadam comitate, & officio, ita Romana Sedes, quia eſt in loco proprio, & ibi dominatur maiore ſolemnitate celebrat Cathedram Antiochenam externam, quàm propriam, & domeſticam. Illa appendix eſto.

Bellar.

Feſta duo Cathedrę Petri, quę & quare.

De tempore. Quo tempore Petrus fixit Cathedram Romæ, vt conſtet, ſcire oportet, quando eam Antiochiæ poſuerit. Id nos docuit Euſebius, cum ſcripſit in Chronico anno 44. hæc verba: *Petrus natione Galilæus Chriſtianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam fundaſſet Eccleſiam Romam proficiſcitur, vbi Euangelium prædicans viginti quinque annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat*. Fundauit autem poſtquam Iudæa egreſſus, tamquam Dux in exercitu, quòd ait, Chryſoſtomus Homil. 21. in Actis, luſtrauit ſubiectos ſibi populos, imbuens præceptis, & illuſtrans doctrinis. Igitur Antiochiam Vrbem Hieronymo

Euſeb.

Quando erecta ſedes Antiochena.

Chryſ.

Hieron.

mo teſte, Orientis Metropolim, & in Orientali Diœceſi Epiphanio authore primam, venit anno Domini 39. id eſt à Paſſione anno 5. iuxta Chronologiam probatam Baronio, & Bellarmino, quam item ſequitur Leo Allatius lib. 1. de conſenſione Eccleſiæ cap. 2. Nec enim verum eſt, quod ſcribit Onuphrius Panuinius, Petrum poſuiſſe Antiochiæ Sedem ſuam, poſtquam Romæ ſediſſet. Ei quippè contradicit Anacletus I. Epiſtol. 3. Marcellus I. Epiſt. item 3. Innocentius I. Epiſt. 14. Leo ſerm. 1. de Petro, & Paulo. Gelaſius in Decreto de libris Apocryphis. Pelagius Iunior in Epiſt. ad Benignum. Gregor. Magn. lib. 7. Epiſtolarum Epiſt. 37. Ioannes III. in Epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ. Agatho in Epiſt. ad Conſtantinum Imper. Euſebius in Chronico, & Hieronymus de viris illuſtribus, qui omnes prius Antiochiam, quàm Romam veniſſe tradunt.

Epiph. Baron. Allat. Bellar. Onuph. Panuin. Anacl. Leo. Anacl. Marcel. Innoc. Gelaſ. Pelag. Gregor. Magnus. Io: III. Agatho. Hieron.

Quandiu ibi Petro.

Quandiu autem Antiochiæ ſederit, non minus conſtat. Septem quippè annis ſediſſe, conſtans eſt Authorum ſententia; non tamen ibi perpetuo fuit. Exibat enim tamquam ſummus Paſtor, & diuerſas Regiones obibat, & curam ſuam omnibus opemque impendebat. Ac ne quid detrimenti ex abſentia ſui Antiochena Eccleſia acciperet, Euodium ſibi ſubſtituit, qui Epiſcopatum gereret. Hic ei poſtea Romam profecto ſucceſſit ante Ignatium, qui tertius Antiochiæ Epiſcopus fuit. Itaque Nicephor. Patriarcha Conſtantinopolitanus primo loco ponit Petrum, ſecundo Euodium, tertio Ignatium, & Socrates lib. 6. cap. 8. Ignatium tertium Epiſcopum Antiochiæ dicit. Conſenſit Author Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 7. c. 48. & quod amplius eſt Greg. Magnus lib. 6. Epiſtol. Ep. 37.

Niceph. Socrat. Author Conſt. Greg. M

Initium, & tēpus Romanæ Sedis.

Iam apparet ex his Petrum ſediſſe Romæ annos 25. venit enim anno 2. Claudij, abijt in Iudæam anno 7. iuſſu Claudij pulſis Roma Iudæis, redijt initio Imperij Neronis. Fuit Romæ vſque ad mortem, quæ incidit anno Neronis vltimo. Ex quo planè conijcitur, quod ſupra poſuimus, ſumma annorum vtriuſque Claudij, & Neronis Imperij deducta, ſediſſe Petrum Romę annos viginti quinque. Huius numeri authores ſunt Hieronymus in Catalogo ſcript. Damaſ. in Pontific. Iſidorus in vita Petri. Beda de ſex ætatibus tom. 2. Chronicon. lib. 1. cap. 13. Ado in Chronico anno 45. Id omnes recentiores probant, ex quibus affero tantum quatuor. Baron. ad eum annum Chriſti. Bellarm. lib. 1. de Pontif. cap. 4. & 5. Becanum tom. 5. opuſc. de Republica Eccleſiaſtica lib. 3. Leonem Allatium de conſenſione Eccleſiæ lib. 1. cap. 2.

Hieron. Damaſ. Beda. Freculp. Ado. Baron. Bellar. Becan. Allat.

CA-

CAPVT VI.

Cathedra Romana Petri, cum ſuo Primatu aſſeritur.

SECTIO I.

Quid ſit Cathedra, & quomodo intelligatur?

CAthedra propriè ſuggeſtus eſt, alio nomine Pulpitum dicta, id eſt locus editus idoneus ad docendum. Quidam perperam Exedram vocant, cum exedra ſit locus amplus, vbi Cathedræ multæ eſſe poſſunt. Itaque Cathedra Doctorum eſt. Hìc alio ſenſu ſumitur, quo nimirum ſignificat locum dignitatis, & authoritatis ex doctrina, & regimine compoſitum, qualem Magiſtri puri habere non ſolent, hi enim ſolum docent; non iubent, nec regunt; & diſcipulos habent, non ſubditos. Imò poteſt aliquando accidere, vt diſcipuli ſuperiores ſint Magiſtro, licet ab eo diſcant, quemadmodum Arcadius, & Honorius Magni Theodoſij filij, & hæredes Imperij, apud Arſenium diſcebant litteras, & in diſcipulorum numero erant, cum illorum ſubditus magiſter eſſet.

Cathedr notio

Non ſufficit ad Cathedram hoc ſenſu acceptam munus docendi, & gubernandi, cum iuriſdictione tantùm delegata, & vicaria poteſtate, ſed oportet vt iuriſdictio ſit forma perpetua, & ordinaria, & in ſuo genere abſoluta, aliter quippè D. Paulus haberet Cathedram Romæ, nam & Doctor Gentium erat, & Epiſcopus: non habuit igitur Cathedram Romæ, quia non habebat ibi iuriſdictionem ordinariam, & certam, ſed tantùm vicariam, & delegatam, quod item intelligendum eſt de alijs Apoſtolis, qui erant Antiochiæ illo ſeptennio, quo Petrus illam Eccleſiam rexit. Non enim erant Paſtores ordinarij, ſed delegati, atque adeo non poterant nominare ſucceſſores, Patriarchas, quemadmodum fecit Petrus, qui Euodium, ſibi ſubſtituit, & Patriarcham conſtituit.

Cathedra non ſolã doctrinã, ſed etiam iuriſdictionem ſignificat.

Ex his conſtat quo ſenſu accipiatur Cathedra Petri, ideſt munus docendi cum authoritate, & dignitate ſuprema obtinendo locum, & gerendo munus Supremi Paſtoris cum independentia ab omnibus alijs, & prærogatiua iuriſdictionis ſuper omnes alios: quàm præ ſe tulit vbicumque fuit, adeò vt omnibus Eccleſijs rationem capitis, & Paſtoris præeſſet, habe-

Excellentia Cathedræ Petri

be-

beretque poteſtatem eligendi Sedes Patriarchales, etiam vbi non ſedit, quemadmodum apparet in Cathedra Alexandrina, quam inſtituit Patriarchalem, miſſo ad illam Marco, qui eius nomine Alexandrinam Eccleſiam regeret. Conſtat verò tres Sedes Patriarchales à Petro erectas, & conſtitutas fuiſſe, quarum prima dignitate fuit Roma, ſecunda Alexandrina, tertia Antiochena, quæ ſolæ vſque ad Nicenum Concilium Patriarchales extiterunt. De quibus nos multa lib. 1. de Clauib.

SECTIO II.

Probatur Primatus Petri ex Euangelio.

Primus locus. Matt. 16. tu es Petrus expenditur. TRes in eo ſunt proprij loci. Primus Matth. 16. nu. 18. & celeberrimus. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Et tibi dabo claues Regni Cælorum, &c.* De quo nos ſatis tom. de Clauibus, & in Teſſera Pontific. vbi de hac re accuratè. Hic tantùm quæ ad Cathedram ſpectat ponimus. Dicitur Petrus Eccleſiæ fundamentum ob fidem, & ob doctrinam, dantur ei claues ſcientiæ, & potentiæ, quòd non ſit ſolum ſit Doctor, ſed etiam Paſtor, ac proinde moderator, vtraque ratione, & docendi, & regendi coniuncta, & quamquam nomen Petræ, & fundamenti videatur alienum à Cathedra, proprium eſſe patet, ex eo, quòd Chriſtus, qui eſt ſapientia Paſtoris dicitur petra. *Petra autem erat Chriſtus*, & ipſe eſt fundamentum apud Paulum 1. ad Corinth. 3. Cor. 3.
& lapis angularis apud eundem ad Epheſ. 2. quod non obſtat, quominus caput ſit: vti ait idem Paulus: *Ipſa eſt caput corporis Eccleſiæ.* Igitur perinde eſt fundamentum, & caput ſenſu allegorico, & ſpirituali, quamquam litteraliter videantur diſcrepare.

Petra cũ doctrina conſenſio Declaratur exemplo Eccleſiæ, quæ cum ſit magiſtra vocatur à Paulo firmamentum, id eſt fundamentum veritatis 1. ad Timoth. 3. Igitur non abhorret ratio fundamenti à ratione capitis, & Cathedræ. Imo notandum Petrum propter confeſſionem fidei Petram, & fundamentum Eccleſiæ inſtitutum fuiſſe: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, quod ſic intelligit Baſilius lib. 1. contra Eunomium. *Quoniam*, inquit, *fide præſtabat commiſſam ſibi Eccleſiæ ædificationem ſuſcepit*. Et Theophylactus hoc loco affert illa verba Lucæ 22. *Confirma fratres tuos*, quo loco ait: *Petrum Principem Diſcipulorum vocat, quaſi ad doctrinæ, Cathe-* Tim. 3. Baſil. Teoph. Luc. 22.

Cathedramque reſpiceret. Quin & multi PP. Petram hanc, quæ eſt Petrus fidem Petri intelligunt, dum quod ait Chriſtus *ſuper hanc petram* tum pro Petro, tum pro fide Petri accipiunt. Ita vt in vtroque ſenſu dici queat ſuper hunc hominem, & ſuper hanc fidem: perinde ac fides, & Petrus eòdem redirent, & Petra Magiſtrum pariter fidei, & doctrinam fidei ſignificaret. Eos in teſſera citauimus. *Petra quot ſenſus habeat.*

Non eſt ergo petra iſta muta, ſed vocalis. Nam ea Chriſti voci, qui verbum erat, Ecchus inſtar reſpondit, & quidem Petræ ſono vocis percuſſæ loquuntur, dum vocem remittunt. Niſi Petræ quædam vocales eſſent, minus intelligeretur illud Dauidis *de medio Petrarum dabunt voces*. Quod ſi Petræ in morte Chriſti ſenſerunt, & doluerunt, & crepuerunt: *Petræ ſciſſæ ſunt*: gemitum videntur emiſiſſe, atque adeò loqui potuerunt, cum ille qui genuit queri poſſet, & querendo loqui. Potuit ergo Petrus Petra eſſe, & Magiſter, & fundamentum præſtare, & Cathedram obtinere.

Iam verò clauium traditio ſoli Petro facta ſignificauit Primatum Eccleſiæ. Plerique ſic intellexerunt Authores, quos in ſupradictis operibus citauimus. Paucos nunc afferemus, nempè Chryſoſtomum Homilia 34. in Matthæum. Sophron. de labor. & peregrin. Petri, & Pauli. Tertull. de Pudicit. cap. 21. Hilar. in Pſalm. 131. Leon. Magn. ſerm. 3. Anniuerſar. Caſſiodor. lib. de amicit. Gregor. Magn. lib. 3. Epiſt. 33. & Adrianum I. in Septima Synodo Act. 2. Epiſt. ad Imperatores interprete Anaſtaſ. Bibliothecar. & Gallam Placidiam Ep. ad Pulcheriam: cuius verba operæ pretium erit afferre: *In qua, ſcilicet Sede Romana, Primus Apoſtolorum B. Petrus, qui etiam claues Regni cæleſtis accipiens Sacerdotij principatum tenuit*. Facit quod iſtæ duæ claues ſignificant ex communi conſenſu ſcientiam, & potentiam, vti patet in Extrauag. *Quia quarumdam* cap. 5. ex quibus conſtare Cathedram ſupradiximus. Hoc autem expreſſit S. Ignatius Fundator Societatis in Epiſt. ad Claudium Aethiopiæ Regem vbi ſic: *Legitima poteſtas, & pura, & ſincera doctrina, duæ claues ſunt illæ regni cælorum, quas Chriſtus Dominus Noſter Sancto Petro promiſit, & tradidit*. Idcirco hoc teſtimonio Primatum probant etiam Græci, vti videre eſt in Gennadio Scholario de Primatu Papæ cap. 5. ſect. 1. Cætera tomo de Clauib. & in Teſſera diximus. *Clauium traditio primatus ſignum.* Chryſ. Sophr. Tertul. Hilar. Leo. M. Caſſiod. Gre. M. Adr. I. Anaſtaſ. Galla Placid. S. Ignat. Genad.

Luc. 22. Secundus eſto Lucæ 22. *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Quem *Secŭdus locus orani pro te Petre pŏderatur*

ego magni facere ſoleo, quòd maximè rem Cathedræ continet. Orat enim Chriſtus pro Petro, ſeu fundamento Eccleſiæ, quæ eò nititur, tanquam Atlante cælum. Orat pro illo, non quatenus erat priuatus homo, tum quippè Chriſtum negauit, ſed quatenus perſonam publicam gerebat, & vir gregis, & Paſtor futurus erat, vt Cathedræ ratio haberetur. Tanti Petrus erat, vt pro eo Chriſtus oraret, quaſi in eo verteretur ſalus Eccleſiæ. Rogat autem Chriſtus, ne deficiat in fide, quòd ea fides capitis erat, ex qua reliqui corporis fides pendebat. Stante quippè Petro ſtabat fundamentum, Arx religionis manebat. Eo labente ædificium nutabat. Itaque aliæ Eccleſiæ omnes errarunt in fide, & Patriarchæ earum interdum defecerunt, ſola Romana Sedes, eiuſque Pontifices ſucceſſores Petri in fide permanſerunt. Aliæ Cathedræ deſierunt. *Momenta loci.* Romana non deſijt. Stat, & conſeruatur, perennat, ac perennabit. Imò, & per eam aliæ viuunt, & perſeuerant. An non videmus Patriarchas eligi à Pontifice Romano, & quoſdam eſſe Romæ, & hic dignitatem ſuam ſuſtinere? ille Patriarcham Alexandrinum, Antiochenum, Conſtantinopolitanum conſecrat. Ille Patriarcham Aethiopiæ creauit, & ante annos centum eò cum poteſtate miſit. Igitur cum pro fide Petri Chriſtus orat, orat pro fide totius Eccleſiæ, ac eo monſtratur Petrum habere primatum. Vnde Leo I. ſerm. 3. de Anniuerſario aſſumptionis ſuæ. *Pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus ſi mens Principis victa non fuerit.* Quemadmodum in bellis ſumma Victoriæ eſt in Duce, & quidquid ei in vtramque partem accidit, id totius exercitus fatum eſt, ita & in Petro religionis cardo vertebatur, vt quocumque Dux incederet eum Eccleſia ſequeretur.

Omnes Patriarchę conſecrātur à Pontifice.

Leo I.

Quanti autem eſſet illius conſtantia momenti apparet in ijs verbis, *& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* Certe conſtans eſt ille, qui confirmat cæteros: Petra, & ſaxum, quo innuitur Primatus Cathedræ, quæ talis eſt, vt doctrina antecellat cæteris, quòd ſit oraculum, & ſuſtentaculum cæterarum. Quod vero Chriſtus dicat *fratres* auget charitatem, non minuit dignitatem. In fratribus quippè primogenitus inuenitur, qui primas inter eos tenet, quem reliqui, etſi pares natalibus ſuperiorem dignitate venerantur. Talem Petrum Apoſtoli agnouere, vti nos poſtea probabimus.

Quanti ſit confirmare fratres in Fide.

Præcipuè autem viſus eſt Petrus ſuſtentaſſe, & confirmaſſe

reli-

reliquos Apoſtolos, cum poſt Paſſionem Chriſti diſcipuli titubarunt circa myſterium reſurrectionis. Tunc enim Petrus fidei ſuæ ſpecimen præclarum præbuit, & cæteros dubitantes confirmauit. Quare Chriſtus: Primum ſecundum Pau-
1. Cor. Chryſ. lum 1. Corinth. 15. *Viſus eſt Cephæ, poſtea vndecim*, vti enim exponit Chryſoſt. *Non omnibus initio viſus eſt, nec pluribus ſimul, ſed vni tantum, & ei Principi, & fide maximè digno.* Adiun-
Teoph. git Theophylactus hæc verba. *Quia te habeo*, inquit, Chriſtus, *vt Principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleueris, confirma cæteros: hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ Petra es, & fundamentum.* *Petrus confirmauit Apoſtolos.*

Ioan. vl. Tertius eſt Ioannis vltimo. *Paſce oues meas*, hic eſt perſpicuus. Tria continet: primum paſcere, id eſt regere, omnibus modis ad ſalutem ouium neceſſarijs, in quo eſt Primatus, tum dignitatis, tum iuriſdictionis, tum doctrinæ. Omnia Paſtor vendicat. Dignitas, & iuriſdictio Paſtoris, Homero, & prophanis patet authoribus, qui Reges appellant Paſtores populorum. Imò in diuinis litteris perinde eſt paſcere, ac regnare
1. Reg. 1. Reg. cap. 5. habetur. *Tu paſces Populum meum*, id eſt, *tu reges*. Quod autem doctrina eo item verbo ſignificetur, patet ex Paulo, vbi dicit *Paſtores, & Doctores*. Hæc verò tria comprehendit, cum dixit. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* Itaque *Paſce oues meas* Cathedræ munia continet. *Paſtoris officia.*

Quod attinet ſecundum: nomine ouium comprehenduntur omnes etiam Paſtores, & Apoſtoli, & Epiſcopi præter Petrum, qui ſolus Paſtor eſt inſtitutus. Aliàs non eſſet in Eccleſia vnus Grex, & vnum ouile, ſed quot Greges, & Ouilia tot Paſtores. Nec Eccleſia eſſet vnum corpus, ſed multiceps, & multiplex. Ita intelligunt PP. ex quibus Bernard. lib. 2. de
Bernar. conſider. ad Eugenium cap. 8. *Nec modo ouium, ſed Paſtorum, tu vnus omnium Paſtor. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed item Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues. Si me amas Petre, paſce oues meas, oues meas, inquit, cui non placitum deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes: nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.* Accedit Leo I. *Quamuis*, inquit, *in Populo Dei*
Leo I. *multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* Vnde Eucherius in *Petrus paſcit oues, & Paſtores.*
Eucher. Vigilia S. Petri Petrum appellat Paſtorem Paſtorum, & alij Patres communiter vocant Principem Apoſtolorum, vti eſt
Baſil. Baſilius in Proœmio Præceptionum, & Cyrillus Hieroſolym.
Cyrill. Cathecheſi 2. & 11. Itaque immerito Forbeſius hæreticus tract.

de Primatu Pętri, negat iſtam pręrogatiuam Petro, dum ei omnino pares facit Apoſtolos. Hæc enim prærogatiua dignitatis, & Principatus apparet ex eo, quòd habetur Lucæ 22. *Confirma fratres tuos*. Ille enim qui confirmat, paſcit: Petrus autem Apoſtolos confirmauit. Ergo pauit vti Paſtor oues.

Tertium illud in ſingulari dictum Petro. *Paſce oues*: manifeſtè oſtendit Primatum Petri, eumq; ſignificat connexio amoris cum hac prærogatiua. Cur enim interrogat Chriſtus. *Diligis me plus his*? Niſi vt aliquod ſingulare à Petro exigeret, cui reſponderet præmium ſingulare: hoc autem erat ille Primatus paſcendi, & regendi cæteros. Perſpicuè Auguſtinus lib. de Paſtoribus cap. 3. *Multi erant Apoſtoli, ſed vni Petro dicitur. Paſce oues meas*. Id Cyprianus lib. de ſimplicitate Prælatorum. Id Optat. Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum. Id Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, ad vnitatem Eccleſiæ, & vitationem ſchiſmatum referunt.

Soli Petro dicitur. — Auguſt. — Cypr. — Optatus — Hieron.

Non obſtat verſutia Marci Antonij de Dominis, qui hanc ſententiam conatur eludere, dum ait Petro his verbis. *Primatum non eſſe datum, ſed tantum ſuum locum Paſtoris, quem negando amiſerat reſtitutum*. Nunquam magis hæretici videntur inepti, quàm cum ſibi videntur acutì. Hac ratione argumentandi conuincitur Marcus Antonius. Iudas quippè etiam quando fur erat retinebat Apoſtoli officium. Quomodo igitur Petrus ſuum amiſit ſubito cum negauit? Cur illud non recuperauit, cum fleuit, & crimen diluit? Pudeat argumentationis ſuperbum Hæreticum.

Hæreticorum effugium. — Marcus Ant. de Domin. — *Præcluditur.*

Præterea ſi mens Chriſti fuit reddere ſolùm Petro locum Paſtoris amiſſum, nō euehere ad ſublimiorem, cur exegit amorem eminentem ſuper alios? *Diligis me plus his*. Ad illud quippè ſatis erat ſimplicem amorem poſtulare, non præſtantem, & excellentem. Igitur qui exegit maius meritum in amando, quàm erat amor aliorum: idcircò exegit, vt maius in paſcendo pręmium donaret. Vnde patet Marcum Antonium, non de dignitate Cathedræ Petri, ſed de alia re, puta Cleopatra, cogitare. Hoc loco Ioannis vtitur contra Schiſmaticos Græcos Gennadius Scholarius cap. 5. ſect. 2. & teſtimonio Damaſceni, & authoritate Imperatoris Leonis Sapientis confirmat.

Apta alluſio. — Genad.

Hi tres loci nodum quendam inextricabilem efficiunt, de quo poſſis dicere. *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Eo ſenſu vt liceat mutare aduerbium *difficile*, in *impoſſibile*, ſiue adynaton.

Eos

Eos autem ſtrinxit, & coegit in nodum Pelagius II. Papa Epi-
Pelag. II. ſtola 5. ad Eliam, & Epiſcopos Iſtriæ hac ſententia. *Conſiderate chariſſimi, quia veritas mentiri non poteſt, nec Fides Petri in æternum quaſſari poterit, vel mutari: nam cum omnes diſcipulos Diabolus ad excribrandum popoſcerit, pro ſolo Petro ſe Dominus rogaſſe teſtatur, & ab eo voluit cæteros confirmari. Cui etiam pro maiori dilectione, quam præ cæteris Domino exhibebat, paſcendarum ouium ſolicitudo commiſſa eſt. Cui & Claues Regni Cælorum tradidit, & ſuper quem Eccleſiam ſuam ædificaturum eſſe promiſit, nec portas Inferni aduerſus eam præualere teſtatus eſt.* O pulchrum Ternarium. Omnibus illis Auſonij, imò & tribus gratijs, quòd à diuina
Gregor. Magn. fuit gratia præponendum. Eoſdem connexuit locos Magnus Gregorius eius ſucceſſor Pelagij Epiſtolar. lib. 4. & Epiſtola 37. lib. 6.

SECTIO III.

Obiectiones Forbeſij, & aliorum Hæreticorum contra iſtos tres locos afferuntur, & refutantur.

MAgna vis eſt in his tribus Euangeliorum locis. Eam tamen hæretici conantur eneruare arte quadam, & verſutia interpretandi. Inter hos eſt Forbeſius Scotus lib. 15. cap. 6. Negat hic tres illos locos ad Petrum propriè pertinere, & affirmat cùm alijs Apoſtolis, tum etiam fidelibus conuenire; itaque nihil inde colligi, quòd faciat ad primatum Petri. Singulos expendamus.

Forbeſ. — *Forbeſij Abeſdomenſis ſuſus.*

De primo, ait Forbeſius tria: primum Catholicos Romanos dicere ſenſum illius loci. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram.* Soli Petro conuenire excludendo alios quoſcumque ſenſus, quòd ſolus ille ſit verus, idque facere adulationis, erga Pontificem Romanum, gratia. Secundum per illam petram non intelligi perſonam Petri, ſed confeſſionem, & fidem, quàm protulit, non vti priuatus erat homo, ſed prout publicam perſonam gerebat Apoſtolorum, & fidelium, & hunc ſenſum proprium eſſe Patrum omnium, non autem illum alium de Petro. Et hac ratione contradicit expoſitioni Catholicorum. Tertium ſi quis Patrum illum ſenſum petræ, & fundamenti Eccleſiæ Petro attribuit eum nullatenus illi attribuere primatum capitis, ſed tantum primatum ordinis, & honoris, & virtutis perſonalis. Quæ ſumma eſt illius libri quintidecimi.

Deteguntur artes & doli Forbeſy.

Reſpon-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Reſpondemus hæc tria pronunciata Forbeſij totidem eſſe mendacia, ac illum demum ſibi contradicere. Probo ſingula. Primum Romani Catholici non dicunt eum ſolum ſenſum eſſe loci, quo petra ſignificat Petrum excludendo alios ſenſus, ſed dicunt illum eſſe ſenſum proprium, & rei Euangelicæ congruentem, affirmando alios item eſſe aptos quidem, & idoneos, ſed minus tamen proprios, & congruentes, quòd ſanè non eſt excludere, ſed admittere, & ſuſtinere. Patet ex noſtris Authoribus, quos latè citauimus in Teſſera Pontificia, & lib. 1. de Clauibus. Vnum hic afferemus Coccium, qui ſenſus illos omnes affert multò quàm Forbeſius eruditiuis. Imò alij duo ſenſus de fide Petri, & Eccleſiæ ad inſtitutum primatus Petri probandum accommodatos eſſe probauimus. Apparet autem fraus, & verſutia Forbeſij, quòd nullum ex his Patribus, qui plurimi ſunt, exponentibus illam petram de Petro citare voluit, & tantùm allegauit illos, qui alios ſenſus adduxerunt, vt legentes deciperet, & tenebras offunderet clariſſimę illi tot Patrum interpretationi, qui fermè omnes locum illum de petra, & fundamento Eccleſiæ de perſona Petri intelligunt. Non eſt opus citare omnes, cum in Teſſera id egerimus. Legat Forbeſius, Baronium, Coccium, Bellarminum, Maldonatum, & Cornelium, & alios Matthæi commentatores, & ex Græcis Gennadium cap. 5.

Cocc. — *Refutatur idem* — *Genad.*

Illud aduertendum: Multos illorum, quos citat pro alijs expoſitionibus, hanc ipſam de Petro petra interpretationem tradere, vti ſunt Hilarius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Epiphanius, Auguſtinus, Theophylactus. Cur ergo eam reprobat Forbeſius, cum Patres probent? Quod ait de Auguſtino eum ſemel de Petro locum illum petræ expoſuiſſe, ſeq. retractaſſe, quòd aliam de Chriſto, & fide ſæpiſſimè tradidiſſet: omnino eſſet reprehendendum, niſi addidiſſet Auguſtinum eam interpretationem non damnaſſe, ſed arbitrio Lectorum reliquiſſe: non tamen idcircò non carpendum, quòd ait Auguſtinum ſemel ita interpretatum: Ter enim, aut quater ſic expoſuit. Primo lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. vbi ſic. *Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam.*

Præuaricatur in citandis Patribus Forbeſius.

Secundo in Pſalm. contra partem Donati, qui locus eo eſt melior, quod ad Sedem, & Cathedram Petri Romanam pertinet: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede.*

Hym-

Hymnus eſt iſte,quem ſuſcepto ſtudio Auguſt. compoſuit.

Pergit: *Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

Tertio ſerm.124. de tempore, vbi ſic. *Credendæ erant Petro Apoſtolo claues Eccleſiæ. Credenda ei erat populorum innumera multitudo*, & mox *totius corporis morbum in ipſo capite curat Eccleſiæ, & in ipſo vertice componit membrorum omnium ſanitatem. In ipſa confeſſionis Chriſti crepidine, in ipſo immobilis fidei fundamento. In Petro ſcilicet illo, qui dixerat, etiam ſi oporteat me mori tecum.*

Quarto ſerm. 15. de ſanctis, quem puto eſſe Auguſtini. *Petrum itaque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit, & ideò dignè fundamentum hoc Eccleſia colit, ſuper quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit.* Præterea Auguſtinus optionem Lectori fecit quamlibet expoſitionem ſequendi. Quamuis enim Chriſtus fundamentum ſit per Antomaſiam, id eſt proprium, & principale, nihil obſtat, quòd etiam Petrus fundamentum ſit, non abſolutè, & virtute propria, ſed reſpectiuè ad Eccleſiam, & virtute Chriſti, id eſt analogicè, & minus principaliter. Ac ita rectè dici poteſt Petrus petra, & fundamentum, prout eſt Chriſti Vicarius.

Vt autem plenius refutem Forbeſium illud adijcio multos ex Græcis hanc expoſitionem petræ, & fundamenti de Petro tradidiſſe. Hi ſunt fermè ſeptuaginta apud Coccium lib. 7. art. 4. & inter alios Theodorus Studites in Epiſtola ad Michaelem. Damaſcenus, quem etiam citat Gennadius cap. 5. ſect. 6. Maximus Planudes orat. in Principes Apoſtolorum. Arſenius Corcyrenſis laudatione in S. Andream Apoſtolum, & ipſemet Gennadius, quem citauimus. Hos omnes neglexit Forbeſius de more Hæreticorum, qui afferre ſolent, quæ erroribus ſuis fauent, & omittere, quæ nocent.

Cocc. Theod. Studit. Damaſ. Maxim. Planud. Arſen. Corcyr. Genad.

Venio ad ſecundum errorem Forbeſij. Negat fidem illam Petri de qua locum exponit eſſe propriam perſonæ Petri, vt inficietur præmium. Ait communem illam confeſſionem Apoſtolorum fuiſſe, atque adeò præmium fuiſſe item commune. Itaque nullam hic eſſe prærogatiuam Petri. Fallitur tamen, & fallit aſtutus hæreticus. Primum probare debet Apoſtolos omnes parem Petro fidem habuiſſe, quod probare minimè poteſt, quemadmodum enim in Charitate pares, opinor, non erant, ita nec in fide, opinor, erant. *Vni enim Petro*, dixit Chriſtus. *Diligis me plus his?* Qui ergo ardentius amabat cer-

certiùs credebat, & quidem Petrus à Patribus feruentior alijs dicitur. Certè non exiſtimo Philippum cui dicitur, *non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt*. Nec Thomam, qui viam veniendi ad Patrem ignorabat, æquaſſe Petrum in fide. Deinde hoc ipſum, quòd Petrus primo reſpondit, indicat, quiddam excellens in perſona. Cur enim omnibus interrogatis vnus Petrus reſpondit? Cur vni tantum Petro Chriſtus acceptam confeſſionem tulit? *Dico tibi tu es Petrus, Pater reuelauit tibi*. Non poterat alijs verbis Chriſtus, & meritum, & præmium proprium Petri facere, quàm quibus eſt vſus. Sin dicat Forbeſius melioribus. Mihi non infanti meliora non occurrunt. Ego ijs dicerem, ſi dedita opera vellem dicere.

Obijciet: Chriſtum omnes Apoſtolos interrogaſſe. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Fateor, ſed vnus Petrus reſpondit. Cur vnus? quia os, & caput omnium. Non auderet omnium partes ſuſcipere, niſi Princeps eſſet. Iterum cum Chriſtus expoſito myſterio Euchariſtiæ omnes rogaret. Numquid & vos vultis abire? Vnus Petrus reſpondit: *Domine ad quem ibimus: verba vitæ æternæ habes*. Vnde hæc fidentia in Petro? ſanè à primatu. Rurſum affirmanti Chriſto. *Omnes vos ſcandalum patiemini*. Solus Petrus negat. *Non ego*. Quo iure? prærogatiuæ. Hic dicat Forbeſius vtrum mauult, Petrum communi, an proprio ſenſu dixiſſe? Si proprio vnius eſt, & meritum, & premium: Si communi, caput aliorum, & princeps eſt.

Aliter locutus eſt Petrus cum dixit. *Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis*, & aliter audijt. *Vos qui ſecuti eſtis me ſedebitis ſuper ſedes*. Hæc enim ad omnes pertinebant. At nunc cum dicit. *Tu es Chriſtus*, & cum audit, *tu es Petrus, tibi dabo claues*, Petrus propriè audit, & loquitur. Quòd ſi Forbeſius vult, vt quando loquitur Petrus omnes in eo loquantur, neceſſe eſt fateri, cum dixit ad Chriſtum, *abſit à te Domine*, & cum audiuit à Chriſto, *vade retro Satana*. Omnes in Petro dixiſſe, & audiſſe. Imò, & cum Chriſtum negauit, omnes cum eo, & in eo negaſſe Chriſtum. Verùm obijcit nobis Auguſtinum tract. 118. & 124. in Ioannem. *Vnum Petrum pro omnibus dixiſſe, tamquam Perſonam vnitatem totius Eccleſiæ gerentem*. Annuo, & retorqueo. Cur Petrus vnitatem totius Eccleſiæ figurabat? Nempè quia caput erat, & membra quodammodo corporis continebat. Alij non gerebant iſtam perſonam, quia membra erant. Noſter eſt igitur Auguſtinus, & quicumque de vnitate Eccleſiæ, in Petro ſitæ, & per Petrum repræſentatæ

expo-

exponunt. Nemo vſpiam ciuis priuatus ſuſtinet Reipublicæ perſonam: ille ſuſtinet, qui Princeps, & caput eſt. Ruit ergo tota Forbeſij moles.

Quoad tertium, quod aſtruit, per hanc petram intelligi quãcumque fidem cuiuslibet priuati fidelis, idque confirmat locis Ambroſij, & aliorum, nihil officit interpretationi noſtræ de Petro capite, & fundamento: cum idemmet Ambroſius teſte Forbeſio cap. 7. de Petro ſolo interpretetur, quem ſecutus eſt Auguſtinus in illo, quem vnicum eſſe vult Forbeſius loco. Malè igitur deducit Forbeſius ex eo, quod hic locus habeat illum ſenſum, alium non pati. Non enim perinde eſt plures habere ſenſus, & contrarios habere ſenſus. Cum vnus, & idem locus ſcripturæ multos ſenſus, non ſolum allegoricos, ſed etiam litterarios habeat, nec tamen idcirco ſunt inter ſe contrarij. Igitur alio modo dicitur Petrus petra, & alio quilibet fidelis petra, vti alio modo Chriſtus dicitur fundamentum, alio Petrus, alio Apoſtoli, quòd ſupra expendimus. Sin reſpondeat mihi Forbeſius, quando eius Paſtor Patritius Epiſcopus (ſi ſuperis placet) Aberdonienſis palam recitabat Symbolum fidei cum populo, quiuis ſedentarius, vel muliercula habebat eandem cum recitante dignitatem? Erant ergo Epiſcopi omnes, dum recitabant, atque adeo nihil inter eos, & Patritium intererat, hoc autem puto Forbeſium pro ſua in Patrem reuerentia minimè admiſſurum. Sinat ergo nos inficiari, qui cum Petro fideles Chriſtum confitentur, eos omnes pares eſſe loco, dignitate, authoritate. Quod qui efficiet, ęquando vulgus Petro, magnam ei iniuriam faciet, cum tamen citra iniuriam poſſit, quiuis quemlibet Caluiniſtam, etiam fœminam venerabili illi viro Patri Patritio Pſeudo Epiſcopo æquare. Exiſtimo enim inter Epiſcopum Caluiniſtam, & obſtetricem nihil præter ſexum intereſſe.

Vnus locus ſcripturæ multos ſẽſus recipit.

Lepida Forbeſiani argumenti irriſio.

SECTIO II.

Proponitur, ac diluitur ſecunda obiectio Forbeſij.

Forbeſij inepta interpretatio.

SEcundum illum, qui ſatis eſt conſpicuus, locum Lucæ 22. de oratione Chriſti pro Petro, & exhortatione ad eum, vt poſt lapſum Fratres confirmaret ſuos, conatur elidere Forbeſius lib. 15. cap. 10. ad 15. Summa eſt: Petro nihil hic prærogatiuæ tribui: ſed ſolùm moneri de lapſu, ne nimium ſibi arrogaret; eique promitti conuerſionem, & perſeuerantiam in Fide poſt pœnitentiam: ac eo ſenſu dici *confirmaturum Fratres*, quod qui eius labentis exemplo titubarunt, *eos ſurgens ſua conuerſione confirmaturus erat, & ſuſtentaturus, ne eius lapſus eis eſſet occaſio ruinæ*. Quo indicatum, *non adimendum ei munus Apoſtolicum, ſicut Iudæ Proditori*. Tandem illo excepto. *Confirmandi fratres*, nihil peculiare Petro demandari, quòd non omnibus Apoſtolis, immò & omnibus Chriſtianis conueniat, nimirum vt alios, perſpicuè dico, lapſu ſuo non ſcandalizet. Et huc trahit quorumdam Patrum teſtimonia.

Refellitur.

Ecquis non videt hanc expoſitionem putidam, & ineptam eſſe? Patet. Nam cur Chriſtus meminit Conuerſionis Petri, niſi quia hic ſolus negauit, & fleuit? Pro iſto igitur orat, quem reſpexit. Cui autem dicitur, *ne deficiat*, niſi illi, qui negauerat? Igitur vt pro alijs antè orauerit, hìc certè pro ſolo Petro peculiariter orauit. Quorſum enim illud *Pro te*, & illud *ne deficiat Fides tua?* Illa nimirum quæ deficere cœperat in negatione. Quid quod illud *aliquando conuerſus* ad vnum Petrum pertinet, quem Dominus reſpexit, vt fleret; qui conuerſus eſt, ac fleuit. Ab hoc igitur remouetur defectio, quæ futura non erat poſt illam conuerſionem. Exinde quippè tam firmus, & conſtans Petrus erat futurus, vt cæteros in Fide confirmaturus eſſet. Hæc omnia propria ſunt Petri. Nec in alios quadrare poſſunt. Secus, Euangelij verba torquebuntur. Quid hic commune cum alijs, vel Apoſtolis, vel Fidelibus? quibus vt hæc conueniant, debent ij labare, ac negare, ac deinde conuerti, & alios confirmare, quod omnino eſt falſum.

Fides Petri quanta.

Iam verò, *confirmare*, nihil eſſe aliud, quàm ſatisfacere alijs pro ſcandalo dato, eoſque conſolari, alienum planè à loco, & abſurdum eſt. Cum id ſine vlla actione Petri erga alios ſtare poſſit. At vero illud *confirma* ſignificat actionem Petri alios ſuſtinen-

ſtinentis. & roborantis. Quin ipſa Latina vis verbi emphaſim, & energiam habet: & oratio id Chriſti poſtulantis exigit. Quid enim magnum obtinere Chriſtus, ſi tantùm conuerſionem Petri obtineret, vnde alij ſolatium magis, & exemplum, quàm confirmationem acciperent? Certè non popoſcit Chriſtus ſolam fidem, quæ non deficeret, ſed etiam quæ ſtabiliret alios, & confirmaret. Eneruat preces Chriſti, qui robur, & vires illius Fidei infirmat. Parum eſſet, non deficit, niſi etiam confirmaret. *Non deficere* ad perſeuerantiam propriam: *Confirmare* ad ſtabiliendos, & corroborandos alios pertinebat. Duo in Petro erant mirabilia. Vnum, quòd ille tam fidens, tam conſtans cecidit: alterum, quòd idem infirmatus, & lapſus, tam ſurrexerit fortis, & validus, vt cæteros titubantes, & labantes ſuſtineret, & confirmaret. Non poteſt detrahi Petro, niſi etiam virtuti orationis, & energiæ verborum Chriſti detrahatur. Egregiam vero laudem Petrus, & mercedem referebat, ſi tantum non adimebatur ei, quod Iudę ademptum fuerat. Puduit interpretationis Forbeſianæ, cum eam legi Mente emouentur Hæretici odio in Petrum. Cur Thomę poſt lapſum Chriſtum confitenti Dominum, & Deum Chriſtum, non eadem ſunt dicta, quæ Petro? Cur illi poſt conuerſionem illam ſuam non contigit iſta laudatio? Imo contigit caſtigatio? Sanè ſi illa confirmatio nil erat aliud quàm poſt caſum alios conſolari, & exemplo ædificare, idem Thomas præſtitit, ac Petrus. Igitur vterque eodem modo confirmauit. Cur igitur in pari cauſa, tam diuerſa Chriſti de vtroque ſententia, vt Petro mandetur vt cæteros confirmet: Thomæ exprobetur, quòd palpans crediderit, & anteponantur ei cæteri Fideles? Non poteſt hic locus, niſi de prærogatiua Petri intelligi. Vidit hoc inter alios Theophylactus hic, quem cum bis citet Forbeſius, hæc verba aſtutè ſubduxit. Bis citem vt Forbeſium numero quoque refellam. Primo: *Tu Petre conuerſus bonum exemplum Pænitentiæ eris omnibus, qui cum Apoſtolus fueris, & negaueris, iterum recipies Primatum omnium, & præfecturam Orbis*. Rurſum, *quia te habeo*, inquit, *vt Principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleueris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ Petra es*. Nempè hic locus ad illum alium reſpicit, vbi Petrus petra, & fundamentum à Chriſto appellatur. *Tu es Petrus*. Veniam tamen damus ſuæ proteruiæ Forbeſio, quia per incogitantiam faſſus eſt veritatem Catholicam. Nam cap. 14. num. 2. ſic. *Quamuis in vtraque*

Ab energia vocabuli.

A virtute orationis Chriſti.

A contrario exemplo S.Th.

Teoph.

Forbeſius ſecum pugnat. *Petrus*, ideſt, *ſiue fraterna, ſiue Paſtorali confirmatione præſtanda, vt eximius Chriſtianus, vt Apoſtolus, & Apoſtolorum primus pro magnitudine dati ſcandali, & pro tantæ Perſonæ eminentia præclaro exemplo alijs prælucere debuerit*. Et idem repetit num. 7. Quid hoc eſt aliud, quàm fateri cum Papiſtis Petrum eſſe Principem Apoſtolorum? Magna vis eſt veritatis, vt cùm eam maximè aduerſarij conentur opprimere, illa aduerſus eoſdem erecta conſiſtat, & ſui ab ipſis confeſſionem extorqueat. Forbeſ.

SECTIO V.

Tertius Euangelij Ioannis cap. vlt. textus. Paſce oues meas à corruptela Forbeſij vindicatur.

Siniſtra Forbeſij expoſitio. PErinde eſt huius loci lumen obtundere, ac negare ſolem meridie lucere. Mauult tamen hoc negare Forbeſius, & obſtinatè noctuam agit. Ait hic Petrum amoris profeſſione ſui, præteriti timoris maculas eluiſſe: non alium ſcopum, aut Examinis Chriſti, aut eius reſponſi, quàm culpæ negando admiſſæ compenſationem fuiſſe. Non aliud præmium eximij illius amoris, quàm reſtitutionem in locum, vnde timoris expreſſione ceciderat, ideſt Apoſtolatum habuiſſe. Prærogatiuę nihil eſſe in hac Paſtura agnorum, & ouium demandata. Huc trahit Forbeſius Patrum quorumdam teſtimonia, præſertim Baſilij, eoque ceu firmo argumento caput abſoluit.

Quod primum attinet: Intentantur violenter digiti oculis Chriſti, & Petri à Forbeſio, quaſi vtrique velit euellere. Nam *Pulchra refutatio* nihil Chriſtus effecit reſpiciendo Petrum, nihil Petrus effecit plorando: ſi illa peccati labes diluta non fuit. Ergo nec oculi Chriſti elicuerunt lachrymas, nec Petri emiſerunt. Manſit Chriſtus deluſus, & Petrus ſaxeus. Quod ſi & Chriſtus emolliuit petram, & hæc in lacrymas reſoluta diſſilijt: omni eſt macula peccati extincta. Certè: nec enim Petro Chriſtus ſe reſurgens primò exhibuiſſet, nec Angeli cæteris ſuppreſſis proprio Petrum nomine ſalutaſſent. Sed bene eſt. Error Forbeſij trahit errorem. Caluiniſta eſt: negat peccata verè, ac prorſus remitti, *non imputari* dicit. Cum igitur *imputare* quiddam ſit alienum, & aduentitium, poteſt peccatum redire ſi imputetur, atque adeo idem peccatum, ſemel non imputari, rur- *Arguta repulſio.* ſum imputari, ac reuerti. Bellam remiſſionem? Secundum quam Petrus, authore Forbeſio, potuit cum fleuit obtinere;

non

non imputationem peccati; quæ tamen non imputatio, quòd non eſſet vera remiſſio, locum nouæ imputationi reliquit. Neceſſe igitur fuit Petro nouam ſatisfactionem exhibere amãdo, vt illud peccatum, quod imputatione redierat, deleretur. Verum iuxta Forbeſium, ne tunc quidem remiſſum fuit Petri peccatum, cum illud amor Petri non abſtulerit, ſed alia non imputatio, quæ cum libera ſit Deo, tolli poteſt, & venire noua imputatio, & redire peccatum: qua ratione ne reſtitutio quidem ad locum Petri vera, & conſtans eſt. Ita & meritum, & præmium euaneſcit. Quare ne Apoſtolatum quidem authore Forbeſio Petrus obtinuit. Errat ille, & errores trahit. *Error errorem trahit.*

Quoad ſecundum: Chriſtus hìc non exigebat amorem ad remittendum peccatum, ſed poſcebat amoris exceſſum ad eximiæ ſpecimen charitatis. Diſertè hoc Ioannes rei conſcius, & expertus. *Diligis me plus his?* non quærebat parem amorem, ſed maiorem. Silet de hac re Forbeſius, quòd non calet, ſed friget. Amplius poſtulabat Chriſtus à Petro: Amorem excellentem, qui perſonam deceret. Atque ob id ab eo ſolo poſtulauit: nomine prodito. *Simon Ioannis diligis me plus his?* At ter repetijt, vt quemadmodum ille ter negarat, quòd proprium fuerat Petri, ita & ter affirmaſſet amorem, vt hic amor genuinus, & proprius Petri eſſe videatur. Niſi ſi Forbeſius, cum Caluino interpretatur. *Diligis me plus his?* vt ſit: *Diligis me plusquam hos*, vt comparatio fiat inter dilectos à Petro, non inter diligentes Chriſtum. Quid hoc eſt, niſi ludere, & illudere ſcripturas? Nimirum ambigi poterat: An Petrus magis amaret condiſcipulos, quàm Magiſtrum? ſutilis, non ſubtilis Caluini interpretatio. Ne viuam, ſi non adhibeo aliam Caluiniana acutiorem. Immò quòd ibi erant pauci diſcipuli, & multi piſces, quando Chriſtus interrogauit Petrum. *Diligis me plusquam hos*, piſces intelligebat; ac erat ratio ambigendi, quia Petrus erat piſcator, & amabat piſces, nec de nihilo rogabatur, an Chriſtum, pluſquam piſces Petrus amaret? Hoc repono Caluino. *Ridicula Caluini interpretatio.* Caluin. *Venuſta illuſio.*

Obijcere hic poteſt Forbeſius, paucos item diſcipulos eſſe, vt pro eorũ numero Petri dilectio prærogatiua eſſet, quid enim mirum ſi pluſquam tres, ad ſummum, quatuor diſcipuli Chriſtum diligeret? Facilè reſpondeo, non haberi rationem numeri, ſed pond ris. Pauci erant numero diſcipuli; ſed amore præſtabant. Erant enim inter eos Ioannes, & Iacobus, quos duos, qui vinceret, reliquos ſuperaret. Itaque nihil de amoris *Obiectiũcula depellitur.*

ris

ris excellentia demitur, quòd de numero detrahatur.

Solius ergo Petri eximiùs amor à Chriſto poſtulatur. Nec id negat homo eiuſdem cum Forbeſio ſurfuris, nec minoris acuminis, & paris in Papam maleuolentiæ Marcus Antonius de Dominis lib. 1. de Repub. cap. 8. num. 1. idemque ſentit de præmio paſturæ: vti ſuo loco videbimus. Satis hic ſit adfrenandum Forbeſium. Malo illum tamen docere. Soli Petro præ alijs omnibus Apoſtolis illæ tres interrogationes Chrſti, & confeſſiones Petri conueniunt: cum quibus nexa erat illa dilectio, ne ad alios pertineret. Deinde illa triſtitia ex repetita interrogatione concepta, vnius Petri propria erat. Tandem prædictio mortis, & præceptum ſequendi Chriſtum. *Tu me ſequere* in vnum Petrum quadrant. Cuncta igitur eum & vendicant, & deſignant. Quid? quòd nomen, *Simon Ioannis* inſtitutum Chriſti ſignificat, Petrum innuentis, & ornantis. Certè hæc ornamenta à Petro auellere, eſt ipſum Euangelium conuellere. Quomodo ergo audet Forbeſius negare expreſſa Chriſti verba, & quæ illa maximè diſtinguunt, prorſus confundere? Veniamus ad præmium. *Paſce oues meas.* Anerit hoc commune, cum amor, cui reſpondet proprius ſit? Redditur hic paſtura, potius quàm datur. Merces eſt potius præfectura, quàm gratuitum donum. *Hic eſt*, inquit, Epiphanius in Ancorato, *qui audiuit, Paſce oues meas, cui concreditum eſt ouile.* Quod nam ouile? Nempè illud de quo Chriſtus Ioan. 10. *Erit vnum ouile, & vnus Paſtor:* Perperam Forbeſius communem paſturam cæteris facit. Vulgat eam, cum Chriſtus ſecernit, & addicit vni. Audiat Chryſoſtomum hic. *Alijs omiſſis Petrum dumtaxat affatur: Fratrum ei curam committit.* Committit, non admiſſis alijs, ſed *omiſſis*. Fratrum curam de quibus dixerat. *Confirma Fratres tuos*: Hi in ouibus numerati. Perſpicuè Leo cuius rugitum timuit Forbeſius ſerm. 3. de Aſſumpt. ſua: *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: vt quamuis in Populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* Exhorruit, ac expalluit Forbeſius. Reclamauit: iniuria certè. *Nam* vt ait Chalcedonenſe Concilium. *Petrus per os Leonis locutus eſt.* Vtinam hæc ei petra os oppilaret, vel dentes, ne morderet, confringeret. Credet ne Ambroſio dulcius loquenti, nec roſas modo, ſed etiã fauos eructanti? Hic erat Petrus, *quem Chriſtus eleuandus in Cælum amo-*

Marcus Ant. de Domin.

Prerogatiua amoris Petri.

Penduntur verba Euangelij.

Epiph.

Chryſ.

Afferuntur teſtimonia Patrum.

Leo M.

ris

ris ſui vicarium relinquebat. An non hoc eſt, quòd dixit Leo. *Omnes regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus.* Occupauit dicta Leonis Ambroſius, tum in ijs, quæ proximè adduxi verbis, tum his, quæ nunc affero. *Quia ſolus profitetur ex omnibus anteponitur.* Dixerat Leo, *qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur.* Incidit in Ambroſij mel hic Leo, & cum mel illud comediſſet, ab eo exijt iſta dulcedo. Hac delibutus Gregorius: ita ſcripſit lib. 4. Epiſt. 32. *Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa: Ipſi quippè dicitur. Paſce oues meas.* Puto in Eccleſia Apoſtolos contineri. Accedat quo ſæpè Forbeſius vtitur Theophylactus in vltim. cap. Ioannis. *Finito prandio præfecturam ouium totius mundi Petro commendabat, eam autem non autem alijs, ſed huic tradidit.* Addam Theophylacto Bernardum, quem Forbeſius fortaſſe ſolitarium non reciperet, quòd non eſſet vetuſtior. lib. de conſiderat. 2. *Cui non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè, ac indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre. Paſce oues meas. Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certè Regni? Oues meas inquit.* Hoc Bernardus, ait: negat Forbeſius. Malo Bernardo credere, quàm Forbeſio. Ille Sanctiſſimus fuit in Romana Eccleſia, & extinxit Schiſmata: hic verſutiſſimus à Romana Eccleſia defecit, & fouit Schiſmata: alius à Bernardo Aberdonienſis. Cuius Pater ambiuit Epiſcopatum adulterinum, cum Bernardus multos germanos, ſibi oblatos reiecerit.

Verùm repugnat Forbeſius, & ſiſtit Patres quoſdam ac imprimis Baſilium, qui paſturam illam ouium in Monaſt. conſtit. cap. 23. ad reliquos item Apoſtolos extendit, ſic enim Baſilius: quem Græcè citat. *Et hoc à Chriſto ipſo docemur conſtituente Petrum Eccleſiæ ſuæ ſecum Paſtorem. Petre,* inquit, *amas me plus his. Paſce oues meas. Et omnibus deinceps Paſtoribus, ac Magiſtris eandem tribuit poteſtatem. Cuius quidem rei ſignum eſt, quòd omnes ſimiliter atque ille ligent, & ſoluant.*

Huic loco Baſilij tantùm Forbeſius tribuit, vt eo propoſito ſiſtat, & aliò tranſeat, quaſi rem confectam relinquat. Oportet illum tenere, & cogere reſponſum audire. Damus Baſilium cum alijs Apoſtolis eam curam paſcendi communicaſſe, & cõmunicatam à Chriſto voluiſſe. Negamus tamen inde ſequi, vno, & eodem modo eam participaſſe Petrum, & alios Apoſtolos, & Epiſcopos. Eodem authore Baſilio. Eamdem poteſtatem affirmat is tributam omnibus fuiſſe, ſed non affirmat, eamdem

dem eodem modo tributam. Eandem habent omnes Epiſcopi dignitatem Epiſcopalem; ſed hoc non tollit, quominus alij ſint Patriarchæ, alij Archiepiſcopi, alij Epiſcopi, ita vt in eodem genere dignitatis ſint diuerſæ formæ, & ſpecies honeſtatum. Hæc fuit mens Baſilij, & ſuadetur alio exemplo. Eandem gloriam donat Deus B. Petro, & cæteris Beatis, ideſt, frui ſui viſione, ſed alio atque alio modo videt Deum Petrus, & alij Beati. Quòd patet, cum alijs in locis Baſilius Petro multo plus tribuat poteſtatis, quàm alijs. Igitur ne ſibi contradicat, ſic intelligatur neceſſe eſt. Pro vno iſto loco affero quatuor & obijcio Forbeſio, vt norit, quo ſenſu loquatur Baſilius: & quantum Petro tributum velit. Produco autem, quòd ille ſolet, vno hoc excepto, quem Latinè non conuertit.

Explicationeis refutatur Forbeſius.

Baſil.

Primus eſt in cap. 2. Iſaiæ. *Vnus montium erat & Petrus, ſuper quam etiam petram pollicitus fuerat ſuam ſe ædificaturum Eccleſiam*. Ecce omnes Apoſtoli ſunt montes, ſed non omnes petræ: quæ ratio ſoli Petro conuenit. Ita omnes ſunt Paſtores, ſed non omnes capita, & Principes, nec totius Gregis Paſtores. Paſcunt, & paſcuntur. Vnus Petrus paſcit, non paſcitur.

Teſtimonijs Baſilij refellitur.

Secundus lib. 2. contra Eunomium. *Illico enim ex hac voce intelligimus Petrum Ionæ Filium, qui fuit ex Bethſaida, Andreæ fratrem, qui ex Piſcatore in Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt, qui quoniam fide præſtabat Eccleſiæ commiſſam ſibi ædificationem ſuſcepit*. Nihil hic eſt commune cum cæteris: quàm proprium illud? *Commiſſam ſibi ædificationem ſuſcepit?* Additur ratio, quæ vni rem addicit. *Fide præſtabat*. Valuit eo quo inter cæteros eminebat. Idem.

Tertius in Proœmio de iudicio Dei: *Beatus Petrus omnibus quidem diſcipulis præhabitus, ſolus vero maiori teſtimonio, quàm cæteri comprobatus, ac beatitudine, cui claues Regni cæleſtis concreditæ fuerunt*. Nullus hic Petro æquatur. Ille omnibus anteferetur, & illud propter quod antefertur exponitur. Secernitur, non confunditur. Non vti reliqui Beatus, ſed reliquis Beatior. Idem.

Primatus Petri.

Quartus orat. 3. vt in Græcolat. Concione 7. quæ eſt de peccato. *Adminiſter autem talis, ac tantæ ſententiæ B. Petrus, qui omnibus quidem diſcipulis antepoſitus fuit*. Quid magis ſecretum ſemotumque à multitudine? Sumit Baſilius, quæ ſingularia, & vni affixa perſonę ab ea nequeunt auelli, nec cum alijs communicari. Hæc non vidit Forbeſius, aut vidiſſe diſſimulauit. Sed tenetur, & vel cæcitatis, vel falſitatis arguitur. Quid? Idem.

quod

quod in proœmio præcept. lat. diſputat. Petrum Principem Apoſtolorum appellat Baſilius. Puto autem qui ſit Princeps eũ cæteros anteire. Potuit ergo hic, quiddã Petro concedere commune cum alijs, non tamen negare illud, quod & proprium erat, & à cæteris diſcernebat.

Hęc ſit prima, & iuſta ſolutio. Secundò reſpondeo. Eo ſenſu locutum Baſilium, vt quia Petrus figura erat Eccleſiæ, quod erat commune cum alijs, illud ſuſcepta publica perſona repræſentaret. Qua ratione conciliantur hi loci Baſilij in primo enim, quem adducit Forbeſius ſpectauit ille, quid Petrus repręſentaret in alijs, quid Petrus eſſet. Itaq; in his propria Petri: in illis communia Perſonæ figuratæ conſiderabat.

Doctrina hæc eſt multorum Patrum, præſertim Auguſtini, quem à ſe ſtare fingit Forbeſius, Petrum & caput eſſe Eccleſiæ, & illam repræſentare, ac eiuſdem figuram gerere. Quare quæ in eius Perſona fiebant ad doctrinam Eccleſiæ pertinebant: vt quæ in eo prærogatiuæ manerent, ad alios ſignificatione tranſirent: non quod quicquam Perſonæ Petri adimeretur, ſed quod illud ipſum ad membra Eccleſiæ extenderetur: quod ego aliàs diligenter probaui ex eodem Auguſtino: quem Forbeſius non intelligit. Nec puto me illi iniuriam facere, quòd me illi in Auguſtino intelligendo præferam, cùm nemo neſciat, quàm ſim in Auguſtino verſatus. Quo igitur ſenſu hic loquitur eo, & Patres alij loquuntur. Igitur Auguſtino id propoſitum eſt in locis ſcripturæ exponendis, vt proprium ſenſum inquirat, & cum teneat, allegoricum ſubinde inueſtiget, & vendicet, non contentus vno, niſi alium addat, quo ille compleatur. Quare & rem, & figuram complectitur. Res ad proprium, figura ad allegoricum reſpicit. Hac ratione Petrum pro capite Eccleſiæ accipit, & Sedi Romanæ, quam vocat Apoſtolicam Primatum aſſignat, interdum verò Petrum pro Eccleſia, & Eccleſiæ membris accipit, vt quod in eo fit, figura ſit Eccleſiæ, & membrorum. Cùm ergo Petrus Paſtor Summus, ac Princeps ſit, in eo ſenſu ſignificat alios Paſtores minores, qui in Eccleſia verſantur, & greges paſcunt. Horum ergo Petrus *gerebat figurata*, vt ait Auguſtinus *generalitate perſonam*. Ea ratione, vt ſicuti ille totius Eccleſiæ Paſtor erat, ita illi ſuarum ſinguli Eccleſiarum Paſtores eſſent. Sic Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ Paſtores particularium figurabat. Adduco exemplum ex eodemmet Auguſtino. Hic in corpore Chriſti Euchariſtico hæc item duo agnoſcit, rem corpo-

Idonea expoſitio ex Auguſtino.

Auguſt.

Petrus Caput Eccleſiæ, & figura.

ris, & figuram corporis, ac ita loquitur de vero Chriſti corpore, quaſi alterius figura corporis ſit, ideſt communionis animarum cum Chriſto, vt cum eo animæ amore, & vnione ſpirituali coniungantur. Nam illo ipſo reali Chriſti corpore in Euchariſtię Sacramento illud corpus myſticum ſignificauit. Itaque corpus Chriſti in ſe verum, eſt ſignum, & figura corporis alterius in Eccleſia myſtici, quemadmodum nos alibi obſeruauimus.

Pulchrū Euchariſtię exemplum.

Illud verò diligenter notandum Forbeſium in vtroque deceptum, & in Euchariſtia, & in Petro ob ignorantiam huiuſce Auguſtini doctrinæ. In Euchariſtia dum obijcit Catholicis pro Caluini hæreſi, & ſua ponentis panem in Euchariſtia, qui ſit ſolum figura veri corporis Chriſti, & tollentis ipſum corpus Chriſti, nonnullos Auguſtini locos; in quibus vocat corpus Chriſti in Euchariſtia figuram corporis ſui, non intelligens quo ſenſu Auguſtinus illud figuram, & ſignum dixerit. Eo quippè dixit, quo verum illud Euchariſticum corpus, figurabat, & ſignificabat corpus aliud Chriſti myſticum, & coagmentatum ſpiritualiter, & vnitum per gratiam & charitatem, qui erat ſcopus, & finis Euchariſtiæ inſtitutæ. Ex huiuſmodi ignorantia orta eſt illa hæreſis Caluini, & Forbeſij. Qui quod viderent corpus Chriſti Euchariſticum, dici ſignum, & figuram corporis, negarunt verum eſſe in Euchariſtia Chriſti corpus. De vno quippè corpore ſolummodo cogitabant, cum de duobus vno reali, altero myſtico cogitaſſet Auguſtinus, quemadmodum nos in noſtro Hyperapiſte Auguſtini, adhuc manuſcripto accuratè expoſuimus.

Forbeſij incogitantia.

Error Caluini circa Euchariſtiā.

Similiter in Petro errauit Forbeſius: in quo non animaduertit duas quodammodo ineſſe perſonas, alteram propriam, alteram figuratam. In illa caput eſſe: in iſta membra geri. Capiti quod erat Paſtoris, & Principis Apoſtolorum conuenire, quod proprium erat; Figuræ, quod erat Eccleſiæ, aſſignari: & hunc ſenſum alij addi, vt ambo conſiſterent, non demi, vt vnus tantùm remaneret. Itaque reapſe, ac propriè Petrus erat caput, & Princeps, & Paſtor Paſtorum; Figuratè, ac myſticè Paſtor, & Epiſcopus particularis certæ Eccleſiæ præfectus, & particulari gregi præpoſitus, non ademptoſenſu proprio, ſed figurato adiecto.

Deceptio Forbeſij.

VINDI-

VINDICIA SECVNDA DE SVCCESSIONE PONTIFICVM IN SEDEM, ET DIGNITATEM PETRI.

SECTIO I.

Errores Hæreticorum proponuntur, & confutantur.

OMISSO illo errorum fonte qui negat, tum Petri Romam aduentum, tum Romæ Sedem, quem ſuperius refutauimus, duo ſuperſunt refellendi.

Primus eſt Romanum Pontificem non eſſe ſucceſsorē Petri in Cathedra Romana. Hic eſt Lutheri perpetuus, & multis in locis. Caluini lib. 4. inſtit. cap. 9. ſ. 8. & Marci Antonij de Domin. lib. 4. cap. 6. Hunc nos latè, & accuratè confutauimus, tum in Teſſera noſtra, tum lib. 1. de Clauib. diſſert. 4. cap. 1. nec opus eſt nunc refellere, cum ipſamet Pontificum Romanorum ſeries, quæ cuique eſt obuia de Succeſſione dubitare non ſinat. Eamque Tertullianus, Optatus, Auguſtinus ad ſua vſque tempora deducant, ac ex ea Catholicæ Eccleſiæ communionem probent. Satis nunc eſt citare Philippum Presbyterum in Concilio Epheſino: vbi ſic. *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem, & caput Eccleſiæ Catholicæ fundamentum per ſucceſſores ſuos hucuſque ſemper ſtetiſſe, cauſaſque decernere, ſemperque*

Luther. Caluin. Marcus Ant. de Domin.

Tertul. Auguſt. Optat. Mileuit. Philip. Presb.

Series Romanorum Pōtificum, fides Catholicæ argumētum.

victu-

victurum eſſe. Certè Epiſtolæ Decretales Pontificum, immò & & multorum Edicta, & conſtituta Imperatorum, & quòd amplius eſt Vniuerſalia Concilia, hoc ipſum abundè teſtantur.

Obiectio contra ſucceſſionem. Duo tamen obijciunt. Alterum id non contineri in Scriptura: alterum non conſtare, quomodo & quo iure, & quo iure, & qua dignitate ſucceſſum. Primò reſpondemus ſatis in ſcriptura ſignificari. Quæ vti hactenus probauimus, Petrum caput & Principem, & paſtorem ſummum eſſe docuit: eumque petram Eccleſiæ appellauit, eique Eccleſiæ totius perſonam impoſuit. *Reſponſio.* Hoc enim ipſo declarauit Petrũ ſucceſſores habiturum, qui eius & locum acciperent, & munus gererent. *Ex Patribus.* Vnde Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerd. init. de Chriſto. *Quanam de cauſa ille ſanguinem effudit ſuum? certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat*, & Auguſtinus Epiſt. 165. ad Generoſ. *Quantò certiùs ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c.* Ita cum Petro Chriſtus commendabat Eccleſiam, de perpetuitate Eccleſiæ cogitabat, & ei ſucceſſores prouidebat. Quare Leo ſerm. 2. de Anniuerſ. aſſumption. ſuæ. *Manet diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine Petræ perſeuerans ſuſceptæ Eccleſiæ gubernacula non reliquit: perſeuerat videlicet Petrus, & viuit in ſucceſſoribus ſuis.* Eadem qua tenemus Fide eſſe Eccleſiam, & gregem Chriſti, credere debemus eſſe caput, & Paſtorem. Nam teſte Auguſtino. *Quod Chriſtiani ſumus, propter nos eſt, quod præpoſiti ſumus propter vos eſt.* Itaque Petrus Rauennas in Epiſt. ad Eutychem. *Beatus*, inquit, *Petrus, qui in propria Sede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus Fidei veritatem.* De Fide eſt Eccleſiam non defecturam, gregem Chriſti non defuturum. Igitur nec illius caput deficere, nec Paſtor deeſſe poteſt.

Chryſ. Auguſt. Leo. Petrus Chryſ.

Retorquetur obiectio. Præterea dato non inueniri hoc in Scriptura. An idcirco eſt falſum? vbi eſt in Scriptura, ſeries Conciliorum vniuerſalium? & prouincialium? neget ne illa Caluinus, & Sectarij? vbi inuenitur Imperatorum, aut Regum, vel Chriſtianiſſimorum, vel Catholicorum ſucceſſio? tollet ne eam Caluinus? Neceſſe eſt, vt Caluinus, & Caluiniana Secta non ſit, quòd non ſit in Scripturis, & illa tamen eſt, & graſſatur tanquam peſtis, & miniſtros Caluini videmus, & deteſtamur. Niſi quod

hi

hi in Euangelio continentur, vbi dicitur. *Attendite à falſis Prophetis*. Sed hic non habetur ſeries miniſtrorum Caluiniſtarum, quam nihilominus ij ſuſtinent, & tuentur, quemadmodum ſuam Donatiſtæ ſuſtinebant: ſed hi non negabant Romanos Pontifices, imò ad eos ſæpè prouocabant. Caluiniſtæ deteriores ſunt.

Alterum eſt ineptum: nec enim ex eo, quòd modus,& ius ignoratur vlla ratione ſequitur: Petrum non habuiſſe in Cathedra ſucceſſores. Dicant nobis Lutherani, quomodo diſcipuli eius hæreſim ſint amplexi,ac profeſſi? Quo iure illius Cathedram inſederint? Dicant Caluiniani quo pacto Caluino ſit ſucceſſum? quatenus eius hæreſis, & ſuſcepta ſit, & propagata? Id vt lateat,ea tamen ſerpit, & graſſatur. Felix Eccleſia ſi illud argumentum vim haberet. Nullam hodie hæreſim haberemus. Non eſſet Ariana, quòd neſcimus, quomodo ad Seruetanos, & Gentiliſtas ſit deriuata? Non eſſet Macedonij, non eſſet Neſtorij,non eſſet Eutychetis,non eſſet Pelagij,quorum tamen hodie non pauci ſunt Sectarij,quòd ignoratur modus, quo ad eos illa venena peruenerint. Hinc deducitur Caluiniſtas non eſſe, quia non conſtat, An & quomodo Prædeſtinati ſint? Exiſtimo quippè id demonſtrari ab ijs non poſſe. Colligitur inſuper eorum ſectam nullam eſſe, quia oſtendere nequeunt, eam ſibi reuelatam eſſe a Deo. Tandem ſequitur eos non intelligere Scripturas, quia quemadmodum eas à ſpiritu diſcant,nos, ac eos omnino latet. Quod ſi hæc conſectanea negant, neceſſe eſt, quicquam ſe illo argumento contra Succeſſionem in Petri Cathedram proficere inficientur.

Certè natura rerum ita comparata eſt vt conſeruationem, & propagationem appetat:& quas non poteſt ſingulas à corruptione aſſerere,earum formas, & vti aiunt,ſpecies ab interitu conetur vendicare. Itaque ſemen indidit omnibus, in quo virtus ineſſet ſimiles alias generandi, quæ pereuntibus ſuccederent, & ducta propagine perennarent. Neque id minus proprium eſt earum, quæ voluntate, ac inſtituto compoſitæ, & ordinatæ ſunt rerum, quemadmodum Reſpublicæ, Academiæ, Societates, quæ ſtabilis nexu concordiæ vinciuntur, & vinctæ conſiſtunt, & ſubſidiaria ſucceſſionis quæſitæ opera vltra procedunt, ac in poſterum prouident, & voluenda, cum diſpendio præſentium tempora nouas ſubſtituendo, & inſerendo perſonas occupant, & immortales ſe reddunt,af-

fectata,

ſectata, & comparata æternitate. Vti quiſque aut Regni, aut Reipub. aut Academiæ, aut Sectæ, aut Societatis, aut Familiæ caput eſt, de perpetuitate ſtatim cogitat, & in futurum proſpicit, & quomodo permanendum ſit, diligenter ſedulòque conſiderat. Igitur vnus Chriſtus Dei Patris Sapientia, & author naturæ, artiſque rector, & conſilij, ac prudentiæ omnis donator, hanc legem innatã, & inſcriptam mentibus minus curaret, imò & negligeret, ac euerteret omiſſa Eccleſiæ ſuæ conſeruatione, nec quicquam de Succeſſione cogitaret? O iniuriam Chriſto illatam! Cogitauit Plato, & Ariſtoteles, & Zeno, & Epicurus de ſuis Scholis conſeruandis, & propagandis: Chriſtus de ſua Eccleſia minimè cogitauit. Vvicleffi, Lutheri, Caluini, vbi ab Eccleſia defecerunt ſtudium fuit ſectas inſtituendi, ac ſuſtinendi, comparatis diſcipulis, qui ſibi ſuperſtites acceptam doctrinam traderent, ac per tempora ſuccedentia traherent. Chriſto ne in mentem quidem venit, cum Fidem ſuam, & legem, & doctrinam Petro commiſit ſucceſſionis, & poſteritatis? Vni homini caduco, & mortali credidit ipſe æternus, & immortalis! O rem indignam, & minimè ferendam?

Philoſophi Sectas inſtituerũt, & propagarunt.

Verùm non hoc affirmant ſaniores Hæretici. Id ſolum affirmant: Pontifices Romanos ſucceſſiſſe Petro, tanquam Epiſcopo Romano, non autem tanquam Principi, & capiti Eccleſiæ, & Chriſti Vicario: qualem negant fuiſſe Petrum, cui pares Apoſtolos faciunt. Hi ſunt Luther. de poteſt. Papæ, Caluin. lib. 4. inſtit. cap. 6. & 7. Magdeburg. in ſingul. centur. cap. 7. Synod. Smalcald. in lib. de poteſt. Papæ. Marcus Antonius de Dominis de Republ. Eccleſiaſtica lib. 4. cap. 6. & 7. & Forbeſ. inſtruct. Theologic. lib. 16. per totum. Fundamenta tria ſunt. Primum Petrus, non tranſmiſit ad Pontifices primatum: ergo Pontifices Romani carent primatu. Antecedens putant ſe Hæretici oſtendiſſe ijs argumentis, quæ hactenus refutauimus.

Luther. Caluin. Magd. Synod. Smalc. Marcus Ant. de Domin. Forbeſ.

Primum argumẽtum cõtra ſucceſsionẽ in ſedem

Secundum Pontifex Romanus, non eſt Superior Epiſcopis, ergo non fruitur primatu. Probatur aſſumptum, quia Epiſcopi ſunt immediati Succeſſores Apoſtolorum, ijſque cum ea, quam ab ipſis acceperunt poteſtate, ac iuriſdictione ſuccedunt, hæc autem eſt de iure diuino, atque adeo non ſubdita, nec dependens à Pontificia: igitur Epiſcopi, non ſunt ſubditi, nec inferiores Pontifice Romano: nec iſte illorũ ſuperior.

Ter-

Tertium. Dato in Petro fuiſſe illum primatum, quem Catholici inducunt, non ſequitur eum ad Romanos Pontifices fuiſſe traductum. Ergo ij non gaudent illo primatu. Conſtat antecedens, quia non omnia, quæ erant in Petro venerunt ad Succeſſores, vti Apoſtolatus, & gratiæ illi annexę. Igitur liberè affirmatur, & gratis, primatum, qui in eo eſſet ad Pontifices venturum.

Quartum. Vel Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis in omnem facultatem, quàm hi habebant, vel non. Si in omnem non pendent à Pontifice: ſi ſecus, nec Pontifex Romanus in omnem ſuccedit: atque adeò Primatum non habet.

Quintùm ſi Epiſcopi non ſuccederent immediatè, ac ex integro Apoſtolis acciperent poteſtatem à Summo Pontifice: hoc autem eſt falſum, ergo ſuccedunt immediatè, & ex integro Apoſtolis. Conſectaneum illud probatur multis argumentis, quæ Catholici Theologi adducunt illam ſequentes ſententiam. Vti ſunt Victoria in relect. 2. de poteſt. Eccl. q. 2. & Caſtro de iuſta hæret. punit. lib. 2. cap. 24.

Omnia eo redeunt, Epiſcopo eſſe ſucceſſores Apoſtolorum cum eadē poteſtate.

Victor. Caſtro.

Hanc eſſe Patrum doctrinam contendit Forbeſius citato ſæpiùs Cypriano, & adiunctis Epiphanio, Ignatio, Dionyſio, & alijs. Quorum teſtimonia expendemus. Hic plurima aduerſus hunc primatum Romani Pontificis accumulat argumenta, quæ ad illud principium reuocantur: Epiſcopatum eſſe ſummum in Eccleſia dignitatis gradum, ac Epiſcopos neminem, aut habuiſſe vnquam, aut habere ſuperiorem, ne Pontificem quidem Romanum intra terminos Epiſcopatus contentum, cui quemlibet Epiſcopum parem facit: idque ex honorificis titulis, quibus appellatur Pontifex Romanus, quos communis cum Epiſcopis multis exemplis oſtendit, ambitiosè collegit lib. 16. cap. 2.

Catholica veritas eſt Romanum Pontificem primatum in Eccleſia gerere, & illius caput, & Principem eſſe: ac in eam dignitatem à Petro ſucceſſiſſe: nec quicquam obſtare argumenta proxima. Quæ prius, ne morentur, oportet diluere.

Papa ſuccedit Petro in primatum Sedis.

Primùm aſſumit id quod eſt falſum: nimirum Petrum caruiſſe primatu, quemadmodum hactenus oſtendimus: negari quippè non poteſt Petrum fuiſſe Principem, & caput Eccleſiæ, & Chriſti in Romana Sede Vicarium: quod ſi fuit corruit argumentum. Habuit enim, quod poſſit ad ſucceſſores tranſmittere.

Primi argumenti falſitas.

In

Secūdi ſolutio idonea. In ſecundo multum momenti putant eſſe Nouatores,& inter eos Forbeſius: nos contra exiſtimamus. Itaque negamus aſſumptum, & affirmamus Epiſcopos ſubiectos eſſe Papæ Romano. Ad probationem concedimus Epiſcopos eſſe immediatè Succeſſores Apoſtolorum: ac libenter fatemur eos in eorum locum, cum accepta ab ijſdem poteſtate ſucceſſiſſe. Idque perſpicuè docet Anacletus II.& III. Epiſtol. Decretali. De eo ambigimus: vtrum acceperint eandem, quam ijs Chriſtus immediatè contulerat poteſtatem: nam vnde hoc, aut quomodo deducitur? Poteſt enim aliquis alicui ſuccedere in locum, in magiſtratum, in munus, in hæreditatem, nec tamen ex integro, & cum pari poteſtate. Hoc quotidie fieri in Republica, & priuata videmus, non ſequitur, Epiſcopi ſucceſſerunt Apoſtolis, ergo cum æquali poteſtate, & authoritate ſuccedunt. Succeſſit quidem Ioſuè, Moyſi, at non opinor, cum æquali, vel poteſtate, vel iuriſdictione ſucceſſit. Quod ſi ſola ſucceſſio ſecum parem facultatem traheret, non diceret ad Eliam, Eliſæus. *Fiat in me Spiritus tuus duplex*, ſecundum interpretationem idoneam loci, quæ tenet petijſſe Eliſæum eundem ſpiritum Eliæ, qui erat in Elia duplex: nam eo ipſo quod in eius locum veniebat, eundem quaſi iure quodam ſucceſſionis ſpiritum Magiſtri trahebat. Hinc eſt, quod nec illud ſequitur Epiſcopi habent à Deo, ac ex iure diuino poteſtatem, ergo habent eam independentem à Papa. Poteſt enim (omiſſa interim quæſtione vtro iure ne diuino, an Eccleſiaſtico habeant) Epiſcopus à Deo ea lege poteſtatem accipere, vt habeat obnoxiam Papæ, & ita gerat, vt in ea gerenda ſubſit Papæ, atque ab eo actu dependeat: vt ordo, & harmonia Eccleſiaſtica. Ecquis negat presbyterium à Deo inſtitutum? Sed ita tamen inſtitutum, vt Epiſcopatui ſubiaceat? & ab eo prorſus dependeat? *Omnis poteſtas eſt à Deo*, etiam laica, & ſecularis. An idcircò non eſt impar, & inæqualis? *Per Deum regnant Reges*. At quidam eorum ſupremi ſunt, & nulli obnoxij, quidam ſubiecti, & vectigales. Quod attinet Epiſcopos, idem qui eos ſucceſſores dixerat Apoſtolorum Anacletus ijſdem in locis, quos proximè citauimus alios alijs ſubiectos eſſe affirmat, & varios dignitatum gradus inter eos ſtatuit, & Epiſcopos Metropolitanis, Metropolitanos Primatibus inferiores dicit omnium autem caput, & Principem Romanum Epiſcopum pronunciat.

Nihil

Nihil ergo concludit argumentum. Cum quæ prima in connexis ſunt, non neceſſariò ita nectantur, vt ſint quæ conſequuntur neceſſaria.

In tertio maior videtur vis ineſſe ex ſolutione ſecundi: quæ auget difficultatem reſpondendi. Soluitur tamen facilè dicendo. Dato Petrum habuiſſe Primatum Eccleſiæ rectè deduci ad ſucceſſores tranſmittendum, quia ratio Primatus eſt neceſſaria, & vtilis ad regimen Eccleſiæ, quod eſt monarchicum perfectum, quemadmodum nos latè, & accuratè probauimus in noſtris Scholis Theologiæ Poſitiuæ Schola 9. Eiuſmodi autem eſſe non poteſt, niſi ſit vnum caput, & Princeps, qui eſt Pontifex Romanus Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius. Quare non ex perſona Petri ſpectandum id eſt, ſed ex dignitate, & munere, quod obibat, & ex Eccleſiæ neceſſitate, & vtilitate, quæ Primatum requirit. Et ita ruit ratio antecedentis cui concedimus ea, quæ erant propria Petri, vti priuata erat perſona, & ad priuatam authoritatem ſortem ve pertinebant, vti erat Apoſtolatus, & aliæ gratiæ gratis datæ ad alijs minimè tranſijſſe, quòd non ſpectabant ad ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ: negamus tamen ad hũc ſpectantia, cuiuſmodi erat Primatus, ad ſucceſſores minimè tranſijſſe. Ex quo item apparet diuerſitas inter ſucceſſionem Epiſcoporum in locum Apoſtolorum, & Pontificum Romanorum in locum Petri; cum Epiſcoporum regimen ſit particulare reſpectu Eccleſiarũ particularium, quę ſunt membra, et partes Eccleſię eam componentes, non in eam influentes, nec eam virtute, ac poteſtate continentes. At vero regimen Pontificum Romanorum ſit ſupremum capitis cum Primatu, erga cætera membra, & partes particularium Eccleſiarum, quæ caput reſpiciunt, & venerantur, & ab illius nutu, motuque pendent. Vnde dato illo principio cætera ex eo neceſſario conſequuntur.

Tertium argumẽtum prorſus diluitur.

Author in ſcholis.

Apoſtolatus ab Epiſcopatu diſtinctio

Ad quartum ea reſponſio eſt: negata prima parte dilemmatis arripienda eſt ſecunda: ſcilicet non eſſe in Epiſcopis parem poteſtatem, & iuriſdictionem, ac in Apoſtolis, & affirmandum multò eſſe minorem. Et quidem factum patet, quia Epiſcopi poſt Apoſtolos carent multis, quæ hi habebant, nec licet ea vindicare, nec exercere. Nam Apoſtolis nulla erat certa, & determinata diœceſis, aut Prouincia: cum Epiſcopis ſua ſingulis propria aſſignata, cuius eſſent terminis circumſcripti. Apoſtoli eligebant, & creabant, & conſtituebant

Quartũ perſpicuè ſoluitur.

vbique Epiſcopos pro loco, pro tempore pro arbitratu. Hoc minimè licet Epiſcopis. Inter Apoſtolos nulla erat differentia graduum, nullum diſcrimen munerum, nulla diuerſitas dignitatum. Inter Epiſcopos quidam ſunt Patriarchæ, quidam Primates, quidam Metropolitæ, quidam Archiepiſcopi, quidam Epiſcopi, ſeruata, & diſtinctione, & proportione loci, & iuriſdictionis, & honeſtatis. Nihil vehementiùs imperatum in Concilijs, quàm vt hic ordo hierarchicus ſeruaretur: nihil ſeueriùs prohibitum, quàm ne huiuſmodi ſubordinatio tolleretur: nihil impenſiùs commendatum, quàm iſta inter ſe connexio, & dependentia, & aliorum in alios, & poteſtas, & obſeruantia: quorum exemplis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ abundant: & nos infra oſtendemus. Interim ſit ſatis, quod proximè adduximus ex Anacleto, & quæ in notis ad 3. Ep. affert Seuerinius Binius, qui citat Bellar. l. 4. de Rom. Pont. c. 25.

Binius. Bellar.

Quinti omnino eliditur.

Vltimi argumenti maior eſt aſtutia, quàm vis: conatur quippè nos terrere obiectu controuerſiæ ambiguæ, & vltrò citroque à Catholicis agitatæ, quaſi quicquid à nobis ſit in vtram partem definitum, id poſſit in nos retorqueri. Subodorati fraudem eam eludimus hac arte. Vtcumque ſit, argumentum nihil colligit. Siue enim Epiſcopi accipiant poteſtatem à Deo, vt ſit de iure diuino, ſiue à Papa, vt ſit de Eccleſiaſtico, ſemper hic manet in ſua Sede immotus, retinetque Primatum: quid enim refert, quòd accipiant iuriſdictionem à Deo, ſi cum eo ſtare poteſt minor, quàm fuit in Apoſtolis facultas, vti nos in ſolutione ſecundi argumenti probauimus?

Detegitur fraus argumenti.

Hoc erat omnino probandum, quòd eſſet à Deo ex eo ſequi minorem eſſe non poſſe, quàm in Apoſtolis fuiſſet: id verò quì probetur? Conſtat oppoſitum ex reſponſione ad ſecundum. Igitur ad argumentum in forma negamus ſequelam, cum minimè deducatur ex eo quòd Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores accepturos poteſtatem à Chriſto, nec ex eo quòd non ſuccedunt Apoſtolis habituros poteſtatem à Pontifice, non à Chriſto: neutra eſt enim neceſſaria conſecutio. Poſſunt quippè ſuccedere Apoſtolis, non accepta à Deo poteſtate, & poſſunt non ſuccedere Apoſtolis, accepta à Deo poteſtate. Vnde nihil obſtat illa minor: nec opus eſt de ea, quicquam ſtatuere, ſiue enim ſit à Chriſto poteſtas, ſiue non, ſemper ſtat Epiſcopos ſucceſſiſſe Apoſtolis. Suadetur ad hominem. Ipſimet aduerſarij dicunt Pontifices Romanos ſucceſ-

ceſſiſſe Petro, & tamen negant omnem, quæ in Petro erat dignitatem in ſucceſſoribus eſſe, quemadmodum videre eſt in Forbeſio, qui hoc argumentum vrget, qui cum admittat in Petro Primatum quendam ordinis, & honoris, & virtutis, non vult tamen eum ad ſucceſſores Romanos Pontifices tranſijſſe. Vtra autem illarum ſententiarum ſit verior, à nobis eſt antè diligentiſſimè agitatum in tomò de Clauibus Petri lib. 1. diſſert. 4. cap. 3. vbi cum D. Thoma 2. 2. q. 39. art. 3. & in 4. diſt. 19. q. 1. art. 3. & diſt. 20. q. 1. art. 4. q. 5. Soto. Caiet. & Turrecrem. Iacobatio, & pleriſque alijs ſecuti fuimus eam, quę affirmat iuriſdictionem Epiſcoporum in habitu, vt aiunt, & radice eſſe à Deo, ac de iure prorſus diuino, in actu tamen, & exercitio eſſe à Papa, ac proinde de iure Poſitiuo Eccleſiaſtico. Reliqua ſuis locis commodiùs aptiuſque dicentur.

SECTIO II.

Diuerſo modo ſuccedi à Pontifice Romano in locum Petri, & ab Epiſcopis in locum Apoſtolorum, & non ſequi hos, eò quod ſint Succeſſores Apoſtolorum; cum æquali ijs pariuè poteſtate ſuccedere.

PRobatur primò ratione idonea, & veluti demonſtratiua. Quando ſucceſſio eſt Supremorum Principum, quibus committitur ſumma Reipub. longè aliter, & multo nobilius ſucceditur, quàm cum ſucceſſio eſt aliorum optimatium. Sed ſucceſſio Romanorum Pontificum eſt Supremorum in Eccleſia Principum. Succeſſio autem Epiſcoporum, eſt optimatium. Igitur non eiuſdem, ſed diuerſæ rationis eſſe debet. Maior conſtat exemplis Imperatorum, Regum, Toparcharum, quorum ſucceſſio eſt ſtabilis, & firma, & cum ſuprema authoritate, & integro rerum dominio, cui nihil detrahi demiue poſſit, ſeruato iure inuiolabili, & conſuetudine ſolemni, At in alijs optimatum ſucceſſionibus multæ varietates fiunt: nam quidam in integrum ſuccedunt, quidam in partes: nonnulli cum conditione nihil ab alienandi, nonnulli cum poteſtate vendendi. Itaque hi ſunt ſubiecti temporibus, euentibus, legibus, quos ſubinde multæ, & magnæ mutationes conſequuntur. Quæ non ſolent, nec debent interuenire in illis ſupremorum ſtatuum ſucceſſionibus, quę natura

Ratio moraliter demoſtratiua.

tura ſua ſunt altiores, & digniores. Hinc eſt, vt multæ Familiæ Procerum priuatorum ruant, ac extinguantur. Regna verò & Principatus perennent, & conſiſtant. Huius diuerſitatis rationem ſi conſideremus ea ſanè videtur eſſe, quòd origo Regum, & Principum à Dei inſtitutione procedit, à quo eſt omnis poteſtas ſumpta, & ordinata: at priuatarum origo fonſque Familiarum ab hominibus inuenta, & celebrata eſt. Itaque illa æternitatem à Deo conditore habet: iſtæ ab hominibus caducis, & mortalibus conſtitutæ iniuriæ temporis obnoxię fiunt, ac pereunt. Eadem eſt ratio ſupremi in Eccleſia Paſtoris, & aliorum. Ille quia vniuerſo eſt gregi præpoſitus, & totam Chriſtianam regit, tueturque Rempublicam, numquam labat, & corruit. Non quòd perſonæ immortales ſint, ſed quod eſt immortalis ſucceſſio: nec enim attenduntur ſinguli, qui ſuccedunt, ſed locus, & Cathedra in qua ſuccedunt. At verò alij minuti Paſtores ſæpè cum ſuis Eccleſijs deficiunt, nec aut conſtantem, aut firmam, aut perpetuam ſedem habent. Videmus hoc ipſum oculis, & quodam modo palpamus manibus, vt nos experientia vſuſque doceat veriſſimam hanc eſſe ratiocinationem: vt ſi non aliud argumentum eſſet ad Primatum Romanæ Sedis ſtabiliendum, hæc abundè ſufficiat. Ac miror heterodoxos, & hoſtes huiuſce Primatus audere illum impugnare, negando de illo locos proximè adductos intelligi, cum ex effectis, ac euentis manifeſtum ſit eos hanc ipſam, quam ſtatuimus ex Euangelio veritatem continere, vt quamuis obſcuri, & difficiles eſſent, quæ ſunt poſtea in Eccleſia conſecuta, ijs nos quid illi ſignificarent perſpicuè doceremur.

Diuerſimodè ſucceditur in Pontificatu, & Regno.

Attentos hic heterodoxos volo: ac imprimis Forbeſium. Pauca, ſed euidentia exempla producam, Canon 6. Concilij Niceni continet, & tradit doctrinam de diuerſa, & ſubordinata poteſtate Epiſcoporum, dum decernit, *vt Alexandrinus Epiſcopus in Ægypto, vel Libya, & Pentapoli horum omnium habeat poteſtatem*. Idemque ſtatuit de Antiocheno erga Epiſcopos ſuarum Prouinciarum adducto Romani Pontificis exemplo. Ecce hi principales Patriarchæ æquiparantur inter ſe iuriſdictione, ac poteſtate ſuprema, & præponuntur reliquis Epiſcopis, quos ſibi habent obnoxios ob imparem dignitatem. Planè vt illi duo pares eſſent Apoſtolis, alij tamen minores Epiſcopi æquales non erant. Quomodo ergo ſucceſſerunt

Epiſcoporum non eſt par poteſtas iuxta Concilium Nicenum.

runt Apoſtolis, qui dignitate, ac poteſtate inter ſe diſpares non erant. Non dum de Papa Romano loquor, ad cuius iſtos formam Concilium componit. Omnes hi Epiſcopali ordine fruuntur, & Epiſcopali funguntur munere, & in Apoſtolorum locum ſuccedunt, & tamen non retinent eandem poteſtatem, & dignitatem, cum alij alijs imperent, alij alijs pareant. Hoc ipſum confirmat Canon 7. *Quoniam mos antiquus obtinuit, & vetuſta traditio, vt Æliæ, ideſt, Hieroſolymorum Epiſcopo honor deferatur, habeat conſequenter honorem, manente tamen Metropolitanæ ciuitatis propria dignitate.* Quæritur honor Hieroſolymitanæ Eccleſia, omnino Sedi Apoſtoli, & tanti Apoſtoli, ideſt Iacobi. Si haberet ab eo ſupremum gradum honoris, vel ſaltem cæteris parem, minimè ei quæreretur; Quæritur autem is, qui non æquat Cæſaream Palæſtinæ, quæ Metropolitana erat Eccleſia, atque adeò multo Hieroſolymitanæ præſtabat. Non ergo ab Apoſtolis accepta fuit dignitas, & poteſtas Epiſcoporum: nam ſi inde acciperetur, non eſſet ſubdita Hieroſolymitana Sedes Cæſarienſi. Aliud ergo initium, alium fontem illa poteſtas, & iuriſdictio habuit.

Concil. Nicen. Can. 7.

Hieroſolymitana Sedes ſubiecta Cæſarienſi.

Can. 15. Canone 15. qui citatur cap. 7. q. 1. *Non oportet Epiſcopum,* cauetur, *ne de ciuitate in vnitatem tranſeat, vel Epiſcopus, vel presbyter, vel Diaconus.* An hoc vetari potuit Apoſtolis, vel parem ijs poteſtatem nactis? cum liceret ijs vbicumque vellent, manere, quo vellent ire, vnde vellent exire, quòd totus ijs orbis communis, ac peruius erat? Illud autem multo minus ſtare cum ſuprema illa Apoſtolorum dignitate, poteſt vna lege teneri Epiſcopum, & Presbyterum, & Diaconum: perinde ac nullum paſcendi diſcrimen eſſet in eo, quod quiſque certos ſuæ ſtationis terminos, & haberet, & ſeruaret. Numquid & his Apoſtoli circumſcripti? obmutuit prorſus Forbeſius.

Apoſtolis licuit vbique reſidere.

Can. 17. Maior in Canone 17. vis eſt. *Si quis auſus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet ordinare in ſua Eccleſia, cum non habeat conſenſum Epiſcopi ipſius à quo receſſit Clericus, irrita erit huiuſmodi ordinatio:* En quomodo reſtringatur poteſtas Epiſcopi vnius Diœceſeos, vt ei non liceat ſuos fines tranſgredi alienæ Diœceſeos hominem ordinando: & adhuc intra Eccleſiam ſuam ligatur, ne prodeat in actum Epiſcopalem, quem ſi exerceat, is declaratur irritus eſſe, ac nullus. Quàm hoc eſt ab Apoſtolica ſucceſſione alienum? Et quidem hac de re no-

tandus

tandus eſt Canon Concilij Africani ſub Cæleſtino, & Bonifacio I. tomo collect. Binianæ pag. 635. Eſt aut Canon 21. in quo Epigonius Epiſcopus quæritur de Iuliano qui eius Clericum auerterat contra ſtatuta Conciliorum. Idem continet Canon 22. eiuſdem Concilij, & Canon 45. Concilij Carthaginenſis III. Multum ergo intereſt inter poteſtatem Apoſtolorum, & Epiſcoporum, qui ijs ſucceſſerunt, nec perinde eſt ſuccedere in locum, ac in poteſtatem ſuccedere. Nec verò poteſt reſpondere Forbeſius comparari hic Epiſcopale officium, cum Apoſtolico munere: ac inde diſcrimen prouenire; nam illa quæ hactenus adduximus propria ſunt Apoſtolorum, prout erant Epiſcopi: vti apparet in ordinatione, quòd ſanè munus eſt Epiſcopale, non Apoſtolicum. Nec opus eſt alia citare Concilia, nec plura afferre exempla, cum vſus Catholicæ Eccleſiæ palam faciat diuerſam prorſus, & inæqualem eſſe Epiſcoporum poteſtatem. Immò hæc inæqualitas pertinet ad ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quæ in Concilijs, & Sacris Canonibus expreſſa eſt, & oculis ipſis cernitur, & ex diuerſis ordinibus Paſtorum componitur: quorum eſt inter ſe nexus, & ſubordinatio, alijs alios præcedentibus tum loco, tum dignitate, tum poteſtate. Indicabo tamen locum idoneum ſumptum ex Decreto Cæleſtini I. quod ponitur 9. q. 2. cap. *Nullus Primas*, quo potiſſimum hæc Diœceſum partitio, & intra eorũ terminos continendi ſeſe religio ſignificatur.

Probatur exemplis

Decuit ſanè, vt primi illi parentes noſtri à Chriſto inſtituti Apoſtoli, & conſtituti Epiſcopi altiùs quiddam, & excellentius haberent in Eccleſijs regendis, quòd ad ſucceſſores minimè perueniret. Igitur alia eſſe debuit dignitas, & poteſtas Apoſtolorum, alia ſucceſſorum. Immò niſi eſſet iſta inæqualitas, & omnes Epiſcopi pares eſſent, ſicuti Apoſtoli erant, nec ſuus illis honor, nec Eccleſiæ ſtatus conſtaret. Duodecim illi erant. Ferre eos poterat Eccleſia pares: immò & debebat vt citiùs, & aptius inſtrueretur. Nulli eis limites aſſignandi, nulli termini imponendi, laxandi fines, amplificanda ſpatia, quo poſſent totum orbem luſtrare, ac circuire. Poſtea aucto numero Epiſcoporum, Eccleſia iam dilatata, & propagata, certi quidam fuerunt termini ſtatuendi: populi in ſuas quique diœceſes redigendi, & his ſui Epiſcopi aſſignandi, qui in eorum doctrinam incumberent, ac eorundem ſaluti conſulerent. Aliud eſt quippè tueri fidem, aliud propagare. Hoc ad

Cur non ſit in Epiſcopis æqualis iuriſdictio, ac in Apoſtolis.

Apo-

Apoſtolos attinebat: illud ad ſucceſſores. Ergo hi liberius excurrere ſine vlla circumſcriptione finium debuerunt. Illis non licuit vagari, & circumquaque moueri: immò ſuis ſedibus affigi, & intra eas conſiſtere, ac verſari debuerunt. Quod ſi repugnet (quod mihi non perſuadeo) Forbeſius, illum domeſtico exemplo conuinco.

Cum Pater eius infelicis memoriæ Patritius Forbeſius præerat Eccleſiæ veriùs Pſeudo Eccleſiæ Aberdonienſi, ferret ne is, vt eò ſe cum magna authoritate conferret alterius Heterodoxæ Eccleſiæ Epiſcopus, ac ius ſua in exedra diceret, & cætera ſi qua ſunt munia Eccleſiaſtica, ibi exerceret? Negabit tacitum id laturum gnauum illum, & induſtrium Paſtorem Patrem ſuum: etiam ſi aut Sancta Andreanus, aut Edimburgenſis Præſul is eſſet, quòd ijs in alienam Diæceſim irruere non liceret, nec poſſet Patritius ſiue ignominia id permittere. Quod ego certè confirmò, & addo inſuper bonum illum Epiſcopum, etſi de nocte ea vis fieret, ac ille in lecto cum ſua coniuge cariſſima Lucretia Spenſia liberis operam daret, ſurrecturum, & ingruenti aduerſario obuiam iturum, nec amplexus vxorios eſſe moraturum. Affuturum item exiſtimo bonum filium, & relicta ſuaui Dulci Roſa, cum liberis nouem male vigilantibus ſemiueſtitum Patri opem allaturum. Cur quæſo? niſi quòd non licebat illis, etſi maioribus Epiſcopis, ſuis exire terminis, & ad alienos tranſire. Idemque puto facturos amicos eius Epiſcopos Holmienſem, & Lincolpenſem, ſi quis ex alijs Pſeudo Paſtoribus Suecis in ſuos fines irrumpere conaretur. At longè aliter inter Apoſtolos agebatur. Vnus & duo, & plures in eadem Eccleſia iura dabant, legeſque iubebant, docebant, prædicabant, & quæcumque ſe offerebant munia, ijs ſine alterius, aut iniuria, aut querela liberè fungebantur. Omnes in commune cenſebant, conſultabant, conſulebant, omnium erant Diæceſes ſingulorum: nec alter alterum excludebat. Igitur multo maior erat illorum poteſtas, quàm qui ijs ſuccedunt Epiſcoporũ. Plena ſunt his reſtricti loci, & arctati iuris exemplis Concilia, quæ illam Niceni doctrinam, vſumque Eccleſiæ ſecuta certos ſingulis Epiſcopis fines, & terminos aſſignarunt. Nihil maiori ſolicitudine curatum, nihil accuratiùs prouiſum, quàm iſta diuiſio Diæceſum, & diſtributio munerum, vt vnuſquiſque ſuo ſe in veſtigio volueret, & in doctrinarum orbem includeret. Id in Arelatenſi

Lepido exemplo conuincitur Forbeſius.

Apoſtolorum iuriſdictio vniuerſalis.

tenſi Concilio II. id in Carthaginenſi I. id in Antiocheno, id in Sardicenſi, id in Oecumenico Conſtantinopolitano I. id in Chalcedonenſi Generali imperatum. Infinitum eſſet omnia percurrere. Doctus eſt Forbeſius, & qui eius librum probarunt Heterodoxi. Conſulant Concilia, recognoſcant locos, nihil eſt frequentiùs, nihil manifeſtiùs. Immo ſi ſuperis placet ipſemet Forbeſius tractatu de cura, & reſidentia paſtorali, & hoc eodem libro 16. inſtructionum Theologicarum cap. 3. in 7. Propoſitione adducit multa exempla Conciliorum. *Quibus cautum*, inquit, *ne quiſquam ſuas metas tranſgrederetur, & alienæ curæ ſe ingereret*. Hoc ille probat à Deo eſſe hanc diuerſitatem, & diſtributionem diæceſeos, & munerum introductam. Hoc accipio, & retorqueo. Igitur cum ipſamet ſucceſſione, & iure diuino paſcendi ſtat diuerſitas, & imparitas Paſtorum. Non ergo ſequitur ex eo, quòd Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis eo iure, ac eodem præſint, & paſcant, eandem & parem omnes facultatem accipere; atque adeò minus vidit in eo argumento Forbeſius. Illud vnũ bene intulit ex Concilijs, metas ſingulis Epiſcopis præſcribi, & curas pro earum menſura diſtribui. At videre debuit aliud. Has metas non fuiſſe præfixas Apoſtolis; nec curas reſtrictas. Ijs nec metas rerum, nec tempora poſita, nec terminos aſſignatos, nec munia præſcripta. Vbique & docere, & prædicare, & paſcere licuiſſe: Cætera ſucceſſoribus eſſe imperata: qui ijs pares non eſſent ęqualeſuè futuri. Vndè perſpicuè deducitur contra id, quòd aſſumit Forbeſius, Epiſcopos in locum quidem Apoſtolorum, ſed non in poteſtatem, iuriſdictionem vè ſucceſſiſſe.

Non poſt eos Epiſcoporum.

Suo argumento conuincitur Forbeſius.

Iuſtum argumētũ ex iure appellandi.

Probatur hoc ipſum ex iure, ac vſu appellandi. In quo certè magna, & perſpicua inter Apoſtolos, & Epiſcopos ſucceſſores diuerſitas eſt. Nam Apoſtolorum nulla erat, nec eſſe poterat alterius ad alterum appellatio, nec quiſquam Epiſcopus eius temporis, ſi ab vno illorum eſſet, aut condemnatus, aut depoſitus, ad alterum appellare, vel auderet, vel poſſet. Rata erat Apoſtolica, vltimaque ſententia (mitto nunc an liceret ad omnium Concilium, vel ad Petrum prouocare) idque conſtat, cum à Pari ad Parem nulla ſit appellatio. At vero defunctis Apoſtolis cœpit ratio, & vſus appellandi: ab Epiſcopis inferioribus ad ſuperiores, id eſt à Diœceſanis ad Metropolitanos, ab his ad Patriarchas, ab omnibus ad ſedem

Apo-

Apoſtolicam, vbi eſt culmen, & faſtigium dignitatis,& terminus poteſtatis. Huius ab ineunte Eccleſia doctrinæ,& con- *Inter Apoſtolos non erat appellatio.*
ſuetudinis, vbique in Eccleſiaſtica hiſtoria exempla occurrunt, in quæ velit, nolit, incurret Forbeſius. A nobis multa ſunt alibi, tum in tractatu de Concilijs, tum tomo de Clauibus, tum in Teſſera noſtra producta. Satis eſt citare titulum de Appellationibus, qui ijs abundat. Nec Forbeſium id latet, ſed diſſimulat, ac tergiuerſatur. Aurem vello, & obijcio Athanaſium Alexandrinum, & Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui ad Papam Iulium I. Romam ap-
Sozom. pellarunt. Auctore Sozomeno lib. 3. cap. 7. Flauianum Epi- *Epiſcopi inferiores appellant ad ſuperiores.*
ſcopum Conſtantinopolitanum, qui ad Leonem I. prouocauit
Leo. teſte Leone Ep. 75. ad Theodoſium Auguſtum,& Theodoretũ
Liberat. Cyri Epiſcopum à quo eſt ad eundem Leonem prouocatum, vt ſcribit Liberatus in Breuiario cap. 12.& ipſemet Theodore-
Theod. tus in Epiſtola, quæ eſt ad finem operum Leonis. Quæ idcircò recenſeo, quod volo Forbeſium obiter monere de conſuetudine ad Romanum Pontificem ab alijs, vel Patriarchis ad quos alij Prouinciales Epiſcopi prouocare ſoliti, appellandi. Hoc argumento euertuntur omnia Epichirimita, & ſorites Forbeſij: nec eſt vllus euadendi modus: cum ex appellationum iure conſtet imparem eſſe Epiſcoporum inter ſe poteſtatem, atque adeò longè ab Apoſtolica diuerſam, quæ vnius erat rationis, nec iſtos terminos gradusve agnouerat. Exiſti- *Argutè conuincitur Forbeſius.*
mo autem ſæpè vidiſſe Forbeſium in cauſis à ſuo Patre Patritio Aberdonienſi iudicatis appellationem interpoſitam, & ab eius iudicio ad Sanctandreanum Tribunal appellatum. Et tamen pro ſua ſingulari in Parentem pietate ſucceſſorem eum Apoſtolorum fuiſſe exiſtimat, quod ego nunc ei permitto, vt vel hoc ſomnio admiſſo à vigilante extorqueam veritatem.

Sed vt certis exemplis Forbeſium,& ſectatores confutemus obijcimus duos textus manifeſtos in titulo de Appellationibus. Nempe cap. *Solitudinem*, &c. *Dilectis*, in quibus palam fit ab Epiſcopis ad Metropolitanos appellari conſuetum. Ac ne opponat recentiora illa eſſe, quàm vt eis ab Nouatoribus fides haberi debeat, quorum cum ſit proprium nouare omnia, & priſca antiquare, vetuſtatis tamen ſpeciem exhibent,
Concil. Carth. moneo, vt recolat Acta Sexti Concilij Carthaginienſis, & li-
Auguſt. bros Auguſtini Polemicos contra Donatiſtas, & idonea,

quibus reſiſtere nequeat exempla inueniet.

Argumētū ex aſſenſu ad alias Eccleſias.

Præterea ſi pares, tum ordine, tum dignitate, tum poteſtate omnes inter ſe Epiſcopi eſſent, ſuis ſingulis Eccleſijs eſſent contenti, nec ad alias promoueri curarent. Conſtat nihilominus eos alias, & appetijſſe, & obtinuiſſe Sedes: quas qui obtinere non poterant: ſæpè turbas in Chriſtiana Republica excitaſſe, quòd nemo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritus non fateatur. Sin dicat Forbeſius? cur Hieroſolymorum Epiſcopus ægrè ferebat Cæſarienſi Epiſcopo ſubdi? Cur tantopere contendit ab illius poteſtate eximi, & Patriarcham creari? Cur Conſtantinopolitanus tot machinas adhibuit ad Patriarchatum obtinendum, nec quieuit donec obtinuit? ac ne obtento quidem reſtitit, ſed vltra ire perrexit, & Alexandrinum conatus eſt ſuperare? ac demum cum Romano Pontifice de Primatu contendere? Certè Conſtantinopoli ille omnibus alijs ornamentis abundabat, hoc vno tamen prærogatiuæ carebat. Videbat alios ſibi anteferri; impotens, quod opinabatur, iniuriæ, nemini volebat concedere, & omnibus modis faſtigium conabatur aſcendere. Igitur gradus erant in ſedibus, alijs humilius, alijs altius ſedentibus: & quemadmodum in Scena, quidam in ſubſellijs ſubſidere, quidam in orcheſtra eminere videbantur, ita & in Eccleſiaſtico Theatro nonnulli Epiſcopi in ſubſellijs manent, alij in orcheſtram aſcendunt: & inde ſpectantur, & ſpectant.

Vrgetur Forbeſius curſu in ſe argumento.

Equidem pro ea, qua erat in Patrem pietate Forbeſius, exiſtimo, ſi Cathedra S. Andreana, vel Edimburgenſis eo viuo vacaret in Scotia, daturum operam filium, vt in eam eueheretur bonus ille ſenex: quod ibi & dignius conſiſteret, & altius emineret. Si minus hoc verum eſſet, numquam dolerent propinqui, & amici Gregorij Nazianzeni, quòd ille Saſimorum, aut Nazianzi eſſet Epiſcopus, cum nihil intereſſet, An ille harum Eccleſiarum, aut Cæſareæ, aut Conſtantinopolis eſſet Epiſcopus? At doluerunt, & omni ſtudio curarunt, vt ille ad altiora conſcenderet. Hæc erat tum Catholicorum ſententia, modo aliam Heterodoxi inuehunt, & cum noua ſit, vetuſtam eſſe comminiſcuntur. Quæ nouitas, vel ex eo refellitur, quòd cum Nazianzenus, qui de ſe ſentiret demiſſiùs, Epiſcopatum ſibi oblatum repudiaſſet, illius obtrectatores vitio ambitionis vertentes dixerunt, indignatum eum, quòd tam exiguus ſibi Epiſcopatus obtigiſſet. Falsò de Nazianzeno: verè de Forbeſio

dici

dici potuiſſet, quem ego non dubito, etſi in ea eſſet hæreſi omnes Epiſcopos æquales eſſe: ſi duo ei offerrentur tenuis alter, & obſcurus, alter opulentus, & ſplendidus, illo reiecto, hunc omnino accepturum. Nec ſolum hæc permutatio Epiſcopatuum ambitionis opus fuit. Conſueuit iam inde ab initio Eccleſia exemplo Petri inferiorum Sedium Epiſcopos ad ſuperiores euehere, qua de re duæ ſunt Pelagij II. Epiſtolæ 1. & 10. vbi adducit exempla poſt Petrum, Alexandri, Nazianzeni, & Procli qui ſanè mos rem continet, nec enim locus eſſet euehendi, ſi Sedes omnino æquales eſſent, ac perinde foret Hieroſolymis. ac Cypri, Cyzici, aut Conſtantinopoli ſedere.

Promotio Epiſcopos ad Sedes altiores conſuetā Eccleſia

Pel.II.

Eſt ab Auguſtino, quòd obijciam Forbeſio, cui ille in pretio eſſe ſolet. Queritur Auguſtinus, quòd præter Canones Concilij Niceni Valerio Hipponenſi Epiſcopo viuenti. Adiutor & ipſe factus Epiſcopus ſit datus: & excuſat ſe ignorantia iuris, quòd minus eſſet vtrique Canon ille perſpectus. Mirum quàm hęc Auguſtini querela ad rem noſtram faciat. Non licebat igitur in vna Ciuitate duobus eſſe Epiſcopis; idque per Nicenum Concilium. Sanè. At Apoſtolis licuit multis, ſimul in vna vrbe cum pari poteſtate eſſe: nec alius alij impedimento erat: quemadmodum ex Actis Apoſtolorum conſtat, & nos ſuperiùs diximus: patetque ex hiſtoriæ Lini, Cleti, & Clementis, qui omnes viuo Petro Eccleſiam Romanam Epiſcopi adminiſtrarunt: quo item Paulum tempore fuiſſe conſtat: ita vt non duo, ſed quinque in eadem Ciuitate Epiſcopatum gererent. Poterant ergo Petrus, & Paulus vnam, & eandem ciuitatem incolere, ac regere. Poterant alios ordinare, & inſtituere, qui ſecum ſimul habitarent, & regerent. Atqui hoc non poterant Valerius, & Auguſtinus Epiſcopi, & Succeſſores Apoſtolorum, non quod reijcerent facultatem datam, ſed quod ea carerent. Igitur multo minus valebant, quàm Apoſtoli, iiſque æquales pares ue non erant. Idque intellexit magnum illud Concilium Nicenum, cum Canone vetuit, ne fieret, quod Apoſtoli fecerant: quod non, opinor, vetuiſſet, ſi ab Apoſtolis ea poteſtas deriuata in Epiſcopos eſſet. Quid hic Forbeſius? obmuteſcet.

August.

Optimo Auguſtini exemplo redarguitur Forbeſius

Et illud quoque rem continet. Non licet (de poteſtate abſtineo) Epiſcopum, niſi tribus Epiſcopis, vel duobus ſaltem antiquo iure conſecrari. Licuit Apoſtolis ſolitarijs quoſcum-

Alio apto argumēto conuincitur Forbeſius.

que vellent conſecrare Epiſcopos. Poterant ergo pluſquam hodie poſſunt Epiſcopi. An ſunt pares Epiſcopi Apoſtolis? Reſpondeat Forbeſius. *Forbeſ.* Quamquam is negaturus eſt conſecrationem, quòd eam minimè nouit, aut ſi nouit, inficiatur, ne conuincatur. Do illud: numquam eum in Scotia apud ſuæ Sectæ homines veros ordines vidiſſe. Nemo ibi Sacerdos, nemo Epiſcopus exiſtit. *Acutè pũgitur.* Eius Pater Patritius Pſeudo Epiſcopus, & Pſeudo Apoſtolus erat: hac ratione fœlix natus eſt Ioannes Forbeſius, quòd eo iure, quo Patrem Patritium Epiſcopum habuit, matrem quoque Lucretiam Spenſiam Epiſcopam habere potuit.

Vltimum & idoneũ argumentũ a terminis diœceſum. Tamdem Epiſcopi intra ſuam Prouinciam, & Diæceſim ius dicunt, & leges ferunt: extra non ſolent, nec poſſunt, aut iubere leges, aut dictare iura. Apoſtoli vbique poterant; eorumque præceptis, ac legibus vniuerſa obediebat Eccleſia; nec de Fidei doctrina loquor, quòd hæc ad Apoſtolatum propriè ſpectat, ſed de morum confirmatione, & ouium inſtructione quæ duo Paſtorum ſunt, & Epiſcoporum. In quibus cum multo ſint inferiores Apoſtolis Epiſcopi, ijs pares eſſe nequeũt. Hoc ſi neget Forbeſius illud affirmare tenebitur licuiſſe Patri ſuo Patritio Aberdonienſi Epiſcopo leges pro Edimburgenſi, & Santandreano Territorio ferre: immò & pro tota Scotia, & Anglia, ad idque poſſe ſubditos horum Epiſcopatuum obligare, immò & pœnis cogere: ac eò ſe item conferre, & ius in Cathedris dicere. Video ex illius ſententia hæc omnino ſequi. Quæ ſi tamen bonus ille ſenex vellet exequi, & ex conſilio Filij agere, vereor ne cum Filio temeritatis ſuæ pœnas daret, inſurrecturos quippè in eos puto Pſeudo Epiſcopos illos, & miniſtros, *Arguta irriſio.* & fuſtibus, & gladijs in ſuis limitibus pedem auſos ponere depulſuros. Itaque iura, & leges Forbeſiorum ſilerent, ſola verbera, ictuſque audirentur. Diſceret ſuo malo vterque multum inter Apoſtolos, & Epiſcopos ſucceſſores intereſſe. His quæ prorſus conſtare videntur ſumptis, ruit tota machina prolixæ ratiocinationis Forbeſij, quæ tota eo nititur, quòd Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis, vti videre eſt, præſertim cap. 5. quod nemo ei Catholicus negat; Negamus omnes ex eo ſequi in eandem poteſtatem ſucceſſiſſe. Et quoniam ille num. 7. citat locum Pſalmi 44. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filij*, & adhibet illa Auguſtini verba. *Auguſt.* *Patres miſſi ſunt Apoſtoli. Pro Apoſtolis Filij nati ſunt, conſtituti ſunt Epiſcopi.*

Extor-

Extorquemus ab eo locum, & in ipſum retorquemus. Extorquemus dicendo. Eo loco non tradi, niſi ſucceſſionem in locum Parentum: non autem æqualitatem cum poteſtate parentum. Retorquemus obſeruando; etiam inter Filios à Patre genitos ſæpè magnum eſſe diſcrimen ſolere: cum multi varia, & diuerſa ſtudia ſectentur: & multum diſpares, & diſſimiles Parentibus euadant, ſintque eadem accepta natura, moribus, & munijs ab ipſo, ex quo filij nati ſunt Patre maximè alieni. Habuit huiuſce rei domi ſuæ exemplum Forbeſius: nouem quippè liberis inter ſtudia litterarum ex Dulci Roſa vxore ſuſceptis ex diuerſis eorũ ingenijs conijcere potuit, non omnes in locum, & fortunas Patris eſſe ſucceſſuros. Et quanquam (proh dolor) ante ſunt mortui, quàm id fortaſſis Forbeſio conſtare poſſet, ex indicijs tamen deprehendere potuit, longè alios à parente eſſe futuros; immò & eum, quem ſuperſtitem habuit Georgium Forbeſium imparem ſibi et litteris, et moribus reperiſſe dicitur. Verum quippè illud eſt: ex ingenioſis parentibus obtuſos, & adipales filios naſci ſolere.

Retorquetur in Forbeſiũ textus Pſ.44.

Vellicatur Forbeſius.

S E C T I O III.

Solùm Pontificem Romanum ſuccedere Petro, vti Chriſto Vicario cum integra, & in ſolidum poteſtate monſtratur.

QVi rationem illam capitalem, quam demonſtratiuam diximus, ſeriò & attentè perpendat, ei manifeſtum erit longè aliter ſuccedi Petro à Romano Pontifice, atque Apoſtolis ſucceditur ab Epiſcopis: Nam qui alicuius Principatus, quicumque ille demum ſit, caput eſt, in eo ſumma ſit oportet, tum authoritas, tum poteſtas: alioqui caput, Princeps ve non erit, quemque is ſucceſſorem habeat in eo neceſſe eſt eſſe parem, & facultatem, & poteſtatem: ſin, loco cadet in quem ſuccedit: immò non eſt locus ſuccedendi, quòd locus euertatur, & nullus ſit. Aſſerto igitur, ac retento Primatu Petri, in Cathedra Romana, & ſucceſſione Romanorum in ea Pontificum, ſequitur hos parem, ac eandem cum Petro authoritatem, & poteſtatem habituros. Cœpit hoc patere ex impari facultate, & poteſtate Epiſcoporum præ Apoſtolis. Hoc enim perſpecto, & illud apparet, ideo Epiſcopos

Aliter ſucceſſũ Petro à Pontificibus Romanis, aliter Apoſtolis à diſcipulis.

pos minus habuiſſe: vt locus eſſet Romano Pontifici habendi, ac exercendi omnem: tũ quod hac ſe ratione Papæ Romano minores, ac inferiores profitebantur, tũ quod is ex ea diminutione aliorum intelligebat quantũ ſibi dignitatis, & authoritatis tribueretur. Nec enim poterat ille in ordinem aliorum redigi, qui Petri locum tenebat: caderet quippè ea dignitas, & poteſtas vnius capitis, & Eccleſiæ vnitas periret. Apparebant membra in Epiſcopis ſuis diſtincta locis, quæ caput exigebant, quòd ſi ſucceſſor Petri non eſſet, caput non eſſet.

Papa habet part, ac Petrus poteſtat.

Ac mihi quidem ſæpè ſtatum Eccleſiæ conſideranti illud occurrit: multo clariorem, & manifeſtiorem eſſe rationem vnitatis in Eccleſia Catholica poſt mortem Apoſtolorum, quàm ipſis viuentibus. Nam viuis Apoſtolis, qui pares erant excepta ratione capitis, Petro, non tam facilè apparebat vnitas Eccleſiæ, & ordo Hierarchiæ, Apoſtolis ex æquo cunctis gubernantibus, vno illo excepto diſcrimine. At mortuo Petro, & Apoſtolis, effectum eſt, vt ſuccedentibus in horum locum cum minori poteſtate Epiſcopis, auferretur illa, quæ illos pares videbatur reddere, æqualitas, & manente in Cathedra Petri, cum authoritate capitis, & Principis Eccleſiæ Pontifice Romano, perſpicua, & manifeſta ratio ſubordinationis membrorum ad ſuum caput, cumque eo apta connexio appareret. Tota enim authoritas, & dignitas, quæ in Petro erat Pontifici inerat, ſine conſortio parium, qui quodammodo illius luminibus officerent, & nemo erat, qui eius authoritatis, & dignitatis lumina coniecto ſplendore ſimili quodãmodo hebetaret. Extitit in faſtigio illa Cathedra, non quòd altiùs aſcenderet, ſed quòd omnes aliæ inde decederent, ſeque illi credendo ſubmitterent.

Idonea animaduerſio de vnitate Eccleſiæ.

Hinc gradus ad Primatum ſtatuendum Pontificis Romani eſto. Probatur primo ex dictis. Nam Epiſcopi non ſucceſſerunt Apoſtolis cum pari poteſtate, ergo minores ijs deinceps fuerant. Quod ſi minores, decebat vt ſuper eos aliquis emineret; is vero niſi Romanus Pontifex alius eſſe non potuit. Igitur huic Primatus inter omnes datus. Ratiocinatio conſtat, quia ſi Romanus Pontifex loco, ac dignitate caderet, & in ordinem cæterorum redigeretur, monſtroſa Eccleſia fieret, capitibus hinc inde plurimis eminentibus, & membra ad ſe trahentibus, diſſoluente ſe nexu, & vinculo partium, cum gemitu, & dolore membrorum, quæ ſuaptè natura vnam com-

Probatur iſta ſucceſſio in ſolidum Papæ in locum Petri.

compagem corporis exigebant. Secundò partes Eccleſiæ ſua ſingulæ capita paria non habuerunt, ſed ſub vno principali coaluerunt: ergo totum caput Eccleſiæ, ex illis partibus compoſitum vnum caput vniuerſale deſiderabat. Aſſumptum patet in Eccleſia. Nam Epiſcopi ciuitatum Prouinciarum Patriarchalium Patriarchæ ſubiacebant, & ſuò tanquam capiti, Principique parebant: quemadmodum in Alexandrina, & Antiochena Prouincijs ex Niceno Concilio palàm fecimus. Cur ergo hæ Prouinciæ cum ſuis Patriarchis, qui fermè pares inter ſe erant, certè non erant ſubditi, non alij capiti, tanquam membra ſubeſſent? Itaque Africani Epiſcopi Carthaginienſi ſubdebantur, Paleſtinæ Cæſarienſi, Aſiatici Antiocheno, Aegyptij Alexandrino, cum ſuarum Dioeceſum capita, & Paſtores eſſent, hæ autem integrę Prouincię, quę maiora corpora formabant, & altiora capita habebant, aliud ſuperius non agnoſcerent, ſed per ſe diſiunctæ, & ſeparatæ conſiſterent? Quod ſi hoc concedi non poteſt, Caput ijs præponendum, ac illud quidem non niſi Romanus eſſe Pontifex debuit: Petri ſucceſſor, Romæ Epiſcopus. *Aptum exemplū.*

His rationibus adijciamus exemplum. In veteri teſtamento Summus Sacerdos ſucceſſit Aaroni cum integra poteſtate. Igitur & Summus Pontifex Romanus in nouo cum eadem Petro ſuccedat neceſſe eſt. Conſecutio eſt idonea. Propoſitio certa: quippè quæ pateat in Sacris Biblijs. Ex quibus conſtat Eleazarum in locum Aaronis Patris nullo diſcrimine honoris, aut poteſtatis ſucceſſiſſe, idque in ſerie Pontificum, ſiue lineæ Eleazari, ſiue Ithamaris perſpicuè apparet. *Cōfirmatio teſtimonio teſtamento veteris.*

Verum capitale argumentum eſt conſuetudo, & vſus Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſi id ab initio accepit, & deinceps tenuit, negari certè nequit Romanum Pontificem Petri germanum, & iuſtum, & parem in ſolidum ſucceſſorem eſſe. Ac vt diſtinctius procedamus notionem, & rationem Primatus examinemus, & in partes diſtribuamus, vt quid definiendum ſit ex ipſamet partum diuiſione conſtare poſſit. *Fundamentum capitale.*

Primatus igitur duo ſignificat, ac vnum tertium ex his duobus conflatum reddit. Primum dignitatem, ſiue excellentiam ordinis, vel loci, vt qui primas inter aliquos habet, eum Primatum habere dicamus. Qui ſenſus non inuoluit, nec infert inducit ve præſtantiam iuris, aut dominij, erga cæteros: nec arguit in alijs vllum ſignum obedientiæ, vel demiſſionis, *Exponitur et diuiditur Primatus*

quem-

quemadmodum ſi conuenirent Imperator, & Reges, ille primus, & ſederet, & ſententiam diceret, non tamen Regibus iura daret, nec imperaret: nec Reges inter ſe non habent iſtud genus ordinis: nam alij alijs, & nominantur priores, & habentur, ſine vllo tamen primatu iuriſdictionis inter ſe, cum ſinguli in ſuo ſint Regno Principes, & Domini iuſti, & integri. Huiuſmodi Primatum admiſit, opinor, Forbeſius in Petro inter Apoſtolos lib. 15. cap. 1. 2. & 3. quanquam de ordine tantum, & loco qui excludat confuſionem, non qui inuoluat indicet vè gradus, vel officij prærogatiuã loquatur. Secundùm ſignificat præſtantiam ordinis & loci, ſed cum aliqua maiori dignitate, & authoritate coniunctam, quæ tamen non contineat iuriſdictionem ſuperioris in alios, quorum habetur princeps. Exemplum eſto Dux Venetus in eo Senatu, qui cum habeat primas, & ordinis, & authoritatis inter eos, nihil tamen in eos habet iuris, & poteſtatis. Eminet tamen inter eos magis, quàm Imperator inter Reges, vel Rex Primus inter alios Reges, qui inter ſe ita ſunt comparati, vt ſingulares, & ſolitarij in gubernando ſint, nec vnus ab alio, ita dependeat, vt ſine illius conſortio nequeat vllos in ſuo Regno ditione vè iuriſdictionis actus exercere, quemadmodum accidit Duci Veneto, qui per ſe ſine Senatu, nihil in Republica imperare, mouere vè poteſt. Multo quippè minus valet quàm Rex. Nihilominus certa quædam munia ſibi vendicat, quæ Senatores vſurpare nequeunt. Itaque propria, & digniora exercet munera, quàm alij, quamquam nec hi ſubditi ſint, nec ille ſuperior. Hoc genus Primatus non exprimit Forbeſius. Quid de illo ſentiret ſi afferret, dicere non audeo. Suſpicor negaturum Petro, cui omnino pares cæteros vult eſſe Apoſtolos. Sanè id exemplum quo vtitur perſuadet. *Petrus*, inquit, *Primus fuit inter Pares, ſicut inter Pares Franciæ primus o'im fuit Burgundus*. Ita cap. 3. quamquam vix negari ab eo poſſit maior præſtantia in Petro, quia multum intereſt inter Apoſtolorum, & Parium officium, cum horum ſit dignitas, & excellentia in alto eminens ad ſuſpectum, & reuerentiam, non præſtantia, & iuriſdictio ad regimen, & paſturam.. Illorum vero fuerit poteſtas, & præfectura ſuper populos ſibi commiſſos, quorum erat parere, & obedire: atque adeò qui inter Præfectos, & Paſtores eminebat, huic aliquid maius, & præſtantius, quoad regimen, et gradum conceden-

Declaratur exẽplo Ducis Venetorum.

cedendum erat. Quare iſtud à Forbeſio extorquebimus, immò et iam ante extorſimus: quem vel inuitum in noſtram, quæ Catholica eſt, ſententiam compulimus.

Tertia notio.

Tertiùm: Præſtantiam, & excellentiam dignitatis, & poteſtatis vnius ſupra alios, vt ille emineat, & excellat, & imperet, alij huic ſubdantur, aſſurgant, & pareant: & quanquam in ſuo quiſque gradu dignitatem, & poteſtatem retineat, nemo ſe tamen ab illius præſtantis obedientia eximat. Quo quidem modo videmus in Monarchijs regniſque fieri, in quibus cum multi ſint Optimates, quibus quidem alij parent, ij nihilominus Regi, ac Principi ſuo, tanquam ſubditi obediunt. In quo eſt propriè ratio Monarchiæ, quæ ſi ſtatus temporalis ſit Imperatoribus, & Regibus propriè, ſi ſpiritualis Romano Pontifici apud Catholicos in Eccleſia conuenit.

Diſcrimē inter gradus præſtantiæ.

Eſt verò inter hos gradus præſtantiæ differentia. Nam primus continet excellentiam ordinis, & loci dignitatis priuatæ: excluſo ad Rempubl. reſpectu. Secundus extendit eam præſtantiam ad Rempublicam, in qua eminet ille, qui præſtat prærogatiua primæ honeſtatis obtenta, citra iuriſdictionem tamen, & dominium in alios Optimates. Tertius illos duos comprehendit, & addit huiuſmodi iuriſdictionem, & dominium, atque adeò genus omne dignitatum, & munerum & honorum continet.

Prima Sedes citra dubiū Romana.

Quod attinet Pontificem Romanum. Nemo antiquiorum Hæreticorum, quod ſciam, vel Schiſmaticorum, primum illum gradum præſtantiæ ei denegauit. Primus ille ſemper Epiſcopus habitus, & Romana Sedes prima exiſtimata. Adeo vt ipſemet Nilus acerrimus Romani Primatus hoſtis in libro quem aduerſus eum ſcribit, id omnino concedat. Eius autem rei inuictum argumentum eſt, quòd vel ipſi Conſtantinopolitani Patriarchæ, cùm maiores ſibi animos ſumpſerunt, & magnificentius ſe circumſpicere cœperunt, nunquam tamen ſunt auſi ad primum illum gradum adſpirare, quem Romanus Pontifex occupabat. Id ex Canone 5. Conſtantinopolitani I. Concilij, & ex 36. Trullanæ Synodi (cuiuſcumque demum aurhoritatis ſint) manifeſtè deducitur. Nam in illo ſic Græci: *Conſtantinopolitanæ Ciuitatis Epiſcopus habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum.* In hoc ita. *Decernimus, vt Thronus Conſtantinopolitanus æqualia Priuilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Eccleſiaſticis negotijs, vt ille emineat*

Concil. Conſt. Synod. Trull.

H ſecun-

ſecundus poſt illam exiſtens. Fuit aliquando cum Patriarchæ quidam ad æqualem cum Romano Pontifice gradum ambitioſius anhelarunt, ſed incaſſum. Narrat Nicephorus lib. 17. cap. 9. cum veniſſet Papa Ioannes I. Iuſtino Imperatore Conſtantinopolim, hunc ei ſuadere voluiſſe, vt pateretur loco ſibi æquari Epiphanium Patriarcham: cui Ioannem tamen obfirmatè reſtitiſſe, & primum locum iure ſibi ſuo vendicaſſe, amandato in ſecundum Epiphanio. Nec alijs eſt opus exemplis in re tam manifeſta. Niceph.

Primus gradus dignitatis Romanæ Sedis proprius.

Quod attinet ſecundum gradum. Obſeruo tam illum cum primo eſſe coniunctum, vt qui hunc admittat, & illum ſecundum ſimul trahere neceſſe ſit. Nam cur Pontifex Romanus primum locum obtinet in Eccleſia, vbi omnia ſunt connexa? Ecquis enim dubitet, quin maior ſit partium inter ſe Eccleſiæ colligatio, quàm ſæcularis regiminis? Alia eſt Eccleſiæ, alia Reipublica conſtitutio. Illa fide, & amore conſtat, quæ ſtringunt, & copulant. Hæc iuſtitia, & legibus, quæ diuidunt, & diſtribuunt. Quare Eccleſia vna eſt, & vnius tenoris, & continenti nexu ducitur cum ordine, & reſpectu inter ſe partium. Reſpublica ſecularis multiplex, & varia, diuerſo conſtat genere membrorum. Vnde in Eccleſia Paſtores, cum ab vno capite Chriſto initium ducant, ad vnum referuntur, & vnum reſpiciunt. At verò Reges, & Principes ſeculares, cum ſint à populis inſtituti ad multitudinem, & diuerſitatem tendunt. Igitur ex eo, quod vnus Rex, aut Princeps ſecularis primas dignitatis, ordinis ve obtineat, non ſequitur eum cæteris præeſſe debere, quod non ſint connexæ, & copulatæ inter ſe aliarum Rempublicarum partes: quę ſuos ſibi ſingulæ, ac ſolitarios Reges, ac Principes poſtulant. Verum ſecus ſe res habet inter Paſtores, quibus cũ vnus ſit Chriſti grex commiſſus, & hic fide, & amore contineatur omnium eſt inter ſe ordo connexus. Ac ipſamet conſuetudo rationem hanc ſtabiliuit, quæ ab initio Eccleſiæ Patriarchas inſtituit, qui & eminerent, & præeſſent Epiſcopis, qui cùm multi eſſent, ac diuerſi, ad ſuum tamen ordinem capitis, nexumque redirent. Quæ ratio item efficit, vt Patriarchæ ipſi manere nequeant diuiſi, & pares, ac ex aduerſo, quaſi oppoſiti diuidentes, & diſtrahentes Eccleſiam, ſed ad vnum reſpiciant, & flectantur, quod tamquam caput agnoſcant, & vereantur. Itaque hoc ſecundum ſaltem genus Præſtantiæ, cùm prærogatiua di-

Differentia inter regimen temporale, & ſpirituale.

dignitatis, & authoritatis inter reliquos vnius corporis iure ſuo vendicat Romanus Pontifex, quod eius initium, & caput ſit: nec enim eſt auulſum, & ſeparatum cumque alio corpore concretum, & ab alijs corporibus diſiunctum, ſed cum eo in quo eſt corpore connexum, & copulatum. Quo accepto, & illud dandum: in Capite, ac Principe iſtius corporis Eccleſiæ, ſummam cum ea præſtantia loci, & ordinis, & poteſtatem eſſe coniunctam: quæ ſe per omnia membra, artuſque diffundat, eaque virtute, ac vigore contineat. Non enim illa ordinis, & loci eminentia vacua eſt dignitate, nec iuriſdictione: quippè quæ non ad oſtentationem, aut pompam comparatur, ſed ad vtilitatem, & vſum reducitur, & in commune confertur. *Excellentia dignitatis ſequitur ordinem loci.*

Forbeſ. Hinc fit vt negare nequeat Forbeſius, qui nobis dat lib. 15. cap. 3. Petrum habuiſſe quidem Primatum ordinis, & virtutis: eum quiddam amplius ſecum traxiſſe: nec enim intra ordinem Epiſcopalem ordinis, gradus vè vlla eſt differentia, cum omnimoda ſit æqualitas. Primatus verò virtutis priuatæ rem non continet: quippè cuius in Republica ratio haberi non ſolet: cum ad animum conſcientiamque pertineat. Ac ſæpè Deus homines aſſumpſerit ad Principatum, qui multos ſe habebant ſanctiores, nec decet vt de quo apud homines conſtare non poteſt, hoc eſt gratia, & charitas, id ad eorum regimen ordinetur. Immò Deus in Petro eligendo innocentiam non attendit, à qua ceciderat, & quæ fortaſſe in Ioanne, & Iacobo iuſto eminebat. Certè videmus, cum ad ſortes Apoſtolatus veniſſent duo Matthias, & Ioſephus cognomento Iuſtus illũ huic eſſe propoſitum. Quare miror Forbeſio huiuſmodi Primatum in Petro placuiſſe. Admiſſo igitur altero ordinis non poteſt non eſſe is, cum aliquo præſtantiæ, & excellentis dignitatis gradu coniunctus: corruuntque omnes illæ expoſitiones ab eo adhibitæ multis Patrum locis: quos adducit lib. 15. cap. 4. quas vel Lector candidus partim fictas, partim extortas eſſe comperiet. Conuinco domeſtico exemplo quòd facere ſoleo, Forbeſium: quàm præſtantiam habeat SanctaAndreanus Epiſcopus in Scotia præ Aberdonienſi Roſſenſi ve Epiſcopo? non affirmabit eſſe ſolius numeri, & ordinis in numerando, nec ſolius priuatæ virtutis (quòd negarit hac ceſſurum cuique Patrem ſuum) ergo concedit eam eſſe dignitatis, & iuriſdictionis, qua nititur illa ordinis in numerãdo.

Act. 1. — *Honor nõ ſequitur priuatã hominis virtutem*

Forbeſ. — *Domeſtico exemplo conuincitur Forbeſius*

Hoc ſecundum genus Primatus ne veteres quidem hæreti-

ci, aut Schiſmatici inficiari ſunt auſi. Ex ipſorum quippe ſcriptis, & actis conſtat vltra illum primum nominis, & ordinis, & loci, alterius præſtantiæ (quod ſatis nunc eſt) in Romano Pontifice agnouiſſe. Affero quibus conuincantur, omnino Hæretici, & rem contineant. Cætera ad tertium reſeruo. Canones quos nobis obijciunt, ſumpti ex Græcis Concilijs cui cui modi ſint, illi duos hoſce Primatus docent. NamCanon Concilij Conſtantinopolitani ſic habet.*Conſtantinopolitanæ Ciuitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Pontificem*. Quod genus eſt hoc Primatus poſt Romanum Pontificem? Alius ſanè à loco, & ordine: hunc enim relinquit Romano Pontifici: qui primas habebat. Aliud ergo erat: nempè in præſtantia diuerſa; quæcumque illa tandem fuit. Ac ne quis dicat eam in eo conſiſtere, vt præcederet loco, & ordine alios Patriarchas Alexandrinum,& Antiochenum,occupamus,illam dici non poſſe Primatum, cum primas non vendicet, ſed ſecundas.At præ alijs primæ erant. Sanè;verum ille reſpectus, nec ſatis erat ad Primatum proprium,nec ad inſtitutum Patriarchæ Conſtantinopolitani accommodatus. Apparet ex alijs Canonibus perſpicuè.Afferunt Hæretici, & Schiſmatici Canonem Concilij Chalcedonenſis, quem dicunt 38. qui huiuſmodi eſt. *Sanctorum Patrum Decreta vbique ſequentes,& Canonem,qui nuper lectus eſt centum quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus, ac ſtatuimus de Priuilegijs Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Nouæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ Throno, quòd vrbs illa imperaret, iure Patres Priuilegia tribuere, & eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi Sanctiſſimo Nouæ Romæ Throno æqualia priuilegia tribuere: rectè iudicantes Vrbem, quæ Imperio, & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma priuilegijs fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis non ſecus, ac illam extolli, & magni fieri ſecundam poſt illam exiſtentem*. Hinc patet Primatum illum, quem ambibant Patriarchæ Conſtantinopolitani,quẽque ei Patres ſecundum hunc Canonem conferebant,eſse proprium Romani Pontificis (quem Priuilegiorum nomine appellant) hic autem non erat Primatus loci, nec ordinis,quem non optabant, & integrum Romano Pontifici relinquebant, & multo minus præſtantiæ in loco reſpectu Alexandrini, & Antiocheni, ſed aliam, quæ in Romano Pontifice vltra eam excel-

Prærogatiuam dignitatis ne hæretici quidem negant.

Concil. Conſt.

Concil. Chalc.

Obiectio hæreticorum.

Soluitur & reijcitur.

excellentiam ordinis, & loci eminebat. Et de hac locutos Conſtantinopolitani Concilij Patres affirmant. Vnde conficitur cum illa præſtantia, & Primatu aliam diuerſæ rationis eſſe coniunctam: qui noſter eſt ſcopus. Relicta interim origine Primatus, cuiuſmodi fuerit, & vnde orta, & quo iure nixa. Propoſitum vrgemus. Accedit Trullanæ Synodi Canon 36. in quo hæc diſtinctius continentur. *Renouantes quæ à Sanctis Patribus 150. quæ in hac Vrbe Regia conuenerunt, & è ſexcentis triginta, qui Chalcedone conuenerunt, conſtituta ſunt, decernimus, vt Thronus Conſtantinopolitanus æqualia priuilegia cum antiquæ Romæ Throno obtineat, & in Eccleſiaſticis negotijs, vt illa emineat, ſecundus poſt illam exiſtens. Poſt quam Alexandrinorum Metropolis numeratur Thronus. Deinde Antiochiæ, & poſt eum Hieroſolymitanæ Ciuitatis.* In hoc ſunt omnia. Primatus loci proprius Romanæ Eccleſiæ, qui manet intactus. Primatus Priuilegiorum, in quo æqualis vult eſſe Conſtantinopolitana, qui erat alterius præſtantiæ Primatus, & quod inde ſequebatur prælatio inter alias Eccleſias, quæ non erat ſola illarum excluſio à loco, ſed aliquid quo obtento illæ cederent Conſtantinopolitanæ. Et quidē niſi quoddam maius accederet Eccleſię Cōſtantinopolitanæ, non poſſet iſta Alexandrinæ loco præferri. Ius igitur aliquod quærebat, vt eam loco ſuo moueret, ſeque interponeret inter Romanam, & Alexandrinam. Hoc autem erat illius æqualitatis in Priuilegijs proprijs Romanæ Eccleſię, in quibus illa omnibus alijs eminebat, quæ ſi vendicaret, ius ad ſecundas in loco habebat. Alioquin iniuria ſecundum illum poſt Romanam locum vſurparet. Equidem qui hoc argumentum ſolui poſſit non video, ac eo puto conuinci omnino Forbeſium, & ſi qui cum eo ſentire velint.

Synod. Trull.

Statuitur hæc prærogatiua dignitatis ex ſynodo Trullana

Eo refutatur hæretici.

Placet hic paulum ſiſtere, & ad Heterodoxos recentioris memorię ſermonem conuertere. Quæ vos, *malum*, intemperiæ coegerunt ad diſcedendum ab Eccleſia Romana? & ab huius Pontifice deficiendum? Cum vel ipſi Græci, qui potiſſimum eius dignitati, & præſtantiæ detrahere conabantur, ei tamen adhæſerint, nec ſint auſi ab ea ſeparari? Participare quidem illius priuilegia volebant, non autem aut eam deſerere, vel ab ea excludi. Aequare illi ſe, & in eodem cum illa gradu dignitatis ſtare optabant, non illam deijcere ne ſtaret, aut euertere ne eſſet. Immò & ambiendo æqualitatem, illius præſtantiam fatebantur, & propiùs ad illam accedere contende-

Paræneſis ad Heterodoxos.

bant,

bant, & ipſamet, quam æquando ſe Romanæ Sedi iniuriam inferebant, illius ius confirmabant: vt nec honorem vſurpatione minuerent, nec de opinione Primatus quicquam detraherent. Aſcendere eò, vbi Romanus eminebat Pontifex dum optabant, inferiores ſe illo fatebantur. Ac non modò eum loco mouere non optabant; ſed cum eòdem peruenirent, primas ei relinquebant. Vitium quo laborabant decori Romanæ Sedi erat. Nemo ambit, niſi altiora. Dum aſcenſum moliebantur in gradu ſe eſſe ſignificabant, Pontifices Romanos in culmine. Sua nobis ambitione profecerunt. Nouimus ex eorum conatu Romanæ Sedis altitudinem, & ſplendorem. Si quid peccabant ſibi aſſumendo, illud confeſſione alienæ prȩſtantiæ compenſabant. Participatio communionem cum Eccleſia Romana fouebat. Minimè obſtabant incremento dignitatis, detrahendo, ſed in ſe partem illius deriuando. Non erat animus lucem Romanam extinguere, ſed ex ea ſuum lumen accendere. Nec officere luminibus altiùs euehendo ſe ſed efficere lumina appropinquando conabantur. Societatem coire cum Romana Eccleſia, non diſſoluere propoſitum erat. At vos Heterodoxi, homines leuiſſimi, à Romano Pontifice temerè deſceſſiſtis Cathedrȩ antiquȩ Religioni, fidei, iuri turpiter renuntiaſtis, ab amplexu matris Eccleſiæ ſinuque amantiſſimo vos impudenter ſeparaſtis, & arma in eam impiè mouiſtis. Quod nulla Hæreticorum Secta, nulla Schiſmaticorum factio auſa eſt, id vos primi impudenter effeciſtis. Quæ vos impulit cauſa, quæ ratio duxit, quæ occaſio inuidos auexit? Nimia, inquitis, Romani Pontificis arrogantia, qua ſibi ſummam poteſtatem vendicabat, & in Eccleſia dominatum exercebat. Verùm non debuiſtis hoc nomine ſeceſſionem ab eo facere, cùm Schiſmatici minimè fecerint, qui eius potentiæ participes fieri, quàm euerſores eſſe maluerunt. Cuius quȩſo prudentiæ, aut religionis fuit, propter incrementa Eccleſiȩ tollere Eccleſiam? Si nimia ea potentia videbatur, cohibere illam, & circumſcribere ſatis eſſet, & intra terminos ſaltem mediocritatis cum ea conſiſtere. Ecquis arborem cui adhȩret, quòd in frondes, & fructus nimium luxuriet, aut prȩcidit, aut auellit? Ecquis domum in qua habitat, quod ampliſſima fiat, excindit, & euertit? At nimia eſt illa luxuries, nimia iſta amplitudo. Negem. Sed eſto: coercete luxuriem, amplitudini obſtate. Reliquum

Amplificatur ille textus Trullanus.

Venuſta ad hæreticos Apoſtrophe.

liquum retinete. Fatemini verum, & legitimum Romæ eſſe Pontificem, Succeſſorem Petri, Vicarium Chriſti, Primum Patrem, primarium Epiſcopum, digniorem, venerabiliorem, excelſiorem, pręſtantiorem, & duas ei quas proximè diximus pręrogatiuas, quas nullus negauit antiquus ſchiſmaticus concedite. Cęteris, ſi placet, abſtinete. Hic ſaltem ſtate ne loco moueamini; Sedem ne deſerite. Illud, illud quod nemo Romano Pontifici eripuit, intactum integrumque ſeruate. De eo quod illũ vos vſurpaſſe creditis deinceps diſputatote. Conſtat eum Pontificem primum, cum quadam pręſtantia honoris, & dignitatis eſſe; ab eo Romanam, quę primaria eſt teneri Sedem, id omnino neceſſe eſt fateamini. Quantum & quomodo emineat, quàm ſe latè imperando effundat, id ſi ambigitis, ſilete. At, quia de menſura poteſtatis, de altitudine dignitatis, de magnitudine Imperij dubitatis, eique minus quàm occupat conceditis Romanum eum eſſe Epiſcopum negare, & Romanam Sedem euertere, & Romanum nomen tollere, non modo inuidorũ videtur eſſe hominum, ſed arrogantium, & iniquorum. Eo ſaltem vos nomine in Eccleſia manete, ne quem propter eius impotentiam deſeritis, vos ſimiles inſolentia deſerẽdi efficiatis. Itaq; ad eum vos ſaltem gradũ reuocate, quem veteris hęretici, & Schiſmatici tenuerunt, & in quo ſummo iure conſtiterunt. Agnoſcite Papam eſſe Romanę Eccleſię verum, & iuſtum Epiſcopum, eumque cęteris Catholicis Epiſcopis, & loco pręeſſe, & dignitate pręſtare. Hinc gradum ad illa, quæ negatis, altiora facite. Ac ne vos pudeat (quanquam hic pudor iuſtiſſimus eſſet) mutatæ ſententiæ, Duces, & Doctores habetis Principes veſtros cum meliùs ſentiebant.

Exhortatio ad recognoſcẽdã Papæ dignitatẽ.

Vicleff. epiſt. ad Vrban. VI.

Ex quibus Vvicleff. *Gaudeo planè detegere cuicumque fidem meam, & ſpecialiter Romano Pontifici, quia ſuppono quod ſi ſit Orthodoxa, ipſe Fidem meam confirmabit, ſi erronea emendabit. Romanus Pontifex Summus Chriſti Vicarius in terris eſt.*

Vvicleffi Sana ſententia.

Luther. in reſol. prior. diſp.

Lutherus ad Leonem X. *Beatiſſime Pater proſtratum me pedibus Beatitudinis tuæ offero cum omnibus, quæ ſum, & habeo: vocem tuam vocem Chriſti in te præſidentis, & loquentis agnoſcam.*

Lutheri adhuc coraati mens.

In poſterior.

Et rurſum. *Quod mouet me Romanum Pontificem eſſe alijs omnibus ſuperiorem, eſt ipſa voluntas Dei, quam in ipſo factam videmus. Nec enim ſine voluntate Dei in hanc monarchiam venire vmquam potuiſſet Romanus Pontifex.*

Bucerus. *Ingenuè confitemur apud veteris Eccleſiæ Patres Romanam*

manam

Buceri nondum perditi vox.

manam Eccleſiam præ cæteris Primatum obtinuiſſe , vt quæ Cathedram Diui Petri habeat , cuiuſque Epiſcopi Succeſſores Petri ferè ſemper habiti ſunt .

Bucerus in Præp. ad Concil.

Ioannes Pezibrani iuſtũ votũ, ſed ſluxum.

Ioan.Pezibr. in Profeſs. Fidei.

Ioannes Pezibranus Huſſita . *Profiteor fideli corde,& ore,quia omni voluntate, & deſiderio ſum in ſpe eſſe cupio in re, ex integro inuiolabiliter , & inſeparabiliter membrum Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ Catholicæ,Vniuerſalis , & Romanæ per totum orbem diffuſæ in Apoſtolicis Sedibus à B. Petro Apoſtolorum Principe fundatæ, & vſque modo continuatæ , & ſuper firmam Petram , tam firmiter roboratæ , quod Portæ non poſſunt aduerſus eam, quomodolibet præualere .* Non dum hi erant mente emoti , vel ſi erant, certè his interuallis ad mentem redierant , & ſui facti compotes loquebantur .

Has voces,adhuc ouium, audite ; quas poſtea Luporum ediderunt, contemnite. Paſtor vos Chriſti ore vocat in ouile : ad caulas vos reducite , vnde ad cæli Paſcua exeatis. Quod ſi reſiſtitis ad cætera vos audienda comparate .

VINDI-

VINDICIA TERTIA DE VNIVERSALITATE PRIMATVS.

CAPVT I.

Vtrum Papa, ſiue Romanæ Sedis Epiſcopus ſit totius Eccleſiæ Catholicæ, Caput, Paſtor, & Rector?

HOC eſt tertium illud genus præſtantiæ, quòd Hæretici noſtri temporis ferre non poſſunt: quodque obtentui ſumunt ad ſuam Rebellionem, & diſceſſionem ab Romana Eccleſia excuſandam. Itaque illud diligenter, & accuratè probandum: vt eo ſtatuto appareat fucum fieri ab Hæreticis, nec vlla vti excuſatione erroris poſſe. Et quoniam multùm eſt prolixa, & operoſa huiuſce loci tractatio, eaque ab innumeris penè authoribus noſtris aduerſus Heterodoxos ſuſcepta, & confirmata, quæ apud eos videri poſſunt, prætermittam, & quæ mea ſunt, aut eſſe puto propria producam. Eruntque huiuſmodi quibus aduerſarijs reſiſtere nequeant, ſi eſſe velint eruditi, & cordati, & ſuis conſentientes principijs. Itaque non ego de perfectione Monarchiæ, non de poteſtate conuocandi, & approbandi Concilia, non de loci, & authoritatis in ijs præſtantia, non de infallibili iudicio, non de facultate iubendi leges, & iure appellandi, quæ mihi omnia cum alijs noſtris authoribus ſunt communia, & quorum nonnulla, licet firma, & valida ſunt, ab aduerſarijs tamen, aut negantur, aut declinantur, & oſtentatione peritiæ, vel eluduntur, vel obſcurãtur, diſſero. Affero quæ mea propria ſunt, &

Aditus ad quæſtionem, & ſtatus quæſtionis.

Scopus authoris.

apud me formata, quæ ſi viri docti ſunt, minimè inficiari audeant.

Primum argumētum pro Primatu uniuerſali Papæ.

Primum ſit, Ille Primatus quem habebant Patriarchæ, tum Alexandrinus, tum Antiochenus ſuper Epiſcopos ſuarum Prouinciarum, quos ſuffraganeos dicunt, non erat ſolius loci, & dignitatis præſtantioris, ſed etiam præſtantiæ iuriſdictionis in eos, & poteſtatis; itaut eos, & dirigere, & gubernare, & corripere, & in officio continere poſſent, atque adeo erat dominij, & influentiæ. Sed Papa Epiſcopus Romanus habebat ſuper Patriarcham Alexandrinum, & Antiochenum excellentiam, & præſtantiam, ergo non erat ſolius dignitatis ſed imperij, & poteſtatis ad regendum, & puniendum cum Imperio, & influentia. Propoſitio conſtat, ex dictis ſuperius iuxta Canones Græcorum. Aſſumptio patet ex ijſdem. Nam idcirco Conſtantinopolitanus Epiſcopus volebat eſſe Par Romano, vt hac ratione alios duos ſibi ſubditos efficeret. Conſequentia tenet, & inuictum redditur argumentum.

A Patriarcharum ſuper Epiſcopos poteſtate.

Quod ſi obijciant Canonem illum 6. Niceni Concilij de parili more Patriarchæ Alexandrini, & Antiocheni Patriarchæ eum Epiſcopo Romano, ex quo deducitur trium æqualitas; reſpondetur ibi tantùm agi de more, quem Romanus Pontifex ſeruabat in regendis Epiſcopis Occidentis, quorum erat propriè Patriarcha, vt ad illius exemplum duo Greci alios in Oriente regerent. Itaque attenditur poteſtas in ſubditos Patriarcharum, non autem Primatis Romanę Sedis in Patriarchas; nec aliud ex hoc capite colligitur. Immò eo indicatur pręſtantia Papæ ſuper illos duos Orientis Patriarchas, quod non ab illis Romanus, ſed ab hoc illi exemplum, & formam regendi ſumunt. A quo enim ducitur exemplum ille ſuperior, & illuſtrior eſt. Quę ſolutio videtur idonea, nec opus erit ad initium huius Canonis, vti habetur in Concilio Chalcedonenſi recurrere, vbi recitatur hic Canon cum illo initio. *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Nec item negare hanc textus formulam, quod in alijs exemplaribus, non Romanus, ſed Metropolitanus inuenitur. Qua de re in materia Conciliorum latiùs aptiuſque dicemus. Hic ſolum adijcimus ad Romanos Pontifices ſpectaſſe curam illarum duarum Eccleſiarum Patriarchalium, quemadmodum conſtat ex Epiſtolis Simplicij, & Felicis, quę habentur in Binio tomo 3. Conciliorum, ac ex eorum depoſitione propter hęreſes depen-

Concil. Nicen.

Obijcitur Canon 6. Concilij Niceni.

Accipitur & reijcitur in aduerſarios.

Concil. Chalc.

Lectio idonea Chalcedonēſis Concilij.

Simplic. & Felix Papæ. Binius.

prehenſas, vti in eorum vita narratur, & Annales Eccleſiaſtici teſtantur, & ex Concilio I. & II. Romano ſub Felice III. celebratis apparet. In quibus etiam Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus damnatur. *Concil. Roman. I & II.*

Corroboro traditam ſolutionem hac ratione. Niſi Epiſcopus Romanus tantò prȩſtaret cȩteris illis duobus Patriarchis, quantò ij prȩſtant alijs Epiſcopis, non tam ſatagaret Epiſcopus Conſtantinopolitanus ȩquari Romano. Nam ſi pares eſſent iuxta doctrinam huiuſce Canonis Niceni, fruſtrà eſſet illa ſolicitudo. Igitur ſtante illo Canone ſtabat illa ſumma Papȩ Romani ſupra eos Patriarchas dignitas, & prȩſtantia. Quare nihil detrahit ille Canon de Romani Pontificis excellentia, ac ita intellexere Grȩci Patriarchȩ Conſtantinopolitani. *Confirmatio.*

Secundum ac rotundum, & irrefragabile argumentum eſto. Illa præſtantia Papȩ Romani inter alios Epiſcopos, & Patriarchas totius Eccleſię, fuit dominij vniuerſalis, & influentiæ, & iuriſdictionis in totum Eccleſię corpus, ac ipſoſmet Epiſcopos: ſed hæc eſt prȩſtantia capitis, & Paſtoris totius Populi, & gregis Chriſtiani: Ergo Papa Romanus eſt caput, & Paſtor, & Princeps totius Vniuerſalis Eccleſię. Propoſitio patet ex illo facto, quod accipiunt Hȩretici, & nobis obijciunt Conſtantinopolitani Patriarchȩ, quod nos aſſumimus, & retorquemus hac ratione. Primatus Romani Pontificis, quem Grȩci illi participare contendebant, & quem tãdem obtinuiſſe ſibi perſuaſerunt, non erat alius, niſi vniuerſale illud dominium, & iuriſdictio, & poteſtas in totam Eccleſiam, igitur vel ex ſententia Schiſmaticorum, & Hȩreticorum illa eſt prȩſtantia Papȩ Romani. Aſſumptio eſt manifeſta. Nam ex quo Conſtantinopolitani Patriarchȩ authore Iuſtiniano criſtas ſuſtulerunt, & iuxta Canones illos Concilij Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſis, quos Grȩci condiderunt, & intruſerunt, Romani Pontificis priuilegia, quȩ ambiebant vſurparunt, vniuerſalis Epiſcopi nomen ſibi arrogarunt, eoque facto monſtrarunt, quid illa priuilegia continerent, ideſt rationem Vniuerſalis Dominij, & iuriſdictionis in Eccleſiam. Quo nihil eſſe euidentiùs poteſt. Nam cur non antea, nec ij, nec alij Grȩci eiuſmodi nomen vendicarunt? Niſi quod videbant id ſibi minimè conuenire, quandiu Romanȩ Sedi impares erant? Cur autem obtenta, vel vſurpata ȩqualitate, illum ſibi titulum arrogarunt? Niſi quòd intellexerunt ea obtenta *Secundũ inuictum prorſus argumẽtum.* *Ab ambitione Patriarchæ Conſtantinopolitani.*

tenta vniuerſalitatem illam Dominij, & poteſtatis obtinere? Igitur ipſimet hoſtes, ac æmuli Romani Papę illum vniuerſalis Eccleſię caput, & Principem eſſe intellexerunt. Pudeat Hęreticos illo nos argumento petere, quo ij maximè premuntur. Ac argumentando contra nos videant, quàm ſit verum Papę prętantiam cum illa eſſe Dominij vniuerſalitate coniunctam: vt verè dicere poſſimus. *Salutem ex inimicis noſtris.* Ij dicunt: Papæ Romani Vniuerſales ſe eſſe Epiſcopos dici noluerunt, & in Patriarchis Græcis eum titulum damnarunt. Nos dicimus: ipſimet Gręci Patriarchę arrogando ſibi eum titulum fatebantur in Papa Romano eam eſſe dignitatem. Obijciunt nobis confeſſionem noſtrorum Pontificum: nos ijs obijcimus confeſſionem ſuorum Schiſmaticorum. Immò maius quiddam, & excellentius ineſſe in Romano Papa illi Græci exiſtimabant, nimirum vniuerſalitatem tantam, quantam capere poſſet cogitatio. Non enim ſolùm ſe Patriarchas Eccleſiæ vniuerſalis, ſed ſe vniuerſales Eccleſiæ Epiſcopos appellarunt: eo nomine perſonis attributo, non Eccleſiæ. Atque adeò multò amplius Romano Papæ, quàm hic aut haberet, aut habere vellet, tribuebant. Vnde apparet, quàm celſo in faſtigio Romanum Pontificem collocarent, vt altiùs, quàm par erat eueherent, & quo ſe euehi non poſſe, ipſimet, quibus ſe, æquare conabantur, verè exiſtimabant. Huic argumento neſcio quì Heterodoxi reſpondeant, niſi erraſſe Conſtantinopolitanos Patriarchas. Nos ijs reponimus, illos non erraſſe credendo, in Papa Romano ineſſe vniuerſalem quandam in Eccleſiam poteſtatem; ſed tum in eo quòd eam, quæ propria erat Romani, ſibi vſurparunt, tum quòd eam nimis extulerunt, erraſſe. Ac tandem obijcimus non poſſe eos iniuriam Papæ Romano facere, niſi ſuis ſodalibus, & Magiſtris notam erroris inurant. Nos tamen illorum errorem, opinioni Hæreticorum haud dubiè anteponimus.

Expenditur, & premitur argumentum.

Suo gladio heretici iugulantur.

Ac vt omne occludamus Heterodoxis effugium, quippe qui negaturi fortaſſe ſint Conſtantinopolitanos Epiſcopos à Romano Pontifice interuentu illius æqualitatis obtentæ illum Oecumenici, & vniuerſalis titulum, & gradũ mutuatos eſſe ad ſeque tranſtuliſſe, obſeruamus Phocam Mauritij ſucceſſorem, & occiſorem paulo poſt vſurpationem, eum titulum, & gradum Conſtantinopolitano ademiſſe, & Romano Epiſcopo reſtituiſſe: quòd liberè fatentur Hæretici, ſed verſutè, vt probent

Obturantur ora hæreticorum.

bent Primatum, quem ſibi, aiunt, vſurpat Papa, Imperatorium munus eſſe. Nos autem qui id modo non agimus, illud tantum aſſerimus: Phocam exiſtimaſſe, quicquid Conſtantinopolitanus Patriarcha iuris, & prærogatiuæ vendicarat, id Papæ Romano ereptum eſſe, atque adeo ei reddendum. Itaque noſtrum argumentum ſolui non poteſt, admiſſis illis, quæ magnoperè inculcant Hæretici ſactis, omni certè apud eos iure fortioribus.

Tertium ſic habet. Vel hæc vniuerſalis iuriſdictio negatur, quia eſt noua, & inſolens in perſona creata, vel quia eſt inepta, & minimè neceſſaria, & nullatenus congruens Eccleſiæ: neutra pars dilemmatis eſt vera. Igitur illud genus iuriſdictionis datur in aliqua Eccleſiaſtica perſona. Nulla eſt autem aptior, & dignior, quàm Papa Epiſcopus Romanus, ergo penes eum eſt: ac proinde Caput, Princeps, & Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ exiſtit. Prior pars dilemmatis ſuadetur, quia Apoſtoli ſinguli habebant illam in totum corpus Eccleſiæ poteſtatem, & ita concedit Forbeſius lib. 16. c. 7. n. 7. *Fatendum eſt*, inquit, *omnes & ſingulos Apoſtolos fuiſſe Paſtores vniuerſæ Eccleſiæ*. Et conſtat ex ijs, quæ ſuperiùs diximus de ſucceſſione Epiſcoporum. Igitur non eſt nouus, nec inſolens iſte modus dominij, & influxus, & poteſtatis. Poſterior pars oſtenditur, quia magnopere decet, & congruit, vt in Eccleſia ſit iſta poteſtas ad tollendas, & decidendas diſſenſiones, & quæſtiones, ac lites, quæ inter tot Epiſcopos, & Prouincias poſſunt exiſtere, ac non niſi per appellationem, & conſultationem, & deliberationem terminantur. Vnde conficitur huiuſmodi poteſtatem eſſe cùm aptam, & conducibilem, tum etiam neceſſariam. At excipient, non opus eſſe, vt ſit in vna perſona, ſed in toto Concilio, & Congregatione perſonarum. Occurrimus, multa ſæpè incidere, quę moram non patiuntur eam, quæ fit in congregando Concilio, nec illud omninò requirunt. Quare ad vnam eſſe perſonam veniendum: quòd ſi ad vnam, non eſt ea, vel aptior, vel dignior Epiſcopo Romano, cum primus ſit, & honore, & loco, ac dignitate.

Tertio probatur apto dilemmate

Forbeſ. — *Cõfigitur Forbeſius*

Neceſſitas huius vniuerſalis poteſtatis in Põtificis.

Obiectio eliditur.

Nec obijci, aut excipi ab aduerſarijs poteſt, Epiſcopos per ſe quemque illam vniuerſalem in totam Eccleſiam poteſtatem vendicare, quòd ſint ſucceſſores Apoſtolorum; id quippè ſuperiùs falſum eſſe demonſtrauimus. Nec, opinor, affirmet

Alia opprimitur.

met

met quiſquam ex Heterodoxis, ne cog atur dicere que mlibet ſuæ partis Epiſcopum in tota illa iuri ſdictionem poſſe iure illo Apoſtolico exercere.

Quartū à doctrina vniuerſę Eccleſię tradat argumentum.

Quartum. Dirigere totam Eccleſiam, id eſt omnes fideles, tum Epiſcopos, tum ſubditos in rebus ad doctrinam, & ritus Eccleſiaſticos, & mores pertinentibus proprium eſt eius, qui habet vniuerſalem poteſtatem: ſed Pontifex Romanus ab initio Eccleſiæ illud munus dirigendi obijt, ergo apud illum fuit vniuerſalis illa poteſtas. In minori tota vis eſt. Ea vero exemplis oſtenditur in ſequentibus capitulis. Ducam vero exempla ab initio Eccleſiæ, vſque ad tempus Gregorij Magni, quo tempore puram, & incorruptam fuiſſe Eccleſiam, ne Hæretici quidem inficiantur: immò ad eam ætatem ſolent, cum à nobis diſſident, prouocare. Itaque quod intra eos terminos compertum fuerit, id omnino ratum eſto: vt ſit in poſterum præiudicium.

CAPVT II.

Romani Pontificis in Doctrina Fidei tradenda, & tuenda ſummam eſſe pro vniuerſa Eccleſia authoritatem exemplis oſtenditur.

SECTIO I.

A Pio I. vſque ad Cæleſtinum exempla numerantur.

Pius I. ſtatuit tempus, & ritum Paſchatis celebrandis.

QVæ prima in Eccleſia mota reperitur quæſtio, ea de celebrandi Paſchatis tempore fuit. Traditionem de eo Apoſtolicam violarunt Iudæi, & ijs addicti. Eam ſuſtulit Pius I. Anno Domini fermè 163. ſuo Decreto in Epiſtola 1. Decretali contento, quod huiuſmodi eſt: *Noſſe vos volumus, quod Paſcha Dominicum annuis ſolemnitatibus ſit celebrandum.* Et paulo poſt. *Licet nos idem Paſcha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus Domini in habitu Paſtorali apparuit, & præcepit ei vt Paſcha Dominico ab omnibus celebraretur. Vnde & vos Apoſtolica authoritate inſtruimus omnes eadem ſeruare debere, quia & nos eadem ſeruamus, nec debetis à capite quoquo modo diſſidere.* Inuictus ſanè locus, tum quia Sedes Romana illam doctrinam Pius I.

te-

teneba t, tum quia ea fuit ab Angelo confirmata : tum quia à Romano Pontifice tradita : tum quia ratio tradendi authoritas capitis fuiſſe proditur, cui nefas eſſet à fidelibus refragari.

Victor. I. Hanc doctrinam paulo poſt Victor. I. ratam eſſe iuſſit apud Orientales populos, qui magna ex parte Paſcha Iudaico ritu agebant, quod fieri vetat ſeuerè præcipiens, vt die Dominica celebretur. Sic enim Epiſtola 1. *Celebritatem Sancti Paſchæ die Dominica agi debere, & prædeceſſores noſtri iam ſtatuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari ſolemniter mandamus, quia non decet, vt membra à capite diſcrepent, nec contraria gerant.* Et res præcipitur, & præcipiendi aſſertur ratio, ab authoritate petita. *Victor. I. idem decernit.*

Quin & ad Concilium Romanum ſuper ea cauſa coactum vocari iuſſit Victor Theophilum Cæſarienſem Epiſcopum : & indicendi in Palæſtina Concilij author eidem fuit, ac vt in eo eadem de celebrando Paſchate conſtitutio fieret curauit, magno authoritatis argumento. Audiamus idoneum ſcripturarum Bedam de Aequinoctio vernali, cui Angli, & Scoti credant. *Papa Victor Romanæ Vrbis Epiſcopus direxit authoritatem ad Theophilum Cæſarienſis Palæſtinæ Antiſtitem, vt quomodo Paſcha recto iure à cunctis Catholicis celebraretur Eccleſijs, inibi fieret ordinatio, vbi Dominus, & Saluator mundi fuerat in carne verſatus. Percepta igitur authoritate prædictus Epiſcopus, non ſolum de ſua Prouincia, ſed etiam de diuerſis regionibus omnes Epiſcopos euocauit. Vbi cum illa multitudo Sacerdotum conuenit, tum Theophilus Epiſcopus protulit authoritatem ad ſe miſſam Victori Papæ, & quid ſibi operis fuiſſet iniunctum oſtendit.* Certè niſi ſuperior eſſet Victor Theophilo, non ei author eſſet, & doctrinæ, & Concilij indicendi : nec Epiſcopos poſſet alienarum Prouinciarum conuocare Theophilus, niſi nomine Romam Pontificis, qui in eo Superior omnium declaratur. Quæ duo negari nequeunt. Adhibeo quippè certa quibus reſiſtere Heterodoxi non audeant. Quare præterire malo argumentum ſumptum ex Epiſtola Fabiani Epiſtola 2. de Chriſmatis confectione per ſingulos annos renouanda, quod eam Heterodoxi non recipiant : etſi ſine cauſa faciant, cum ea ſit germana, & noſtris probata. Sed mihi cum alienis res eſt : ijſque ſeruio.

Theophilus Cæſarienſis vocatur Romam ad Concilium. Beda. *Idonea Bedę authoritas.* Fabian. *Fabiani de Chriſmate Ep.*

Duo nihilominus ſuppeditat, vice huius, argumenta idem Fabianus. Alterum excepiſſe profeſſionem fidei factam ab Orige-

Origenes mittit profeſſionẽ Fidei ad Fabianum.

Euſeb.

Origene ſe de ſuſpicione hæreſis purgante, vt tradit Euſebius lib. 6. Hiſtor. cap. 20. & 28. Alterum coegiſſe Philippum I. Chriſtianum Imperatorem exomologeſi coram ſe in Eccleſia palam recitata Fidei ſuæ rationem reddere, quemadmodum narrat Euſebius lib. 6. cap. 27. In eo ſumma totius authoritatis eſt, quòd magnum illud, ac primum Nicenum Concilium confirmationem à Syluestro per litteras poſtulauit. Quarum exemplum ex vetuſto Codice Colonienſi Surius exſcriptum vulgauit, & exhibetur ab Alphonſo Piſano lib. 4. Concilij Niceni cum reſcripto ad idem Concilium. Cuius hic Epiſtolæ particulam volo inſerere. *Itaque cenſeat veſtra Apoſtolica doctrina Epiſcopos totius veſtræ Apoſtolicæ Vrbis in vnum conuenire veſtrumque habere Concilium, ſicut docet myſtica veritas, vt firmetur noſtra ſanctimonia, graduſque fixos, vel textus ordinationis tuæ ſanctimonia noſtra poſſit habere regula, quoniam decet numerum dictorum tuorum coepiſcoporum à te diſcere gradus, vel ordines conſtituere vrbis. Quicquid autem conſtituimus in Concilio Niceno precamur veſtri oris conſortio confirmetur.* Cui ſanè congruit reſponſio reſcripti ibidem ſubiuncti: Syluestri. Scio Heterodoxos omnes Angliæ refragari, quòd dicant has litteras fuiſſe ſubiectas. Verum obſtat Concilium Romanum, quòd in eam rem Syluester hortatu Concilij celebrauit, eſtque tertium. In quo ſtatuta Nicena confirmata: & quædam aucta, ijs omnino conſentanea. Affero quæ congruat Concilij particulam Syluester Epiſcopus dixit. *Quicquid in Nicea Bithyniæ conſtitutum eſt ad robur Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ à Sanctis Sacerdotibus trecentis, decem & octo noſtro ore conformiter confirmamus. Omnes qui auſi fuerint diſſoluere definitionem ſancti, & magni Concilij, quod apud Niceam congregatum eſt ſub præſentia piiſſimi, & venerandi Principis Conſtantini Auguſti anathematizamus. Et dixerunt omnes. Placet.* Diſplicet hoc valdè Heterodoxis. Sed ideo nos afferimus vt ſaltem doleant, & dolendo, aut proficiant, aut pœnas ſuæ impietatis luant. Dubitant de fide Epiſtolæ, & Concilij. Lupum auribus tenent. Et potius credent Lupę nutrici Romuli, & Romæ, quàm Columbæ, quæ adeſt Sedi Romanæ: quam illi fabulam putant, & in Lupa veri effigiem adorant.

Euſeb.

Syluest.

Concilium Nicenum à Syluestro confirmatum.

Littera Patrum Concil. Nicen.

Oſtenditur.

Concil. Roman.

Vellicantur Hæretici.

Fides, & innocentia Athanaſij à Iulio I. aſſeritur

Iul. I.

Aliud exemplum eſto: illud Iulij I. qui declarauit innocentiam, & fidem Athanaſij, eamque aſſeruit, & toti Eccleſiæ propalauit, quod perinde erat, ac ipſam fidem Catho-

licam

licam de æqualitate Filij cum Patre exponere: cum in illo eximio viro, tunc illa cauſa fidei, quodammodo niteretur, adeo vt qui Athanaſium damnaret, damnare Nicenam fidem

Athan. videretur. Cum ergo Iulius I. cauſam Athanaſij probabat de fide quoque Nicena rectè ſentiebat, & quid tenendum eſſet in Eccleſia ſtatuebat. Extat vero illa defenſio Athanaſij in Epiſtola Iulij ad Orientales, quæ inter alias eiuſdem eſt quarta: & habetur lib. 2. Apolog. Athanaſij, ac incipit. *Legi Epiſtolam veſtram*.

Damaſ. Tertium ſit Damaſi, & quidem ſatis idoneum. Hic igitur inſtante Concilio Conſtantinopolitano Primo miſit profeſſionem fidei ſcriptam Romæ ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum in qua hæreſes Apollinaris, Arij, Sabellij,& Macedonij proſcribebat, & contrarios ijs articulos offerebat. Quę profeſſio cum ſuis Anathematiſmis lecta fuit in Concilio Cõſtantinopolitano, vt conſtat ex Canone 6. in quo illa *volumen Occidentalium* dicitur, & approbata, ac ſecundum illam de Doctrina, de Diuinitate,& Aequalitate trium Perſonarum fides declarata. Vnde illa profeſſio tamquã pars Concilij habita fuit, ratione cuius, opinor, illud Oecumenicum propriè appellatum, cum ex Orientalibus tantum Epiſcopis eſſet collectum. Fuit enim vice Damaſi, & Eccleſiæ Occidentalis illa libello, ſeu volumine ſcripta ſententia. Quamuis enim Bellarminus ſentiat, ideò dictum Oecumenicum, quòd Romæ aliud eòdem fermè tempore habitum ſit Concilium, in quo eadem Doctrina ſtatuta, quod cum illo Conſtantinopolitano, quodammodo coaluit, minus ea tamen ratio probabilis eſt, nam illud Concilium Romanum fuit IV. abſoluto iam Conſtantinopolitano collectum, & cauſa potiùs Paulini,& Flauiani ad Schiſma Antiochenæ Eccleſię componendum, quàm ad eandem doctrinam fidei confirmandam congregatum. Itaque non potuit, nec debuit cum alio iam diſſoluto coaleſcere: quòd certè Oecumenicum iam fuerat: & quidem per ſe ſpectatum tale ſemper habitum in Eccleſia non expectato vllo alio Concilio. Quare me authore Conſtantinopolitanum Concilium cum eſſet legitimè conſenſu Damaſi, & Theodoſij ſenioris indictum, & illa profeſſione inſtructum, vniuerſale dici potuit, ac debuit. Et quidem nuſquam illud dicitur, niſi à centum, & quinquaginta Patribus celebratum, quot certè, nec amplius interfuerunt. Omnes Orientales. Si autem

Damaſi ad Paulinũ miſſa Fidei profeſſio inſtructio Patrum fuit.

Bellar. *Ea tamquã pars Concilij habita fuit.*

Cõc. R. IV.

Cur illud Concilium Conſtantinopolitanum Oecumenicum ſit?

tem vt fieret vniuerſale expectanda erat Romana illa Synodus, cum in ea Occidentales magno numero Epiſcopi interfuiſſent, conflanduſque eſſet numerus ex cunctis, multo plurium Patrum Concilium illud Conſtantinopolitanum diceretur. Atque hic obiter animaduerto Theodoretum ſcribere lib. 5. ſuæ hiſtor. cap. 15. Libellum illum ſiue profeſſionem Damaſi ad Paulinum in IV. Romano Concilio confectum eſſe, quòd ſanè verum eſſe non poteſt, cum ille libellus ad Paulinum tunc in Oriente poſitum ac omnino abſentem, & ante Concilium Conſtantinopolitanum ſcriptus, & miſſus fuerit: atque adeo in ſecundo vel tertio Concilio Romano editus: quæ eo abſente congregata ſunt: nec enim in quarto componi potuit, cum in eo præſens Paulinus fuerit, quemadmodum ex antiquis Codicibus conſtat: nam Acta Concilij perierunt. Omitto aliam Theodoreti incogitantiam, quippe quòd hunc Paulinum Epiſcopum Theſſalonicenſem nominet, cum eſſet Antiochenus, vti eruditè oſtendit Baronius, ac ex eo Binius in notis ad eum libellum in vita Damaſi tomo 1. Concil. pag. 508. vbi & cauſas eius, quem vult eſſe errorem, Theodoreti affert. Ego incogitantiam malui appellare.

Quando fuerit ſcripta illa fidei profeſſio. — Theod.

Theodoreti incogitantia. — Baron. Binius.

Quartum ſuppeditat Anaſtaſius à quo miſſæ ſunt litteræ ad Epiſcopos Africanos ad Donatiſtarum errores, & dolos euitandos, quæ in Concilio III. Carthaginenſi recitatæ ſunt Aurelio præſide ſic ſequente. *Recitatis*, inquit, *Epiſtolis Beatiſſimi Fratris, & conſacerdotis noſtri Anaſtaſij Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi, quibus nos Paternæ, & fraternæ charitatis ſolicitudine, ac ſynceritate adhortatus eſt, vt de Hæreticorum, & Schiſmaticorum inſidijs, & improbitatibus quibus Africanam Eccleſiam Catholicam grauiter vexant, nullo modo diſſimulemus. Paterna Charitas in Fratre Anaſtaſio*: quid hoc niſi maiorem, quàm quę in alijs Epiſcopis erat curam, & ſolicitudinem ſignificat? hęc autem non vnius priuati, ſed communis, & vniuerſalis Paſtoris munus indicat, qui Fratrum ſit Pater, & Princeps, non ęqualis tantummodo Antiſtes. Idque ipſum ſequentia verba confirmant num. 35. *Placuit vt litteræ mittantur ad fratres, & coepiſcopos noſtros, & maximè ad Sedem Apoſtolicam in qua præſidet memorabilis Frater, & collega noſter Anaſtaſius, quo nouerit habere Africam magnam neceſſitatem propter Eccleſiæ pacem, & vtilitatem.*

Anaſtaſius per litteras Africanos Epiſcopos inſtruit aduerſus Donatiſtas. — Anaſt. Concil. Carth.

Nam cur quęſo Sedes Apoſtolica, maximè expetitur, niſi

quod

quod ad ipſam, quaſi matrem ea præcipuè cura attinebat? ceu ea Patri Anaſtaſio reſpondeat: vt hic paterna cura Paſtoribus attenderet: illa materno amore greges foueret. *Sedis Apoſtolicæ prærogatiua.*

SECTIO II.

Exemplorum ab Innocentio I. ad Leonem I. ſeries texitur.

EO libentiùs refero Africanæ Eccleſię exempla, quòd ſcio Heterodoxos nobis obijcere huius Schiſmata, (quę fingunt) ab Romana. Audiant precor attentè. Nuſquam plura, & clariora inueniuntur vniuerſalis iſtius facultatis, quæ Romano ineſt Pontifici, & Sedi, quàm in Africa tempore Auguſtini, quem quòd tantus eſt doctor, inſimulare conantur Schiſmatis, vt eo prętextu ſuum excuſent. Hac in re certè, vt Latinè dicam, impudentes. *Africa tempore Auguſtini obnoxia Romano Pontifici.*

Innoc. Patribus Carthaginienſis Concilij inter quos erat Auguſtinus damnata Pelagiana hęreſi viſum eſt Innocentium I. per litteras Synodales ſuæ ſententię certiorem facere, ac illam Apoſtolica authoritate firmare. Ita illi. *Hoc itaque geſtum Domine Frater Sanctæ charitatis tuæ intimandum duximus, vt ſtatuti noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur authoritas.* Rurſum. *Error ipſe & impietas, quæ iam multos aſſertores habet per diuerſa diſperſos etiam Apoſtolicæ Sedis authoritate anathematizanda eſt.* Quorſum Romani Pontificis opem efflagitant, non aliorum vel ex Oriente, vel ex Occidente Patriarcharum? nimirum quòd apud eum erat ſumma poteſtas, & dignitas. Eſſe autem huiuſmodi vniuerſalem illa verba probant. *Iam multos habet per diuerſa diſperſos, etiam Apoſtolicæ Sedi authoritate anathematizanda eſt.* Hę particulę rem continent. Ideò adhiberi oportet authoritatem Sedis Romanę, quia illa hęreſis per totum orbem diſperſa non poterat compeſci, niſi à pari, & ęquè diffuſa per vniuerſum orbem authoritate. Momentum item in eo eſt, quod ait. *Conſideret ſanctitas tua, & Paſtoralibus nobis compatiatur viſceribus.* Ecquis hoc niſi ad Superiorem? Loquuntur autem Patres Africani dictante Epiſtolam Auguſtino. Igitur Innocentium verentur, eoque ſe fatentur eſſe minores.

Concil. Carth. — *Hæreſis Pelagiana defertur ad Innocentium.* — *Patres ſuperiorē Innocentium Papā agnoſcunt.*

Epiſtol. Innoc. Quadrat in rem & Epiſtolam Africanorum Reſponſio Innocentij. *Inquirendo*, inquit, *de his rebus, quas omni cum ſolicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, iuſtoque & Catholico tractari Concilio antiquæ traditionis exempla ſeruantes, & Ec-*

cleſiaſticæ memores diſciplinæ noſtræ religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quàm antea cum pronunciaretis veneratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbatis eſſe iudicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi (cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum) debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas nominis huius emerſit. Si hæc Innocentius primus ſcriberet ſuſpicionem mouere poſſent, at cum in reſponſione dicat, ſenſui Patrum ſcribentium ſe accommodat; qui omnino ab eo cui adhærent Heterodoxi diuerſus eſt. Vter melior? neminem latet. At hæreſim admittit Innocentius. Immò repetit Patrum, quam hæreſim non audebunt dicere Oxonienſes, ſententiam. Sed eſto Hęreſis: Cur hãc non obiecerunt Innocentio? Cur eum non, aut monuerunt ignorantiæ, aut inſimularunt erroris? An id tacitum illi Patres ferrent, qui authore Forbeſio, & ſimilibus non tulerunt Pontificis Romani in admittendis appellationibus inſolentiam? Nihil igitur in eo quod ſibi vendicabat Innocentius delinquebat, nihil præter ius, aut æquitatem, aut conſuetudinem arrogabat. Rectè itaque ſentiebat, ac idem ij iudicabant.

Illuſtre de vniuerſali poteſtate teſtimoniũ Innocentij.

Eliditur obiectio.

Forbeſ.

Addit Innocentius, nonnulla quæ in rem faciunt. *Pro illis curam geritis, quibus præſidetis Eccleſijs*. Curam Epiſcoporum ad proprias ſingulorum reſtringit: nec eam ad alias, quibus non præſidebant, extendit. Tunc *ſolicitudinem veſtram pro omnium vtilitate monſtratis*. Studium, & deſiderium, quod erat animi ad alias diffundit, quòd multum inter curam, & ſolicitudinem intereſt: nam cura officij, & exercitij: ſolicitudo ſtudij, & affectus. In illo ius eſt. In iſto amor, & deſiderium. Ad quem vero ſpectaret illa cura, illa iuriſdictio, illud munus ſequentia verba declarant. *Per cunctas totius orbis Eccleſias, quod omnibus proſit decernendum eſſe vna depoſcitis*. Id quod poſcebant, nempè Decretum Sedis Romanæ ad vniuerſas Eccleſias attinebat. Hic alio modo loquitur Innocentius. Ecce cum ad decernendi vim & ius accedit, quòd vnius erat Pontificis, nullo eſt vſus limite, ad totam Eccleſiæ vniuerſitatem reſpicit, eò enim ſe facultas, & iuriſdictio Pontificia extendebat. Poſtea de condemnatione Pelagij, & Sectatorum deliberat ſumma authoritate, quod argumentum ad aliam materiam, id eſt punitionis pertinet, & ſeorſim ponendum.

Innoc.

Subtile, ſed aptũ argumentum.

Manifeſtiùs adhuc loquuntur Patres Africani in Concilio Mileuitano ſecundo ſuper eadem cauſa Pelagij cougregato, ſic

Concil. Mileu.

enim

enim incipiunt in Epiſtola quæ eſt 31. inter Pontificias, & 92. inter Auguſtini. *Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolica collocauit, talemque noſtris temporibus præſtitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem quæ pro Eccleſia ſunt ſuggerenda tacuerimus, quàm ea tu poſſis vel faſtidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti Paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris*. Inſignis profectò locus: nam verba ipſa ſonant excellentem illam Romani Pontificis præſtantiam, qua in culmine dignitatis poſitus eminet: hanc illud *munus præcipuum*, hanc illud nomen *Sedis Apoſtolicæ*; quæ ſoli Romanæ ab his Patribus tribuitur deſignat, vtpotè quæ ſola vniuerſalem, & Apoſtolicæ ſimilem habeat poteſtatem ſignificat. Iam verò quod addunt, culpæ ſibi vertendum eſſe, ſi rem illam Sedi Apoſtolicæ non communicent, ſatis declarat, & officij ſui eſſe ad eam referre cauſas, & hanc pro ſuo iure cognitionem earum exigere. Idque vltima verba confirmant *de Paſtorali diligentia exhibenda*. Quæ reſpicit illam Domini ſententiam. *Paſce oues meas*, & rem continet Paſturæ vniuerſalis.

Patres Africāibꝰ c vniuerſalē poteſtatem teſtantur.

Ponderātur illorū verba.

Epiſt. ad Innoc.

Accedit illa particula Epiſtolæ. *Hæc inſinuantes Apoſtolico pectori tuo non habemus opus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, cum procul dubio te iſta permoueant, vt ab eis corrigendis ne latiùs ſerpant multoſque contaminent, vel potiùs interimant, dum ſub nomine Chriſti à gratia Chriſti penitus alienant, omnino diſſimulare non poſſis*. Certè niſi ſuperiorem in Innocentio, & authoritatem, & poteſtatem agnoſcerent, non tantoperè optarent, non tam enixè rogarent, vt illas hæreſes graſſantes comprimeret. Tandem Epiſtolaris illa clauſula ab ijs verbis. *Sed arbitramur* ad illa poſtrema *Domine Beatiſſime, &c.* Iuſtum eiuſdem poteſtatis argumentum. Cur enim quæſo *authoritati*, aiunt, *ſanctitatis tuæ arbitramur faciliùs eos ceſſuros*, niſi quod longè maius ineſſe videbant pōdus in ſententia Romani Pontificis, quàm in ſua, quamuis integri eſſet Concilij? Certè huc pertinet, quod ſubiungunt. *Cernit venerabilitas tua inſtanter, & celeriter prouidendum*. Quaſi ſi minus attenderet, & curaret Pontifex illud malum minimè auerteretur.

Alia expendūtur

Clauſula Epiſtolæ rem cōtinet prærogatiuę Pōtificiæ.

Nec minor vis eſt, in ea ſententia. *Hęc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus imitantes Carthaginienſem Eccleſiam, & Carthaginienſis Prouinciæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam (quam beatus illuſtras) de hac cauſa ſcripſiſſe*

compe-

comperimus. Quæ cauſa erat ſcribendi ad vnum Pontificem Romanum à totius Africæ Epiſcopis, niſi quod illum omnes ſuperiorem exiſtimabant? Diſcant Heterodoxi reuereri eum, & pudeat ab illo capite auelli quo cum Africani Patres cohærere cupiebant: Horum autem vnus, immò ſcriptor Epiſtolæ fuit Auguſtinus. Quàm procul is à Schiſmate erat, quòd ei Heterodoxi affingunt?

Pungunturt Heterodoxi.

Intellexit ſenſum Epiſtolæ Innocentius cum ita reſpondet Epiſt. 25. quam exhibet 1. tomus Concilior. pag. 584. *Diligenter ergo & congruè Apoſtolici conſulitis honoris arcana: honoris, inquam, illius quem præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum ſuper anxijs rebus quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulam ſecuti, quam toto ſemper orbe mecum noſtis eſſe ſeruatam*. Perſpicuè dicit ſolere conſuli Romanam Sedem de quæſtionibus, & controuerſijs Fidei, quemadmodum eam tum Mileuitani Patres conſuluerunt. Pergit idem exponere. *Neque hoc veſtram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmaſtis ſcientes, quod per omnes Prouincias de Apoſtolico Fonte petentibus reſponſa ſemper emanent. Præſertim quoties Fidei ratio ventilatur arbitror omnes fratres, & coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis, & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit Eccleſijs omnibus in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores cum inuentores malorum ad duplicis relationem Synodi ſententiæ noſtræ ſtatutis viderint ab Eccleſiaſtica communione ſeiunctos*. Eſt quidem hoc Iure meridiana clarius teſtimonium. Sed nullus Oxonienſis Doctor, aut Cantabrigienſis vidit. Id ego certè non credo. Vidit, ſed ſuppreſſit, ne crederet. Præterea Aberdonienſis Forbeſius ſolet id efficere, cum ſcribit de Romano Pontifice, quærit quæ obijciat, non quibus conuincatur. Verum arrogat hæc ſibi Innocentius: negem. Nam ſi arrogaret, non paterentur Patres Africani ſua dicta peruerti. Liberi erant, & amantes veritatis, laruam ſibi imponi non ferrent qui in cauſa Apiarij liberius ſunt locuti, & quid ſibi diſpliceret in modo, & ratione appellandi ingenuè ſignificarunt: quemadmodum ſuo loco dicemus. Tacuerunt, & tacitè confirmarunt. Immò & perſpicuè faſſi ſunt illi quinque Epiſcopi magna pars illius Eccleſiæ Africanæ, Aurelius, Alipius, Auguſtinus, Euodius, & Poſſidius in Epiſtola ad eundem Innocentium, quæ eſt 95. Auguſtini, vbi miſſis, & litteris

Innoc.

Præclarè de illa ſententia ſit ad mentem Africanorum Patrum Innocentius.

Idem.

Quæſtiones de fide ad Romanum Pontificem referuntur.

Forbeſ.

Patres Africani hæreticos ſuis verbis refellunt.

Auguſt.

ſuis

ſuis,& libro Pelagij petunt ab eo, vt hæreſim authoris,authoremque proſcribat: ac ita concludunt. *Dabit ſanè nobis veniam ſuauitas mitiſſima cordis tui, quod prolixiorem epiſtolam fortaſſis quàm velles miſimus tuæ Sanctitati. Non enim riuulum noſtrum tuo largo fonti augendo refundimus, ſed in hac non parua tentatione temporis, vnde nos liberet cui dicimus: Ne nos inferas in tentationem, vtrum etiam noſter licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet Capite fluentorum, hoc à te probari volumus, & tuis reſcriptis de communi participatione vnius gratiæ conſolari.* Apoſtolicum fontem dixerat Innocentius: eodem vtuntur fontis vocabulo Africani, cuius ſe riuulum exiguum nominant. An non hoc eſt Innocentio aſſentiri, eique ac Romanæ Sedi prærogatiuam deferre? & capitis in eò rationem non ſicci, & ieiuni, ſed fluentis, & abundantis agnoſcere? Si qui hos fontes turbare audent liquidos, & nitidos, ad haram opinor eos pertinere.

Patres Africani

Patrũ Africanorũ teſtimoniũ de Primatu Papæ.

Zozim.

Zozimi vna certè idonea eſt,& quæ ad cauſam facit huiuſce in doctrina Primatus breuiſſima periodo concluſa ſententia: Epiſtola 4. ad Africanos agens de Pelagij, & Celeſtij excuſatione, quàm ijs adhuc eorum in occultanda ſua, & diſſimulanda hæreſi ignarus admiſerat, queritur de Lazaro, & Herote, quod libellos accuſatorios aduerſus eos Romam non detulerant, quò attinebant cùm de doctrina ageretur. *Graue*, inquit, *fuit Lazaro, & Heroti litterarum ſuarum pediſſequos eſſe? An neſciebant dilectionem veſtram ad Sedem Apoſtolicam relaturam?* Tam id exploratum erat, vt vel ipſi Patres Africani commiſſuri non eſſent, quin Sedem ea de re Apoſtolicam conſulerent, ne quid ea inconſulta iudicarent.

Cauſæ fidei ad Papam ſpectant.

Epiſt 10.

Longius eſt eiuſdem in Epiſt. 10. capta occaſione de appellationibus, & illuſtrius teſtimonium. Libo quædam. *Quanuis*, inquit, *Patrum traditio Apoſtolicæ Sedi authoritatem tantam tribuerit, vt de eius iudicio diſceptare nullus auderet.* Deinde: *Habet enim ipſe, id eſt Petrus, omnium Eccleſiarum, tum maximè huius vbi ſederat curam, nec patitur aliquid priuilegij, aut aliqua titubare aura ſententiæ, cui ipſe ſui nominis firma, & nullos hebetata motibus conſtituit fundamenta, & quæ ſine periculo temerè nullus inceſſet. Cum ergo tantæ authoritatis Petrus Caput ſit, & ſequentia omnium maiorum ſtudia firmauerit, vt tam humanis, diuiniſq; legibus, & diſciplinis omnibus firmetur Romana Eccleſia, cuius nos locum regere, & poteſtatem obtinere non latet vos; ſed noſtis Fratres*

Iudex controuerſiarum ſedes Apoſtolica.

cha-

chariſſimi , & quemadmodum Sacerdotes ſcire debetis . Niſi hoc conſtans , & certum eſſet , non tam fidenter loqueretur Zozimus ad Patres grauiſſimos Africanos . At ignorabat tunc ille ſe à Celeſtio deceptum . Fateor , ſed id ad priuatam hominis ſcientiam , & ad factum , quod aiunt , ſpectabat. Quod autem de Sede Apoſtolica affirmabat , id omnino ad doctrinam pertinebat . Nimirum ad eam cauſas , & controuerſias fidei referendas , & ab ea cognoſcendas, & terminandas,quod ipſimet Carthaginienſis Concilij Patres demum faſſi ſunt in litteris ad Zozimum datis authore Proſpero aduerſus Collatorem . *Errauerunt* , inquit , *ducenti quatuordecim Sacerdotes , qui in Epiſtola , quam ſuis conſtitutionibus protulerunt , ita Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem Zozimum ſunt allocuti . Conſtituimus in Pelagium atque Celeſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium de Beatiſſimi Petri Sede prolatam manere ſententiam donec apertiſſima confeſſione fateantur gratiam Dei , &c.* Ex quo patet Concilium authorem eius damnationis Innocentium facere,quem Patres ſunt Africani ſecuti . Quin immò poſtea Zozimus comperto aſtu , & errore Pelagij , & Celeſtij,in eos anathema intorſit , & latam in eos ſententiam vniuerſo Orbi propoſuit,& propalauit in ea Epiſtola , quam ad totius Orbis Epiſcopos miſit . Quod narrat Proſper , & habetur in Epiſt. 1. Celeſtini cap. 8. & 9. quæ continetur 1. tomo Concil. poſt vitam Celeſtini pag. 734. *Cuius ſermonem* , inquit , *ſinceriſſima veritatis luce radiantem tanto Africæ Epiſcopi honore reueriti ſunt , vt ad eundem virum reſcriberent. Illud verò quod in litteris , quas ad vniuerſas Prouincias curaſti eſſe mittendas poſuiſti dicens . Nos tamen inſtinctu Dei , &c. Sic dictum accipimus , vt illos qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem diſtricto gladio veritatis velut curſim tranſiens amputares.* Ecce ille cunctator,dum ſibi non admodum conſtabat hæreticos eſſe illos , ſimul ac comperit,eorum hæreſes , & dolos proſcripſit , & iugulauit . Hoc ipſum bis teſtatur Auguſtinus lib. 2. contr. 2. Epiſt. Pelagian. cap. 3. & 4. Affero vnum locum cap. 3. *Quod ab eodem Zozimo , poſtea Celeſtius , & Pelagius repetita authoritate damnati ſunt . Iam neceſſario proferendæ ratio ſeueritatis fuit , non præuaricatio prius cognitæ , vel noua cognitio veritatis.* Lenius egit authore Auguſtino cum Celeſtio ſe purgare moliente Zozimus , ſed vbi dolum detexit , apertè damnauit , quod item teſtatur Gelaſius Epiſt. 5. ad Honorium .

Zozimus initio inſcius hæreſis Pelagij , & Celeſtij .

Concil. Carth. Proſp.

Zozim.

Proſp.

Poſtea eos cognitos damnat.

August.

Quod

Bonif. Quod Bonifacium attinet magnum ille ſecum momenti ad hanc prærogatiuam Pontificiæ doctrinæ affert, quòd præclarum illud Eccleſiæ lumen Auguſtinus opus illud ſuum, quod contra duas Pelagianorum ſcripſit Epiſtolas; illius iudicio arbitrioque ſubiecit. Quid enim maius optari excogitari vel potuit, quàm vt ille qui Sapientię oraculum fuit Romano Pontifici ſua, eaque de gratia ſcripta ſubmitteret? cuius ille poſt Paulum, & Doctor, & Prædicator extitit. Afferamus verba Auguſtini lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 1. *Cum communis ſit omnibus*, ideſt cura, *nobis qui fungimur Epiſcopatus officio, quamuis ipſe in eo præmineas celſiore faſtigio ſpeculæ Paſtoralis facio, quod poſſum, &c.* Et mox. *Hæc quæ iſtis duabus Epiſtolis illorum iſta diſputatione reſpondeo ad tuā potiſſimum dirigere ſanctitatem, non tam diſcenda, quàm examinanda, & vbi forſitan aliquid diſplicuerit emendanda conſtitui. Indicauit enim mihi frater meus*, ideſt Alipius, *quod eas illi dare dignatus es, quæ in manus tuas niſi vigilantiſſima diligentia fratrum noſtrorum filiorum tuorum venire non poſſent.* Soleo dicere nullum è Patribus plus Romano Pontifici, quàm Auguſtinum detuliſſe: à nullo altius euectam illam, quam Heterodoxi deprimere conantur Sedem. Tria ſunt in hac Epiſtola argumenta. Primum quod ait c. 1. *Quamuis altius præſideas.* Secundum, *quamuis præmineas celſiore faſtigio ſpeculæ Paſtoralis.* Tertium *fratrum noſtrorum Filiorum tuorum, vbi Epiſcopos fratres ſuos* Papæ Romani *Filios* appellat. Vnde diſcant Hæretici Romani Pontificis noſſe, & fateri excellentiam. Non ſunt vllo modo cum Auguſtino comparandi. Videant ſubſidere hanc Aquilam, & ſuper alas ſuas Romanam Sedem ad ſuperos attollere.

Auguſtinus aſſerit Primatum.

Auguſt.

Idem.

1 Quæ doctrina de gratia fuit ab Auguſtino Sedi Apoſtolicę, vt recognoſceretur, & approbaretur à Papa Bonifacio miſſa; eadem fuit iure hoſtimenti ab Romana Eccleſia ore Celeſtini ſucceſſoris defenſa, & prædicata. Igitur cum aduerſus eam quidam Galliarum Presbyteri ſurrexiſſent monitus de eo à SS. Proſpero, & Hilario Celeſtinus, cauſam Fidei in Auguſtino ſuſcepit, & ſcripta egregia ad Epiſcopos Galliæ, quæ prima eſt, Epiſtola, doctrinam Auguſtini aſſeruit, & à calumnijs vindicauit: obtrectatores compeſcuit, & quid de libertate arbitrij de gratia Chriſti tum ſuo, tum Papæ Innocentij, & Zozimi, atque adeò Eccleſiæ ſenſu tenendum eſſet à Catholicis, declarauit. Illa ſunt prę cæteris verba notanda. *Recurrerunt*

Doctrina Auguſtini à Sede Apoſtolica approbata.

Celeſt.

Proſp. Hilar.

L

Pro veritate doctrinę ad Papā recurſus. *runt ad Apoſtolicam Sedem, hæc ipſa nobis, quæ tentat perturbatio conquerentes. Habetote Fratres chariſſimi pro Catholicæ plebis pace tractatum.* En recurſus ad Sedem Apoſtolicam in controuerſia cauſaque doctrinæ. En Pax Catholica eius reſponſione firmata: quod hæc ad vniuerſalem Eccleſiam pertinebat. Hoc illa continent. *Non eſt agentium cauſa ſolorum, quando vniuerſalis Eccleſia quacumque nouitate pulſatur.* Iam vero alia. Celeſt.

Multum intereſt inter definitiones Eccleſiæ vniuerſalis, & particularis. *Illud etiam quod intra Carthaginienſis Synodi Decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ Sedis amplectimur.* Indicant multum intereſſe definiat ne priuata Eccleſia, an Sedes Apoſtolica? vt nimirum quod intra vnius terminos Eccleſię ſtatuitur, eos minime excedat, quod verò à Romana Sede prodit, id ad vniuerſam Eccleſiam extendatur. Itaque rectè concludit Proſper aduerſus Collatorem. *Contra iſtam clariſſimam laudatoris tubam, contra iſtam Sacratiſſimi teſtimonij dignitatem audet quiſquam malignæ interpretationis murmur admittere, & perſpicuæ ſinceriſſimæque ſententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? Quiſquam*, dicit, cuiuſuis ſit nationis, aut conditionis ei omni præcipitur, ne contra audeat mutire, quòd ei quicumque ſit Catholicus obedire teneatur. Sed tollamus iam de Africana tabula manum, & aliò transferamus. Proſp.

S. Proſper Auguſtinum defendit.

SECTIO III.

A Celeſtino ad Hilarium ſeries texitur.

NVſquam illuſtrior apparet vniuerſalis huiuſce per doctrinam in Eccleſiam influxus ſpecies, quàm in Celeſtino. In eam oportet intendere. Neſtorio prauum dogma de duabus in Chriſto perſonis diſſeminante monuit Cyrillus Celeſtinum per Poſſidonium litteris. Is ſuſcepto munere Paſtoris accinxit ſe ad auertendum id peſtilens malum, ac primum Epiſtola hortatur Cyrillum, vt hominem quoad fieri poſſit corrigat, & in officio contineat: ſin ſecus, eum cum hæreſi ſua figat, proſcribatque; ad idque ſuam ei authoritatem viceſque impertit, vti ſententiam ſeuerè exequatur, his verbis: *Quam ob rem noſtræ Sedis authoritate aſcita, noſtraque vice, & loco cum poteſtate vſus eiuſmodi non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequeris. Nempe vt niſi decem dierum interuallo ab die ſuæ admonitionis numerandorum nefariam doctrinam ſuam concep-* Celeſt. Papa.

S. Cyrillus refert ad Celeſtinum de hæreſi Neſtorij.

ptis

ptis verbis anathematizet eamque de Chriſto Dei generatione fidem in poſterum confeſſurum ſe ſpondeat, quam & Romana, & tuæ ſanctitatis Eccleſia, & vniuerſa denique Religio Chriſtiana prædicat, illico ſanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat. Is verò modis omnibus ſe à noſtro corpore ſegregatum eſſe intelligat, vt qui omnem medentium curam aſpernatus, nec non inſtar peſtiferi morbi per vniuerſum Eccleſiæ corpus inſano morbo graſſatus, tam ſeipſum, quàm cæteros omnes ſibi commiſſos in extremum exitium præcipitare ſtuduerit. Eadem hæc & ad ſanctos quoque Fratres, & coepiſcopos noſtros Ioannem, Rufum, Iuuenalem, & Flauianum perſcripſimus, quo noſtra, immò verò & Diuina Chriſti Domini noſtri ſententia pluribus de eo ſit manifeſta. Certè hæc effigies dictantis Epiſtolam Celeſtini terret hæreticos, ne audeant negare hanc in tradenda veritate, & condemnanda hæreſi ſupremam, & vniuerſalem authoritatem. At verò nimium ſibi arrogauit Celeſtinus. An id ferret Cyrillus vir tantus, tamque doctus, & Alexandrinus Patriarcha, quod Heterodoxi homuli non ferunt? Sunt ne illo doctiores, ſunt ſanctiores, ſunt illuſtriores? Ferant quod tulit Cyrillus, qui niſi ea quæ ſibi vendicabat Celeſtinus vera eſſe noſſet, minimè certè pateretur. Cæci ſunt: ſolem in meridie non vident, & ſolem è mundo tollere conantur, dum hæc diſſimulant, & tegunt. Atque vt ijs oculi deleant obijcimus legendam Epiſtolam eiuſdem Celeſtini ad Neſtorium quæ eſt 6. & aliam ad Clerum, & Plebem Conſtantinopolitanam quarum aſpectu torqueantur.

Ep. ad Cyrill.

Celeſtinus ſuſcipit cauſā Chriſti cōtra Neſtorium.

Obiectionis illiſio.

Nec ſolum ante Concilium, ſed in ipſomet Concilio elegantem aſpiciant Romanæ dignitatis, & authoritatis imaginem. Primum lecta in eo eſt Celeſtini ad Neſtorium Epiſtola Synodo poſtulante tomo 2. cap. 5. *Synodus dixit Sanctiſſimi Romani Archiepiſcopi ſcripta legantur*. Legit autem Petrus Eccleſiæ Alexandrinæ presbyter, & notarius. Deinde ex Celeſtini præſcripto damnatur à Patribus Neſtorius. Sic enim tomo 2. cap. 10. *Edocti*, inquiunt, *illum impiè docere, & ſapere per Sacros Canones Sanctiſſimique Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi Celeſtini Patris noſtri litteras lacrymis ſuffuſi, & penè inuiti ad lugubrem hanc ſententiam vrgemur*. Sententia. *Igitur Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, &c.* Quid hic Oxonium? quid Cantabrigia? Quid Aberdonia? Cruciantur, & ſolo gemitu audent obſtrepere.

Epiſt. ad Neſtor.

Celeſtini litteræ in Concilio Epheſino recitantur.

Ad idem Concilium miſit Celeſtinus Arcadium, & Pro-

iectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum, cum mandatis, & litteris, quæ magnos lectæ clamores fecerunt, quemadmodum apparet ex cap. 15. lib. 2. vbi ponuntur acroamata Patrum. *Hoc rectum iudicium: nouo Paulo Celeſtino, nouo Paulo Cyrillo, Celeſtino cum Synodo concordi: Celeſtino fidei cuſtodi vniuerſa Synodus gratias agit. Vnus Celeſtinus, vnus Cyrillus, vna Fides Synodi, vna Fides terrarum orbis.* Ac ne ambiguum videatur heterodoxis vni Celeſtino, an Cyrillo prærogatiua detur, legantur, Proiecti, Firmi, Arcadij, Philippi, Theodori ſubſcriptæ eo in capite ſententiæ. Sed vt ſunt ore duro nolent credere Proiecto, Arcadio, & Philippo, quippè quod ſunt Legati Celeſtini. Audiant ergo Firmum Cappadociæ Epiſcopum: cui non poterunt refragari. *Firmus Ceſareæ Epiſcopus dixit: Sacra & Apoſtolica Celeſtini Sanctiſſimi Sacratiſſimique Sedis litteras, quas pridem ad Cyrillum Alexandrinum, & Iuuenalem Hieroſolymitanum, & Rufum Theſſalonicenſem Sanctiſſimos Sacratiſſimoſque Epiſcopos, nec non ad Sanctas Conſtantinopolis, & Antiochiæ Eccleſias miſit, certam de preſenti negotio ſententiam regulamque præſcripſit, quam nos proinde ſecuti, eo quod terminus Neſtorio ad emendationem præſtitus dudum iam præteriiſſet, tantumque præterea temporis poſt noſtrum iuxta Religioſiſſimi Imperatoris noſtri Decretum, in hanc Epheſiorum ciuitatem aduentum fluxiſſet, vt dies ab Imperatoria Maieſtate præfixus elapſus iam quoque eſſet, neque interea tamen Neſtorius identidem à nobis citatus parere in animum induceret, forma Canonem diligenter vbique obſeruata Canonicum Apoſtolicumque iudicium in illum exercuimus.* Nulla hic niſi Celeſtini mentio ad preſcribendam formam regulamque ſententiæ. Illius hæc prærogatiua eſt, non Cyrilli. Nec loquitur Dauus aliquis, ſed Firmus Epiſcopus, & quidem Cappadociæ, non Capuæ: Græcus, non Latinus. Inſerere hic tamen volo verba Philippi Legati, quæ torqueant aures Heterodoxorum, quem enim integrum audijt Concilium, nec reſpuit, is ab eo fuit probatus. *Gratias agimus ſanctæ, venerandæque huic Synodo, quod litteris Celeſtini ſanctiſſimi Beatiſſimique Papæ vobis recitatis ſanctæ Eccleſiæ membra ſanctis veſtris vocibus, pijſque præconijs ſancto veſtro Capiti exhibueritis.* Huc adeſte. *Non enim ignara eſt veſtra beatitudo totius Fidei cæterorumque omnium Apoſtolorum Caput Beatum Apoſtolum Petrum extitiſſe.* Video eos commoueri. Siſto ne gemant. Ire pergo ad teſtimoniũ Theodori Ancyrani Epiſcopi. *Iuſtam eſſe ſanctæ Synodi ſen-*

Concil. Epheſ.

Firmus Epiſc.

Prærogatiua Papæ in ſtatuẽda pro tota Eccleſia doctrina.

Suprema Romanæ Sedis in iudicãdo authoritas.

Philipp. Presb.

ſententiā, vniuerſorum Deus, cùm per litteras Celeſtini Deo dilectiſſimi huc allatas, tum per veſtræ quoque pietatis aduentum oſtendit. Quoniam vero Celeſtini Epiſcopi ſanctiſſimi zelum, & in Catholicam Fidem ſtudium pietas veſtra nobis expoſuit, iuſtaque ratione permota, quæ vel in Neſtorij exauthoratione, vel in alijs quoque acta tranſactaque ſunt cognoſcere voluit, & æquam ſanè ſacræ ſynodi ſententiam, & iuſtum rurſum eiuſdem zelum, & Fidei tandem quam & nos & ſanctiſſimus piiſſimuſque Epiſcopus Celeſtinus magna quoque voce deprædicat concordiam, hæc inquam, aliaque id genus complura, quæ in ſynodo acciderunt pietas veſtra ex Actorum monumentis haurire poterit. Loquitur Ancyranus ore ac ſenſu Romano non Aberdoniano. Aliter Aberdone ſcribitur, ſed in angulo, & tenebris, non in Oecumenica Synodo, & in meridie doctrinæ.

Preclarū in Epheſina Synodo teſtimonium.

Theod: Aɥcyr.

Conſentiunt quæ cap. 16. eiuſdem tomi 2. ſententiæ aduerſus Neſtorium à Legatis Apoſtolicis prolatæ, quæ nomine Celeſtini tanquam celeſtia fulmina vibrantur, quibus tum Neſtorius, nunc Forbeſius lectis percutitur. Inter quos ſic fulminat Cyrillus. *Cyrillus Epiſcopus dixit. Quomodo Arcadius & Proiectus ſanctiſſimi piiſſimique Epiſcopi, nec non Philippus religioſiſſimus Romanæ Eccleſiæ Presbyter depoſuerint, lataque ſententiæ acceſſerint, perſpicuè ſacræ ſynodo innotuit. Depoſuerunt enim ſedis Apoſtolicæ, totiuſque ſynodi ſanctiſſimorum Deoque dilectiſſimorum Occidentalium Epiſcoporum nomine & loco. Quare cum ea quæ à Celeſtino ſanctiſſimo, Deoque dilectiſſimo Epiſcopo decreta fuerant executi ſint, ſacræque ſynodi, quæ in Epheſiorum Metropoli conuenit ſententiæ contra Neſtorium latę adſtipulati ſint, conſequens eſt, vt quæ heſterno die hodiernoque acta ſunt, Actorum commentarijs attexantur, eorundemque pietati quo propria manus obſignatione ea vt moris eſt, confirment, manifeſtamque ac legitimam aſſenſionem nobis omnibus exhibeant offerantur.*

Cyrill.

In Cōcilio Epheſino iuxta mentē Celeſtini decretū.

Excipiet quiſpiam de Academia Oxonienſi. Legatos cum mandatis, & litteris Celeſtini ſeriùs aduenifſe, iudicato iam & fixo Neſtorio, ac proinde probatores, non latores ſententiæ fuiſſe. Occurro: eſto. Sed ea quæ acta erant iterum referuntur, & coram legatis explicantur, & rata viſis litteris Celeſtini firmaque habentur: ac eius authoritate confirmantur. Verum fortius agere volo. Duo ſtatuo. Primum Acta omnia ad mentem Celeſtini, qui antea rationem docendi, conſultandi, agendique præſcripſerat, confirmata, & confecta fuiſſe,

Obiectionis occurritur.

Al-

Alterum: quicquid iudicatum, & geſtum fuit Cyrillo authore, & ſuaſore, vices Celeſtini gerente iudicatum, & actum videri, vt non tam Cyrillus, quàm Celeſtinus in Cyrillo, illud munus eo in Concilio obierit.

Vno verbo Cyrillum fuiſſe legatum Celeſtini. Primum patet ex dictis legatorum cap. 13. & 16. & ex Epiſtola Synodi ad Imperatores cap. 17. Produco quæ ſint ſatis cap. 13. ſic Philippus, *dudum ante ſanctiſſimus Beatiſſimuſque Pater Noſter Celeſtinus ſedis Apoſtolicæ Epiſcopus ea per epiſtolam ad Cyrillum pijſſimum Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum de præſenti hac cauſa, & controuerſia perſcripſit, definiuitque quæ par ſuit, quæ litteræ ſacro veſtro cætui haud dubiè iam pridem ſunt exhibitę. Idem nunc alios rurſum ad corroborandam Fidei Catholicæ doctrinam ad veſtram pietatem per litteras nos miſit, quas proinde reuerenter à nobis oblatas ſacræ veſtræ ſynodo iubete legi, ac inter Eccleſiaſticos commentarios referri.* Mirè refutantur aduerſarij, cum primis litteris, quod agendum eſſet Celeſtinus præſcripſerit, ſecundis quæ ſunt acta corroborarit. Idem quod Philippus dixit: Firmus Ceſareæ Cappadociæ Epiſcopus cap. 15. affirmauit. *Litteris quas*, inquit, *Apoſtolica ſedes Celeſtini iam pridem miſit, certam de præſenti negotio ſententiam, regulamque præſcripſit, quam nos proinde ſecuti, &c.* Nec non Iuuenalis Hieroſolymitanus Epiſcopus cap. 16. *Celeſtini*, ait, *Epiſtola compulſi non ſine multis lacrymis hanc triſtem in illum ſententiam tulimus.* Ingenuè fatetur impulſorem, & authorem Celeſtinum per primas litteras fuiſſe.

Epiſtol. Synod.

Philipp.

Cyrillus in Concilio Epheſino legatus Celeſtini.

Firmus Epiſc.

Iuenal. Epiſc.

Sed hoc ipſum multo luculentius expreſſum in litteris Synodicis ad Imperatores inuenitur. *Hanc*, inquiunt, *Patres, ſuam, ſuorumque ſententiam antequam vlla omnino Synodus Epheſi conueniret Celeſtinus ſanctiſſimus Magnæ Romæ Epiſcopus per litteras ſuas indicauerat, Cyrilloque ſanctiſſimo Deoque dilectiſſimo Alexandrinorum Epiſcopo, vt ſuas in hac parte vices ſubiens Romæ definita perficeret, commiſerat. Verum his non contentus eadem hæc alijs denuo litteris ſacræ ſynodo, quam veſtra dominatio in Epheſiorum Metropoli conuenire præcepit, nunc iterum inculcauit.*

Synod. Epiſt.

Celeſtini author geſtorum in Conc. Epheſino.

De ſecundo: nimirum in eo Concilio Cyrillum Celeſtini fuiſſe legatum, ac eius egiſſe perſonam, conſtat ex eo, quod proximè poſui teſtimonio, & ex verbis adductis in Proæmio cap. 13. ac pleriſque alijs locis, quos affero, & accumulo in materia de Concilijs propediem edenda, à qua idcirco nunc abſti-

abſtineo. Cæterum qui hæc expendat, comperiet obiectionem refutatam, immò & retortam: cum loci adducti effecerint, vt in primis litteris Celeſtinus præiudicium de controuerſia cauſaque fidei fecerit, in litteris ſecundis iudicium tulerit. Omitto reliqua: eſt enim res infinitior, quàm vt tam breui verborum ambitu poſſit comprehendi.

Sixt. P. III. Sixtus III. magnum attulit huic præſtantiæ vniuerſalis in Eccleſiam poteſtatis momentum duabus Epiſtolis poſt mortem Celeſtini, altera ad Cyrillum Alexandrinum, altera ad Ioannem Antiochenum ſcriptis, in quibus Epheſini Concilij contra Neſtorium latam ſententiam confirmauit, cum enim Neſtoriani finxiſſent, illam diſplicuiſſe Pontifici, idque in vulgus ſparſiſſent, cœperat tumultuari Plebs, & inter tumultus hæreſis caput attollere. Quare neceſſe fuit Cyrillo (Sixtus Pa. III. cōfirmatam ſententiam Epheſini Concilij.) Cyrill. Epiſtolam ad ſe ſcriptam publicè recitare, vt mendoſos illos rumores compeſceret, & populum in officio contineret. Nec Ioannes qui cum Cyrillo in gratiam redierat ſuam texit, ſed palam fecit, & Catholicos in Fide confirmauit. Extant egregia illa verba in Epiſtola ad Ioannem. *Ex-* Io: Antiochen. *pertus es in præſentis negotij euentu, quid ſit ſentire nobiſcum. Beatus Petrus Apoſtolus in ſucceſſoribus ſuis quod accepit hoc tradidit. Quis ab eius ſe velit ſeparare doctrina? quem ipſe inter Apoſtolos primum magiſter edocuit.* Non credunt Sixto Oxonienſes, nec Cantabrigienſes alumni. Eſto. Non habent audiendi aures. Haberent ſi Cyrilli, & Ioannes ſimiles eſſe vellent.

SECTIO IV.

A Leone I. vſque ad Vigilium exempla colliguntur.

TOta Hiſtoria Chalcedonenſis Concilij plena eſt huiuſce Prærogatiuæ Apoſtolicæ documentis, Magni Leonis maximum nomen ſuamet Confeſſione Patres fecere: dum in Leone Petrum loqui clamantes affirmarunt. Sed ante Concilium Leo tonuit. Quot ſunt ſcriptæ ab eo Epiſtolæ, tot ſunt ad Catholicos edita oracula, tot aduerſus hæreticos intorta fulmina. In ijs cùm prædicatur Fides, tum Hæreſis iugulatur. Lectore tantum opus eſt, vt videat quantum valeat ad diſciplinam Fidei Sedis Apoſtolicæ doctrina. Cœpit ſcribere

Leo ſcribit aduerſus Eutychen.

bere aduerſus Eutychetem Leo, tanta litteris fides habita eſt, perinde ac de cælo lapſæ eſſent. Perſuaſum dictaſſe Chriſtum, quæ Leo expreſſit in charta.

Raró alium inuenias Pontificem, quem plura ornamenta honeſtarint, & in quem plura decora Pontificatus confluxerint. Vendico propria. Vix dum Eutyches conceperat erroris virus, cum à Flauiano officij ſui conſcio per binas litteras monitus eſt. Eo faſſus ille Conſtantinopolitanos Patriarchas Romanis inferiores eſſe, nec poſſe ſe inconſulta Romana Sede quicquam in cauſis fidei conſtanter definire, aut citra illius iudicium ritè publicare. Quare in 2. Epiſtola ſic Flauianus. *Cauſa enim eget veſtro ſolatio atque defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis quę ſurrexit, & turbę quę propter eam factę ſunt faciliimè deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſacratiſſimas litteras.* Quanta erat vis authoritatis in eo, cuius litteras abſentis, Patriarchæ Conſtantinopolitanæ præſentia flagitabat? Nec opponat quis è Cantabrigienſi Academia Flauianum antequam ſcriberet ad Leonem anathematizaſſe Eutychen: nam quod id ſine conſenſu Romanæ Sedis feciſſet, ſeditio in Eccleſijs orta fuit, & ipſe Eutyches Romam ad Leonem prouocauit, quæ argumenta ſummæ in Leone argumenta authoritatis sũt. Ipſum Epiſtola 7. ad Theodoſium audiamus. *Quid autem in Conſtantinopolitana Eccleſia perturbationis acciderit, quod ita Fratrem, & coepiſcopum noſtrum potuerit commouere, vt Eutychetẽ presbyterum communione priuaret, non dum potuimus euidenter cognoſcere. Quamuis enim prædictus presbyter ad Sedem Apoſtolicam per libellum doloris ſui querimoniam miſerit, &c.* Multum certè intererat inter Flauianum, & Leonem, cum ille de Reo, hic de Iudice deberet iudicare. Quid? quod Leo Flauianum per litteras increpauit, quod ſe inconſulto Eutychen proſcripſerat? *Mirantur Fraternitatem tuam, quicquid illud ſcandali nobis ſilere potuiſſe, & non potius procuraſſe, vt primitus nos inſinuatio tuę relationis iuſtrueret, ne de rerum geſtarum poſſemus fide ambigere. Accepimus enim libellum Eutychetis, &c. Nec dum agnoſcimus qua iuſtitia à communione Eccleſię fuerit ſeparatus. Sed reſpicientes ad cauſam, facti tui noſse volumus rationem, & vſque ad noſtram notitiam cuncta deferri.* An non hęc ſunt ſupremi in Eccleſia Iudicis? Non enim in Occidente cauſa, ſed in Oriente, nec in aliquo ignobili oppido, ſed nouę Romę agebatur. Vbi

Flauianus monet de hęreſi cõcepta Eutychen. Flauian.

Leo.

Refert acta ſua Papæ Leoni Flauianus.

Corripitur Flauianus à Leone, quod ſe inconſulto damnarit Eutychen. Idem.

hic

hic ille Canon Conſtantinopolitanus tertius,quem intrudunt Schiſmatici, & Hæretici exæquans Patriarcham Conſtantinopolitanum Romano? Nugæ. Apinæ, Tricæ. Paret Flauianus Leoni. Ac Leo iudicat de Flauiano. Pudeat ſuę obiectionis Cantabrigienſem alumnum, quem reliqua Leonis Epiſtola refutabit. Nec enim poſſumus totam producere.

Correpto Flauiano cauſam ſuſcipit Leo: de Hæreſi Eutychis cognoſcit. Eam acriter confutat. Catholicam de duobus Chriſti naturis Fidem luculenter tradit. Quemadmodum conſtat ex Epiſtolis 9. 10. ad 22. inter quas eſt illa 10. memorabilis Encyclica, & gemmea ob egregiam de Verbi Incarnatione doctrinam, quæ poſtea in Chalcedonenſi lecta Concilio clamores inter Patres fecit, quam Gelaſius Papa in Conc. Romano cap. *Sancta Romana.* Sanctam, & ratam eſſe iuſſit, cui integra Synodus Galliæ Narbonenſis ſubſcripſit, gratijs Leoni ob eam actis. Ea demum in ſolemnijs Natalis Domini in Eccleſijs palam legi ſolita. Huic gemina illa eſt quæ 23. recenſetur ad Clerum, & plebem Conſtantinopolitanæ Vrbis: nec cedit 13. ad Pulcheriam Auguſtam. Supremę item authoritatis fuit Pſeudo Synodum Epheſinam damnare, & Imperatorem, & Auguſtam Pulcheriam, & Flauianum, & alios viros Principes hortari ad eandem damnandam, in quo multum operæ poſuiſſe tot ea de re Epiſtolæ ſcriptæ demonſtrant à 22. ad 36. Iam vero in ijs quæ ad Chalcedonenſis Concilij congregationem, & inſtructionem ſpectant, quæ plurimæ ſunt, ſingulare Pontificiæ prærogatiuæ ſpecimen præbuit. Et imprimis 43. 47. 49. 50. 51. 52. nec non alijs quas poſt celebratum Concilium ad diuerſos miſit: præſertim 53. 54. 55. 59. 61. 63. 70. 73. 74. 75. 78. 97. Sed vna maximè Epiſtola rem continet quæ eſt 89. ad Epiſcopos Vienenſes de Primatu, & excellentia Romanæ Sedis aduerſus Hilarium refragantem ſcripta, quæ vel ſola Aberdonienſes Leslæos, Forbeſioſque ita confutat, vt ſi ſani ſint contradicere non audeant.

Cauſa Eutychetis defertur ad Leonem ex officio ab eo cognoſcenda & iudicanda.

Synod. Narb.

Leonis epiſtolæ rem prærogatiuę continentes numerantur.

Sed ad ipſum Concilium venio. Ac primum Epiſtolas pręambulares expendo: quæ quòd Leonis non ſint, nequeunt ab Heterodoxis reijci. Valentinianus Auguſtus, Galla Placidia, & Eudoxia in Epiſtola ad Theodoſium ſic: *Quatenus*, inquiunt, *Beatiſſimus Romanæ ciuitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de Fide, ac Sacerdotibus iudicare*. Hoc antiquitas do-

cuit: nouatores igitur ſunt qui negant. Galla Auguſta ad Theodoſium, *ita vt ſecundum formam, & definitionem Apoſtolicæ Sedis, quam & nos tanquam præcellentem ſimiliter veneramur in ſtatu Sacerdotali, illæſo manente per omnia Flauiano, ad Concilij, & Apoſtolicæ Sedis iudicium tranſmittatur, in qua primus ille qui cæleſtes claues dignatus fuit accipere Principatum Epiſcopatus ordinauit.* Feminam dicent Cantabrigienſes, ac idcirco credere in re Pontificia nolent. Cur ergo Eliſabethæ feminæ crediderunt, & Sacrorum Angliæ Principem fecerunt? Audiant, qui morigeros ſe præbuerunt Reginæ, Eudoxiam Auguſtam ad Leonem. *Illic facto Concilio, & de Catholica confeſſione, & de his Epiſcopis, qui ante hoc ſegregati ſunt, ſicut Fides, & Chriſtiana pietas exigit te authore decernant.* Pudeat Oxonienſes de Fide, & Sacerdotio authore femina deliberaſſe. Hic femina magiſtrum deſiderat, ij vero feminam magiſtram optarunt.

Galla Placid.

Carpuntur hæretici.

Eudoxia Auguſta

Inſpiciamus corpus Concilij, ac in eo animam veritatis inquiramus. Actione 1. Accuſatur Dioſcorus quòd Leonis Epiſtolam in Pſeudo Synodo noluerit recitare, & hoc ei præcipuè crimen intenditur ab Euſebio Epiſcopo Dorylæi, & à Theodoro Claudiopolis, & ab Aetio Archidiacono Conſtantinopolitano. Senatus verò cum eo de hoc delicto expoſtulat. Idque caput damnationis fuit. In eadem Actione clamant Orientales Epiſcopi. *Leo ſic ſapit, Leo ſic credit*, & creditur. Actione ſecunda initio: *Emerſerunt quæ ad Eutychen pertinebant, & ſuper ijs forma data eſt à Sanctiſſimo Archiepiſcopo Romanæ vrbis, & conſtat nobis, & Epiſtolæ omnes ſubſcripſimus.* Quanta viri authoritas? Vna Epiſtola omnes traxit. At non trahit Aberdonienſes? Nimirum non eos Pater ad Chriſtum trahit, qui in Vicario ſuo Romano Pontifice ſcribit, & loquitur. Eadem Actione lecta Epiſtola Leonis. *Reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerunt. Hæc Patrum Fides. Hæc Apoſtolorum Fides. Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credimus. Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus eſt. Apoſtoli ita docuerunt.* Igitur Oxonienſes hodierni, Orthodoxi non ſunt, Papæ non credunt. Petro non credunt, Apoſtolis non credunt.

Concil. Chalc.

Chalcedonenſis Concilij de Primatu teſtimoniũ.

Epiſtol. Romani Pontificis ſubſcribit Concilium.

Actione 3. in libello Theodori Diaconi maius crimen putatur excommunicari Leonem Papam, quàm occidi Flauianum. *Nihil arbitrans, Dioſcorus, quod ab ipſo in Sanctæ, & Sacræ memoriæ Flauiano commiſſum eſt, inſuper ad mala maiora ſe vertit. Excommunicationem namque faciens contra Sanctiſſimum,*

Theod. Diacon.

& Bea-

& Beatiſſimum Apoſtolicæ Sedis magnæ Romæ Epiſcopum ſuaſit ſubſcribere eis, qui cum ipſo de Ægypto exierunt ſanctiſſimis Epiſcopis. Et paulo poſt. *Lacrymantes atque gementes neſandæ illi Chartæ ſubſcripſerunt*. Rident hæc, & hos Aberdonienſes: *Illos autem Dominus irridebit*. Propter hunc riſum æternum plorabunt. In eadem Actione petunt Patres à Paſchaſino, & Lucentio, & Bonifacio Legatis Leonis, vt ſuprema illius authoritate vſi in Dioſcorum ferant ſententiam. Et quidem ferunt. *Vnde*, aiunt, *Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ, & ſenioris Romæ Leo per nos, & per præſentem Sanctam Synodum vna cum ter beatiſſimo, & omni laude digno B. Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille qui eſt rectæ Fidei fundamentum nudauit eum tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam, & ab omni Sacerdotali alienauit miniſterio. Igitur Sancta hæc & magna Synodus, quæ placent regulis ſuper memorato Dioſcoro decernat*. Præeuntes, cæteri Patres ſequuntur.

Paſchaſ. Lucent. Bonif.

Dioſcori precipuũ delictum excõmunicaſſe Papam.

Idē Cõcil. Chalcedon. Eadem Actio 3. exhibet litteras Concilij Chalcedonenſis ad Valentinianum, & Martianum Imperatores, in quibus proponitur doctrina Catholica Epiſtolæ Leonis, & commendatur; reprobaturque hæreſis Eutychiana, & audacia Dioſcori damnatur. Adiungitur alia eiuſdem Concilij, in qua eſt hæc particula. *Christo ad intelligentiam proſperè dirigente, qui oſtendit in Leone mirabili veritatem, quia ſicut ſapiente Petro, ita & iſto vtitur aſſertore*. Actione 4. alia eſt quæ configit omnes, tum Oxonij, tum Cantabrigiæ, tum Aberdoniæ Doctores: *Beatiſſimi, & Apoſtolicæ viri Vniuerſalis Eccleſiæ Papæ Leonis*. Sermo eſt de doctrina. *Clamauerunt quippè Epiſcopi. Omnes ſic credimus*. Act. 5. *Ipſi quinque Epiſcopi ſubſcripſerunt. Sicut Leo ſic ſapimus*. Qui ſecus deſipiunt. Ibidem ponitur. *De Fide eſt certamen*, & ſubditur. *Conſentitis Epiſtolæ Beatiſſimi, & ſanctiſſimi Archiepiſcopi Romæ Leonis, ſicut & vniuerſalis Synodus conſenſit, & ſubſcripſit? An non?* Ac ſubinde. *Omnes Reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerunt. Qui non conſenſit Epiſtolæ Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, hæreticus eſt*. Surdi ad hos clamores Heterodoxi à tota Romana Eccleſia diſſentiunt. Mirum ſi hæretici non ſunt. Ad calcem eiuſdem Actionis eadem particula inuenitur. Actione 8. ſic habetur. *Poſt Deum Leo iudicauit*. Cui titulus tribuitur. *Epiſcopi vniuerſalis Eccleſiæ*. Ac nemo contradicit Chalcedone. Aberdonia tamen ſe opponit. Vtra præſtat? Illa abundat Patribus, & Concilio frui-

Act. 4.

Cõc. Calced. Leonẽ vocat Papam vniuerſalis Eccleſiæ.

Act. 5.

Leon. Papæ doctrina Concilij fax, & dux.

Act. 8.

IterũLeo vniuerſalis Eccleſiæ Papa.

tur. Hæc & Concilio, & conſilio deſtituitur. Caret Filijs illorum Patrum. Naſcuntur ibi nobiles quidem natura, & noti fama ſoetus, ſed Fide nothi, & adulterini. Itaque non intelligunt illam vocem prolatam Actione 16. *Apoſtolico viro & vniuerſalis Eccleſiæ Papæ*, haud dubiè *Leoni*. Sed voces has negligunt, quòd Legatorum ſunt. Admittant ergo illas Concilij in Epiſtola Synodali ad Leonem. *Veſtem Chriſti ipſe ſeruaſti, vocis B. Petri omnibus conſtitutus interpres, eius Fidei beatificationem ſuper omnes adducens* Et infra *Dioſcorus contra ipſum, cui vineæ Cuſtodia à Domino commiſſa eſt extendit inſaniam, ideſt contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem. Et excommunicationem meditatus eſt contra te, qui Corpus Eccleſiæ vnire feſtinas*. An non hoc eſt capitis? A quo ſe tamen tres illæ inſignes Academiæ ſuperiori ſeculo ſeiunxerunt, & extra Chriſti corpus manſerunt. *Iacet ingens Littore truncus*.

Leo vniuerſalis Eccleſiæ Papa dicitur tertium.

Inuectiua in hæreticos.

Et ſine numine corpus. Quamquam retento nomine ad pudorem. Hic ſileat Leo. Cuius rugitu eos hactenus exanimauimus.

SECTIO IV.

A Leone Primo, vſque ad Gregorium Magnum, exempla numerantur.

A Leone ad Hilarum ſucceſſorem gradum faciamus. Illuſtre in Epiſtola Tarraconenſium ad eum Epiſcoporum teſtimonium extat. *Etſi nulla*, inquiunt, *extaret neceſſitas Eccleſiaſticæ diſciplinæ, expetendum reuera nobis fuerat illud priuilegium Sedis veſtræ, quo ſuſceptis Regni Clauibus poſt Reſurrectionem Saluatoris per totum Orbem Beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio vniuerſorum illuminationi proſpexit. Cuius Vicarij Principatus ſicut eminet, ita metuendus eſt ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes, cui ſine querela ſeruitis ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali deliberatione præcipitur*. Magna in hoc teſtimonio vis eſt. Tarraconenſes Epiſcopi non Itali loquuntur. Ipſi ſpontè ſua veniunt, vltro ſe offerunt, non inuitati, non coacti. Agnoſcunt dignitatem Summi Pontificis, adorant perſonam, doctrinam reuerentur, homi-

Hilarus: Concil. Tarrac.

Tarraconenſes Patres ad fidem Eccleſiæ Romanæ recurrunt.

homines Hiſpani, animi magni, indolis celſę, acris ingenij, maturi iudicij, ſpectatæ ſcientię, qui nec aſſentari ſolent, nec ſeruire. Aberdonienſes aliter iudicant. Non ſunt, opinor, ijs meliores: pręſertim cum nec Epiſcopi ſint, & à maioribus ſuis degenerauerint. Vrgeo prolata clauſula Epiſtolæ, qua torqueantur. *Erit profectò veſter triumphus, ſi Apoſtolatus veſtri temporibus, quod Sancti Petri Cathedra obtinet Catholica audiat Eccleſia, ſi nouella zizaniorum germina fuerint extirpata.* Diſcant Oxonienſes, diſcant Cantabrigienſes, quanti ſit facienda Cathedra Romana, contra quam ſuas Cathedras erexerunt. Cum Tarraconenſibus, ne eos deſpiciant, maiores ſui, dum Religio fuit, ſenſerunt. Eos moneo hanc Epiſtolam in Romano Concilio lectam, & laudatam à ſe vituperari, & Romam & Hiſpaniam Catholicas à ſe quoque improbari. Ac tunc Anglia cum his, opinor, qua parte Ethnica non erat, ſentiebat: iam inde à Lucio Rege Sacris Romanis imbuta. Nec apud ſolos Hiſpanos Hilari valebat authoritas. Eam Galli Epiſcopi venerabantur, quemadmodum ex eiuſdem Hilari ad Gallis datis Epiſtolis conſtat. Mirum, ſi cum nationes ingenijs, & moribus, & inſtitutis minus inter ſe congruentes, de Romani Pontificis Primatu conſentiunt, in eo à veritate diſſentiant. Ecquid enim præter veritatem nationes, vel diuerſas, vel oppoſitas coniungeret, ac copularet? Appendix eſto Particula Concilij Romani quadraginta octo Epiſcoporum anno 467. ſub eodem Hilaro celebrati. *Nulli fas ſit ſine ſui periculo, vel diuinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare.* Viden? Aberdonienſis? quo loco ponant Decreta Pontificia, quę tu contemnis? Secundùm *Diuinas Conſtitutiones.* Ne turba. Ab illa diuina authoritate Romanę Sedis Decreta manant. Ibi Fons eſt. Inde hi riui deducuntur.

PP. Tarra. Ep.

Paræneſis ad hæreticos.

Fides coniungit diuerſas nationes.

Concil. Rom.

Sua ſuppeditant argumenta Simplicio. Venuſtè hic duplices homines Heterodoxos conuincat. Zenoni Imperatori Epiſtola 4. ſic ſcribit. *Ad Chalcedonenſis Concilij beatæ recordationis prædeceſſor meus Leo conſulta direxit: quibus ita planè, ac dilucidè Sacramentum Dominicæ Incarnationis expoſuit, vt non modo Catholicus, ſed ne Chriſtianus quidem valeat nuncupari, quiſquis illic redemptionis ſuæ cauſas non euidenter agnoſcat.* Leonis doctrinę, non proprię laus eſt. Idcirco afferre teſtimonium volui: cùm præſertim ipſe Simplicius infrà ſic dicat. *Quo magis ac magis B. Petri Apoſtoli voce, qualiſcumque Sedis eius miniſter obteſtor,*

Simpl. ad Zenonem.

Fides priſca apud Romanos Pontifices.

teſtor,

Digitized by Google

teſtor, vt inimicos antiquæ Fidei non ſinas impunè graſſari. Huc facit. *Petrus ore Leonis locutus eſt.* In Concilio Chalcedonenſi.

In litteris Acacij ad Simplicium eſt, quod obſtruat os Heterodoxorum. Nam non qui vis Romanus, nec de vulgo Græcorum loquitur, ſed Conſtantinopolitanus Antiſtes. *Solicitudinem omnium Eccleſiarum ſecundum Apoſtolum circumferentes nos indeſinenter hortamini, quamuis ſponte vigilantes, ac præcurrentes: ſed vos Diuinum zelum ſolito demonſtratis ſtatum Alexandrinæ Eccleſiæ certiùs requirentes, vt pro paternis Canonibus ſuſcipiatis laborem pijſſimo ſtillantes ſudore, ſicut ſemper eſt approbatum.* Quid dicere honorificentiùs potuit Simplicius de cura Paſtoris vniuerſalis Eccleſiæ, ſi has litteras dictaret? quàm quod dixit Conſtantinopolitanus Acacius? Nemo certè Anglorum, aut Scotorum negabit. Nec plura volo.

Alexandrinæ Eccleſię curam ſuſcipit Pōtifex Simplicius.

Acacius Conſt.

Conuolo ad Felicem: qui conſonat Acacio. Epiſtola 1. ad Zenonem. *Poſtea quam Sanctæ memoriæ deceſſore meo Papa Simplicio de huius vitæ curſu ſuperna præceptione migrante miniſterij quod regebat ad meæ humilitatis officium gubernacula peruenerunt, in diuerſas generalis Eccleſiæ curas, quas vbique terrarum cunctis populis Chriſtianis Summi Paſtoris voce delegante beatiſſimus Petrus Apoſtolus peruigili modè ratione diſpenſat, continuò me ſolicitudo maxima, quæ & prædeceſſorem meum inceſſanter vrgebat, tam Alexandrinæ vrbis, quàm ſtatus Fidei Orientalis regionis excepit.* Mirificè hęc Felicis cum Acacij dictis conſentiunt. Ac illud præcipuè obſeruatum volo: Romani Pontificis iura non in Occidente ſolum includi, ſed ad Orientem etiam extendì: nec obſtare Canones Concilij, qui videntur in ſpeciem iura inter eos Patriarchas Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, cum certa quadam ęqualitate partiri. Patet enim non eam fuiſſe mentem Concilij; cum Romano Pontifici licuerit alios duos, & inſtituere, & deponere, ſed id tantùm voluiſſe, vt hi duo in ſua quiſque regione alijs præſtaret, ac præeſſet, quemadmodum Romanus in Occidente, vbi non erant eiuſmodi alij Patriarchæ præſtabat, & præerat. Itaque comparatio fiebat inter Patriarchas, & ſuffraganeos, non inter ipſos met Patriarchas inter ſe. Subdebat Concilium inferiores Epiſcopos Patriarchis, non æquabat Patriarchas. Vtebatur exemplo Pontificis Romani. Cui nemo Occidentalis non obediebat, vt Orientales ſuis obedirent: non autem id exemplum

Eandem ſuſcipit Felix.

Felix P

Idonea explicatio 6. Canonis ſynodi Nicenæ.

Canon Cōc. N.

plum adhibebat, vt Pares eos inter ſe eſſe definiret, cum ij duo Romano Pontifici inferiores eſſent: vti conſtat ex traditione, ac hiſtoria Eccleſiaſtica; ac ipſorum met confeſſione Orientalium. Sic enim Felix Epiſtola 3. ad Petrum Fullonem in Concilio Romano. *Ex pluribus enim Orientalibus Prouincijs litteras ſuſcepimus ſignificantes nobis quomodo veneratio tua dudum ſopitum Valentiniani dogma reſumpſit, & irritatur à vobis Saluatoris Incarnatio, quodque in Manichæorum dogma, & Arij, & Apollinaris, Paulique Samoſateni incidiſtis.* Itaque ad Romanum Pontificem Orientales Epiſcopi deferunt nomen Petri Fullonis Antiochenæ Eccleſię Epiſcopi Inuaſoris, impij hæretici, & ſententiam illius requirunt, quòd in cauſa Fidei non alius, niſi Romanus Pontifex iudex futurus erat. Et quidem hac Iudicis authoritate vſus Felix eum Sede deiecit, ac dignitate priuauit, quemadmodum conſtat ex Epiſtola ad eundem, & Zenonem Imperatorem, quę ſunt 4. & 5. Felicis. Nec minus hic in Acacium, qui ſe communione Petri Fullonis, & aliorum hæreticorum contaminarat, litteris ad eum miſſis fulminauit. Quę ſententię formula in Epiſtola ad Acacium VI. continetur. Præſtat item alia argumenta huiuſcemodi in vindicãda Fide Catholica Felix in proſcriptione Timothei Aeluri, & Petri Moggi Alexandrinę Eccleſię vſurpatorum, & Orientalis turbinum, ac peſtium. Id clamant Epiſtolę ad Acacium, & Fullonem, & Zenonem: & Libelli duo citationum, alter ad Acacium, alter ad Zenonem, qui inter Felicis Epiſtolas recenſentur. Sed pręſtat audire Patres Romani Concilij ob cauſam Fidei aduerſus eos hęreticos congregati. *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas colliguntur Domini Sacerdotes conſuetudo retinetur, vt Succeſſor Præſulum Sedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum Italiæ Sacerdotum iuxta ſolicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem cuncta conſtituat, qui eſt caput omnium, Domino ad B. Petrum dicente. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quam vocem *ſequentes trecenti decem, & octo Patres confirmationem rerum, atque authoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ detulerunt, quam vtramque vſque ad ætatem noſtram ſucceſſiones omnes Chriſti gratia præſtante cuſtodiunt. Quod ergo placuit Sanctæ Synodo apud B. Petrum Apoſtolum ſicut diximus per Tutum Eccleſiæ defenſorem, & Beatiſſimus vir Felix caput noſtrum Papa, & Archiepiſcopus indicauit.* Nullum vidi luculentius teſtimonium. Id maximè mouet, quod

Epiſtola Felicis.

Orientales accuſant Fullonẽ corã Pontifice Romano.

Conc R.

Antiochena Eccleſia recurrit ad Papam pro documentis doctrinæ.

Libelli Felicis.

PP. Cõcil. Rõ.

Romanum Concilij illuſtre vniuerſalis doctrinæ teſtimonium.

quod ad Nicenum Concilium hanc doctrinam, & conſuetudinem referat: cum id in Canonibus qui nunc extant Nicenis minimè ſit, nec in ijs qui ex Oriente rogatu Africanorum Patrum ad Occidentem ſunt miſſi. De quo nos latius in materia de Concilijs dicturi ſumus. Nunc illud interim iacimus. Fortè dictum propter illud additamentum Canonis 6. citatum in Còncilio Chalcedonenſi à Legatis Sedis Apoſtolicæ de quo ſupra: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Quod certè mihi hac ratione videtur vero ſimile, cùm hoc Epiſcopi in Concilio haud temerè affirmaſſe videantur. Non apparet autem quibus verbis niti potuerint, niſi huius additamenti, in quo hæc præſtantia ſupremæ Sedis continetur.

Canon Concil. Chalc.

Eccleſia Romana ſemper habuit Primatū: vox fuit Concilij Chalcedonenſis.

Gelaſij Papę Epiſt. huius doctrinę ſunt plenæ. Percurro nonnullas, & quę in nonnullis alijs emineant, decerpo. Ad Euphemium I. ad Fauſtum IV. quę commonitorium dicitur. Ad omnes Epiſcopę per Picenum 5. ad Epiſcopos Lucanię 9. Ad Epiſcopos Dardaniæ, & Illyrici II. Opuſculum de Anathematis vinculo. Ex Epiſtola 2. ad Laurentium de Lignido. *Quia nos*, inquit, *admones dilectione fraterna, vt velut medicinam quamdam Fidei Epiſcopis per Illyricum, vel alijs miniſtrare debeamus, quanquam hoc copioſiſſimè factum ſit à beatæ recordationis prædeceſſore noſtro, & quia mos eſt Romanæ Orthodoxæ Eccleſiæ Sacerdoti nouiter conſtituto formam ſuæ Fidei ad Sanctas Eccleſias prærogare.* Patet formam Fidei à Romano Pontifice ſuſcipi ac emitti ſolitam, ad propriæ teſtimonium doctrinę, & aliarum Eccleſiarum documentum: vt in ea tanquam in ſpeculo verę Fidei faciem agnoſcerent. Sed Gelaſij ſuſpectum teſtimonium dicent. Affero ex proxima Epiſtola Epiſcoporum ad ipſum Dardaniæ alienum, quod ſit idoneum. *Maximas Deo gratias & Beatitudini veſtræ referimus quod nos Paſtorali admonitione, & Euangelica doctrina viſitare dignatus es Domine Sancte Apoſtolice, & Beatiſſime Pater Patrum; Deſiderij enim, & voti noſtri eſt iuſſionibus veſtris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus noſtris accepimus Sedi Apoſtolicæ, quæ vitæ, & meritis delata eſt, intemerata ſeruare, atque religionem Orthodoxam, cuius iſtos prædicatores Fideli, & inculpata deuotione prout ruſticitatis ſenſus patitur, cuſtodire.* Cur his non conſentiunt Angli, Scotique doctores? Epiſcopi non ſunt: nec Paſtores agnoſcunt: extra ouile Chriſti verſantur. Videant, quàm ſit conſona vox Gelaſij voci Epiſcoporum? *Si quantum ad Religionem pertinet* (*ſcribit* ad Fauſtum

Gelaſ.

Numerantur Epiſtolæ Gelaſij quæ Primatū ſtatuunt.

Epiſtola ad Laur. Lignido

Epiſcopi Dardan. ad Gelaſ.

Dardanię Epiſcopi doctrinæ Pontificiæ vniuerſalitatem fatentur.

ſtum) *non niſi Apoſtolicæ Sedi iuxta Canones debetur ſumma iudicij totius : ſi quantum ad ſeculi poteſtatem illa à Pontificibus, & præcipuè à B. Petri Vicario debet cognoſcere, quæ diuina ſunt, non ipſa eadem iudicare : nec ſibi hoc quiſquam potentiſſimus ſeculi, (qui tamen Chriſtianus eſt) vindicare præſumit, niſi Religionem fortaſſe perſequens.* Hoc adduxi ne truncarem periodum. Connecto. *Quapropter non veremur ne Apoſtolica ſententia reſoluatur, quam & vox Chriſti, & maiorum traditio, & Canonum fulſit authoritas vt totam potius Eccleſiam ſemper ipſa dijudicet.* Gelaſij ſententiam ſequi nolunt, qui ſuę tam ſunt tenaces, vt malint erroribus ſuis adhærere, quàm veritati obaudire. Qui vocem Vicarij Chriſti non audiunt, nec Chriſti vocem agnoſcunt.

Gelaſij vox.

Conſentius Gelaſio.

Egregia vox Gelaſij.

Si vera non eſſet vox Gelaſij, non auderet ille ad Anaſtaſium Imperatorem ſic ſcribere: Epiſt.8. *Apoſtolicæ Sedis authoritas quod cunctis ſeculis Chriſtianis Eccleſiæ prælata ſit vniuerſæ, & Canonum ſerie paternorum, & multiplici traditione firmatur.* Non omittam particulam in fine Epiſtolæ, quę mirè quadrat in Anglos Heterodoxos. *Adhuc Apoſtolicam Sedem ſibi medicinalia ſuggerentem ſuperbam vocare arrogantemque contendunt.* Nempe Acaciani, & ſequaces Aeluri, Moggi, & Gnaphæi. His ſimiles Angli eſſe, quàm Catholicis eius temporis maluerunt.

Epiſtola Gelaſij ad Anaſtaſ.

Alia præclara.

Transferenda hic erat tota Epiſtola 3. ad Epiſcopos Dardaniæ, tam illa idoneis argumentis abundat. Sed nimis eſt longa. Pauca delibo. *Nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ aſſenſus probauit, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum ſua authoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit pro ſuo ſcilicet Principatu, quem Beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum Eccleſia nihilominus ſubſequente & tenuit ſemper & retinet.* Sunt hęc clara. Illa illuſtria. *Non reijcimus autem quod cuncta per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententijs ligata Pontificum Sedes Beati Petri ius habeat reſoluendi, vtpotè quod de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicio iudicare, ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.* Pręter eunt iſta cum legunt Angli, vel lecta negligunt, vel diſſimulant ſe legiſſe. Coronis eſto huius de Gelaſio ratiocinationis illud celebre eiuſdem Decretum in Concilio Romano editum de Apocryphis ſcripturis. Quid enim ad probandum Papæ in doctrina traden-

Eiuſdē in Epiſt. ad Epiſ. Dard.

Sedes Romana dictat quid tenendū quid reijciendum ſit in materia Fidei.

da authoritatem afferri poteſt validius, quàm quod Summi Pontificis eſt Sacras ſcripturas recognoſcere, quę ſint Canonicæ ſtatuere, quæ idonea, quæ Apocrypha ſunt definire, & vera à falſis diſcernere. Hic illa ſunt verba Palmaria. *Sancta Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris Noſtri Primatum obtinuit.* Anaſtaſij II. vt breuis Pontificatus fuit, ita & pauci ſunt in rem noſtram loci. Initio Epiſtolæ ad Anaſtaſium Imperatorem. *Sedes*, inquit, *Beati Petri in Vniuerſali Eccleſia aſſignatum ſibi à Domino Deo teneat Principatum.* Non paterentur hoc aures Imperatoris, niſi veriſſimum eſſet. Cur de eo dubitant, aut cur id negant Heterodoxi? An ſit illa Papæ Anaſtaſij vera ſententia, diſcant ex Apocriſarijs Alexandrinæ Eccleſiæ in libello Romanis Legatis oblato. *Cum ab vno fuerit in vtriſque iactum Fidei fundamentum Petrus memoratus Beatus Apoſtolus Cuius per omnia Sanctus Euangeliſta Marcus extitit imitator, ita vt ſi quando contigerit in rebus ambiguis quædam Epiſcoporum Concilia celebrari, ſanctiſſimus is qui Romanæ præſideret Eccleſiæ Reuerendiſſimum Alexandrinæ Eccleſiæ ciuitatis Archiepiſcopum eligeret, vt ſui curam loci ſuſciperet.* Itaque quantum intererat inter Petrum, & Marcum, tantum inter Romanum, & Alexandrinum Patriarcham volunt intereſſe; nempè, vti Petrus magiſter Marcum diſcipulum, & vice ſui Alexandriæ habuit, ita Romanus Pontifex Petri Vicarius cùm adeſſe non poſſet Alexandrinum ſibi Patriarcham ſubſtitueret, quemadmodum in Celeſtino, & Cyrillo accidiſſe vidimus. Huic initio, Epiſtolæ finis concordat. *Per hanc*, inquiunt, *immaculatam, quæ de illo* (Chriſto) *eſt, fidem, vt ad vrbem Romanam fauente Domino venientes hanc Chartulam offeratis Apoſtolicæ Sedis Antiſtiti Anaſtaſio, quæ ex perſona Sanctæ Eccleſiæ Alexandrinæ nobis oblata eſt, vt eius ſanctitas relegens, quæ ſibi fuerint placita, ſeu litteris ad ſanctiſſimum noſtrum Archiepiſcopum datis, ſeu per aliquem internuntium manifeſtare dignetur. Nam cum à ſanctitate eius Fidei rectæ fuerit ſeruata confeſſio, quæ eſt à beatis Patribus conſtituta nos paratos exiſteere profitemur ad Vrbem Romam Legatos, qui pro vnitate Sanctarum Dei Eccleſiarum agere debeant, deſtinare.* Orientales hi ſunt, & Alexandrinis eius quę primas gerebat Eccleſię. Agnoſcunt Primatum Sedis Romanę in doctrina. Inficiantur Angli. Vtris credendum? Quin Alexandrinis, æquus rerum æſtimator

Anaſt. Papa.

Libellus Alexan. Eccleſiæ

Petri prærogatiua tranſit ad Sedē.

Confeſſiones, & profeſſione, Catholicę Fidei à Romano Pontifice, & dictatur, & recognoſcuntur.

tor

tor minimè dubitabit. Vocat me Symmachus. Litteræ illius ad Imperatorem Anaſtaſium ſedis Apoſtolicæ doctrinam mirificè tradunt, & commendant. Ea Epiſtola Apologetica inſcribitur num.8. Sed quæro in Symmacho aliena. Orientales Epiſcopi ſic nona Epiſtola ad Symmachum. *Hæc dicimus Sanctiſſime, auſi ſupplicare non pro perditione vnius ouis, neque pro perditione vnius drachmæ, ſed pro amica nobis ſalute non Orientalium partium tantùm, ſed trium propè plagarum habitabilis mundi, non corruptibili argento, & auro redemptarum, de vana conuerſatione à parentibus tradita: ſed pretioſo ſanguine Agni Dei, ſicut docuit Beatus glorioſorum Apoſtolorum Princeps, cuius Cathedram Beatitudini tuæ credidit Chriſtus, Optimus Paſtor, qui venit quęrens, & liberans, quod perierat, & ponens animam ſuam in redemptionem pro multis. Quem imitatus Sanctiſſime, beatiſſimeque, feſtina ad adiuuandum nos.* Inſignis profectò locus, ex quo patet, non ad ſingulas tantum vnius regionis Prouincias, ſed ad totius habitabilis mundi regionis extendi poteſtatem, & doctrinam Romani Pontificis; & quod amplius eſt, ab eo remedium tanquam officij debitum munus exigitur. Attendant Scoti, & Angli: pertinent (ſi oues Chriſti ſunt) ad curam Papæ Romani; vno modo eximere ſe poſſunt, ſi Lupos ſe, non oues eſſe fateantur.

Symmachus.

Orientalium ad Symmachum Epiſtol.

Pontifex Romanus vniuerſi orbis plagas cura complectitur.

Ennod. Apologeticus Ennodij multa, & nobilia ſuppeditat argumenta Primatus Vniuerſalis. Carpo nonnulla doctrinam attinentia. *Sanctorum voce patet Pontificum, dignitatem Sedis Petri factam toto Orbe venerabilem, dum illi quicquid Fidelium eſt, vbique ſubmittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur: de qua mihi videtur dictum per Prophetam. Si hęc humiliatur, ad cuius confugietur auxilium, & vbi relinquetis gloriam veſtram?* Paulo poſt de Concilio Romano Præſide Symmacho agens ſic. *Cur in perniciem veſtram læditis Sacerdotale Concilium? Cur laceratis ſententiam in qua inſpirante Chriſto oracula ſuperna patuerunt, & inter Deum, atque homines interpres extitit lingua Pontificum?* Illud inſero altius poſitum ſenſus habita ratione, non loci. *Aliorum fortè hominum cauſas Deus voluit homines terminare. Sed iſtius Sedis Præſules ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio.* Hæc explicat Ennodius. Sed Heterodoxi Angli nodum obijciunt ſuæ duritiæ obſtinatæ. Nodum in ſcyrpo quęrunt: quod ſi inducant, gladium Petrus habuit, & hodie Paulus habet quo præcidamus.

De eo inſigne Ennodij teſtimoniũ

Hormiſ.

Gradum facio ad Hormiſdam, qui abundat Epiſtolis, quibus reſponſa conſentiunt ad rem noſtram ſtabiliendam. Non eſt huius loci ſingulas examinare: indico multas, ſeligo paucas, ſed illuſtriores 1. & 3. & 4. Epiſtola dignitatem Romanæ Sedis commendant. In ſecunda ſic Anaſtaſius Imperator. *Saluator Noſter Sanctos Apoſtolos diuino ſermone docuit, ac maxime B. Petrum, in quo fortitudinem Eccleſiæ ſuæ conſtituit.* Viſus eſt mihi, cum hæc legi, Anaſtaſius Papa loqui. Vellem vt hæc legeret Forbeſius, qui negat Petro illam Petram attribui, quòd ſit vni eius confeſſioni, non perſonæ addicta, immò & eam omnium Apoſtolorum communem eſſe affirmat; vt eum ſuæ audito Anaſtaſio puderet ſententię. In reſcripto Senatus Vrbis, & Epiſtola Synodica Epiri, & in exemplo relationis Auiti, & in Indiculo dato Ennodio, & cęteris Hormiſdæ in Orientem Legatis idonea ſuppetunt argumenta. Ioannes Nicopolitanus in Epiſtola, ſiue exemplo per Ruffinum Diaconum ad Hormiſdam miſſo ſic. *Decenter ad veſtras orationes recurrò, vt iuxta conſuetudinem Romanæ Sedis veſtra, quæ cunctarum Eccleſiarum curam habet, & Nicopolitanorum habere dignemini.* Hanc curam deprecantur Heterodoxi Angli, poſtquam ſalutis, & Fidei abiecerunt, eamque in opibus, & diuitijs, & voluptatibus collocarunt. Epiſtolæ 16. 17. 18. 23. 24. multa & conſpicua ſeruant prærogatiuæ Primatus veſtigia. Splendet in Archimandritarum ad Hormiſdam exemplo lux Sedis Apoſtolicæ: nam ipſamet inſcriptio documentum eſt. *Sanctiſſimo & Beatiſſimo vniuerſi Orbis terræ Patriarchæ Hormiſdæ continenti Sedem Principis Apoſtolorum Petri.* Initio Epiſtolę narrant, quid ab Hęreticis patiantur Eccleſię, & remedium ab Hormiſda petunt, quem *Angelum Chriſti* vocant, *cui authoritatis baculum* tribuunt. Commemorationem malorum ſequitur deprecatio. *Deprecamur ergo, Beatiſſime, ſupplicantes, & rogantes, vt exurgatis cum feruore, & zelo, & condoleatis iuſtè pro corpore laniato. Nam caput eſtis omnium, & vindicetis Fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blaſphematos, & talem Synodum anathemate impetitam.* Paulo poſt. *Occurret ipſe grex cognoſcere ſuum Paſtorem ab immitiſſimis beſtijs, & vocem ſequens Paſtoris, ſicut Dominus ait, oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Non ergo deſpicias nos Sanctiſſime, qui à beſtijs ferocibus quotidie vulneramur.* Legunt ne iſta Heterodoxi? Non puto. Quid ergo legunt? Triſtanos, Lanzarotes,

Petrus Petra Eccleſiæ ex Anaſtaſio Imperatore.

Imperator Anaſtaſius.

Io: Nicopolit.

Eccleſia Romana curam gerit omnium Eccleſiarum.

Archimandritarum epiſtola.

Vindicare fidem proprium Papæ.

rotes, Orlandos. At legunt etiam ſcripturas, & Patres; nam eos citant, & doctos ſe oſtendunt. Non nego. Sed tanquam canes è Nilo, prętereundo plura, & libando pauca, nimirum quæ ad ſuum palatum faciunt. Saltuatim, & in curſu; atque hęc ipſa, quę hauriunt, corrumpunt. Non hęc Occidentales Monachi, non Aulici Papę, ſed Orientales, & ſemoti à turba, & foro dicunt, nulla ducti ambitione, nullo affectu pręoccupati. Subſcribunt centum ſexaginta quatuor. Sequuntur Epiſt. 24. & 25. 29. 30. 31. & reliquę ad 45. eadē doctrina refertę, ac inter eas ſunt Auguſtorū Iuſtini, & Euſemię & Anaſtaſię, illam confirmantes. Tranſcribere omnia non poſſumus. Indicamus Iuſtini Epiſtolā ad Hormiſdam inter 27. & 28. eiuſdem poſitam, & Iuſtiniani Comitis interiectam 29. & 30. Illud eſt palmare in libello Ioannis Conſtantinopolitani poſt Epiſtolam quadrageſimam. *Tuis, inquit, verbis rectè dictis euidenter vtens per præſentia ſcripta hæc dico, quia prima ſalus eſt rectę Fidei regulam cuſtodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare, quia non poteſt Domini Noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Hęc quæ dicta ſunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica inuiolabilis ſemper cuſtoditur Religio. De hac igitur Fide non cadere cupientes, &c.* Si Oxonij eſſem, clamarem: Hęc ſunt Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ad Papam Romanū. Non Albani, aut Tuſculani. Quod vos (malum) ab ea Sede auertit? Huic nos Petrę Catholici adhęremus: vos ſeparamini. Ne abite longius, audite cętera. *Vnde probamus, & amplectimur Epiſtolas omnes B. Leonis Papæ Vrbis Romæ,* (quam odiſtis Oxonienſes,) *quas conſcripſit de recta Fide. Quapropter ſicut prædiximus ſequentes in omnibus Sedem Apoſtolicam, & prædicamus omnia, quæ ab ipſa decreta ſunt, & propterea ſpero in vna communione vobiſcum, quam Apoſtolica Sedes prædicat, me futurum, in qua eſt integra Chriſtianæ Religionis, & perfecta ſoliditas.* Non vidi fulmen acrius contortum, quàm ſit hęc prolata contra Oxonienſes ſententia. Nulla eſt, Doctores mei, extra communionem Eccleſię ſalus. Veſtra ò Aberdonienſis, Iręnica Pacem non afferunt. Polemica potius ſunt. Bellum Catholicę Fidei indicunt. Hoſtes vos eſſe Chriſti vel lecta declarant. Dum deſeritis Sedem Romanam, ad Cathedram peſtilentię, & caſtra dęmonum deficitis. Nec plura his in Hormiſda. Mitto auidos Lectores ad Epiſtolas 51. 59. 65. 70. 78. 79. & interpoſi-

Inuectiua in hæreticos.

Auguſti prærogatiuam Papæ teſtantur.

Ioannes Conſt.

Sedes Romana religionis cuſtos inuiolabilis

Adhortatio ad heterodoxos

Pungitur Forbeſius in ſuo Ireno.

tas Monachorum Scythię, & controuerſias Synodi Conſtantinopolitanę, relationes ſuggeſtionis, Germani, & Dioſcori, & Epiſtolas Epiphanij Conſtantinopolitani, ac imprimis inculco vltimam Hormiſdę Epiſtolam, quę Incarnationis Verbi Diuini contra Neſtorium, & Eutychetem myſterium exponit.

Ioannis I. duę tantum Epiſtolę ſunt: nec enim ſcribendi habuit, cui vix ſpatium reſpirandi inter ęrumnas, & dolores fuit. Prima tamen ad Zachariam Patriarcham ſe conſulentis egregium authoritatis ſpecimen exhibet. Secunda, quæ eſt hortatoria ad omnes Epiſcopos Italię, ne ſe à Theodorico Rege ad Arianam hęreſim abduci patiantur illuſtre quoddam continet Pontificię curę documentum. Hęc tota penè eſt Pauli locis contexta, ac quę legatur prorſus digna. Ioan. I.

Epiſtola de Fide Ioannis Primi eximia.

Felix IV. in tribus, quas ſcripſit Epiſtolis, non omiſit ſigna quadam non obſcura pręrogatiuę Pontificalis dare, ſed quòd ea magis ad Ritus, & mores Eccleſię pertinent, ad ſuum eas locum reſeruo. Concilium Vaſionenſe hoc Pontifice celebratum, quiddam ſuppeditat rei noſtræ conſentaneum. Sic enim ait cap. 5. *Quia non ſolum in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam propter hæreticorum aſtutiam, qua Dei Filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed à tempore cæpiſſe blaſphemant in omnibus clauſulis poſt* (ſubintellige Pſalmos) *Gloria Patri, &c. dicitur etiam, & nos in vniuerſis Eccleſijs noſtris hoc ita dicendum eſſe decreuimus.* Fel. IV. Concil. Vaſion.

Sedes Apoſtolica magiſtra & idea cæterarũ.

Prętermiſſo, quòd nulla eius ſit Epiſtola, Bonifacio II. inter Epiſtolas Ioannis II. Iuſtiniani Prima quędam exhibet notanda. *Quæ commota ſunt, quamuis manifeſta, & indubitata ſint, & ſecundum Apoſtolicæ Sedis veſtræ doctrinam ab omnibus ſemper Sacerdotibus firmè cuſtodita, & prædicata, neceſſarium duximus, vt ad notitiam veſtræ ſanctitatis perueniant.* Erant autem hęreſes quę pullulabant, quas nominatim producit. Mox. *Omnes Sacerdotes Sanctæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, & Reuerendiſſimi Archimandritę ſequentes ſanctitatem veſtram, & cuſtodientes ſtatum, & vnitatem ſanctarum Eccleſiarum, quam habent à veſtræ Sanctitatis Sede, &c.* Congruit Ioannis Papę reſponſio, quę eſt Epiſtola ſecunda. Hęc libo, *quam eſſe omnium verè Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant, & pietatis veſtræ Reuerendiſſimi teſtantur affatus.* Et rurſum. *Ea populis fidelibus publicaſtis, quæ & Sedis Apoſtolicæ doctrina,* Ioa: II. Epiſtola Iuſtin.

Doctrina Romana vbique recepta.

Illius authoritas.

ctrina, & Sanctorum Patrum veneranda decernit authoritas, &c.

Tertia Ioannis Epiſtola contra Acęmetas Monachos Catholicam de Incarnatione doctrinam tradit, eſtque cæleſte quoddam oraculum. In Epiſtola Caſſiodori ad eundem Ioannem illa eſt commemoratione digna particula. *Vos ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis: vos Patris nomine vniuerſa diligitis. Securitas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitus eſt commiſſa cuſtodia.* Iterum. *Monete me quæ ſunt gerenda ſolicitè: bene agere vel correptus exopto, quia difficilius errat ouis, quæ voces deſiderat audire Paſtoris. Sum iudex Palatinus, ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus.* Obſeruent Cantabrigienſes: vt nobiles ſint, vt ſplendidi ſint, vt eruditi ſint, non pręſtant, opinor, Caſſiodoro: diſcant ex eo Papam reuereri, non temnere. Pergit. *Sedis illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, quæ licet generalis mundo ſit præſtita, nobis etiam cognoſcitur, & localiter attributa:* At Caſſiodore, Cantabrigienſes à Romana Sede abeſſe volunt, quàm longiſſimè. Immò quam tuis eſſe toto Orbe mirabilem eam ij vilem & abiectam vbique eſſe contendunt: & malunt, non eſſe, quam ei ſubeſſe. O tempora? O mores? Aliter de illa Africani Patres Caſſiodoro pares ſentiebant. Sic enim hi ad Ioannem. *Poteſt Sedes Apoſtolica quantum ſperamus tale nobis dare reſponſum interrogantibus, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat.* Mox: *Conuenire charitati credidimus, vt quid habeat ſenſus noſter in publicam notitiam nemo perduceret, niſi prius vel conſuetudo nobis, vel definitio Romanæ Eccleſiæ proderetur.* Non audent contra Eccleſiam ſentire, Aberdonienſes audent eidem contradicere.

Caſſiod. — *Magiſterium Romani Pontificis vniuerſale.* — *Sedes Romana toto Orbe mirabilis apud Caſſiodorum.* — *Patres Afric.* — *Apoſtolicę Sedes docet.*

Ad Agapetum Iuſtinianus binas Confeſſiones ſuę litteras miſit, vt ei ſuam Fidem probaret reddito inſigni Sedis Apoſtolicę authoritati teſtimonio. Cuiuſmodi erat illud ad Ioannem miſſum de quo proximè. Reſpondet ipſe Agapetus litteris Africanorum, quas ad Ioannem directas, eo mortuo acceperat, ac inter cętera. *Sicut ſapientes facere decebat, & doctos, immemores Principatus Apoſtolici non fuiſtis. Sed quæſtionis illatæ volentes vincula diſſoluere, ab eius Sede requiſiuiſtis, ſicut decebat aditum, cui poteſtas eſt indulta clauſtrorum.* Iam vero quid reſponderit Iuſtiniani litteris, quòd poſteriùs hęc reſponſio in Conciliorum volumine ponitur, videamus. Quod noſtrum

Agapet. — *Iuſtiniani Imperatoris ad Papam miſſa cōfeſſio.* — *Cōtrouerſiarum Fidei iudex ſedes Romana.*

eſt

eſt ſumimus. *Quod maius Fidei veſtræ potuit opus exiſtere, quàm quòd tantis Apoſtolicam Sedem charitatis, & munificentiæ titulis eleuaſtis, vt ipſa etiam deſideria ſperantium tranſiretis.* Dolet hoc Heterodoxis, adeo vt negent hanc Epiſtolam eſſe Iuſtiniani. Sed ſolo dolore id probant. Negant, quod nollent ſcripſiſſe. Conſtat Iuſtiniani eſſe, ac eos ex dolore in rabiem actos diſipuiſſe. Augeamus dolorem, illa denuò ingerentes. *Hoc certè vix poterit Epiphanius excuſare, quod tam pijſſimo, & clementiſſimo Principi Beati quoque Petri Priuilegia defenſanti, non vel opportunè, vel importunè ſuggeſſit, quid in hac parte Sedis Apoſtolicæ reuerentiæ deberetur.* Tandem. *Seruato Beati Petri, quem diligitis Principatu.* Quem Iuſtinianus dilexit, oderunt Heterodoxi iniuſti. Odei ducti Sedem Apoſtolicam inſectantur. Vna ſupereſt laudanda maximè Agapeti Epiſtola in qua perſpicuè docet duas eſſe in Chriſto naturas, & Anthimum contra ſentientem condemnat. De culmine Romano lucet, & fulminat. Illa quę ad Cęſarium data eſt Arelatenſem, non ad doctrinam, ſed ad ius appellandi ſpectat. Quid illa alia miſſa ad Petrum Alexandrinum contineat, infra dicemus.

Iuſtinianus defenſor Sedis Apoſtolicæ.

Agapetus Primatũ aſſerit, & tutum.

Iuſtin.

Sunt pleraque in Conſtantinopolitano Concilio ſub Mena, quę probant hanc vniuerſalis pręſtantiam doctrinę, ſed quòd ea ad damnationem prauę hęreticorum doctrinę, atque adeo ad poteſtatem coercendi pertinent potius, quàm dirigendi, ad proximum caput remitto, vt ordinis rationem habeam.

Concil. Conſt.

S E-

SECTIO V.

Quę documenta huiuſce veritatis à Vigilij ad Gregorij tempora inueniuntur.

Vigil.

AD Vigilium eo libentiùs venio, quòd ſcio eum præuaricationis ab Aberdonienſibus Forbeſio, & alijs inſimulari, eiuſque conſtitutum rodi, & carpi. Efficiam dum probo illum ad normam Catholicæ Fidei conformatum, vt impoſita calumnia euaneſcat. In Epiſtola 4. ad Iuſtinianum Imperatorem narrat miſſam ſibi ab eo fuiſſe Fidei confeſſionem, quã & recognoſcit, & laudat: hæreſes recentes condemnat, & authoritatem, & dignitatem Sedis Apoſtolicæ tuetur, & ſuſtinet. Libo quædam. *Suſcepimus quos ardore Fidei nobis etiam pios direxiſtis affatus. Nos quos B. Petrus Apoſtolus omni poſcenti rationem reddere pia traditione conſtituit, libenti animo Chriſtianitati veſtræ ſatisfaciendum eſſe perſpeximus. Sperantes vt nullius ſubrepentis inſidijs priuilegia Sedis B. Petri Apoſtoli Chriſtianiſſimis temporibus veſtris in aliquo permittatis imminui.*

Sedi Romanę omnes Catholici Fidem ſuã probant.

Idem.

Epiſtola 9. ad Epiſcopos Galliæ præclarum exhibet ſpecimen doctæ huius authoritatis ad vniuerſam Eccleſiam permanantis. *Quantum nos* incipit *diuina potentia Apoſtolorum primi Sedem, non pro noſtris meritis, ſed pro ineffabili ſuæ miſericordiæ pietate habere conſtituit, tantum nos de vniuerſarum Eccleſiarum diſpoſitione, & pace, & ſtatu curam habere etiam conuenit.* Paulo poſt. *Contentiones vero, ſi quæ, quas Dominus auferat, in Fidei cauſa contigerint, aut tale emerſerit fortè negotium, quod pro magnitudine ſua Apoſtolicæ Sedis magis iudicio debeat terminari ad noſtram diſcuſſa veritate perferatur ſine dilatione notitiam.* Eiuſdem generis ſunt Epiſtola 15. ad vniuerſam Eccleſiam Encyclica, & alia quæ dicitur. *Fragmentum damnationis Theodori.* Niſi quod ad punitionem magis quàm directionem referuntur. Hæc tamen argumento ſunt Vigilium ſatis vigilantem in doctrina Catholica, & tradenda, & tuenda fuiſſe.

Cauſa fidei apud Sedem Apoſtolicam terminatur.

V. Synodus.

Quod attinet Concilium: in eo nihil alienum non modo à Fide, ſed ne à dignitate quidem & decoro commiſit Vigilius, iam verus Pontifex. Breuiter dico, quæ latius dicam in libro quem adorno de Concilijs. Primum expedio, quod illi obijcitur Concilium: nempe ſcripſiſſe illam Epiſtolam quam aſ-

Liberatus affingit Vigilio litteras adulterinas. — Liberat. Binius.

fert Liberatus in Breuiario cap. 22. plenam hæreſibus monophyſitarum,& Euthychianorum. Sed hæc impudens eſt figmentum, vti eruditè oſtendit Seuerinus Binius in notis ad Liberatum. Mihi illud ſufficit, quod in eademmet Epiſtola tradit errorem Eutychis, & damnat Dioſcorum, quæ certe ſtare non poſſunt. Damnat præterea Theodoretum, quem ſemper liberum eſſe, ac indemnem voluit. Demum hanc Epiſtolam fictam eſſe declarat Sexta Synodus Actione 15. vbi dicit anathema. *Libro Mennæ ad Vigilium, & libellis, qui dicuntur facti à Vigilio ad Iuſtinianum, & Theodoram diuæ memoriæ.* Quod autem libellos non Epiſtolam appellet, nihil impedit, nam in ea varia capita ponuntur, in quæ placita Vigilij conijciuntur, vt compacta ex ijs Epiſtola in libellum conformetur.

Sexta Synod.

Hiſtoria Vigilij in Quinta Synodo.

Hinc expeditus alia vrgeo. In Concilio adeſſe noluit prudenter, quòd vidit occupatum ab Orientalibus locum comparatis ad damnationem trium Capitulorum, quæ Occidentalis Eccleſia nolebat damnari. Conſtituto Iuſtiniani reſtitit, quod ſenſit violenter obtrudi, eoque in ſpeciem derogari Chalcedonenſi Synodo, quæ damnatis erroribus, abſtinuerat perſonis: nec decebat Papam Imperatori cogenti ſubſcribere, ſeque ille obnoxium reddere. Poſtulauit ſpatium viginti dierum ad reſpondendum. Reſpondit eo exeunte oblato ſuo Cōſtituto. At in eo diſcordauit à Concilio? Sanè: vetuit enim damnari tria capitula. Verum & innocenter, & prudenter. Nam ille mortuis perſonis parcendum exiſtimabat. Nec tenebatur Synodi legibus. Verum (quod magna vi Nouatores abijciunt) poſtea à ſeipſo diſceſſit, & probando Concilium, & recedendo à conſtituto. Fateor. Nam id licebat, & expediebat. Res erat facti, non iuris, mutato rerum ſtatu, vertebatur cardo rei. Agebatur cauſa Concilij Chalcedonenſis, cui quidam ea damnatione detrahere conabantur, idque vulgò credebatur; alij impium eſſe putabant damnari poſt mortem perſonas, quòd vltra mortem ſæuiendum erat. Maior pars iudicabat ſatis eſſe id quod in Chalcedonenſi Synodo ſtatutum de ijs fuerat. Dum hæc tria ſtabant, damnatio nec licebat, nec expediebat. Tempus in quo magna ſunt in vtramque partem momenta, monſtrauit nullum creari Chalcedonenſi Concilio periculum: non eſſe, aut inſolens, aut impium damnare mortuos in hæreſi, immò congruum, & neceſſarium: Chalcedonenſe

Concil. Chalc.

Conſtitutum Vigilij defenditur.

Hæretici poſt mortem damnantur.

Geſta Quintæ Synodi.

nenſe ſtatutum, non infringi, ſed augeri, & augendo exponi, & firmari, declarando Theodorum Mopſueſtenum, cum ſuis ſcriptis, quod minimè reſipuerat, & hęreticus obierat, omnino eſſe damnandum; Theodoretum, & Ibam quoad perſonas in tuto eſſe, quòd ſe in meliorem frugem receperant, ſcripta, quæ erant, figi, & proſcribi oportere. His deprehenſis, & cognitis prudentis erat mutare ſententiam, & in melius referre conſilium, cum præſertim Iuſtiniani Decreto acceſſiſſet deliberatio, & approbatio Synodi, & illud in Eccleſiaſticam tranſiret ſententiam, in quam caderet aptè Pontificis approbatio, quæ minus quadrabat in laicum Decretum. Ecquid non ex decoro fecit Vigilius? aut in quo lapſus eſt? De nihilo eum Aberdonienſes accuſant. Nos ſummo iure defendimus. Ea quippè ratione Synodus in legitimam, & Oecumenicam vertit. Approbante Vigilio per litteras ſuas, quemadmodum referunt Euagrius lib. 4. cap. 37. Nicephor. lib. 17. cap. 28. & 28. Cedrenus, & Zonaras, & Photius libro de Septem Synodis, etſi alij de tempore diſcrepent, nec enim, aut integra Synodo, aut dimiſſa ſtatim Vigilius approbauit, cum in exilium actus ſit, quia non approbauit; ſed multo poſt quando aſſerta per Narſetem Italia eò redeundum fuit, ac idcirco multis donis, & honoribus eſt à Iuſtiniano affectus, & Romam remiſſus. Si hæc expenderet Forbeſius non ſolum abſtineret maledictis, ſed in laudes prorumperet, cùm illo conſtituto omnes Theodori errores diſtinctè propoſitos Vigilius acriter confutarit. Dormitauit in cenſura Vigilij Forbeſius, nos, opinor, in eo liberando vigilauimus. Cætera in Concilijs exequemur.

Theod. Mopſ. — *Trium capitulorum cauſa.* — Euagr. Niceph. Cedren. Zonar. Phot. — *Vigilius Quintã Synodum approbauit.* — Forbeſ. — *Forbeſius taxatur.*

Sed antequam diſcedam operæ pretium fore duco, ſi ad cõfutandum Forbeſium, qui magna vi nobis obijcit factum Vigilij, locum afferam Pelagij Papæ II. in Epiſtol. 2. ad Eliam & Epiſcopos Iſtriæ, qui cùm damnationi trium Capitulorum grauatè aſſentirentur, & Vigilij ſe conſtituto, & Latinorum, qui cum eo erant ſententia defenderent, ne illa condemnarent, & tacitè leuitatem, & inconſtantiam Vigilij reprehenderent: hoc à Pelagio reſponſum acceperunt. *Res quæ prouocare vos ad conſenſum debuit, à conſenſu vos ipſa diuellit. Latini quippè homines, & Græcitatis ignari dum linguam neſciunt, errorem tardè cognouerunt, & tanto eis celerius credi debuit, quanto eorum conſtantia, quouſque verum cognoſcerent, à certamine non quieuit:*

Pelag. II. — *Vigilij acta defenduntur*

quorum conſenſum certè fraternitas veſtra deſpiceret , ſi auſu præcipiti priuſquam verum cognoſcerent , conſenſiſſent . At poſtquam ab ijs diu laboratum eſt , & longo tempore ad iniurias vſque certatum , hinc veſtra Fraternitas penſet, quia tot labores repentè non relinquerent, niſi quæ vera eſſent, agnouiſſent. Tum duobus adductis exemplis Pauli , & Petri depellit calumniam inconſtantiæ à Vigilio , & ſocijs . Paulus enim cum prius legem Iudæorum acriter defenderet, ſimul ac verum cognouit, ea impugnata Chriſtum prædicauit, & Petrus cum Antiochiæ gentes ad Circumciſionem vellet traducere , reprehenſus à Paulo , mutauit ſententiam in Hieroſolymitano Concilio , eaſque ab eo onere liberauit. Quare. *Numquid*, ait , *Fratres dilectiſſimi Petro Apoſtolorum Principi ſibi diſſimilia docenti debuit ad hęc verba reſponderi . Hæc quæ dicis audire non poſſumus, quia aliud ante prædicaſti ? Si igitur in trium Capitulorum negotio aliud cum veritas quæreretur , aliud autem inuenta veritate dictum eſt , cur mutatio ſententiæ huic Sedi in crimine obijcitur , quæ à cuncta Eccleſia humiliter in eius authore veneratur ? Non enim mutatio ſententiæ , ſed inconſtantia ſenſus in culpa eſt .* Audin Forbeſi ? Ne aude Vigilium reprehendere. Sed eiuſmodi ille ingenij eſt , vt Pelagiũ quoque eo nomine, quòd Romanus ſit Pontifex taxet . Adeò à nobis diſcordare volunt Heterodoxi , vt quæ nobis ſit ratio conſentiendi, ea ſit ijs diſſentiendi . Sed bene eſt, quòd non à nobis tantum, ſed à maioribus item ſuis diſcordant , qui ſuperiori ſeculo cum Romano adhuc Pontifice ſentiebant.

Pelag.

Exemplo Petri à Pelagio II. Vigilius à calumnia liberatur

Idem.

Hæretici mouētur.

Pelagij I. inſignis extat Epiſtola 14. Encyclica de doctrina Sedis Romanæ , in qua Papam Leonem *Chalcedonenſis Synodi authorem* appellat . Illa pars rem maximè continet, in qua poſt numerata Concilia vniuerſalia , quibus ſe religiosè aſſentiri dicit , recenſet Epiſtolas Summorum Pontificum, eaſque reuerenter amplectitur : *Epiſtolas etiam beatæ recordationis Papæ Celeſtini , Sixti , & præ omnibus Leonis : necnon ſucceſſorum eius Hilari , Simplicij , Felicis , Gelaſij , Anaſtaſij , Symmachi , Hormiſdæ , Ioannis , Felicis , Bonifacij , Ioannis alterius , & Agapeti pro defenſione Fidei Catholicæ, & pro firmitate ſupraſcriptarum quatuor Synodorum , & contra Hæreticos , tam ad Principes , quam ad Epiſcopos , vel quoslibet alios per Orientem , & Illyricum , atque Dardaniam , aliaſque Prouincias diuerſis temporibus miſſas inuiolabiliter adiuuante Chriſto Domino me cuſtodire profiteor.* Viden? quo in numero ponat has Epiſtolas ? Sed in nullo eas ponunt Oxonienſes.

Pel. I.

Epiſtolæ Pontificũ Decretales quantæ ſint authoritatis

nienſes. Nimirum diſcrepant à tota illius æui Eccleſia, ad quam ſcribit Pelagius: ſic enim habet inſcriptio litterarum. *Encyclica ad vniuerſum populum Dei de Fide Catholica*. Non credunt inſcriptioni. Subiectam dicunt. Scio. Quæcumque ad Pontificiam dignitatem, & authoritatem faciunt negant arbitratu ſuo. Nec id mirnaur. Scripturas ſuo cogunt ſeruire iudicio. Nullam nobis iniuriam faciunt. Se ipſos infamant, dum nihil credunt, niſi quod volunt. Calculum hic ſuum adijciant Patres Bracharenſes in I. Concilio Anno 563. ſub hoc P. Pelagio, quos ego Luſitanus Oxonienſi Academiæ oppono. In eo ita Lucretius Præſes: *Beatiſſimus*, inquit, *Papa Vrbis Romæ Leo, qui quadrageſimus ferè Apoſtoli Petri ſucceſſor extitit, per Turibium notarium Sedis ſuæ ad Synodum Galliciæ contra impiam Priſcilliani Sectam ſua ſcripta direxit*. Probant, & curam, & officium accipiunt, & normam fatentur: ac Leoni prę ſtitam ab antiquioribus ſe Patribus obedientiam teſtantur. *Cuius etiam præcepto Tarraconenſes, & Carthaginienſes Epiſcopi, Luſitaniæ quoque, & Bæticæ facto inter ſe Concilio regulam Fidei contra Priſcillianam hæreſim, cùm aliquibus Capitulis conſcribentes ad Balconium tunc huius Bracharenſis Eccleſiæ Præſulem direxerunt*. Tanti in Hiſpania fiebat Romani Pontificis doctrina, vt ea amplecterentur Concilia, & in normam, & regulam Fidei verterent. Huius ſemper tenax Hiſpania fuit. Nunc illam Cantabrigia deſpicit? Nimium ſibi certè arrogat ſi contemnit. In eodem Concilio Bracharenſi legitur Leonis Epiſtola, & lecta clamant *Patres: Manifeſtius patet Apoſtolicam nobis opitulari doctrinam* cap. 17. Præſidium in ea ſibi fore exiſtimant, Aberdonienſes exitium. Vtros ſequimur? haud dubiè Catholicos Bracharenſes, quibus cum priſci illi Aberdonienſes ſenſere.

Heterodoxi punguntur.

Concil. Brach.

Papæ officium eſt præſcribere quæ ſunt tenenda in cauſis fidei.

Qua authoritate Leo ſcripſit, ac præſcripſit regulam Fidei eadem Benedictus I. normam rectè ſentiendi de Trinitate cõtra nonnullos Bæticos minus rectè de illa ſentientes ad Dauid Epiſcopum per litteras miſit. Eſt vero hæc 1. Epiſtola Decretalis. Vbi ſic. *Quod autem litteræ tuæ teſtes ſunt, quoſdam intra Prouinciam Bæticam eſſe, qui dicerent neminem veraciter poſſe probare Trinitatem & vnitatem fieri, cum neque tres in vno, nec vnum in tribus poſſe quenquam propriè approbare. Quas ob cauſas dilectiſſime Filij conſulta tibi Apoſtolicæ Sedis miſimus, vt aut eos ad rectam Fidem conuerti facias, aut ab Eccleſia antequam peſtis hæc latius*

Bened. Pap. I.

Pontifex Romanus tradit regulã credendi.

tius diuulgetur repellas. Mirum pondus authoritatis in litteris quæ & dictabant quid eſſet credendum, & minabantur fulmen ijs qui non crederent:

Pelagio II. idem inerat pondus authoritatis, cum ad Campaniæ, & Italiæ Prouincias huiuſmodi Epiſtolam dabat. *Solicitudinem omnium Eccleſiarum iuxta Apoſtolum circumferentes, diuinæ circa nos gratiæ memores eſſe debemus, quòd nos per dignationis ſuæ Dominus miſericordiam ad hoc faſtigium Sacerdotale prouexit; vt mandatis ipſius inhęrentes in quadam Sacerdotum eius ſpecula conſtituti prohibeamus illicita, & ſequenda doceamus*. Hæc particula ad initium Epiſtolæ relata ſignificat Pontificis Romani eſſe officium docere vniuerſos, quid ſit tenendum, atque adeò normam Fidei proponere, ac præſcribere. Nec de eo Italiæ Epiſcopi dubitabant, qui cum Hiſpanis, quos proximè adduximus, ſentiebant. Vnde ad Auxanium idem Pelagius. *Si enim mundo venerabilem iudicatis hanc vrbem, ſi ad pacem Sedis Apoſtolicæ cunctarum regere moderamine prædicatis, &c.* Omitto de litteris miſſis à Pelagio ad Ioannem Conſtantinopolitanum, quæ eſt Epiſtola 8. quod quanquam ſit plena argumentis Primatus Sedis Apoſtolicæ, non eſt tamen mei inſtituti, cùm extra ſcopum doctrinæ, aut dirigendæ, aut tradendæ verſetur. Produco vice illius verba Concilij Toletani III. in Decreto cap. 1. *Permaneant in ſuo vigore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & Synodicæ Sanctorum Præſulum Romanorum Epiſtolæ*. Tam hę ſunt cum doctrina Conciliorum coniunctæ. Separant Heterodoxi, quorum eſt proprium diuidere, ac ſcindere iam inde ab Ario veſtem Chriſti; verum nihil proficient. Cum moles huiuſce ædificij ſuper illam Petram contra quam portæ Inferi non præualebunt, immota & firma conſiſtat: nec magis hæreſeoscircum oblatrantis vocibus moueatur, *quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.*

Pel. II. Epiſt. ad Camp. & Italiæ Epiſcopos

Sedis Romanę ſolicitudo vna omnes Eccleſias.

Idem.

Concil. Tolet.

Epiſtolarum Decretalis authoritas.

Gregorij Magni dicta eò maiorem Fidem merentur, quo ille modeſtior, immò & demiſſior fuit: nullus quippè, vti ſuo loco dicemus, Romanus Pontifex Chriſtianæ humilitatis ſtudia, æquè ac ille profeſſus eſt, nullus ſe magis abiecit, nullus minorem dignitatis, & authoritatis Pontificiæ rationem habuit. Itaque ſi ille retinuit ius iſtud eminentis ſuper vniuerſam Eccleſiam doctrinæ, præiudicata omnino res eſt, nec vllatenus in dubium reuocari, vel à quopiam Hæretico poterit.

Gregor. Magn.

Magni Gregorij modeſtia.

Scri-

Epiſt.ad Theod. Scribens Theodolindæ, de qua inaudierat velle à communione Romanæ Sedis diſcedere ſic. *Cum itaque integritatem noſtram ex aperta mea traditione, ſeu confeſſione cognoſcitis dignum eſt, vt de Eccleſia Sancti Petri Apoſtolorum Principis nullum vlterius ſcrupulum dubietatis habeatis, ſed in vera Fide perſiſtite, & vitam veſtram in Petra Eccleſiæ, hoc eſt in confeſſione B. Petri Apoſtolorum Principis ſolidate, ne tot veſtræ lacrymæ tantaque bona opera pereant, ſi à Fide vera inueniantur aliena. Sicut enim rami ſine virtute radicis areſiunt, ita opera quantumlibet bona videantur nulla ſunt, ſi à ſoliditate Fidei diſiunguntur.* Nos eſt compos æternæ ſalutis, authore Gregorio, qui communionis cum Romana Eccleſia expers eſt. Videant quæſo Angli Heterodoxi, qui ſeparati ab ea viuunt, quibus authoribus poſſint ſalutem adipiſci. Gregorius iterum ad Bonifacium magnificum in Africa. *Per vos*, inquit, *venite, & Beati Petri liminibus vos præſentate, & cuncta quæ ſcripſi (de Fide) niſi ex lectione monſtrauero cum qua vultis diſputatione recedite. Hortor vos tamen vt dum vitæ ſpatium ſupereſt ab eiuſdem Petri Eccleſia, cui Claues Regni Cæleſtis commiſſæ ſunt, & ligandi, atque ſoluendi poteſtas attributa, veſtra anima non inueniatur diuiſa, ne ſi hic beneficium eius deſpicitur illic vitæ aditum claudat.* Et confeſſionem ab eo Fidei exigit, & monet niſi cum Romana Sede ſentiat periturum. Epiſtola lib. 4. ad Dominicum Epiſcopum Carthaginienſem tertia teſtimonium idoneum continet: narrat quippè ſibi ab eo miſſam chartulam Synodi habitæ Carthagine aduerſus hæreticos, quo illa conſuetudo probatur toties à nobis commemorata deferendi ad Romanum Pontificem cauſas Fidei, tanquam ad viuum Cæleſtis Sapientiæ oraculum. Epiſt. 449. Simile habetur argumentum. Significant enim Epiſcopi Hiſtriæ cupere ſe venire Romam, vt à Gregorio de rebus Fidei erudiantur. Et ait. *Ego vero ſatisfacere vobis de quibus dubitatis paratus ſum, & confido de Dei miſericordia, quod ita vobis ſatisfactio mea interius inhærebit, vt nihil charitati veſtræ de cætero poſſit eſſe ambiguum.* In Epiſtola 52. ſcribens ad vniuerſos Epiſcopos Galliæ, Arelatenſi Epiſcopo Vigilio Vicario Sedis Apoſtolicæ conſtituto commendat, *vt Catholicæ Fidei integritas ideſt quatuor Synodorum Sanctarum Deo protegente ſolicita deuotione ſeruetur, etſi inter fratres, conſacerdoteſque noſtros vbique euenerit fortè contentio, authoritatis ſuæ vigore, vocibus nempè Sedis Apoſtolicæ functus diſcreta moderatione compeſcat.* Sequitur doctrinæ

Fidei Sedis Apoſtolicæ in uioldta.

Idē ad Bonif.

Vnio cū Eccleſia Romana ad ſalutē neceſſaria.

Idē ad Epiſcop. Hiſtriæ.

Sedes Romana oraculum Fidei.

custo-

cuſtodia apud Apoſtolicę Sedis Vicarium,& cũ poteſtate Pontificia Fidei cura tranſmittitur lib.7. Epiſt.48. Miſerat Anaſtaſius Antiochenus Epiſcopus profeſſionem ſuæ Fidei,cui ſic reſpondet Gregorius. *Fraternitatis tuæ ſcripta ſuſcepi profeſſionem Fidei rectæ ſeruantia,magnaſque omnipotenti Deo gratias retuli,quod & immutatis gregis ſui Paſtoribus fidem , quam ſemel Sanctis Patribus tradidit,etiam eam poſt eos immutabilem cuſtodit , &c.* Ad calcem monet de errore, qui hæretici aſtu in codicem Synodi Epheſinæ irrepſerat, & hortatur vt quærat puriora, & caſtigatiora exempla, *vel ſi placet hinc dirigemus quæ antiquitate ſeruata in ſcrinijs habemus.* Non ſolum apud Romanam Sedem illibata ſeruatur Religio, ſed etiam intaminata inſtrumenta & monumenta cuſtodiuntur.Lib.9. Epiſtola 61.conſulentibus Hibernis Epiſcopis Gregorium de quæſtionibus ad Fidem ſpectantibus reſpondit vberrimè,& quid ſentiendum, & agẽdum ſit exponit, & præſcribit.Lib.10. Epiſtola 30. continet confeſſionem cuiuſdam Epiſcopi Hæretici ad Fidem redeuntis, quæ inſignis eſt, & prorſus legenda. Libo hæc. *Promitto tibi & per te Sancto Petro Apoſtolorum Principi, atque eius Vicario Beatiſſimo Gregorio, vel Succeſſoribus ipſius me nunquam quorumlibet ſuaſionibus, vel quocumque alio modo ad Schiſma,de quo Redemptoris noſtri miſericordia liberante creptus ſum,reuerſurum : ſed ſemper me in vnitate Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permanſurum.* Quorſum hic Petrum, & Gregorium,& ſucceſſores appellat,& ſuæ Fidei teſtes adhibet, & communionem eorum deſiderat, nefaſque putat extra illam manere? ne Aberdonienſes quidem negabunt cauſam eſſe, quòd ea Sedes Cardo eſt Religionis Catholicæ, & caput & Princeps reliquarum,à qua tanquam à fonte manant documenta ſacræ doctrinæ,ad quem redeunt, qui diſciplinarum riuuli deducuntur. In ea,Petra eſt, & Lapis lydius confeſſionum. Eiuſdem fermè argumenti eſt Epiſtola 54. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, vbi ſic. *Latores præſentium Siciliam venientes a Monopohyſitarum errore conuerſi ſunt, atque Sanctæ Eccleſię vniuerſali ſemetipſos adunauerunt. Qui ad Beati Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiã peruenientes popoſcerunt à me. &c.* Erant in Oriente Eccleſiæ, & quidem Primariæ, & Patriarchales, nulla tamen his viſa eſt ſufficere ad communionem Catholicam in ea profitendam. Nimirum Romana vniuerſalis germanum Religionis Catholicæ domicilium. Extra

Anaſtaſ. Antioc.

Profeſſio Fidei ad Pontificẽ Romanũ mittitur.

Epiſc. Hiber.

Idẽ mos ſtabilitur

Alio exẽplo cõfirmatur.

tra quam nec Fides vera, nec ſalus æterna reperitur. Vertant ſe in omnes partes Oxonienſes, Cantabrigienſes, Aberdonienſes, clament, vociferentur: ſe Scripturas, & Fidem habere, & amplecti; dum in Eccleſia Romana non ſunt, Schiſmatici, Hæretici ſunt. Habere Scripturas poſſunt: Fidem non poſſunt. Etiam Hebræi ſcripturas habent, nec tamen Chriſtiani ſunt. *At nos*, inquiunt, *fatemur Euangelium, & credimus in Chriſtum*. Eſto. Chriſtiani ſunt. At diuiſi à Sede Apoſtolica, & à capite illo alieni Catholici non ſunt. Extra Eccleſiam ſunt. Dico perſpicuo, & vulgari verbo: ſaluari non poſſunt. Hoc docet Gregorius, à quo ſunt per Auguſtinum inſtituti. Huius eſt illa vox in Epiſt. 56. lib. 11. *Sedes Apoſtolica omnium Eccleſiarum caput eſt*. Eius vniuerſalis doctrinę totidem argumenta eſſe videntur, quot ſunt quæſtiones Gregorio ab Auguſtino Epiſt. 31. lib. 12. & illius ad eas reſponſa propoſitę, cum ad totam Eccleſiam omnino pertineant. Ijs adiunctis quæ Epiſt. 32. eiuſdem libri ad Meſſanenſem Epiſcopum remittit.

Sedes Apoſtolica caput Eccleſiarū dicitur à Gregorio

Gregorio M.

Verum Angli Heterodoxi nihil Romanum Pontificem rogant, nihil ex eo interrogant. Si omnia ſibi arrogant, ecquid rogent? Arrogantes nimirum ſunt? ſubijcere nemini ſe volunt. Immò ſibi ſubijciunt ſcripturas dum proprio ſpiritu interpretantur, & priuato ſenſui ſeruire cogunt. Quid his hominibus faciemus? qui nouum Acephalorum genus inuexerunt. Caput nec habere volunt, nec noſſe. Corpus tamen Eccleſiæ efficere contendunt. Haud dubiè monſtrum, & cadauer. Nam corpus ſine capite, nec formam, nec vitam habere poteſt. Mortui ſunt. Docent tamen, & ab eis ſunt qui diſcant. Omnes & qui docent, & qui diſcunt mortui ſunt. *Sinamus mortuos ſepelire mortuos ſuos*.

Inuectiua in Anglos heterodoxos.

CAPVT II.

Hęreſes euertere, ac Hæreticos damnare Romani Pontificis in vniuerſali Eccleſia officium ſuit.

PErtinére vtrumque ad caput, & Principem totius Eccleſiæ vniuerſalis non opus eſt probare, cum res ipſa per ſe pateat. Minus erimus longi. Nec enim formulas condemnandi adducere neceſſe eſt. Sufficiet indicare, tum hæreſes, tum authores, eoſque à quibus ſunt, illæ euerſæ, hi proſcripti.

Primus Petrus dãnauit hęreticos.

Marcion Valentinus ab Eleuthero proſcripti

Theodorus Byzãtius à Victore.

A Petro initium. Tam id proprium Pontificum munus fuit. Is Simonem Magum primum Hæreſiarcham compeſcuit, & damnauit. Act. 1. & poſtea Romę extinxit. Marcion & Valentinus ab Eleutherio Roma eiecti, Tertulliano teſte lib. de Pręſcript. cap. 30. *Theodorum Byzantium*, inquit, Theodoretus, hęret. fabul. lib. 2. *Victor Romanorum Epiſcopus abdicauit, & excommunicauit, vt qui Decreta Eccleſię vellet adulterare.* Idem ante Theodoretum tradiderat in ſua hiſtoria Euſebius lib. 5. cap. 27. refellens calumnias Artemonis, & Sectariorum in Victorem. Actor 1. Tertull. Theod. Euſeb.

Montaniſta à Zephyrino. Priuatusq hęreticus à Fabiano.

Nouatianus à Cornelio.

Montaniſtas cum Proclo eorum Anteſignano, Tertullianoque Hyperaſpiſte Zephyrinus proſcripſit. Fabianus Priuatum hęreticum, quem Prouinciale in Africa Concilium perculerat, Romæ confixit. Cypriano authore Epiſtola 55. cui Donatus item Carthaginienſis Epiſcopus anathema dixit. Nouatianũ Romæ in Concilio Papa Cornelius Eccleſiæ communione priuauit, vti ſcribit Euſebius lib. 8. cap. 35. Atque hic interſero illuſtrem Cypriani locum, vnde conſtet quanta fuerit, & quam latè patuerit Romani Pontificis poteſtas in hęreticis, & exautorandis, & condemnandis. Defecerat ab Eccleſia ad partes Nouatiani, Marcianus Arelatenſis Epiſcopus: peruenerat hæc ad Cyprianum fama. De eo igitur ſic ſcribit ad Stephanum Papam. *Facere te oportet pleniſſimas litteras ad coepiſcopos noſtros in Gallias conſtitutos, ne vltra Marcianum pernicacem, & ſuperbum, & diuinæ pietatis, ac ſalutis inimicum collegæ noſtro inſultare patiantur.* Si hoc erat in poteſtate Cypriani cur operam implorabat Stephani? Aliquid maius inerat in Pontifice Romano, quàm in Carthaginienſi Epiſcopo. Sane Zephyr. Fabian. Cypr. Euſeb. Cypr.

Marcianus à Stephano.

id

id ſubiuncta verba ſignificant. *Dirigantur in Prouinciã, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te litterę, quibus abſtento Marciano alius in locum eius ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur.* Tandem. Quaſi eum Stephanus exauthoraſſet. *Significa planè nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus.* Ita iudicabat Cyprianus. Secus Cantabrigia. Cantet palinodiam. Moueat alterius inſignis ſcriptoris locus Dionyſij Alexandrini. Hic incipiente ſua dogmata ſpargere contra Trinitatem Perſonarum Sabellio ad Sixtum Pontificem rem detulit, quod exiſtimaret hęreſes naſcentes, paruulos hæreticorum fœtus, ad Petram Romanæ Sedis allidi oportere. Extat Epiſtola apud Euſeb. lib. 7. cap. 5. Quin ipſe Dionyſius Alexandrinus à Pentapolitanis quibuſdam Epiſcopis, qui de eo malè ſentiebant, quaſi dum impugnabat Sabellium confundentẽ perſonas, ſubſtantiam diuideret, violatæ Fidei apud Dionyſium Romanum Pontificem poſtulatus eſt. Qui ſuſcepta cauſa coegit Concilium, ac officio vniuerſalem Eccleſiam iuuit. Cuius is exitus fuit, vt Dionyſius Alexandrinus liber euaſerit, vt qui nulla hæreſis labe aſperſus eſſet. Profecit vero ea calumnia, vt conſtaret pertinere ad Cathedram Romanam de cauſis Fidei cognoſcere, & ſententiam ferre, & de reis ſtatuere. Hæc ex Athanaſio conſtant. Lib. contra hæret. Arian. & de ſentent. Dionyſ. contra Arian. & Hieronymo lib. de ſcriptor. Eccleſ. & Euſeb. lib. 7. cap. 21. Quam euaſit Dionyſius Catholicus, eam ſubijt Paulus Samoſatenus hæreticus à Dionyſio Papa ſententiam: quam in Concilio Romano poſt duo Antiochena is Pontifex tulit. Eam vero Felix I. ſuis litteris Decretalibus confirmauit. Quæ partim Athanaſius libro de Synod. partim Euſebius lib. 7. cap. 24. tradunt. Melchiades in Romano Concilio cauſa Cæciliani à Donatiſtis exagitati ſuſcepta, illo abſoluto hos condemnauit. Syluestro in Romano II. Concilio authore ab Eccleſia ſunt eiecti Hippolytus, & Calliſtus, & Victorinus, quemadmodum narrant acta Concilij, & indicat reſcriptum Syluestri ad Synodum Nicenam Alphonſi Piſani lib. 4. tomo 1. apud Binium pag. 348. Quòd autem ab eodem Arius cum ſua hæreſi proſcriptus fuerit ex ijs quæ ſuperius de Actis ab eo poſt Nicenam Synodum diximus liquet. Ijdem Ariani à Iulio I. ſæpè & à Felice II. ſemel fixi ſunt, & exploſi.

Quin & ab hoc poſtulant Epiſcopi Aegyptij, vt ſe pro more

Sabellius accuſatur apud Sixtum.

Dionyſ. Alexan.

Euſeb.

Dionyſius Alexãdrinus laboratur à Papa Dionyſio Romano

Athan. Euſeb. Hieron.

Felix I. Athan.

Paulus Samoſatenus damnatus à Dionyſio, & Felice I.

Donatiſtę à Melchiade.

Hippolytus, Calliſtus, Victorinus à Syluestro.

Alphon. Piſan.

Arius, & Ariani ab eodem Iulio, & Felic. II.

re, & poteſtate Sedis Apoſtolicæ à contagione hæreſum, tunc graſſantium liberet. Ea poſt vitam Felicis habetur ante Epiſtolam eiuſdem Decretalem. Nec minus rem continet huius reſponſio.

Epiſto'a Felic. decretal.

Damaſi Pontificis extat ſententia contra Vitalem hæreſi Apollinaris infectum lata, & in Epiſtola ad Paulinum, & in Actis Concilij Romani III.

Vitalis à Damaſo.

Vix alium Pontificem plures inſtitutis Synodis damnaſſe errores comperies. Ille Arianos, Semiarianos, Apollinariſtas, Sabellianiſtas, Macedonianos, Eunomianos, Photinianos anathemate percuſſit.

Damaſ. *Alij ab eodem.*

In Siricio eam recognouit poteſtatem Ambroſius, & Mediolanenſis Eccleſia in Epiſtola ad eundem, poſtquam ille in Iouinianum, & ſocios fulmen litteris ad eam Eccleſiam datis intorſerat: ijs enim acceptis eoſdem deteſtantur his verbis, quæ afferre operæ pretium duco. *Itaque Iouinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martialem, Ianuarium, & Ingenioſum quos Sanctitas tua damnauit ſcias apud nos quoque ſecundum iudicium tuum eſſe damnatos.* Et ſequuntur Pontificis arbitrium, & ſignificant non ſatis eſſe, ſi arbitratu Concilij Mediolanenſis eſſent damnati.

Siric. *Multitudo eorum cõfigitur à Siricio.* *Ambr* *Egregiũ Ambroſij teſtimonium.*

Hinc illa Anaſtaſij I. ad Germaniæ, & Burgundiæ Epiſcopos ſeria, & luculenta adhortatio de non recipiendis in Eccleſiam Manichæis. *Quos*, ait, *Romæ inueſtigatio noſtra reperit, vigilantia diuulgauit, authoritas, & cenſura coercuit.* Idem Epiſtola 3. Origenis errores, & Ruffini tranſcriptiones proſcribit. Et concludit. *Ipſe Ruffinus viderit vbi poſſit abſolui.* Romę quippè reus violatæ Fidei declaratus, nuſquam poterat liberari.

Anaſt. *Manich. Romæ eijcit Anaſtaſius.*

Quid Innocentius? nonne ille ſæpè Pelagium, & Celeſtium condemnauit? quemadmodum ſuperiori capite diximus. Cuius Zozimus poſt longam dubitationem, quam ij diſſimulando, & tergiuerſando iniecerant exemplo motus ijſdem anathema dixit. Authore Auguſtino, & Gelaſio, & Proſpero, quos ibidem citauimus.

Innoc. *Pelagius & Celeſtius ab Innoc.* *Zozim.* *Auguſt. Proſper. Gelaſ.*

Bonifacius I. Maximum Epiſcopum ſceleſtum hominem, *& Manichæorum inuolutum caligine*, quod ad iudicium vocatus obedire noluerat, iuſſit in Gallia ab eius nationis Epiſcopis iudicari, & iudicium ad ſe mitti, ſua ipſiuſmet authoritate roborandum. A Celeſtino conſtat ex ſuperius dictis Semipelagianos fuiſſe compreſſos, & Auguſtini doctrinam ab eorum calumnijs liberatam. Proſpero apud eum Fidei, & gratiæ cauſam agente.

Bonif. *Celeſt.* *Proſp.*

Sixti Papæ III. extant Epiſtolæ duę de damnatione Neſtorij

rij, vna ad Cyrillum quæ eſt 1. altera ad Ioannem Antiochenum: quibus confutantur calumniatores Sixto imponentes in cauſa Neſtorij dormitaſſe, qui eo argumento redarguuntur, quòd Cyrillus eam Epiſtolam palam recitauit. Eſt in Diuo Auguſtino, quòd rem contineat: In duabus quas ad Sixtum presbyterum tum Romanæ Eccleſiæ dedit, quæ ſunt 104. & 105. apparet eum falsò fuiſſe inſimulatum de errore Pelagiano, quàm calumniam ab eo Auguſtinus depellit, confirmans diuinæ gratiæ vindicem, & aſſertorem eſſe. *Quid gratius*, inquit, *legi, vel audiri poteſt, quàm gratiæ Dei tam pura defenſio aduerſus inimicos eius, ex ore eius, qui eorumdem inimicorum magni momenti ante iactabatur*. Addiderim quòd cauſam in eadem dem Epiſtola ſubiungit, facit enim quippè ad Pontificiam, & in laudem Sixti redundat. *Nonnulli quippè eorum antequam iſta peſtilentia manifeſtiſſimo etiam Sedis Apoſtolicæ iudicio damnaretur, vobis innoteſcere potuerunt, quos nunc repente reticuiſſe perſpicitis*. Ideſt poſtquam ſe damnatos viderunt, & à Sixto fortaſſe confutatos. Hinc coniectura deducitur, qui Pelagij errores priuatus refutabat, ab eo poſtea Pontifice damnatum iri. Et quidem ex verſibus ab eodem Sixto compoſitis, & in columnas Conſtantinianę Baſilicę inſcriptis apparet eum à Pelagij capitali hæreſi circa magnum originis Peccatum longiſſimè abſuiſſe. Eos adducit Baronius Anno Dom. 44. n. 5. & Seuerinus Binius in notis ad vitam Sixti.

Sixtus. *Neſtorius damnatur à Six. III* *Cyrill.* *Auguſt.* *Verſus egregij Sixti.* *Baron. Binius.*

Quod Leonem attinet. Magnus hic Pontifex omnium penè Hæreſum, quaſi nouus Hercules, & domitor monſtrorum fuit. Epiſtola illius Prima Manichæos proſcriptos oſtendit. Reſcriptum ad Flauianum, quæ eſt Epiſtola decima, & ad Iulianum II. adhuc ante coactum Chalcedonenſe Concilium monſtrat Hæreſim Eutychetis, & Dioſcori eſſe confixam. Quod manifeſtiùs patet ex ſequentibus poſt congregatos in Synodo Patres ad complures ſcriptis. Huc pertinet Synodi ſecundæ Epheſinæ condemnatio, de quo tot Epiſtolæ ſcriptæ reperiuntur. Damnati Neſtorij in Epiſtola 45. ad Pulcheriam Auguſtam teſtimonium eſt. In vtramque ſæpè hæreſim extremè oppoſitam fulminat. Epiſtola 48. & 49. & 52. litteræ ad Paleſtinos Monachos magnam errorum vim euertunt. Epiſtola 76. ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum Pelagianos percellit. Epiſtola 93. in Priſcillianum fulminat. Apollinarem Neſtorio, ſæpè, ac Eutycheti ſocium dum vtrunque

Leo M. *Leo Manichæos proſcribit* *Condemnat Neſtorium.* *Deijcit Pelagianos.* *Multos alios profligat.*

que execratur adiungit. Legat qui volet vnam ex illis Epi-
Leonis Epiſtolæ. ſtolis 97. ad Leonem Auguſtum. Quin Timotheo quoque Alexandrinæ Eccleſiæ Inuaſori, & hæreſim pernicioſiſſimam intrudenti anathema dixit, & Sedem interdixit. Sunt Epiſtolæ 99. & 100. eius rei luculenta teſtimonia. Nec minus intonuit in hæreſes cùm aduerſus eas duo 1. & 3. Romæ concilia celebrauit. Nam ſecundum alio pertinebat, quem locum infra aſſignabimus.

Hæretici a Simplicio damnati. Simplicij Pontificatus in turbulenta incidit tempora, ſed ille tempeſtate vſus tonitrus emiſit, & fulmina intorſit. In Timotheum Aelurum, in Petrum Moggum, in Petrum Fullonem, in Acacium prçclaramque expreſſit Pontificiæ authoritatis imaginem. Suppetunt argumenta in Epiſtolis ad Zenonem Imperatorem, & Acacium. Simpl.

Enoticon Zenonis antiquatur à Felice. In eoſdem Felix III. intonuit, tum in litteris, tum in Synodis, & altiùs euectus Enoticon illud Zenonis impium, & fraudulentum prodidit, & proſcripſit. Diſcat ex eo Forbeſius, quem mihi in arena veluti parem deſtinaui, nihil valere ſpecioſa illa nomina Irenici, & Enotici ad hæreſim occultandam; quo iure Zeno dixit Enoticon, eodem ſuum opuſculum Forbeſium, Irenicum appellauit. Vtrumque comburendum. Fel. III.

Gelaſij Prima Epiſtola ad Euphemianum iuſta quædam, & copioſa Hæreticorum proſcriptio eſt. Figitur Eutyches, Dioſcorus, Timotheus, Petrus, Acacius. Ijdem epiſtola 11. proſcribuntur, cum eorum Fautore Theſſalonicenſi Epiſcopo. Sed in Acacium præcipuè inuehitur: cuius nomen & dignitas multos trahebat. Pelagianam hæreſim renaſcentem multiplicatis litteris deteſtatur, ac in eam in opere Dicta inſcripto iuſtum anathema dicit. Examen illud librorum in Concilio Romano ſuſceptum, & confectum huius vniuerſalis exterminandi Hæreticos, ac extirpandę Hęreſis poteſtatis idoneum argumentum eſt. Gelaſ.

Examen librorum à Gelaſio inſtitutũ.

Anaſtaſius Prima Epiſtola dum ratam habet damnationem Acacij, eorumque quos is defendebat Hæreticorum, ſignificat eos item ſe eadem Romanę Sedis authoritate damnare, eamque ſibi iure vindicat. Idem argumentum continet ſecunda, *quæ Libellus*, appellatur. Anaſt.

Quos hæreticos dānauit Anaſtaſius.

Eos condemnat Symmachus. Symmachi epiſtola 7. in Anaſtaſium Imperatorem tota fulmen eſt. In epiſtola ad Orientales 9. Eutyches, Dioſcorus,

rus, Timotheus, Petrus, & Acacius explo duntur: ab eodem Ponifice petunt Orientales Epiſcopi exibilari eoſdem, alioſque antiquiores, quorum germina pullulabant.

Doroth. Theſſal. Illuſtre huic poteſtati puniendi, & pręcidendi à corpore Eccleſiæ Hęreticos teſtimonium reddit Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus rogans Hormiſdam Papam, vt confirmet anathemata inflicta Hęreſiarchis à Superioribus Pontificibus. Horm. Sed manifeſtius eſt illud, quod in Indiculo ab Hormiſda Ennodio, & ſocijs dato, Conſtantinopoli legendo continetur. In eo quippè omnes pene, & antiqui & noui hęretici proſcripti Senatus Roman. inueniuntur. Hanc commendat per litteras Senatus Romanus in reſcripto miſſo ad Anaſtaſium Imperatorem, & agnoſcit, & aſtruit in Epiſtola ad eundem Hormiſdam Ioannes Epiſcopus Nicopolitanus: adiecta Hormiſdæ reſponſione. Eandem corroborat Hormiſdas Epiſtola 8. ad Synodum veterem. Auitus. & Auitus ad Hormiſdam, & rurſus Hormiſdas ad Auitum Epiſtola 10. Sed nullę magis quàm ad ipſoſmet Hæreticos ſcriptæ Hormiſdæ Epiſtolæ hanc veritatem confirmant. Additis præſertim alijs, quas ad Imperatores mittit Anaſtaſium, & Iuſtinum. Eiuſdem ſunt argūmenti, quæ inter ſe Ioannes Conſtantinopolitanus, & Hormiſdas Papa vltrò citraque mittunt. Id ab Hormiſda rectè, & è Chriſtiana (vt id obiter dicam) Republ. fecit, quod libros Fauſti Galli, ſic vocat, Antiſtitis proſcripſit, erroribus Semipelagianis refertos, & Auguſtini doctrinam commendauit, teſtatus ei Catholicam Eccleſiam adhærere, quemadmodum ſcribit ad Poſſeſſorem Epiſt. 70.

Authoritas Papæ in condẽnãdis hæreticis aſſeritur teſtimonijs idoneis.

Hormiſdę Pontificales litteræ hæreticos frangunt.

Hormiſdas Fauſti libros configit.

Ioan. I. Epiſtola ſecunda Ioannis Primi Arianam perfidiam toties extirpatam, quæ in quibuſdam reuixerat, opprimit, & extinguit, ne deinceps renaſcatur; iubetque eorumdem Arianorum Eccleſias exauthorari, & de nouo, Catholico ritu conſecrare: quanquam fremente Theodorico Italię Rege Ariano, à quo tandem Ioannes immaniſſimè interfectus. Epiſtola Ioan. II. prima Ioannis Secundi continet anathema Neſtorij, & Eutychetis, & quòd illud probet Iuſtinianus Imperator ab eodem Ioanne laudatur. In tertia ad Senatores confirmata Conciliorum doctrina, condemnatoque Eutychete ſic ait. *Aquinitos* (ſiue Acęmetas) *vero Monachos, qui Neſtoriani euidenter apparuerunt Romana etiam eos damnat Eccleſia, à quibus vos propter Canonem, qui cum excommunicatis Chriſtianum, nec loqui, nec communi-*

Ioannis I. præcepto Arianorũ Eccleſiæ diruũtur.

Idem Acæmetas monachos anathemate percellit.

municare permittit, diligentia Paſtorali admonere non deſino, vt eorum etiam ſimplicem collocutionem vitetis, nihilque vobis cum eis exiſtimetis eſſe commune. Hortatur, & quidem Romæ Senatores Orientales, ab ijs auditur, & obſeruatur: *& diligentiam Paſtoralem* vocat, nec ei quiſquam contradicit. Nihil igitur vſurpat: quòd ſuum eſt vindicat. Addit *quod ideo facio ne reus ſilentij inueniar, ſi hæc ad veſtram minimè, Chriſtianiſſimi, notitiam pertuliſſem*. Sanè officium erat monentis, quo prętermiſſo, reus negligentię haberetur. Hoc agnoſcunt Epiſcopi Africani epiſtola ad Ioannem data, & ab Agapeto accepta in qua eum rogant, vt latam à ſe contra Arianiſmi ſuſpectos ſententiam approbet, ac ſuam Papę Romani authoritate confirmet.

Hæreſum euerſio Papę officium.

Epiſtola Ioannis.

Agapeti Epiſtolæ 1. ad Iuſtinianum particula nouiſſima hoc munus Apoſtolicum teſtatur. *Vnde Cyrum, eiuſque ſequaces, iam ante pro hac inſania ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſuſpenſos, & in ſua hactenus perfidia permanentes, niſi ſub ſatisfactione Canonica doctrinam Apoſtolicam fuerint conſecuti, nullatenus patimur eos Sacræ communioni reſtitui, ſed etiam vt hæreticos anathemati ſubijcimus, vt qui noſtris conſtitutionibus parere contempſerit Eccleſiaſticum ſtatum puritatemque non maculet*.

Agapet.

Iuſtiniano Imperatori lex Apoſtolica imponitur de extirpãdis hæreſibus.

Qui tanti faciunt Iuſtinianum, cur eum hęc legentem, & fatentem imitari nolunt? Illi hęc ſcribit Agapetus, illi qui leges, & Conſtitutiones dictabat, quo ius dicente Orbis obmutuit. Obſtrepunt hęretici, cui ille non obſtrepuit. Sciebat nimirum vir Iuris amans, & adhuc innocenter amans iure ſuo agere Pontificem. Quod noſtri temporis Hæretici exiſtiment, ignoro ſcio illos à Iuſtiniano diſcrepare, cum integer & Catholicus erat, & habebatur.

Eadem poteſtate Agapetus proſcripſit Anthimum, & depoſuit, & Menam ſubrogauit. De eo verè Monachi in libello oblato Imperatori ſic. *Ideo Dominus Eccleſiæ ſuæ donauit illud ſcutum inexpugnabile aduerſus Hæreticos excitando ſpiritum Agapeti Romani Pontifitis*. Hæc eo veriùs dicunt, quod iam erat mortuus Agapetus: cui adulari non poterant, quod noſtris hominibus ſolent obijcere Heterodoxi, cùm ipſi tamen ſuis Regibus adulentur, immò ex ſuo ingenio alios ęſtimant adulatione affecta ijs, qui nihil cogitãt de aſſentatione, ſed de iuſtitia. Huius plenum eſt totum illud Concilium ſub Mena Conſtantinopoli celebratum. Sed Heterodoxi ne Concilijs quidem credunt; nec mirum, cum qui non habet fidem Papę, is

Idem Agapetus.

Scutum inexpugnabile Romanus Pontifex aduerſus hęreticos.

is & Concilijs fidem abroget. Quadrat in eos illa Menæ in ſui temporis hęreticos ſententia. *Contempſerunt quidem Eccleſiam Romanam ſucceſſorem Apoſtolorum, quæ ſententiam contra ipſos protulit*. Muta: *proferet*. Hoc timuerunt, & excuſſerunt iugum Domini ſuaue, & leue: *& ſubierunt iniquitatum ſuarum*. Quod ſuper eos *vigilabit*, vt puniantur, quod eſt in Hieremia. Redarguat eos Iuſtinianus ſuis verbis in Conſtitutione contra Anthimum, Seuerum, Petrum, & Zoaram, quem locum quod capitalis eſt, ad monſtrandam hanc vniuerſalem Papę in damnandis Hæreticis poteſtatem volo integrum ex ipſomet Concilio cui eſt inſerta conſtitutio producere. *Rem non inſolitam Imperio, & nos facientes ad præſentem venimus legem. Quoties enim Sacerdotum ſententia quoſdam indignos Sacerdotio de Sacris Sedibus depoſuit, quemadmodum Neſtorium, Eutychen, Arium, Macedonium, & Eunomium, & quoſdam alios ad iniquitatem non minores illis, toties imperium eiuſdem ſententiæ, & ordinis cum Sacerdotum authoritate fuit. Sicque diuina pariter, & humana concurrentia vnam conſonantiam rectis ſententijs fecere.* Attendant animum. *Diuina*, dicit Imperator, quæ ad Sacerdotium pertinent: humana, quæ ad Imperium. Vbi hic eorum ſupercilium? Cur obijciunt, & torquent illud. *Omnis poteſtas à Deo eſt*? Vt anteponant Laicum Principatum Sacerdotali. Non ita intellexit Iuſtinianus, vel Summus Imperator humanum dixit Imperium, quod longè diuerſo modo à Deo ſit; quem nos ſuo loco exponemus. Iam vero illa conſonantia vtriuſque authoritatis cur ab Heterodoxis ſoluitur, & diſſipatur? Et tamen audent illorum Magiſtri de Harmonia ſcribere? Sed ficta eſt illa, & merum ſomnium. Nam & ſtertentium quædam eſt harmonia. Dęmonia illam audiunt, eaque delectantur. Harmonia eſt Dæmoniaca. Sed obijcient, ſunt argutuli, Iuſtinianum de Sacerdotali, quæ eſt propria Concilij authoritate loqui, ac eam idcircò conſonantiam dicere. Laudo argutiam, ſed retorqueo eum verbis ſequentibus Iuſtiniani. *Quemadmodum & nuper factum eſſe circa Anthimum ſcimus, qui quidem deiectus eſt de Sede huius Regiæ Vrbis à Sanctæ & glorioſæ memoriæ Agapeto Sanctiſſimæ Eccleſiæ antiquæ Romæ Pontifice, eo quod nullo modo ſibi ipſi conueniens contra omnes Sacros Canones ſe intruſerat.* Ecce de quo præcipuè loquitur Iuſtinianus de Agapeto Romano Papa. Hic erat author illius conſonantiæ Concilij, inſtar Archiphonaſci, qui cantantibus præerat, & præibat cantando:

Hæretici contemnunt authoritatē Papæ.

Concil. Conſt.

Iuſtin.

Ius Pontificium ſuperius Imperatorio.

Sugillātur hæretici.

Idem.

Iuſtiniani reuerētia erga Pontificē Romanū.

tando: niſi ſi ille totam harmoniam propter authoritatem vniuerſalem continebat. Concordat vox Concilij Hieroſolymitani tempore Pontificij Interregni Anno Domini 536. celebrati: in quo author damnationis Anthimi, & aliorum Agapetus, & habetur, & nominatur. Aiunt inter alia Patres. *Conſenſimus his* (ecce harmonia) *quæ bene formata ſunt ab ipſo Sanctæ memoriæ Agapeto, & his quæ definita ſunt à Menna*. Terminauit hic quæ ille inchoarat. Excepit vocem ab ore Agapeti, & continuauit. Pergo. Syluerius non verbo, aut ſcripto damnauit hæreticos, & Schiſmaticos, ſed exemplo, & conſtantia, dicerem, ſanguine, ſi in eius martyrio effuſus fuiſſet, ſed perinde eſt pati mortem, ac fundere ſanguinem. Sanguine igitur ſcripſit ſententiam. Concil. Hieroſ. Concil. Conſt. Syluer.

Quàm conſtans fuerit Vigilius in eadem damnatione ſuſtinenda, & confirmanda ex multis eiuſdem conſtat Epiſtolis. Particulam primæ ad Iuſtinianum profero. *Quorum*, id eſt, *Celeſtini, & Leonis probabilia conſtituta ſanctæ recordationis Hormiſda, atque Ioannes Senior, nec non & Agapetus deceſſores noſtri per omnia conſeruantes vniuerſos Neſtorianæ, atque Eutychianæ ſequaces Hæreſis iuſtæ mucrone ſententiæ perculerunt. Quod nos ſummis viribus ſequi, ſummoque adniſu defendere pietatis veſtræ clementia indubitabiliter agnoſcat*. Et infra. *Anathematizamus eos, &c.* En Vigilius ante Pontificatum aſſentator Theodoræ, ſimul ac Cathedram Petri inſedit, defenſor, & aſſertor extitit veritatis, Theodoræ minas neglexit, & officio ſuo ſatisfecit. Iam vero illa intorta in Theodorum Cæſareæ Cappadocię Epiſcopum fulmina, quę habentur in fragmento Epiſtolę ad eundem totidem ſunt argumenta Supremę huius & vniuerſalis authoritatis. Sed de hoc hactenus. Infra quippè commodiori eam loco ponemus, & quanti ſit momenti ſeriò expendemus. Vigilius Papa. *Papæ Euerſores hæreſum.* *Vigilius proſcribit Theodorū Cæſareenſem.*

Ad Vigilij tempus ſpectat Concilium Aurelianenſe quintum: cuius eſt illa cap. 1. ſententia: *Nefariam Sectam, quàm author malè ſibi conſcius, & à viuo Sanctæ Fidei Catholicæ fonte diſcedens ſacrilegus quondam condidit Eutyches, vel ſi qua à venefico ſimiliter impio prolata ſunt Neſtorio, quas etiam Sectas Sedes Apoſtolica Sancta condemnat, ſimiliter & nos eaſdem cum ſuis authoribus, & Sectatoribus execrantes præſentis Conſtitutionis vigore anathematizamus*. Quorſum Sedis Apoſtolicæ mentionem faciunt, niſi quod eius mouentur authoritate ad illas hęreſes condemnandas? Concil. Aurel. Vigilij.

De

De Conſtituto Vigilij ſuperius diximus. Ad inſtitutum modo ex eo illud vendicamus, quòd accuratiſſimè in eo errores Theodori Mopſueſteni notantur, & proſcribuntur. Preterea in vltima eiuſdem parte omnes penè aliæ antiquiores hæreſes vno veluti anathematis ictus iugulant. Excerpo illa. *Anathematizantes cum Paulo Samoſateno, & Bonoſo Neſtorium, & è diuerſo cum Valentino, & Apollinari Eutychetem, ſimul & errores eorum alioſque hæreticos omnes cum dogmatibus ſuis: illos quoque pariter condemnamus, qui erroribus eorum impliciti, & inemendabiles permanentes de vita præſentis ſæculi migrauerunt. Si quidem per hoc nihil peruerſæ doctrinæ relinquimus, quod non per hanc ſententiam à nobis prolatam à Sancta Dei Eccleſia Apoſtolicà authoritate inueniatur excluſum.*

Conſtit. Vigilij.

Plures hæreſiarchæ à Vigilio feriuntur.

Dedita opera hæc attuli, vt oſtenderem Vigilio eam mentem fuiſſe, vt exiſtimaret Hæreticis iam mortuis eſſe parcendum, quòd immane ei poſt mortem perſequi perſonas videretur. Itaque hæreſes omnes, ſiue viuorum, ſiue mortuorum condemnabat, à perſonis mortuis abſtinebat.

Pelag. I.

Pelagij I. quod fuerit in extirpandis erroribus ſtudium, quas ſcripſit Epiſtolas ad Narſetem illarũ tres prima, & ſecunda, & tertia teſtantur. Quibus adiungenda 13. ad Epiſcopos Tuſciæ Annonariæ Schiſmate nefario laborantes. Sed illa diligentiſſimè obſeruanda, quę ad vniuerſum populum Dei de Fide Catholica miſſa Catalogum in calce exhibet Pontificum Romanorum, qui Hęreſes, ac Hęreticos damnarunt, quos ipſe eorundem Sectator, & Succeſſor Pelagius condemnat. Eſt illa Epiſtola 14. Encyclica appellata.

Pontificũ Romanorum condemnantium hæreticos catalogus.

Concil. Brach. I.

Ad Ioannis Papę Tertij ętatem pertinet Concilium Bracharenſe Primum. In hoc Patres deteſtantur errores Priſcilliani, qui fermè omnes in ſuam ſententiam collegerat, & ſingulis ſua dicunt anathemata. Sed iuxta regulam Fidei traditam, & miſſam Roma à Leone Papa per Euſebium ſuę Sedis notarium, iuxta quam Canones Generales Concilium Hiſpanię condiderat. Seligo ex multis vnam particulam. *Omnes Epiſcopi dixerunt. Valdè neceſſaria horum capitulorum eſt lectio, vt dum ſimplicioribus quibuſque priſtina Sanctorum Patrum ſtatuta panduntur, abominata iam olim à Sede Beatiſſimi Petri Apoſtoli, & damnata Priſcillianæ hæreſis figmenta cognoſcantur.* Itaque ſolemni anathemati pręiudicium Sedis Apoſtolicę pręmittunt.

Priſcilliani hæreſis damnata à Sede Romana.

Gregorius Magnus (venio ad poſtremum) Epiſtola 72. teſta-

 tur.

tur: Proprium munus eſſe Romani Pontificis hęreticos refrenare, ac compeſcere, ne cui officiant Catholicorum. In Epiſtola 10. ſic. *Anathematizamus ſi quis ex definitione Fidei, quæ in Chalcedonenſi Synodo prolata eſt aliquid imminuere præſumit. Si quis:* nulla natione, genteue, aut Prouincia deſignata, quòd nullis terminis Romana poteſtas circumſcribitur. Idem ad Dominicum Carthaginienſem Epiſcopum officij ſui eſſe oſtendit omnes *hæreticos compeſcere*, quacumque demum ratione id fieri poſſit. Idque rogauit Mauritium Imperatorem Epiſtol. 63. aduerſus Donatiſtas in Africa graſſantes. Eodem ſtudio ſimoniacam, quam vocat hęreſim multis in Galliam vbi vigebat miſſis litteris conatur excindere quę libro Epiſt. 7. & 9. continentur. Nec alio ſcripta Eulogij Alexandrini Epiſcopi aduerſus Agnoitas hæreticos ab eo ad ſe miſſa probant. Ea Epiſtola eſt Gregorij cap. 42. lib. 8. Illa inſignis eſt de euertenda hęreſi Epiſtola, quæ ab eo ad Quirinum, & Hiberniæ Epiſcopos ſcripta quęſtiones de Baptiſmate reſoluit, & de Sancta Maria, quomodo mater, & ancilla dicatur acutiſſimè, ac religioſiſſimè diſputat. Rem etiam continet illa Fidei profeſſio, quę in fine Epiſtolarum collocatur. Huc pertinet Concilium illud Romanum ſecundum à Gregorio congregatum in cauſa Ioannis Chalcenenſis Eccleſiæ Presbyteri, quem Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus hęreſeos nomine condemnauerat. Eum quippè Gregorius ad ſe prouocantem ſuſcepit, & de re tota diligenter inquirens Innocentia illius comperta abſoluit, & muneri ſuo reſtituit. Eiuſdem quippè facultatis, eſt reos damnare, & innocentes indemnes ſeruare. Claudo ratiocinationem illo Concilio Numidię: in quo Gregorius iuſſit recognoſci cauſam Donadęi Diaconi Eccleſiæ Africanæ, qui damnatus à Victore Epiſcopo ad Sedem Apoſtolicam appellauit. In eo enim Concilio Simoniaca hæreſis detecta, & proſcripta, ac in eos, qui ea eſſent infecti, pœnę conſtitutę. At quidem de his hactenus.

[Margin notes: Gre. M. — *Hæreſis à Magno Gregorio proſcriptę numerantur.* — Epiſtola Greg. M. — Conc. R. — *Hæreſes ſimoniaca damnata à Gregorio Papa.*]

C A-

CAPVT III.

Apoſtolica Romana Sedes aliarum Inſtitutrix, & Magiſtra Normas ijs, & regulas ſacrorum præſcripſit, ritus, & ceremonias aſſignauit, & morum doctrinam tradidit.

PRinceps huiuſce inſtituti, & author Petrus extitit. Ab eo ſucceſſores Pontifices poteſtatem acceperunt. Ille in Concilio Hieroſolymitano in queſtione de obſeruantia legalium ſententiam tulit, decreuitque ne legibus Iudaicis Gentiles ad Chriſtum conuerſi tenerentur, & intolerabile illud iugum ne ſubirent, qui legem ſuauem, & regalem gratię accepiſſent. *Petri de Circumciſione, & Legalibus ſententia.*

SECTIO I.

A Clemente vſque ad Syluestrum.

Clem. I. CLemens I. (ſeriem quippè rerum, & perſonarum texo) officium hoc à Petro cum dignitate commiſſum accepit. Legat, qui volet primam illam, quę inſcribitur ad Iacobum Fratrem Domini epiſtolam, ac ita eſſe comperiet. Et quidem quatuor illę Epiſtolę inſtitutiones omnium Eccleſiarum continent. Prima Epiſcopos, & Presbyteros, cęteroſque Sacrorum miniſtros, & ordinat, & diſtribuit, & documentis imbuit, tum ad vitam rectè inſtituendam, tum ad mores aliorum formandos. *Epiſtola Clemen.*

Secunda verſatur in tractatione Euchariſtię, & quomodo ſeruanda, & diſtribuenda ſit docet, & de apparatu altaris, & cultu Sacramenti accuratè pręcipit: deinde ad diſciplinam morum deflectit. In tertia ponuntur argumenta doctrinę. Inſtruuntur Prædicatores de ijs, quę docere Fideles debeant, atque vti ab his obediētia erga Sacros homines, ita ab illis obſeruantia erga Epiſcopos exigitur, & pax, quę omnia documenta continet, commendatur. *Argumenta Epiſtolarũ Clementis I. Papæ.*

Quartę, licet ad priuatos ſcripta ſit, Iulium, & Iulianum magna, & varia doctrina eſt. Expenditur officium Epiſcoporum. Arreptaque anſa priuatę illorum duorum ſocordię, documenta rectè, & viuendi, & docendi traduntur. Pęnitentię

ac imprimis Baptiſmi ad delenda peccata virtus ponderatur. Additur mentio Confirmationis, quę Epiſcopo aſſignatur, & hypocriſis vitium detegitur, & vituperatur. Quæ in quinta traduntur pręcepta morum Hieroſolymitanis, ea ad Eccleſiam vniuerſam pertinent.

Materies Conſtitutionum. Iam verò Conſtitutiones per libros 6. diſtributæ, nihil fermè eſt, quod ſiue ad Clerum, ſiue ad ſacra, ſiue ad iudicia, ſiue ad vſus, ſiue ad mores ſpectet, non comprehendant. Iuſta in in ijs Chriſtiani hominis inſtitutio inuenitur. Conſtit. Clem.

Eiuſdem argumenti ſunt tres illæ Anacleti Epiſtolæ, quæ in Eccleſiaſtica ordinanda, & tuenda Monarchia maximam partem verſantur. Illa particula ſatis eſt Epiſtolæ primæ *Leges Eccleſiæ Apoſtolica firmamus authoritate*. Hac Anacletus iura, & priuilegia Sedium Patriarchalium, & Epiſcopalium exponit, & diſtribuit; hac iudicia conſtituit; hac appellationum rationem, modum quæ præſcribit, tanquam ex Cathedra ius toti Eccleſiæ diceret. Anacl.

Anacletus deſcribit ordinem Hierarchicum.

Euariſti prima Epiſtola, immo Patrum Africanorum ad quos data eſt, iudicium proponit de Romana Cathedra, quod magnopere ad inſtitutum pertinet. Sic enim. *Conſulentibus*, inquit Euariſtus, *vobis fratres chariſſimi, quid ſuper his, quæ in veſtris continebantur ſcriptis viſum nobis eſſet, vel quid docilis ratio perſuaderet, aut quid à Beatis Apoſtolis nobis traditum, aut cuſtoditum remaneret, optantes, vt retuliſtis noſtris inſtitui documentis. Hæc verò reſcribimus*. Attendant Heterodoxi. Optant illi Patres inſtitui, & doceri ab Euariſto Romano Pontifice. Hoc ij nolunt. Vtri iure? dicant ſi audent. Quid autem rogarent Africani ex tenore epiſtolæ patet. De officio Diaconi. De matrimonij Chriſtiani legibus. Rectè, ac ex Oraculo Pontifex reſpondit. Qui in ſecunda ad Aegyptios epiſtola de Epiſcoporum cum ſuis Eccleſijs nexu, & vinculo ſolemni, & ſacro, & aliena vi minimè ſoluendo accuratè agit, & de obſeruantia epiſcopalis dignitatis, quam ſartam, & tectam ſeruari vult, ne à quoquam aut inſimulatione, aut calumnia temerari poſſit ſerio præcipit. Quæ documenta ad omnes prorſus Chriſtianos peruadunt. Euariſt.

Euariſtus conſulitur à Patribus Africanis.

Item ab Aegyptijs

Quas duas Alexander I. ſcripſit epiſtolas, eæ vel ſola inſcriptione vniuerſalis Eccleſiæ curam Apoſtolici officij eſſe declarant. Primæ: *Ad omnes Orthodoxos*: Inſcriptio eſt. Secunda. *Fratribus omnibus Epiſcopis per diuerſas conſtitutis regiones* dirigi- Alexan. I.

rigi-

rigitur. Opponent Heterodoxi: liberas eſſe, & ſuſcepto conſilio poſitas inſcriptiones: At ſunt antiquæ, & nemo eas hactenus loco mouit. Cur ij temerè mouere conantur? Sinant ſuo loco frui. Conſiderent textum earum Reipub. Chriſtianæ congruere. Expendant illam ſententiam primæ epiſtolæ. *Peruenit namque ad conſcientiam Apoſtolicæ Sedis, quòd nonnulli tam ſunt ſtolidi, qui Dominica præcepta, & Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum ſtatuta minimè obſeruant.* Et paulò poſt. *Relatum inſuper eſt ad huius Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedis apicem, cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omnium negotia Eccleſiarum ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad Caput: dicente Domino Principi Apoſtolorum Petro, Tu es, &c.* Video eos aures obturare, nec pati iſta. Verum ego idcirco ſuggero, vt ſaltem doleant, & crucientur. Tolerabant hæc, vel ipſi Catholici qui reprehendebantur. Ij verò, etiam tuti, & minimè læſi non patiuntur.

1. Epiſt. Alexan.

Cuſtodia ſtatutorum, & legũ Eccleſiaſticarum commendata Romani Pontifici.

Sixt. I. In epiſtolis Sixti I. duo auribus Heterodoxorum tormenta paro. Alterum: quòd ille in prima *omnibus Fratribus* ſcribit. Alterum, quòd in ſecunda ſic inſcribit. *Sixtus Vniuerſalis Eccleſiæ Apoſtolicæ Epiſcopus.* Quo titulo ceu fulmine exanimantur. Indignantur, fremunt, furunt. Nos minas eorum & iras ridemus. Et augemus dolorem monſtrantes *Formatas.* Quarum hic Sixtus infert mentionem. Docuit Pontificis Romani eſſe teſſeram communionis Catholicæ, & inſtituere, & dare.

Titulus Epiſcopi in tota Vniuerſali Eccleſia conuenit Papæ.

Teleſph. Theleſphori vnica eſt epiſtola, ſed ad omnes directa, & plena documentorum, ad obſeruationem ieiunij, celebrationem Miſſarum, immunitatem Epiſcoporum, depulſionem calumniarum, & ſacrorum dignitatem ſpectantium.

Theleſphorus quæ decreuerit?

Higin. Higino fides habenda ſcribenti, *cunctis in Apoſtolica fide, & doctrina degentibus ſalutem*: curam Romani Pontificis vniuerſalem eſſe: quam adſtruit illa particula litterarum ad Athenienſes. *Alieni erroris ſocietatem à ſui Propoſiti tramite recedentem, aut Apoſtolicæ Sedis iuſſionibus inobedientem ſuſcipere non poſſumus.* Accedant quinque illius decreta, in corpus canonicum inſerta: ſed hæc negligunt Oxonienſes, cùm receperint Athenienſes.

Quanti ſit obſeruantia Sedis Romanæ.

Pius. Pius I. ad omnes epiſtolam mittit Eccleſias. In qua vetat celebrari Paſcha vſu Iudaico. An hoc non eſt in Catholica Eccleſia receptum? Sanè: quanquam Orientalis aliquandiu re-

ſtite-

ac imprimis Baptiſmi ad delenda peccata virtus ponderatur. Additur mentio Confirmationis, quę Epiſcopo aſſignatur, & hypocriſis vitium detegitur, & vituperatur. Quæ in quinta traduntur pręcepta morum Hieroſolymitanis, ea ad Eccleſiam vniuerſam pertinent.

Iam verò Conſtitutiones per libros 6. diſtributæ, nihil fermè eſt, quod ſiue ad Clerum, ſiue ad ſacra, ſiue ad iudicia, ſiue ad vſus, ſiue ad mores ſpectet, non comprehendant. Iuſta in in ijs Chriſtiani hominis inſtitutio inuenitur. Conſtit. Clem.

Materies Conſtitutionum.

Eiuſdem argumenti ſunt tres illæ Anacleti Epiſtolæ, quæ in Eccleſiaſtica ordinanda, & tuenda Monarchia maximam partem verſantur. Illa particula ſatis eſt Epiſtolæ primæ *Leges Eccleſiæ Apoſtolica firmamus authoritate*. Hac Anacletus iura, & priuilegia Sedium Patriarchalium, & Epiſcopalium exponit, & diſtribuit; hac iudicia conſtituit; hac appellationum rationem, modum quæ præſcribit, tanquam ex Cathedra ius toti Eccleſiæ diceret. Anacl.

Anacletus deſcribit ordinem Hierarchicum.

Euariſti prima Epiſtola, immo Patrum Africanorum ad quos data eſt, iudicium proponit de Romana Cathedra, quod magnopere ad inſtitutum pertinet. Sic enim. *Conſulentibus*, inquit Euariſtus, *vobis fratres chariſſimi, quid ſuper his, quæ in veſtris continebantur ſcriptis viſum nobis eſſet, vel quid docilis ratio perſuaderet, aut quid à Beatis Apoſtolis nobis traditum, aut cuſtoditum remaneret, optantes, vt retuliſtis noſtis inſtitui documentis. Hæc verò reſcribimus*. Attendant Heterodoxi. Optant illi Patres inſtitui, & doceri ab Euariſto Romano Pontifice. Hoc ij nolunt. Vtri iure? dicant ſi audent. Quid autem rogarent Africani ex tenore epiſtolæ patet. De officio Diaconi. De matrimonij Chriſtiani legibus. Rectè, ac ex Oraculo Pontifex reſpondit. Qui in ſecunda ad Aegyptios epiſtola de Epiſcoporum cum ſuis Eccleſijs nexu, & vinculo ſolemni, & ſacro, & aliena vi minimè ſoluendo accuratè agit, & de obſeruantia epiſcopalis dignitatis, quam ſartam, & tectam ſeruari vult, ne à quoquam aut inſimulatione, aut calumnia temerari poſſit ſerio præcipit. Quæ documenta ad omnes prorſus Chriſtianos peruadunt. Euariſt.

Euariſtus conſulitur à Patribus Africanis.

Item ab Aegyptijs

Quas duas Alexander I. ſcripſit epiſtolas, eæ vel ſola inſcriptione vniuerſalis Eccleſiæ curam Apoſtolici officij eſſe declarant. Primæ: *Ad omnes Orthodoxos*: Inſcriptio eſt. Secunda. *Fratribus omnibus Epiſcopis per diuerſas conſtitutis regiones* dirigi- Alexan. I.

rigitur. Opponent Heterodoxi: liberas eſſe, & ſuſcepto conſilio poſitas inſcriptiones. At ſunt antiquæ, & nemo eas hactenus loco mouit. Cur ij temerè mouere conantur? Sinant ſuo loco frui. Conſiderent textum earum Reipub. Chriſtianæ congruere. Expendant illam ſententiam primæ epiſto-

I. Epiſt. Alexan. læ. *Peruenit namque ad conſcientiam Apoſtolicæ Sedis, quòd nonnulli tam ſunt ſtolidi, qui Dominica præcepta, & Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum ſtatuta minimè obſeruant.* Et paulò poſt. *Relatum inſuper eſt ad huius Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedis apicem, cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omnium negotia Eccleſiarum ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad Caput: dicente Domino Principi Apoſtolorum Petro, Tu es, &c.* Video eos aures obturare, nec pati iſta. Verum ego idcirco ſuggero, vt ſaltem doleant, & crucientur. Tolerabant hæc, vel ipſi Catholici qui reprehendebantur. Ij verò, etiam tuti, & minimè læſi non patiuntur.

Cuſtodia ſtatutorum, & legũ Eccleſiaſticarum commendata Romani Pontifici.

Sixt. I. In epiſtolis Sixti I. duo auribus Heterodoxorum tormenta paro. Alterum: quòd ille in prima *omnibus Fratribus* ſcribit. Alterum, quòd in ſecunda ſic inſcribit. *Sixtus Vniuerſalis Eccleſiæ Apoſtolicæ Epiſcopus.* Quo titulo ceu fulmine exanimantur. Indignantur, fremunt, furunt. Nos minas eorum & iras ridemus. Et augemus dolorem monſtrantes *Formatas*. Quarum hic Sixtus infert mentionem. Docuit Pontificis Romani eſſe teſſeram communionis Catholicæ, & inſtituere, & dare.

Titulus Epiſcopi in tota ii vniuerſali Eccleſia conuenit Papæ.

Theleſphori vnica eſt epiſtola, ſed ad omnes directa, & ple-
Teleſph. na documentorum, ad obſeruationem ieiunij, celebrationem Miſſarum, immunitatem Epiſcoporum, depulſionem calumniarum, & ſacrorum dignitatem ſpectantium.

Theleſphorus quæ decreuerit?

Higin. Higino fides habenda ſcribenti, *cunctis in Apoſtolica fide, & doctrina degentibus ſalutem*: curam Romani Pontificis vniuerſalem eſſe: quam adſtruit illa particula litterarum ad Athenienſes. *Alieni erroris ſocietatem à ſui Propoſiti tramite recedentem, aut Apoſtolicæ Sedis iuſſionibus inobedientem ſuſcipere non poſſumus.* Accedant quinque illius decreta, in corpus canonicum inſerta: ſed hæc negligunt Oxonienſes, cùm receperint Athenienſes.

Quanti ſit obſeruantia Sedis Romanæ.

Pius. Pius I. ad omnes epiſtolam mittit Eccleſias. In qua vetat celebrari Paſcha vſu Iudaico. An hoc non eſt in Catholica Eccleſia receptum? Sanè: quanquam Orientalis aliquandiu re-

ſtite-

ſtiterit, tandem ceſſit, & paruit. Secunda *Fratribus* ſcribitur. Nempè qui Matris Eccleſiæ Catholicæ filij erant; atq; adeò fidelibus, quibus Pius leges tractandi ſacra, & tuendi iudicia præſcribit. Aliæ duæ, ſunt enim quatuor, rem priuatam attingunt. Decreta illius inter Canones relata complura.

Modum exercendi ius Eccleſiaſticum Pius præſcripſit.

Epiſtola Pij.

Non ſunt Angli liberiores, opinor, nec liberaliores Gallis. Acceperunt hi tamen iam tum intra Eccleſiæ conſtituta Romana, ſuper Hierarchia Eccleſiaſtica, quæ in vnica Aniceti epiſtola continentur: & monitis de correctione morum obaudierunt, & vniuerſalem illam poteſtatem comprobarunt. Litauit Gallica libertas Sedi Romanæ in Ara obſeruantiæ Chriſtianæ, vnde ſe Anglicana ſuperbia poſt Henricum VIII. ſubduxit.

Aptum argumentum ad Anglos conuincendos.

Soter.

Secunda Soteris epiſtola ad omnes Fratres Italos ſcribitur, ſed ad omnes Chriſtianos doctrina pertinet. Remouentur enim vbique à ſacris Fęminæ: & ſimulatores, & hypocritæ exploduntur. Verùm quiddam maius afferimus. Sic incipit epiſtola. *Diuinis præceptis, & Apoſtolicis monitis informamur, vt pro omnium Eccleſiarum ſtatu, impigro vigilemus affectu.* His Hetorodoxi affliguntur. Quæ ille decreuit inter Canones numerantur. Non ſeruant Contabrigienſes. Hoc nomine quòd non ſunt intra Eccleſiam: Maiores eorum qui fuerunt ſeruarunt.

Fœminæ ſacrorum ordinum incapaces.

Eleuth.

Eleutherius conſultus ab Epiſcopis Galliæ ita vnica epiſtola reſpondet, vt appellationis ius ad Sedem Romanam adſtruat, & cæteris appellationibus normam, & legem præſcribat, iudiciaque diſtribuat, & quo quemque liceat modo accuſare edoceat. Galli primi conſuluerunt, primi appellarunt.

Ius appellandi ad Sedem Romanã.

Vict. I.

Victor I. ſuo titulo ſcribens primam epiſtolam Heterodoxos deterret. Sic enim *Victor Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopus.* Alexandrinis tacentibus, & conſentientibus. At Aberdonienſibus aduerſantibus. Quid refert? Qui tandem ij ſunt, vt cum illius Patriarchalis Eccleſiæ Heroibus conferantur? Obſtrepunt ſæpè arma legibus. Ac ne putent illum inanem eſſe, & affictum titulum: intra epiſtolam hæ lineæ continentur. *In inſtitutis legitur Apoſtolicis: Si quis putauerit ſe à proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham, vel Primatem Diœceſeos, aut penes Vniuerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ iudicetur Sedem.* Ecce vniuerſalis Sedes Romana. Hic ſupremam

Papa vniuerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopus.

Idque monſtratur.

mam

mam iuriſdictionem ei multis locis attribuit. Itaque *Culpantur enim Fratres*, inquit, *qui aliter circa Epiſcopos iudicare præſumunt, quàm Apoſtolicæ Sedis Papæ fieri placuerit*. Sanè is Pontifex Paſchæ tempus, & ritum determinauit, & in hac epiſtola publicauit. *Hic aqua*, vt aiunt, *hærent* hæretici. Secunda ad Afros perſpicuum huiuſce doctrinæ exhibet documentum. Diſcordia laborabant circa adminiſtrationem ſacrorum, Victor in concordiam reducit ſublata contentione. *Perlatum eſt enim ad Sedem Apoſtolicam aliquos veſtrum nocere fratres velle, & vt cadant decertare. Similiter in Sacramentis diſcrepare, & ob id contentiones, & æmulationes inter vos fieri, à quibus diſſenſionibus vos auertere, & in his omnibus concordare, & opem ferre viciſſim mandamus.* Commentarijs, vel amplificationibus non eſt opus.

Tollere ſchiſmata propria Papæ.

Zephyr. Idem argumentum vrget Zephyrinus ad Siculos. Decerpo quædam ex multis. *Ad Romanam Eccleſiam ab omnibus maximè tamen oppreſſis, appellandum eſt, & concurrendum eſt, quaſi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, authoritate defendantur.* Quare in tota iſta epiſtola iudicijs leges, & regulæ præſcribũtur. Contra quas qui faciant in epiſtola ſecunda acerbè reprehenduntur.

Papæ eſt tueri Eccleſiam, & iniurias ob oppreſſis depellere.

Calliſt. Quæ Calliſtus I. de ieiunijs, de iudicijs, de criminationibus Epiſcoporum, de excommunicationibus, de coniunctionibus conſanguineorum, de accuſationibus, de teſtimonijs, in duabus epiſtolis tradit, eorum cauſam, & rationem affert initio primæ; quod iuſtum eſt noſtræ doctrinæ argumentum. *Fraternitatis*, inquit, *amore conſtringimur, & Apoſtolico moderamine conuenimur, vt conſultis fratrum, prout Dominus dederit, reſpondeamus, eoſque Apoſtolicę Sedis authoritate inſtruamus.* Lectore hic tantum eſt opus attento, & vacuo auditore.

Sedes Romana conſulitur.

Breuius dico. Vna Epiſtola Vrbani plena eſt documentis. Igitur eam dirigit *omnibus Chriſtianis*. Eiuſdem modi eſt ſecunda Pontiani. Ergo. *Pontianus*, inquit, *Sanctæ, & Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, omnibus rectè Deum colentibus, & diuinum cultum amantibus.*

Pótian.

Titulus Epiſcopi Eccleſiæ vniuerſalis Papæ conuenit.

Fabiani in epiſtola ſecunda, Chriſmatis confectionem tradentis, ea vox eſt. *Iſta à Sanctis Apoſtolis, & Succeſſoribus eorum accepimus, vobiſque tenenda mandamus. Hæc Sancta Romana Eccleſia, & Antiochena à temporibus Apoſtolorum cuſtodit.*

Vrban. Fabian.

Hæc Hieroſolymorum, & Ephesinorum tenet. In quibus Apoſtoli præſidentes hoc docuerunt. Verum Heterodoxi Chriſma Phanthaſma putant, quod non ſit in Scriptura, quaſi traditio nihil valeat: nihil Eccleſia. A qua tamen ipſi libros Canonicos, & ſcripturas habent. Vbi enim in ſcriptura Canon ſcripturarum habetur?

Chriſma antiquũ eſt conſtat ex Fabiano.

Traditionis ius.

Eſt in ſecunda Cornelij epiſtola, quod rem noſtram magnoperè iuuet. Conſultus à Ruffo Orientali Epiſcopo de Religione, ac ritu iuriſiurandi, quod Sacramentum vocat: ante cætera ſic ait propè finem epiſtolæ. *Sacramenta ſuper quibus hanc Sanctam Romanam, & Vniuerſalem Eccleſiam conſulere voluiſti fieri prohibeas.* Cornel.

Iuramenti conſuetudo improbatur.

Magnum quiddam reperi in vnica Epiſcopi Romani Lucij epiſtola ad Galliæ, & Hiſpaniæ Epiſcopos. Agens quippe is de iudicijs, & appellationibus Epiſcoporum ſic: *Omnes*, inquit, *de communibus eorum cauſis conſonam ſententiam proferant, & determinẽt: quoniam aliter acta nullas vires habebunt, nec Eccleſiaſtica reputabuntur.* An non eſt ſuprema, & vniuerſalis authoritas illius, qui in Gallia, & Hiſpania ſummorum Eccleſiæ Sacerdotum (ſic enim appellantur Epiſcopi) ſententias antiquare valeat, & ab Eccleſia eijcere? At ficta eſt epiſtola. Quomodo cum ſit illa reſponſio? Fabulantur Heterodoxi, dum noſtra monumenta negant. Fingunt, cum inficiantur. Lucius.

Acta inuito Papa ſunt nulla.

Heterodoxi punguntur.

Nouum huic doctrinæ momentum addit Stephanus Papa epiſtola I. vbi ſic ad Hilarium Epiſcopum. *Quod verò conſuluiſti Sedem Apoſtolicam, qui ſint infames, aut qui ad gradus Eccleſiaſticos non ſint admittendi, & noſſe te credimus, & pro authoritate Sedis Apoſtolicæ, te informare non denegamus.* Pergit deinceps ſeriem texere rerum ad mores ſpectantium, earumque obſeruantiam commendat, iure Apoſtolico. Epiſtola ſecunda eiuſdem iudiciorum, & morum diſciplinam continet: ſic eã incipit. *Stephanus Sanctæ Apoſtolicæ, & Vniuerſalis Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus. Omnibus per diuerſas Prouincias conſtitutis Epiſcopis in Domino ſalutem.* Quorſum ad hos ſcriberet niſi vniuerſorum curam gereret? Afferamus ipſius verba: *Loci nanque noſtri conſideratione compellimur, ea quæ ad notitiam noſtram emendanda peruenerunt propter Dominum non derelinquere, ſed digna emendatione corrigere.* Steph.

Sedes Apoſtolica conſuli debet, ac ſolet.

Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus Papa dicitur.

Et quidem niſi ſumma ineſſet Sedi Romanæ vis authori-

Sixt. II. tatis, non ita ſcriberet Sixtus Papa Secundus epiſt. ſecunda ad Epiſcopo Hiſpaniæ de ſententijs contra ius faſque latis. *Quibus*, inquit, *ex Sancti Petri, & Apoſtolica authoritate omnia quæ eis ablata ſunt, integerrimè reddi præcipimus, ſi non vultis vos, & Principes veſtri à Collegio noſtro, & membris Eccleſiæ ſeparari.* *Obedientia Decretis Romanorū Pontificum præſtanda.*

Dionyſ. De doctrina morum loquebatur Papa Dionyſius cum hæc dictabat *Olim*, inquit, epiſt.2. ad Seuerum, *& ab initio tantam percepimus à B. Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, vt habeamus authoritatem vniuerſalem Eccleſiæ auxiliante Domino ſubuenire, & quicquid nociuum eſt authoritate Apoſtolica corrigere, & emendare.* *Vniuerſali Eccleſiæ attendit Papa.*

Felix I. Felicis I. duæ epiſtolæ præceptis ſunt refertæ moralibus. Illa verba faciunt ad cauſam. *Reſpondi breuiter conſultis tuis, ideſt Paterni Epiſcopi, quæ & te omnes Epiſcopos regulariter tenere mandamus.* En vniuerſale præceptum.

Ad Epiſt. Galliæ. In ſecunda epiſtola ad Epiſcopos Galliæ de iudicijs conquerentes, forma præſcripta, & cultus item Martyrum imperatos. *Qua propter*, inquit, *in præfata conſtituimus Synodo, vobiſque, & omnibus Eccleſijs tenendum, & agendum mandamus.* Vnde iſta authoritas? Nempe ait in tertia epiſtola ad Remigium. *Semper enim dubia, & maiora negotia terminum ab hac Sancta Sede à tempore Apoſtolorum qui eam ſuis documentis inſtruxerunt, accipere conſueuerunt.* *Pontificia in iubendo authoritat.* Ad Remig.

Eutych. Graue teſtimonium redditur Sedi Apoſtolicæ ab Eutychiano: Pænas eccleſiaſticas confirmante. *Vnde iſta præcauentes, & ſtultorum animos præuidentes. Cura Paſtorali cum omnibus Epiſcopis, & Sanctæ Romanæ, atque Vniuerſalis Eccleſiæ vtriuſque Ordinis Fidelibus ſtatuimus, non ita in Eccleſiaſticis agendum eſſe negotijs, ſicut in ſecularibus.* *In puniendo grauitas.*

Caius. Huius Pontificis decem Decreta commune Canonum ius ſibi vindicauit, & Canonum volumine incluſit. Caij ſingularis epiſtola plura continet reſponſa ad conſulta Felicis Epiſcopi: in qua ſic. *De te confidimus, qui regulam Catholicæ Fidei ijſdem ſtudes tenere veſtigijs, quibus eam ſcis in Apoſtolica Sede eſſe fundatam.* Et ſtatim. *Quapropter dilectionem tuam in Domino ſalutantes, de ſingulis, quid iuxta Catholicam Fidem teneat Apoſtolicæ Sedis authoritas ſubiectis aliquibus etiam Sanctorum capitulis regularum te credimus inſtruendum.* *Decreta Eutychiani.* Epiſt. ad Felic. *Sedes Apoſtolica regulas præſcribit.*

Ad calcem de Ordinibus ſacris fatetur ſe nihil ſtatuere,

quòd de ijs ſatis Apoſtoli,& Succeſſores eorum,ac imprimis Anacletus ſtatuiſſent. Itaque omnis inſtitutio de Eccleſiaſtica Hierarchia ad Sedem Apoſtolicam referenda.

Anacleti ſtatuta.

Marcellinusin ſecunda epiſtola quæ ad Eccleſiaſticæ Reipub. conformationem pertinet,eximium ſupremæ authoritatis ſpecimen præbet. Hæc ille initio ſcribit epiſtolæ: *Suſcepi quod votiua mihi de Charitate quæ inter vos eſt Eccleſiarum, & Pace in litteris indicaſtis, ſpontè mihi quicquid hortari poteram, quicquid monere delatum eſt*, & infra. *Facimus de his, quæ fuerunt dicenda compendia, ipſi potius ad inſtruendam notitiam veſtram, quæ nobis ſunt reſponſa dirigentes*, &c. Et Epiſcopi illi Orientales ſciebant officium Pontificis eſſe moneri ſe, ac inſtitui ab eo, & nouerat Marcellinus, eo ſe teneri.

Marcel. linus.

Epiſcopi deferunt cauſas ad Romanū Pontificem.

Conſulitur Pontifex Romanus de dubijs.

Nulla, opinor, eſt illuſtrior, quàm Marcelli Primi ad Epiſcopos Antiochiæ ad faciendam huic veritati fidem. Tota epiſtola ad doctrinam morum ex Scripturarum ſententijs eſt accommodata. Initium huiuſmodi eſt. *Solicitudinem omnium Eccleſiarum iuxta Apoſtolum circumferentes*, &c. *In quadam Sacerdotum eius ſpecula conſtituti prohibeamus illicita, & ſequenda dicamus*, &c. A Petro primùm *inſtructi eſtis; ideò non oportet vos derelinquere Petrum, & alios ſequi: ipſe enim eſt caput totius Eccleſiæ: cui ait Dominus. Tu es Petrus*, &c. *Summarum cauſarum negotia, ſiue cuncta dubia Apoſtolicæ Sedis authoritate ſunt agenda, & finienda: omnia comprouincialia negotia huius Sanctæ Vniuerſalis, & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſunt retractanda iudicio, ſi huius Eccleſiæ Pontifex præceperit*, &c. *Paſtoralis ergo cura officij nos admonet, & deſtitutis ſuccurrere, & cuncta neglecta, vel malè acta reformare*. Et quod maximè notandum eſt. Ad Antiochenam Eccleſiam, eiuſque Epiſcopos iſta ſcribit. Hæc Paterna cura coegit Maxentium tyrannum interpellare pro clemētia in Chriſtianos, pro libertate, & immunitate Eccleſiarum, pro conſeruatione Apoſtolicæ authoritatis, quemadmodum videre eſt in epiſtola ſecunda.

Marcel lus I

Solicitudo omnium Eccleſiarum propria Papæ.

Petrus caput totius Eccleſiæ.

Quam latè pateat ius Pontificium.

Tres extant epiſtolæ Euſebij: vna ad omnes Galliæ Epiſcopos: altera ad Aegyptios: Tertia ad Epiſcopos Tuſciæ, & Campaniæ. Singulæ documentis è re ſacra, & eccleſiaſtica plenæ: ſingulæ Apoſtolicę, & ſummæ authoritatis idonea argumenta. Decreta quatuor numerantur inter Canones.

Epiſtolæ Euſebij quales.

Euſeb.

In Vnica, quæ eſt Melchiadis epiſtola, non parua exhibentur

Melchiades

bentur de Eccleſiaſtica diſciplina præcepta. Illud eminet principio. *Propter vniuerſalem curam, quæ nobis eſt propter priuilegium eiuſdem Eccleſiæ*. Decreta quæ totidem ſunt Canones, quatuor inueniuntur. *Papa cura vniuerſalis.*

SECTIO II.

A Syluestro, vſque ad Leonem I.

Syluest. SYlueſtri nullæ ſunt Epiſtolæ. Canones extant plerique ab eo, & priuato domi, & in Concilio II. Romano conditi, quod *Canon* appellatur, vel *Conſtitutio Syluestri*, in quibus tota fermè Eccleſiaſtica doctrina viginti diſtincta capitulis continetur. Id conſtat: nullum Pontificem Reipublicę Eccleſiaſticę magis profuiſſe, nimirum felicitate temporum, quæ nactus eſt Conſtantino Imperatore tranquilla vſus, proſperè in Petri naui ad vtilitatem publicam velificauit. Legat eius vitam, qui volet, ſiue eam, quæ dicitur authorem habuiſſe Damaſum, ſiue eam, quæ in diuinis officijs ſuo die recitatur, ac ita eſſe comperiet. Marco prętermiſſo, cuius nulla Epiſtola eſt, ad Iulium accedamus. Prima & tertia Epiſtola præceptis, & documentis abundant, ſuntque maximè inſignes, ac idoneæ ad id quod volumus adſtruendum. Prima nonnulla ſuppeditat. *Sanctam*, inquit, *& Romanam Eccleſiam Primariam omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt. Satis indignum eſt quenquam vel Pontificum, vel ordinum ſubſequentium hanc regulam refutare, quam B. Petri Sedem, & ſequi videat, & docere*. Hęc prima. Plura exhibet ſecunda. *Cuius*, inquit, *diſpoſitioni*, ideſt Papæ, *omnes Eccleſiaſticas cauſas, & Epiſcoporum iudicia antiqua Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, atque canonum authoritas reſeruauit. Quoniam culpantur Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiuſdem Sedis Papæ fieri placuerit, &c. Portamus onera omnium, qui grauantur: quin imo hæc portat in nobis B. Apoſtolus Petrus, cuius vice fungimur legatione, & cuius regula informamur, &c.* Multa quæ ille decreuit Canonibus ſunt inſerta. Decem recenſentur.

Sylueſtri Pontificatus è Repub. Chriſtiana.

Marcus.

Iul. I. *Romana Eccleſia Primaria.*

Papæ omnes cauſæ commiſſæ.

Petrus in ſuis Succeſſoribus laborat.

Concil. Sardic. Athan. Sulpit. Hic ponendum Concilium Sardicenſe, quod plerique Oecumenicum appellant. Athanaſius in principio 2. Apologię *Magnam Synodum*. Sulpitius lib. 2. Sacr. hiſtor. *Concilium ex toto orbe conuocatum*. Socrates lib. 2. cap. 16. *Generale Conci-*

Concilium vocat. Haud dubiè ſummæ, ac eiuſdem penè cùm Niceno authoritatis. Hoc igitur penè totum de iudicijs, & cauſis, & appellationibus Epiſcoporum agit, & inter 21. Canones quos edidit, & tribus verſionibus circumferuntur, Canon, qui in 1. eſt tertius, in 2. quartus, in 3. item tertius ſtatuit, vt ſi Epiſcopus iudicatus in ſua Prouincia de cauſę bonitate ſuæ confiſus renouari iudicium velit, examen remittatur *ad Romanum Epiſcopum Iulium, cuius iudicio ſtandum eſt*. Rurſum Canon in 1. & 3. verſione quartus, in 2. quintus præſcribit vt depoſito in Prouinciali iudicio Epiſcopo, ſi Romam prouocet, vacet Cathedra, nullo ſuffecto, donec Romanus Epiſcopus ſuum iudicium interponat. Supereſt tertius Canon de modo cognoſcendi, & iudicandi ab Romano Pontifice, qui eſt in 3. verſione quintus, in 1. ſeptimus, vbi decernitur. Primò, vt Papa cauſa ſuſcepta ſcribat ad vicinæ Prouinciæ Epiſcopos, vt ipſi cauſam recognoſcant, & iudicio ſuo definiant.

Appellatio ad Papam. *Conc. Sard.* *Idem.* *Modus iudicandi cauſas Eccleſiaſticas*

Secundò, vt ſi iudicatus adhuc non acquieſcat, & iterum iudicari velit, oretque Papam, poſſit is mittere ſuos Romanos cognitores, qui præſentes illic cum Epiſcopis cauſam examinent, & authoritate mittentis, ideſt Sedis Apoſtolicæ, cauſam terminent. Quod ſi cenſuerit ſatis eſſe ab Epiſcopis iudicari ſine interuentu alterius perſonę, *fiat vti ſapientiſſimo ſuo conſilio iudicauerit*. Verum quidem eſt hac de re diſceptatum in Concilio VI. Africano fuiſſe, idque obijci ab hæreticis importunè. Sed quando id ad obiecta pertinet, quæ ad calcem reſeruamus, eò ſolutionem remittimus. Nunc id dubitari nolumus. Eos Canones Sardicenſis eſſe Concilij, & rem qua de nunc agimus continere.

Ratio prouocandi ad Papam. *Idem.* *Diſceptatio cum Patribus Africanis de appellationibus.*

Iuuat illud, quod Synodus Epiſtolam Synodicam ad Iulium Papam miſit, vt eum de Actis faceret certiorem. Seligo illa verba. *Hoc enim optimum, & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſcumque Prouincijs Domini referant Sacerdotes*.

Epiſtola Synodi Sardic. *Egregium teſtimonium Concilij Sardicenſis.*

Eſt in Concilio Vaſionenſi tempore Iulij I. momentum non leue. In Capitulo tertio agens de recitatione verſiculi. *Gloria Patri*. Ad conſuetudinem hanc firmandam ponit primùm Eccleſię Romanæ morem. *Quia non ſolum*, inquit, *in Sede Apoſtolica, &c.*

Nota hic Concil. Vaſion. *Concil. Vaſion.* *Verſus. Gloria Patri.*

Liberius vnam nobis exhibet Epiſtolam moralem, quæ eſt *Liber.*

eſt 12. ac in ea initio ſic. *Dominis Sanctiſſimis, & Deo amantiſſimis vniuerſis Epiſcopis Liberius.* Qui vniuerſis ſcribit vniuerſalem curam indicat. Sed illuſtrior eſt clauſula. *Neceſſe eſt, vt diuinis, & Apoſtolicis conſtitutionibus pareatis, & in nullo patiamini prouidentiſſima Canonum Decreta violari.* Conſentit ſibi Liberius in Dialogo cum Conſtantio, vbi ſic ei ſuadenti communionem cum Eccleſijs Arianis, & Romam ijs admiſſis reditum permittenti reſpondet. *Iam Fratres, qui Romæ ſunt valere iuſſi. Nam leges Eccleſiaſticas obſeruare pluris faciendum cenſeo, quàm Romæ habere domicilium.* Libera vox & Liberio adhuc incorrupto, & integro digna. *Liberij vox præclara.*

Fel. II. Si Epiſtola 1. & 2. quæ cum actis vitę Felicis II. coniunctæ reperiuntur germanę eſſent, ac eos quos præferunt titulis, earumdem authores eſſe conſtaret inuicta nobis præſtarent aduerſus heterodoxos argumenta. Tam perſpicuè enim Alexandrini Concilij cum Athanaſio Patres fatentur Primatum cum hac poteſtate vniuerſali iuris dicendi, ac tuendi in tota Eccleſia, vt nihilomnino ſit prætermiſſum, quod ad eam aſſerendam, & amplificandam facere poſſit. Quicquid hactenus nos in prolixa diſceptatione Papę ſtudioſo labore detulimus, id omne vna illa Epiſtola gratis in eundem confert. Quin & ipſemet Felix reſpondens Patrum & vota, & dicta confirmat, ſeque *Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum* inſcribit. Verùm quod illæ ſuſpicionis arguuntur à doctis, & mihi ſcrupulum mouent ab ijs calamum abſtineo. Tantum dico quicunque earum authores ſint, (puto autem eſſe antiquos,) ijs omnino perſpectam eſſe hanc quam contendimus aſtruere vniuerſalem Romani Pontificis poteſtatem. Norint Oxonienſes candorem meum, & præiudicium ex eo faciant fidei minimè ſubleſtę, & credant vbi de re non ambigo, affirmanti. Eſt tamen in ijs quiddam momenti ad noſtrum inſtitutum faciens, quòd ſuperioribus aliorum, & Pontificum, & Patrum dictis reſpondent, & ſtylus authorem commendat.

Conc. Alex. *De Felic. II. Papæ Epiſtolis iudicium.* *Candor et fides authoris.*

Damaſ. Aptè in locum illarum Epiſtolarum Felicis veniunt quarta, & quinta, & ſeptima Epiſtolæ Damaſi, quæ abundè ſupplent quicquid in alijs deſiderauimus. Quarta multa de Primatu, de cauſis, de iudicijs Epiſcoporum continet. Quinta dum agit de Chorepiſcopis, ijſque multum de occupato iure, & vſurpata authoritate detrahit, eoſq; ad ordinem redigit, *Epiſtolæ Damaſi plenæ doctrina.*

ſa-

ſatis ſignificat, quanta ſit in Sacris Romani Papæ dignitas, & poteſtas. Ex Epiſtola ſeptima illud accipio. *Relatum eſt ad Sedem Apoſtolicam vos accuſationes fratrum per ſcripta ſuſcipere abſque legitimo accuſatore. Quod deinceps in omni orbe terrarum fieri authoritate prohibemus.* Non alijs quàm orbis finibus Papæ authoritas, quicquid fremant hæretici, terminatur. Pleraque alia ſunt, tum in Actis Damaſi, quæ in Eccleſijs olim legi ſolita erant; tum in iure canonico argumenta. Acta Damaſi.

In tribus inter alias Siricij Papæ Epiſtolis. Prima ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum. Tertia ad vniuerſos orthodoxos. Quarta ad Epiſcopos Africanos, eadem lucet doctrina. Sed multò ſplendidius in prima. Nihil fermè eſt in rebus Eccleſiaſticis, ſiue ad Sacramenta, ſiue ad Ritus, ſiue ad Clerum, ſiue ad Monachatum, de quo ille non præcipiat. Illud expendi volo initio Epiſtolę poſitum. *Siricius Himerio. Directa ad deceſſorem noſtrum Sanctæ recordationis Damaſum fraternitatis tuæ relatio, me iam in Sede ipſius conſtitutum, quia ſic Dominus ordinauit, inuenit*, & infra. *Ad ſingula conſultationis tuæ reſponſum competens non negamus, quia pro officij noſtri conſideratione, non eſt nobis diſſimulare, non tacere libertas, quibus maior cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui grauantur.* Patet non proprio arbitratu, ſed aliorum rogatu hęc Siricium ſcripſiſſe. Siric. *Argumenta Epiſtolarum Siricij.* *Epiſtola ab Himerio directa Damaſo reddita Siricio.* *Papæ officiũ vniuerſale.*

Principium Epiſtolę Primi Anaſtaſij primę ſpecimen quoddam inſigne eſt Apoſtolici Primatus. *Anaſtaſius*, inquit, *Epiſcopus cunctis Germaniæ, & Burgundiæ regionibus Epiſcopis in Domino ſalutem. Exigit dilectio veſtra, chariſſimi, vt ex authoritate Sedis Apoſtolicæ veſtros deberemus reſpondere conſultis.* Et inducto capitulo primo. *Significaſtis enim quoſdam Sacerdotes in Eccleſia, quando leguntur Euangelia ſedere, & Domini Saluatoris verba non ſtantes, ſed ſedentes audire, & hoc ex maiorum traditione ſe accepiſſe narrant, quod vt nullatenus deinceps fieri ſinatis Apoſtolica authoritate mandamus.* Anaſt. *Reſpondet cõſultis Anaſtaſius.* *Euangelium ſtantes audire omnis debent.*

Ex Toletano Concilio I. ſub Siricio vnum quiddam aſſumo: quòd eſt breuiſſimum, & inſtar fulminis, quod in Heterodoxos iaciatur. Poſtremum hoc ponitur in Concilio. *Si quis in errore Priſcilliani Sectam ſequitur, vel profitetur, vt aliud in ſalubri baptiſmo contra Sedem Petri faciat, anathema ſit.* Perinde ac qui contra eam faciat, contra Eccleſiam, immò & ſcripturam faciat. Non ita Cantabrigienſes: ſed *contra ſcri-* Concil. Tolet. *Quãti ſit Petri Sedes.*

pturam id eſſe dicerent, & Sedem Romanam à Scripturis diuiderent. Sic enim faciunt, quòd ab Eccleſia diſceſſerunt. At prçſtat cum Toletanis Patribus ſentire, quibus perſuaſum fuit Sedem Romanam, nunquam à ſcripturis diſſenſiſſe, & qui cum ea ſenſerit, ſemper cum ſcripturis ſenſurum. Cantabrigienſes & à Sede Romana, & à ſcripturis diſſentiunt. Donatiſtis ſimiles ſunt, nos Toletanis, & Catholicis.

Punguntur Heterodoxi.

Innoc.

Tranſeo ad Innocentium, qui vnus ſatis eſt ad inſtitutum. Tres Epiſtolç vna ad Decentium Eugubinum, altera ad Victricium Rhotomagenſem, tertia ad Exuperium Toloſanum totius Eccleſiaſticç diſciplinæ ideam Romæ formatam exhibent, vnde Eccleſiæ petiſſe exempla monſtrantur, ac deinceps petere omnino iubentur, vt ad illam conformatæ, & ſibi conſtent, & inter ſe conſentiant. Quod ſi omnia, quæ rem continent vellem decerpere, ac producere, infinita res eſſet. Tantum indicabo prçfationem ad capita Epiſtolæ 1. ad Decentium. Hoc loco vſus ſum in mea Diatriba de Aduentu Iacobi in Hiſpaniam ad probandum, quicquid Sacrorum Rituum ad eius Eccleſias emanauit Roma à Petro fluxiſſe. Idque locis Patrum gentis illius, decurſis accurate Concilijs confirmaui. Gemina huic eſt ſecundç ad Victricium prçfatio, in qua ſimilia continentur.

Epiſtolarum Innocentij I. doctrina.

Epiſtola Innoc.

Hiſpaniæ, & Sacra, & ſacrorum antiſtites à Petri Sede acceperunt.

Epiſc. Hiſpan.

Proxima his accedit tertiç ad Exuperium proçmium ad eandem doctrinam conformatum. Harum trium ſimillima eſt 18. ad Epiſcopos Macedoniæ ex qua delibo pauca. *Vitalis Archidiaconus veſtrarum portitor litterarum ex illis partibus ad nos vſque directus peruenit, &c. Aduerti* (lectis nimirum litteris) *Sedi Apoſtolicæ, ad quam relatio quaſi ad caput Eccleſiarum miſſa currebat, aliquam fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum ſententia duceretur. Vnde de quibus iam dudum ſcripſiſſe me memini, nunc iterare formam argumentis euidentioribus relationis veſtræ geminata percontatio compellit.* Hçc initio. Poſtea in 5. capitulo cum iam ambigua ſuſtuliſſet. *Vincimus*, inquit, *vt opinor, ambigua. Iam ergo quod pro remedio, ac neceſſitate temporis ſtatutum eſt, conſtat primitus non fuiſſe: ac fuiſſe regulas veteres, quas ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris traditas Eccleſia Romana cuſtodit, cuſtodiendaſque mandat his qui eam audire conſueuerunt.*

Epiſcop. Maced.

Eccleſia Romana Caput Eccleſiarum.

Romana Eccleſia veterũ regularum cuſtos.

Verum obijcient aduerſarij: hçc omnia dicta eſſe ab Inno-

centio Romano Papa. Ei ſe nolle credere. Quæ illorum eſt propria, & importuna obiectio. Cui data idonea occaſione reſpondere volo. Ac vltimo loco affero locum Innocentij ex Epiſt. 20. ad Synodum Toletanum, quo vſus ſui in mea de Aduentu Iacobi Diatriba cap. 11. §. 2. vt obiter oſtenderem, quòd nunc ſuſcepto ſtudio probo, Hiſpanienſes Eccleſias ſacrorum, & rituum ordinem à Romana Eccleſia accepiſſe, vt doceam aduerſarios iam tum me, cùm nihil adhuc de Primatu Petri cogitabam, congruam ei ſententiam tradidiſſe: eamque aliorum Pontificum, & Conciliorum Hiſpanienſium teſtimonijs confirmaſſe. Sunt autem Pontifices Leo I. Hormiſdas, Gregorius Magnus, Gregorius VII. Concilia verò Toletanum IV. & Bracharenſe I. quæ duo ſunt certa, & indubitata, fatenturque ſe tum documenta Fidei, tum inſtituta Sacrorum à Romanis Pontificibus accepiſſe. Supereſt Concilium ſecundum Toletanum (me quippè cum Baronio, & Binio authore duo ſunt, vnum ſub Anaſtaſio, alterum ſub Innocentio I. celebrata) ad quod Innocentius litteras miſit, quę rem maximè continent. Volo autem, quę ibi ſunt à me ſcripta tranſcribere.

Author in Diatriba.

Hiſpaniarum Sacra, & ritus à Sede Romana.

De Quarto Concilio ſic pag. 100. & 101. Quod quidem argumentum eſt eam Synodum fuiſſe diuerſam, cum ad illam Innocentius Epiſtolam ſcripſerit, quæ eſt 23. Ex qua conſtat de qua ſit ea Synodus re inſtituta, nimirum de ordinatione Clericorum, de cuius forma, & modo in Hiſpania erat diſſidium, quod in Schiſma eruperat. Cum hoc igitur munus ordinandi ad Epiſcopalem curam pertineret, & Epiſcopi de eo minimè conuenirent, coegerunt Concilium, vt ea diſſenſio tolleretur. Patribus igitur iam congregatis ſcripſit illam Epiſtolam Innocentius, in qua deprehenditur Synodi materia, & traditur ab Innocentio ratio, quàm ſequi deberent in ordinando. Quæ omnino ad maiorum inſtitutiones erat reuocanda, tanquam ad certam regulam normamque præſtitutam. Audiamus Innocentium: ille nos docebit quàm hæc doctrina faciat ad cauſam Gregorij, nec tamen noſtræ officiat. Igitur. *Sæpè me, & nimium cum teneret cura ſollicitum ſuper diſſenſionis ſchiſmate Eccleſiarum, quod malum per Hiſpanias latius in dies ſeparationis gradu incedere fama proloquitur, neceſſarium tempus emerſit, quo non poſſit emendatio tanta differri, & deberet congrua medicina prouideri. Nam de ordi-*

Concil. Tolet.

Innocentius præſcribit rationem ordinandi Epiſcopis Hiſpaniæ.

ordinationibus, quas prauæ conſuetudinis vitio Hiſpanienſes Epiſcopos celebraſſe cognoſcimus, fuerat aliquid ſecundum maiorum traditionem ſtatuendum, niſi perpenderemus ne perturbationes quamplurimas Eccleſijs moueremus, quorum factum ita reprehendimus, vt propter numerum corrigendorum, ea quæ quoquo modo facta ſunt non in dubium vocemus, ſed Dei potiùs dimittamus iudicio. Decreuit deinde quid agendum ſit, ex Concilij, & Patrum ſententia. Hic ergo inuenimus curam Paſtoralem communem Pontificis Romani ad omnes Eccleſias extendi, & Epiſcopos ad illam pertinere: ijſque formam ordinandi ab Romano Pontifice præſcribi, & ab eo contrà & perperam facta reprehendi, quæ omnia indicant Epiſcopalia munera ad Romanam amuſſim eſſe reuocanda. Hoc autem rem continet Gregorij VII. qui volebat Eccleſiarum illarum Hiſpaniæ officium ad regulam, & normam Romanam redigere, & aptè monebat Reges illos, ad quos litteras dabat, omnia quæ ad cultum, & Religionis vſum pertinebant, Roma, vnde venerant Epiſcopi, accepiſſe. Id autem huius exemplo Concilij confirmauit. Cui Innocentius I. ordinandi leges ex maiorum traditione præſcripſit.

Papæ officium eſt ordinare recta, & corrigere praua.

Gregor. VII.

Sacri ritus Romæ emanarunt.

Canone quinto, vel ſexto, pro diuerſis editionibus, agitur de Sacramento Baptiſmi his verbis. *Proinde quid à nobis de Sacramenti diuerſitate faciendum ſit Apoſtolicæ Sedis informemur præceptis: non noſtram ſed paternam inſtitutionem ſequentes. Beatæ ergo Memoriæ Gregorius Romanæ Eccleſię Pontifex, qui non ſolum partes Italiæ illuſtrauit, ſed & longè extantes Eccleſias ſua doctrina perdocuit, efflagitante Sanctiſſimo Leandro Epiſcopo de hac Hiſpaniæ diuerſitate, quid potius eſſet ſequendum, ſic ait. De trina vero merſione (quæ erat quæſtio) baptiſmatis nihil reſponderi veriùs poteſt; quàm ipſi ſenſiſtis, quia in vna fide nihil officit ſanctæ Eccleſię conſuetudo diuerſa.*

Gregor. Magn.

Leandr. Epiſc.

Quæſtio de merſione in Baptiſmo.

Canone 16. ſtatuitur recipiendum eſſe librum Apocalypſeos, *quia multorum Conciliorum, & Synodica Sanctorum Præſulum Romanorum Decreta Ioannis Euangeliſtæ eſſe præſcribunt.* Hi duo Canones cum referantur ad doctrinam Pontificum Romanorum, videntur ad rem Gregorij Pontificis volentis Hiſpaniæ Epiſcopos ad formam diſciplinæ Romanę reducere, pertinere. De quo ita nos pag. 108. Hæc pars ad Fidei, & Religionis profeſſionem pertinet: Sequitur altera ſpectans ad ritus, & officium Eccleſiaſticum, quæ eſt huiuſmodi.

Poſt quorum lectionem Lucretius Epiſcopus dixit: Ecce ex ipſa canonum lectione agnoſcat ſancta fraternitas veſtra, non ſolum in generalibus Concilijs, ſed etiam in localibus congregatos ſimul Sacerdotes vno conſenſu ea quæ Eccleſiaſtico conueniebant ordini ſtatuiſſe, & ſecundum quod vnuſcuiuſque rei expetebat ratio, proſpexiſſe, ſequentes ſententiam doctrinę Apoſtolicæ dicentis. Probate quę bona ſunt, & tenete. Si ergo placet charitati veſtræ quia ſunt aliqua Eccleſiaſticæ inſtitutionis obſequia, quæ in huius præſertim extremitate prouincię, non per contentionem quod abſit, ſed magis (ſicut præfati ſumus) fiunt per iniuriam, aut per ignorantiam, conſtituamus quędam inter nos capitula, vt quę non vno modo tenentur à nobis, ad vnam omnino formulam teneantur. Lucret. Brach.

Hiſpaniæ Epiſcopi Sacros ritus ad normam Romanam accommodant.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Neceſſarium, & valde hoc vtile arbitramur, vt ea, quæ apud vnumquemque noſtrum varia, & inordinata conſuetudine retinentur, vnito inter nos per Dei gratiam, & concordi celebrentur officio, & idcirco ſi quid illud eſt magnum, vel paruum quo variare videmur, ad vnam (ſicut dictum eſt) formulam pręfixis rationabiliter capitulis reuocetur, præcipuè cum & de certis quibuſdam cauſis inſtructionem apud nos Sedis Apoſtolicæ habeamus, quæ ad interrogationes ſuas quondam venerandę memoriæ pręceſſoris tui Profuturi prudentia, ab ipſa Beatiſſimi Petri accepit cathedra. Profut. Epiſcop.

Hiſpania Cathedram Romanam conſulit.

Lucretius Epiſcopus dixit. Rectè veſtra Fraternitas pro authoritate Sedis Apoſtolicæ reminiſcita eſt: quę licet eodem tempore innotuerit quo directa eſt, tamen pro firmitate teſtimonij, & inſtructione multorum, ſi veſtrę vnanimitati complacet, quia præ manibus eſt, coram his omnibus relegatur.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Iuſtum eſt, vt quia mentio ipſius authoritatis eſt habita, quę ſit eius doctrina à circumſtantibus audiatur.

Sedis Apoſtolicæ authoritas.

Relecta eſt authoritas Sedis Apoſtolicæ ad quondam Profuturum directam Epiſcopum, quæ propter prolixitatem his geſtis minimè eſt inſerta, poſt cuius lectionem Lucretius Epiſcopus dixit. Lucret.

Manifeſtius patet, Apoſtolicam nobis opitulari doctrinam, & ideo ſicut Fraternitas veſtra prædixit, ſi quid per igno-

ignorantiam, apud quoſdam varium habeatur, ad vniformem concordiæ regulam præſcriptis internos capitulis redigatur.

Propoſita ſunt igitur capitula, & relecta, quæ continent hæc.

Canones Concil. Brach. I.

19 Cap. 1. Placuit omnibus communi conſenſu, vt vnus atque idem pſallendi ordo in Matutinis, vel Veſpertinis officijs teneatur, & non diuerſę, ac priuatę, neque Monaſteriorum conſuetudines cum Eccleſiaſtica regula ſint permixtę.

Vniformitas in ſacris ſeruanda.

20 Item placuit, vt per ſolennium dierum vigilias, vel miſſas omnes eaſdem, & non diuerſas lectiones in Eccleſia legant.

21 Item placuit, vt non aliter Epiſcopi, aliter Presbyteri populum, ſed vno modo ſalutent, dicentes: Dominus ſit vobiſcum, ſicut in lib. Ruth. legitur, & vt reſpondeatur à Populo, & cum ſpiritu tuo, ſicut ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana prauitas permutauit.

De Miſſa.

22 Item placuit, vt eodem ordine Miſſę celebrentur ab omnibus, quomodo Profuturus quondam huius Metropolitanę Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolica ſedis authoritate ſuſcepit ſcriptum.

Celebrandi miſſas ratio in Hiſpania iuxta Sedem Apoſtolicam.

23 Item placuit, vt nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & antea tenuit Metropolitana Bracharenſis Eccleſia, & pro amputanda aliquorum dubietate prędictus Profuturus Epiſcopus ſcriptum, & ſibi directum à Sede Beatiſſima Petri Apoſtoli ſuſcepit.

Item baptizandi.

Tota hæc ſecunda pars verſatur in officio, & ritu Eccleſiaſtico circa Sacramenta & Sacra; quæ doctrina tamen non affirmatur tradita Hiſpanis à prima inſtitutione; ſed quo tempore Epiſcopus Bracharenſis Profuturus Romam contenderat petitum oracula illius Sedis, vt apparet ex illis verbis.

Decreta Sacror.

Præcipuè cum & de cæteris quibuſdam cauſis inſtructionem, apud nos Sedis Apoſtolicæ habeamus, quæ ad interrogationem quondam Venerabilis memoriæ prædeceſſoris tui Profuturi ab ipſa Beatiſſimi Petri Cathedram directa eſt. Atque huiuſmodi inſtitutio, & in Concilio legitur, & in certos Canones conijcitur. Faciebat hoc quidem multum ad cauſam Gregorij VII. qui cum vellet officium diuinum, & in eo recitando formam ordinare

Romana Sedes conſulta ab Hiſpania.

re

re ad normam Romanæ Eccleſiæ, ne in eo varietas eſſet, non potuit ad id melius exemplum afferre, quàm iſtud Profuturi, qui Romanum Pontificem de eo, ac de alijs item ſacris ritibus tanquam oraculum conſuluerat.

Soluitur obiectio hæreticorum importuna.

Depulſam hac ratione apparet obiectionem aduerſariorum eſſe: cum ipſimet Patres Concilij fateantur, eas Eccleſias à Romanis Pontificibus documenta Eccleſiaſtica accepiſſe, & antequam acciperent poſtulaſſe. De Leone, & Hormiſda ſuis locis dicemus.

Zozimi inſignes quædam ſunt Epiſtolæ, & quæ multum iuuant cauſam ſuſceptam. In prima ad Hetychium Salernitanum Epiſcopum: *Exigit*, inquit, *dilectio tua præceptum Apoſtolicæ Sedis in quo Patrum Decreta conſentiunt*, & ſtatim: *Hoc ſpecialiter, & prædeceſſoribus noſtris, & nuper à nobis interdictum conſtat litteris ad Gallias, Hiſpaniaſque tranſmiſſis.* Addit: *Miramur ad dilectionem tuam ſtatuta Apoſtolicæ Sedis non fuiſſe perlata.* Eiuſdem modi ſunt in Epiſtola 5. ad Epiſcopos Galliæ, & ad Aurelium, & Epiſcopos Africanos VI. & Viennenſes, Narbonenſes 7. & 8. & 9. & 11. ad Epiſcopum Arelatenſem & 12. ad Maſſilienſes, quæ omnes in re Eccleſiaſtica verſantur. Zozim.

Instituta à Romanis Pontificibus Hiſpania.

Duæ Epiſtolę Bonifacij I. idoneam ſuppeditant materiam. Bonif. I. Secunda ad Epiſcopos Galliæ ſe interpellantes, obiecta Maximi accuſatione, cuius cauſam ijſdem committit; & tertia ad Hilarium Narbonenſem ſuper ordinatione contra Canones Nicenos facta. Iubet vt in id inquirat, & comperta Sedi Apoſtolica referat, & ne quid ea inconſulta definiat. Decreta non pauca ab eo Gratianus eſt mutuatus.

Præcepta Bonifacij ſuper cuſtodia Canonum.

Celeſtinus plures ſcripſit Epiſtolas, maxima pars argumenta Fidei continet contra hæreſim Neſtorij. Sed duę ſecunda, & tertia, Eccleſiaſtica tractant, quæ authoritas Apoſtolica recognoſcit, & præſcribit, & tuetur. In prima quæ de gratiæ, & liberi arbitrij agit concordia, & Auguſtini doctrinam laudat, caput vndecimum multa, & præclara exhibet de Sacrorum vſu, & adminiſtratione documenta. Canones quatuor ex illius doctrina conflantur. Celeſt.

Celeſtinus gratiæ, & liberi arbitrij cũ Auguſtino defenſor.

SE-

SECTIO II.

A Leone I. vſque ad Gregorium I.

Leo I. LEonis tot ſunt hac in re documenta, vt neceſſe ſit magnam partem Epiſtolarum transferre. Saltuatim libabimus, quæ magis emineant. In 1. ad vniuerſos Campaniæ, Piceni, & Tuſcię, & vniuerſarum Prouinciarum ad finem ſic. *Ne quid verò ſit, quod prætermiſſum à nobis fortè credatur omnia Decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus & Canonum promulgatæ ſunt diſciplinas, ita veſtram dilectionem cuſtodire mandamus, vt ſi quis illa contempſerit veniam ſibi deincept nouerit denegari.* Viden? Aberdonienſis Academia quantam vim ineſſe Leo voluit, in Romanæ Sedis conſtitutionibus? Germanus huic eſt finis Epiſtolæ Quartę ad Siciliæ Epiſcopos. Illa verba produco. *Adiuuante gratia Dei facilius poterit prouideri, vt in Eccleſijs Chriſti nulli naſcantur errores, cum coram Beatiſſimo Petro Apoſtolo id ſemper in commune tractatum fuerit, vt omnium inſtituta, Canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inuiolata permaneant. Hæc autem quæ inſpirante Domino vobis inſinuanda credidimus per fratres, & Coepiſcopos noſtros Bacillum, & Paſchaſinum ad noſtram volumus notitiam peruenire.*

Leo diſciplinæ Eccleſiaſticæ vindex.

Ep. ad Epiſc. Siciliæ.

Studium Leonis in cuſtodiendis inſtitutis Sacris.

Ep. ad Dorum. Sequens ad Dorum Beneuentanum Epiſcopum epiſtola Canonum negligentem vetantium obreptiones ad Ordines ſacros, nonnulla in rem nata ſuppeditat. Decerpo illud. *Vnde miramur te, quem authoritatum Apoſtolicæ Sedis obſeruantiſſimum eſſe conuenerat, tam negligenter, ac inſolenter egiſſe, vt traditarum tibi legum non cuſtos, ſed tranſgreſſor exiſteres.* Piaculum igitur eſt Pontificias leges negligere; & qui negligit inſolentiæ reus exiſtit. Eiuſdem ſenſus eſt epiſtolæ 36. ad Leonem Rauennatem in epiſtola 55. ad Pulcheriam de ambitu Anatolij *abrogat, & caſſat*, quo vtitur verbo, *omnes conſenſiones Epiſcoporum Canonibus Nicenis repugnantes generali definitione.* Qua authoritate? *Petri Apoſtoli.* Idem agit epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum. Simile quiddam reperitur in epiſtola 80. ad vniuerſos Epiſcopos Campaniæ. Et aliud multò illuſtrius argumentum præbet 81. ad Dioſco-

Negligentiā in ſeruandis præceptis Eccleſiaſticis reprehendit.

Ep. ad Leonem Rauen.

Elenchus, & argumentum Epiſtolarum Leonis.

rum

rum Alexandrinum. Non minus ſplendet aliud poſitum in epiſtola 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem, quæ tota eſt ad reſtituendas inſtitutiones ſacras compoſita. Aliqua lex irradiat in epiſtola 87. ad Epiſcopos Africanos. Sed ſplendor emicat in 89. ad Epiſcopos Viennenſes: & 90. ad Rauennium Archiepiſcopum Arelatenſem. Et imprimis in epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem, quam præceptorum, & documentorum per multa capita, quibus conſtat, impleuit. Inter nouas Leonis epiſtolas nuper inuentas à Gerardo Voſſio ſunt quædam huc facientes. Cuiuſmodi eſt 1. ſiue 104. ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos, & 3. ſiue 106. Sed illæ ſunt Palmariæ, quæ cauſam continent de Primatu Eccleſiarum Arelatenſi, & Viennenſis, quæ de eo inter ſe contendebant. Comprouinciales quippe Arelatenſes ſcribunt Leoni Papæ, deferentes ad eum controuerſiam, & petunt, vt ſua velit authoritate decidere, & litem ſibi adiudicare; quòd ſcirent quicquid ab illo eſſet de eo definitũ id ratum apud omnes fore. Quibus Leo ita reſpondet, vt prudenti iudicio diæceſes partiatur, & Viennenſi ſuas, quibus præſit, ciuitates aſſignet, cæteris in poteſtate Arelatenſis relictis. Vt ius ſuum cuique tribuat, ac nemini iniuriam faciat. Quod magnopere eſt conſiderandum; cum illæ duæ nobiliſſimæ Eccleſiæ cognouerint, ſe omnino Eccleſiæ Romanæ eſſe ſubiectas; idque ſcripto, & facto ſint teſtatæ: & petentes ſententiam, & eidem ſe ſubmittentes.

Nouæ Leonis epiſtolæ recens inuentæ.

Ad Epiſc. Arelat.

Arelatenſis cum Viennenſi Eccleſia de dignitate vetus contentio.

Ad Epiſc. Viennenſ.

Ambientes Primatum Eccleſiæ Romanæ cedũt.

Gallias comitentur Hiſpaniæ. Cõſuluerant hę Priſcilliana graſſante hęreſi Leonem Magnum miſſis per Diaconum litteris de ſtatutis, & moribus. Reſpondit Leo primum inſigni epiſtola, quæ eſt 93. & inſcribitur ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum, quæ tota eſt plena documentis aduerſus hęreſim Priſcillianicam, deinde alias addidit litteras, de quibus in fine primæ ſic ait: *Dedimus itaque litteras ad Fratres, & Coepiſcopos noſtros Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicos eiſque generale Synodi Concilium indiximus.* Quæ tamen non extant.

Leonis I. doctrina ad Hiſpanos.

Leonis epiſt. ad Hiſpan.

Supereſt quidem Regula Fidei in Concilio Hiſpanico, quemadmodum nos diximus in Scholis Theologiæ noſtræ Poſitiuæ. Schola 4. c. 3. pag. 140. quæ exhibetur in 5. Concilio Toletano, cui per errorem inſerta eſt: ibique 18. Capitula ponuntur, quorum quædam ad rem eccleſiaſticam pertinent.

Author Scholis.

Regula Fidei ab Leone Papa miſſa in Hiſpaniã.

tinent: haud dubiè hortatu, & inſtituto Leonis in iiſdem litteris ea præſcribentis, atque adeò & Concilio cum Regula Fidei inſerta: quemadmodum indicant verba Lucretij in Concilio 8. Bracharenſi, quæ huiuſmodi ſunt. Conc. Brac. I. *Contra impiam Priſcillianæ hæreſis ſectam Leo ſcripta ſua direxit. Cuius etiam præcepto Tarraconenſes, & Carthaginenſes Epiſcopi Luſitaniæ quoque, & Bæticæ facto inter ſe concilio hæreſim cum aliquibus capitulis conſcribentes ad Balconium tunc huius Bracharenſis Eccleſiæ præſulem direxerunt.* De his autem Capitulis ſubiungunt. *Valde neceſſaria eſt horum capitulorum lectio, vt dum ſimplicioribus quibuſque priſtina Sanctorum inſtituta panduntur abominata iam olim à Sede Sanctiſſimi Petri Apoſtoli, & damnata Priſcillianæ hæreſis figmenta cognoſcantur.* Hæc ſpectant ad Leonem, de quo hactenus.

Lucretij Epiſcopi Bracharenſis de Leone teſtimonium.

Balconius Epiſcopus antiquior Brachar.

Hæreſes Priſcillianiſtarum damnatur.

SECTIO III.

A Leone I. ad Gregorium Magnum.

Hilar. PRæclara Hilarus Papa eiuſdem authoritatis præbuit exempla. Scribunt ad eum Tarraconenſes Epiſcopi, vt velit ratum habere Epiſcopatum Barchinonenſem collatum Irenæo iudicio defuncti, & rogatu Cleri, ac Plebis, & ab Aſcanio Tarraconenſi confirmatum. Deinde, vt compeſcat audaciam Syluani Epiſcopi temerè ſacra tractantis. Ac inter alia. *Nunc eadem ſuggerentes petimus, vt quid ſuper his* Epiſt. Tarrac. *rebus obſeruandum ſit Apoſtolicis nos ſermonibus dignemini informare.* Tanta ergo Pontificem reuerentia! Quanta verò apud illum eſſet authoritas, monſtrat reſponſio: remouetur quippe à Sede Barchinonenſi Irenæus: eique epiſcopatus ille abrogatur, & Syluanus quanquam à multis Epiſcopis excuſabatur reprehenſus, & temeritatis appellatus. Ac ita inter cætera. *Vnde quicquid ab alterutra parte eſt iudicatum omni videmus peruerſitate confuſum: temporum neceſſitate perſpecta hac ratione decernimus ad veniam pertinere quod geſtum eſt, vt nihil deinceps contra præcepta B. Apoſtoli, nihil contra Nicenorum Canonum conſtitutus tentetur.* Paruerunt Epiſcopi Papæ, quod hodie non facerent Oxonienſes. Fateor, & confirmo, eorum maiores proximo ſeculo ab Eccleſia defeciſſe, ne à Papa corrigi, & puniri poſſent. Nimirum, & illi, & hi ingenio indulge-

Tarraconenſium Epiſcoporum erga Papam obſeruantia.

Summa authoritas Sedis Pontificiæ.

Nicenorum Canonum obſeruantia.

Vellicantur Heterodoxi.

re, ac omnino viuere maluerunt. Non minoris eſt momenti ſequens exemplum. Auxamius dolo malo irrepſerat in dioeceſim Ingenui Ebredunenſis: queſtus hic fuerat. Mittit Hilarus, qui nomine ſuo de cauſa inquirant; & Ingenuo ſua reſtituant. Initium eius epiſtolæ qua eſt 2. rem continet. *Mouentur ratione iuſtitiæ, quæ licet ab omnibus qui recta ſapiunt debeat cuſtodiri, tamen præcipuè Domini Sacerdotibus non eſt temerè negligenda, quorum cæteros informari conuenit inſtitutis.* Vbi illa eſt aurea ſententia. *Expectatio fructus noſtri miniſterij non in latitudine regionum, ſed in acquiſitione ponitur animarum.* Omnes fermè Hilari Epiſcopi epiſtolæ quę 11. ſunt in eo argumento verſantur, vt vetent extra ſuos terminos egredi Epiſcopos, & iubeant ſuis teneri, & circumſcribi. Id ſeuerè Gallis, id Hiſpanis præſcriptum. Id ab eodem Hilario in Romano Concilio conſtitutum.

Duorum Epiſcoporum controuerſia ab Hilaro ſublata. — Auxam. — Ingen.

Optima ſententiâ.

Simplicium in Italia Herulorum immanitate vexata, vel inter illorum minas, & ſicas animoſum officium Paſtorale effecit. Hiſpanias ſub Gotthica ſeruitute gementes Zenonis Spalenſis Vicarij à ſe conſtituti opera recreauit, ne quid occaſione perſecutionis de Religione, ac obſeruātia Chriſtianæ legis decederet, ſcriptis ad eum idoneis litteris, quæ 1. epiſtolæ locum habent. Idem ardor continendi in officio Epiſcopi apparet in ſecunda epiſtola, qua Ioannem Rauennatem Epiſcopum de paternæ regulę violatione acriter reprehendit: ac vetat contra Gregorium quicquam ſe inconſulto, & inuito agere. Si ſecus. *Denunciamus*, inquit, *quod ordinationes tibi Rauennatis Eccleſiæ, vel Æmilienſis noueris auferendas.*

Heruli vexant Italiam Gotthi Hiſpaniam.

Epiſcopi continentur in officio.

Iuſta Pontificis mina.

Epiſtola ſeptima Felicis Tertij index eſt vniuerſalis huius Pontificiæ authoritatis. Inſcriptio quàm latè pateat cum vniuerſis per diuerſas Prouincias Epiſcopis conſtitutis directa ſit, perſpicuè ſignificat. Sed multò id manifeſtius textus declarat. Semel: *Nullus*, inquit, *non orbis gemit, nulla terra neſciuit. Vnde in graui mærore poſiti diſſimulare non poſſumus pereuntium, atque à nobis exigendarum diſcrimen animarum.* Ecquis non videt angi animo pro ſalute omnium, etiam longiſſimè diſtantium? Rursū quod maius adhuc pondus habet ad finem epiſtolæ. *His itaque ritè diſpoſitis, & ad Eccleſiarum veſtrarum notitiam noſtra deliberatione perlatis parere conuenit.* Tanta erat in præſcripto authoritas. An niſi iubere licitum eſſet, tantum licentiæ vſurpare auderet? Aut ſi de obſeruantia erga

Officium Pontificis.

Obaudiunt Epiſcopi Papæ.

ſe

ſe aliorum ambigeret, tam fidenter imperaret?

Gelaſ. Gelaſio Papę mirè ſe ſubijciunt, & commendant Dardaniç Epiſcopi in reſcripto vbi ſic. *Domino Sancto Apoſtolico, & Beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio Papæ Vrbis Romæ humiles Epiſcopi Dardaniæ*. Attendant Cantabrigienſes: non hęc ſcribit Gelaſius, ſed ſcribuntur Gelaſio. Reſpondent cætera. *Beatiſſimus Pater Patris Papa.*

Epiſt.E. piſ. Dardan. *Saluberrima Apoſtolatus veſtri præcepta Triphone viro religioſo filio noſtro deſerente, quæ oportet deuotione ſuſcepimus, & maximas Deo Omnipotenti, & Beatitudini veſtræ referimus gratias, quòd nos Paſtorali admonitione, & Euangelica doctrina viſitare dignatus es Domine Sancte Apoſtolicæ, & Beatiſſime Pater Patrum. Deſiderij enim, & voti noſtri eſt iuſſionibus veſtris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus noſtris accepimus Sedi Apoſtolicæ, &c.* Et infra. *Canonum inſtituta ſectantes, Apoſtolicæ, & ſingulari illi Sedi veſtræ communi fide, & deuotione parere contendimus*. Præclara ſunt. Sed hæretici tenebras offundunt. Iſta non legunt prætextu legēdi Scripturas, quaſi iſti qui hęc ſcribunt eas non legiſſent. Immò quia legebant, & intelligebant iſta ſcribebant. Huic reſcripto conſonat epiſtola ad eos, quæ eſt tertia exceptis alijs, quæ ad doctrinam Fidei pertinent, de quibus iam diximus. Ijs igitur omiſſis, & alijs breuioribus, Gelaſij vnius rationem habere volo, ideſt 9. ad Epiſcopos Lucaniæ, Brutiorū, & Siciliç, quę tota de ordinādа, & tuenda Repub. Eccleſiaſtica eſt, & in qua eximia quędam ſpecies Pontificiæ authoritatis apparet, ac mirabiles excitat in Catholicis animis reuerentię, & obſeruantiæ affectus. Operæ pretium erit Lectoribus legere, & lecta ponderare. *Papæ apud Epiſcopos Dardaniæ veneratio.* *Obedientia Sedi Apoſtolicæ præſtanda.* *Sacra Scriptura abutuntur hæretici.* Gelaſ. epiſt. diuerſæ. *Pontificiæ authoritatis ſpecies vbi?*

Anaſt. II. Anaſtaſius II. in iudicanda controuerſia illa prolixa, & importuna de iuriſdictione Arelatenſis, & Viennenſis Epiſcoporum, quantum ſit Pontificiæ authoritatis pondus, monſtrauit. Quanquam de eo nulla extent litteræ Anaſtaſij, nec Symmachi Pap. Epiſcoporum, apparet tamen in 5. epiſtola Symmachi ad Eonium Arelatenſem, cauſam ab Anaſtaſio ſuſceptam, & tractatam. Eam verò Symmachus diligenter, & accuratè recognouit, ac definiuit, quemadmodum conſtat ex prima, & ſecunda epiſtola ad Eonium. Et ex epiſtola 10. ad vniuerſos Galliæ Epiſcopos, & 11. ad Cæſarium Arelatenſem, qui ea de cauſa Romam contenderat, & quid agendum eſſet, iuxta Leonis præſcriptum, ab eodem, quem conſultum venerat, Symmacho accepit, vti epiſtola 10. Symmachi narrat ad *Cauſa inter Arelatenſ. & Viennenſ. Epiſcopis Romæ definita.*

Diœceſeon fines aſsignat Papa Epiſcopis.

Galliæ Epiſcopos data. Quæ controuerſia diu multumque agitata iud cio Sedis Apoſtolicæ terminata finem habuit;de quo extat illud Symmachi iudicium proxima epiſtola 10. vbi præcipit obſeruari Leonis ea de re Decretum, ac demum ita partitur. *Iuxta indulgentiam prædicti Pontificis Valentiam, Tarantaſiam, Geneuam, Gratianopolim oppida Viennenſis Antiſtes iuri ſuo vindicet.* Epiſt. 10. *Nec quicquam amplius ab his, quæ ſemel ab Apoſtolica ſibi Sede conceſſa ſunt, æſtimet præſumendum. Alias verò Parochias, vel Diœceſes cunctas priuilegio, & honore ſuo Arelatenſis Epiſcopus ſub temporum continuatione defendat.* Nihil hoc loco fortius: ius conſtat ex eo diſtribuendi,& terminādi Diœceſes ad Sedem Apoſtolicam pertinere, quod eſt ſummæ authoritatis, & poteſtatis argumentum.

Præſcribere leges eſt Papæ.

Idem Symmachus Aquileienſis Eccleſiæ confirmat Antiſtitem, epiſt. 3. & de bonis Eccleſiaſticis, & iure eligendi, & cuſtodia virginitatis, & depulſione iniuriarum leges præſcribit. Epiſt. 5. ad Cæſar. Arelat. Illud in Actis huius Pontificis notādum, quòd in libello incluſo in epiſtola Symmachi dominium ſupremum hoc Romani Pōtificis apparet: ſic enim. Epiſt. 3. *Sicut à perſona B. Petri Epiſcopatus ſumpſit initium, ita neceſſe eſt vt diſciplinis competentibus Sanctitas veſtra ſingulis Eccleſijs, quid obſeruare debeant euidenter oſtendat. In Galliæ ſiquidem Prouincia, &c.* Acta Symm. Licuit ergo in ea nobiliſſima, & antiquiſſima Eccleſia, cui Trophimus Petri diſcipulus præfuit, Romano Pontifici ius dicere. Quid hic Aberdonienſes? Detrahunt Papæ his poſtremis temporibus, quod Arelatenſes ijs primis dederunt.

A Petro hæc poteſtas.

In Hormiſdæ Pontificis Epiſtolis multa, & perſpicua reperiuntur monumenta dignitatis. In Prima Remigium Vicarium ſuum in Gallijs conſtituit. Paternas ei regulas,& decreta ſeruari, & cuſtodiri mandat. In ſecunda quæ eſt ad ipſum Anaſtaſij Imperatoris,& 3. quæ reſponſio eſt Hormiſdæ, apparet Concilij congregandi authorem Romanum Pontificem eſſe. In quarta Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus *Caput ſuum* Hormiſdam vocat. In Epiſtola 26. Salluſtio vices Summi Pontificis ab Hormiſda per Bæticam, & Luſitaniam commendantur. *Releuantes*, inquit, *noſtras eiuſdem remedio diſpenſationis excubias.* Hormiſdæ Ep. 61. Conſtantinopolitana Synodus de Electo Epiſcopo Epiphanio referens ad Hormiſdam. *Domino*, inquit, *noſtro, ac Beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſco-*

Concilij congregandi author Pōtifex.

Conſtantinopolitanæ Synodi teſtimonium illuſtre de Papa.

po, & Patriarchæ Hormiſdæ. Epiſtol. 61. reprehendit Epiphanium Conſtantinopolitanum creatum Epiſcopum, quòd ſe de ſua electione nondum fecerit certiorem. *Miratus*, ait, *morem ab eo priſtinum fuiſſe neglectum*. Idem eſt argumentum Epiſtolę 72. in qua expoſtulat cum Dorotheo Theſſalonicenſi Epiſcopo de tarditate litterarum ſuper calumnia ab aduerſarijs impoſita, cuius ille infamia laborabat. *Hiſpania ſacros ritos accipit à Papa.* Nullum tamen

Eiuſdē Ep. 25. luculentius extat monumentum, quàm illa Epiſtola 25. ad vniuerſos Epiſcopos per Hiſpaniam conſtitutos; in qua diſciplinę Eccleſiaſticę formam, quę in ea regione deformata erat pręſcribit. Cuius tanta erat neceſſitas, vt ea cauſa Ioanni Tarraconenſi Epiſcopo in Italiam veniendi fuerit,

Hormiſdæ epiſt. 24. & 25. quemadmodum conſtat ex Epiſt. 24. Hormiſdę ad eundem Ioannem, quę ſanè cum reſponſo ideſt 25. quæ tradit regulas Eccleſiaſticas hic eſſet tranſcribenda. Sed quòd eę longiores ſunt omittimus: cum pręſertim ea de re in noſtra Diatriba mentionem fecerimus, quò Lectores remittimus: Id tantummodo monemus, colligi ex Epiſtola 51. illum Ioannem Tarraconenſem conſultum veniſſe Pontificem, tum de Eccleſiaſticis inſtitutis, tum de modo communicandi cum Gręca Eccleſia, quę poſt tot hæreſes, & Schiſmata in partes ſciſſa erat, nec ſatis longè poſitis, quęnam eſſent infectę, conſtabat. Ac de vtroque regula Ioanni ab Hormiſda data, quæ in ea 51. Epiſtola continetur. Cęterum exiſtimo omnes illas tres Epiſtolas 24. 25. 51. eodem tempore traditas Caſſiano Diacono Ioannis Tarraconenſis, quem

Caſſianus Diaconus Tarrac. miſſum ab eo Romam ad Hormiſdam hic fatetur Epiſt. 24. cum duplici inſtructione altera ad doctrinam Eccleſiaſticam, *Poſcit normam agendi cum Græcis.* altera ad deteſtationem hęreticorum pertinente, vti conſtat ex eadem Epiſt. 51. Adijcio: mihi videri duo illa Concilia Tarraconenſe, ac Gerundenſe eodem anno celebrata eſſe, & in ijs ſtatuta quę Hormiſdas decreuerat: nam in vtroque pręſuit hic idem Ioannes Epiſcopus Tarraconenſis. Non diſſentiunt autem tempora Conciliorum à tempore Epiſtolarum; Hę quippe datę ſunt IV. Non. April. 517. Concil. autem Tarraconenſe habitum fuit eodem opinor anno 8. Idus Nou. non. 7. Id. Iun. Anni ſequentis. Etſi videam, non ſatis de eo conſtare. Verum id latius, & accuratius in tomo de Concilijs, quem adorno. *Concilium Tarraconenſe, & gerundenſe, quæ, & quando celebrata.*

Ioan. I. Ioannis I. Prima Epiſtola ad Zaccharian Archiepiſcopum,

pum, quę plurium inſtar eſſe poteſt. Sic quippè initto. *Exigit dilectio tua præceptum Apoſtolicæ Sedis, in quo Patrum decreta conſentiunt, quod nec tibi, nec vlli rectè viuentium Sacerdotum negare fas eſse credimus. Et licet tibi pro merito, & honore Sacerdotij, quo plurimum polles, viuendi, & docendi Eccleſiaſticæ regulę notæ ſint omnes, tamen quia Romanæ Eccleſiæ normam, atque authoritatem magnoperè poſtulaſti, ſcriptis tuis breuiter reſpondere curauimus.*

A Sede Romano petuntur regulæ Eccleſiarum.

Felici IV. debemus pręclaram illam in Epiſtola 1. omnibus Epiſcopis per diuerſas Prouincias conſtitutis miſſa ſententiam. *Sanctitatis veſtræ ſcripta, quæ ad Sedem Apoſtolicam miſiſtis ſuper quibuſdam conſultis, quaſi ad caput, vt inde acciperetis reſponſa, vnde omnis Eccleſia totius Religionis ſumpſit exordium, gratanter ſuſcepi, & breuiter vobis reſpondere curaui.* Fel. IV.

Romana Sedes oraculũ.

Ioannis II. duę ſunt ad Gallos vniuerſos Epiſcopos ſuper Contumelioſo Epiſcopo, quem ob crimina commiſſa depoſitum vetat Sacris operari, eiuſque loco viſitatorem creat, qui Eccleſiam orbatam curet. Eaque de re præſcriptum Cæſario committit. Extat idonea ad eundem Patrum Africanorum Epiſtola, qua eum monent de Concilio congregato cauſa reſtituendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ ob longam ſeruitutem collapſæ. Eam duo Epiſcopi Petrus, & Lucius, & vnus Diaconus Liberatus Legati detulerunt, & Agapito ſucceſſori Ioannis, quod ſupra animaduertimus, reddiderunt. Ioan. II Epiſt. Patrũ African.

Concilia particularia expectant aſſenſum Papæ.

Agapetus renouato de cauſa Contumelioſi iudicio ſuam de eo ad Cæſarium ſcribit ſententiam, & de iure appellandi multa commemorat Epiſt. 7. Agapitus.

Vigilij tempus, etſi varium fuerit, ac turbulentum, non caruit luminibus Epiſtolarum. Itaque Auxanium Epiſt. 6. inducit vices gerentem Vigilij Epiſt. 7. multas, & præclaras conſtitutiones exhibet. 8. continet mandatum de examinanda cauſa Prætextati in Gallia. 9. verſatur in commendatione Auxanij Arelatenſis Epiſcopi, cui Vicario ſui inſtituto vult ab omnibus morem geri, vetans ne quis ſine illius Formatis ad longinqua loca audeat proficiſci. Epiſtola 10. & 11. agunt de approbatione Aureliani in locum Auxanij defuncti ſuffecti: vices ſuas, ei delegaſſe teſtatur Vigilius, eumque hoc nomine Epiſcopis Galliarum commendat, ijs præcipiens, vt ei pareant renouato Formatarum præcepto. Vigil.

Tempora Vigilij turbulenta.

Formatarum vſus.

Aurelianenſe Concilium hic interponamus. In 3. capite Concil. Aur.

hono-

honorifica mentio fit de Sede Apoſtolica hoc modo. *Metropolitanus à comprouincialibus Epiſcopis, ſicut Decreta Sedis Apoſtolicæ continent, cum conſenſu Cleri, vel ciuium eligatur, quia æquum eſt, ſicut ipſa Sedes Apoſtolica dixit, vt qui præponendus eſt omnibus ab omnibus eligatur.* Nihil iſta curant Aberdonienſes, qui Epiſcopos ſuos arbitratu eligunt, nullo expectato, aut Papæ, aut Metropolitani, aut Archiepiſcopi conſenſu. Rectè ſuo iudicio; nihil enim inter Epiſcopos, & truncos intereſt, ſi vitam excipias. Quomodo enim Sacri erunt homines vbi Sacra non ſunt? Sine ſacrificio viuunt. Semi Iudæi; hi ſine Rege, ſine ſacrificio vagantur. Ij carent ſacrificio; licet Rege, ac quidem optimo (quanquam ò) Principe fruuntur. *Electio Metropolitani quæ?*

Pelagij quatuor ad Sapaudum Arelatenſem, quem ſui Vicarium in ijs Prouincijs inſtituerat Epiſtolæ, totidem ſunt expreſſę authoritatis Romanæ Sedis imagines. Lineamenta quædam in Epiſtola 5. ad Narſeten inuenies. Formam pulchriorem exhibet Epiſtola 13. ad Epiſcopos Tuſciæ inter ſe diuiſos, & non longè à Schiſmate diſſidentes. *Imago expreſſa authoritatis Pontificiæ.*

Intercurrit Bracharenſe Concilium primum, de quo ſatis ſuperius diximus. Nunc illud tantum caput libamus. *Relecta eſt authoritas Sedis Apoſtolicæ ad quendam Profuturum directa Epiſcopum, quæ propter prolixitatem his geſtis minimè eſt inſerta, poſt cuius lectionem Lucretius Epiſcopus dixit: Manifeſtius patet Apoſtolicam nobis opitulari doctrinam, & ideo ſicut Fraternitas veſtra prædixit, &c. ad vnam formulam concordi regula præſcriptis inter nos Capitulis aſtringatur.* Ponuntur autem capita quadraginta, quę maximam Eccleſiaſticæ doctrinæ partem comprehendunt. *Hiſpani Epiſcopi addicti Romano Pontifici.*

Eiuſdem temporis eſt Synodus Turonica ſecunda celebrata Ioanne III. Papa. Anno ſexto Regis Childeberti. Hęc nobis inſignem locum ſuppeditat, quo Oxonij, & Cantabrigiæ, & Aberdoniæ Academici, ſi cordati eſſe, & videri volunt, cor enim habent, & mente valent, conuincantur. Cap. 25. ponit nonnullas particulas Epiſtolæ Innocentij I. ad Victricium, quarum vna Pauli teſtimonio confirmata adducitur. Et paulo poſt ſic ait Concilium. *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apoſtolica proceſſerant agere præſumat; vel quis, quod peius, contra ſententiam, quam vas electionis Paulus Apoſtolus Spiritu Sancto miniſtrante promulgauit* *Animaduerſio ad Heterodoxos.*

aliud

aliud conſcribere vlla ratione præſumat, cum dicat ipſe per Spiritum Sanctum. Qui prædicauerit præter id quod prædicaui, anathema ſit? Et quorum authorum valet prædicatio, niſi quos Sedes Apoſtolica ſemper aut intromiſit, aut apocryphos fecit? Et Patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit authoritas. Egregium certè Patrum Gallorum teſtimonium: quo maiorum ſuorum teſtimonium continetur. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filij.* Ideſt Epiſcopi, horum ea vox eſt, ſucceſſores, & Filij Apoſtolorum ſunt. Quod ſæpè inculcat Forbeſius. Credimus. Cur ergo ille ijs non credit de ſe, deque maioribus ſuis affirmantibus præcepta Romanorum Pontificum cuſtodiſſe? Neceſſe eſt fateatur Aberdonienſis iſte, nec ſe, nec ſuos ad illos Patres pertinere, ſed ab illis prorſus degeneraſſe. Non ſunt illorum Filij; ſunt alieni, immò ſunt inimici. Dum Romanum Papam non audiunt, illis Patribus non obaudiunt.

Magiſtri Fidei à Sede Apoſtolica petuntur.

Forbeſ.

Reprehenduntur Heterodoxi.

Vocat me Pelagius II. cuius magno vſui Epiſtolæ futuræ ſunt. In Prima ſic ad Benignum Archiepiſcopum. *Exigit dilectio tua conſulta Sedis Apoſtolicæ.* Initium ſecundæ ſcriptę ad omnes Epiſcopos Italiæ omnium Eccleſiarum ſolicitudinem præfert. In quarta ad Auxanium, Romam venire optantis, votum eius laudatur. Omiſſis alijs rem continet Epiſtola 9. ad Germaniarum, & Galliarum Epiſcopos, vbi ſic. *Superuenere litteræ veſtræ, & vt magnæ eſſent authoritatis etiam viuæ voces prę ceſſerunt rogantes, vt ordinem præfationum, quem Sancta Romana Eccleſia hactenus haberet noſtris litteris vobis remandaremus.* Impetrarunt. Eędem litteræ Elenchum exhibent. Hoc nos loco Heterodoxis negotium exhibemus.

Pelag. II.

Romanæ Eccleſiæ regulæ ſeruandæ.

Quæ in Epiſtolis, & alijs Gregorij operibus exempla extant illius ſupremæ, ac vniuerſalis poteſtatis, ea infinitum eſſet perſenſere. Pauca tamen ſeligam illuſtriora. Libri primi Epiſtola 76. ad Leonem Epiſcopum in Corſica hoc habet principium. *Paſtoralis nos cura conſtringit Eccleſiæ Sacerdotis moderatione deſtitutæ ſolicita conſideratione concurrere.* Eadem cura elucet in proxima Epiſtola ad Martinum Epiſcopum: in vtraque autem Eccleſiæ Alerienſi, quæ Paſtore carebat ſubuenitur. Addit in Epiſt. 3. lib. 2. Clero, & populo Neapolitano. *In Canonicis regulis eſt, vt defuncto, vel ſublato Paſtore diu Sacerdotio priuari Eccleſia non debeat.* In 4. Maximiano Epiſcopo Siracuſano ſuas vices delegat. Faciunt in rem Epiſtol. 6. 7. 8. & 12. & 13. & maior pars huius libri hoc in argu-

Gregor. Mag.

Papæ cura in prouidendo Eccleſijs ne careant Epiſcopis.

argumento verſatur. Duæ lib. 3. 6. & 7. Epiſtolæ de iniuſta condemnatione Hadriani Epiſcopi illuſtria exempla perhibent legentibus Pontificiæ poteſtatis. Narrant quippe à Ioanne Lariſſæo, & Ioanne Primæ Iuſtinianæ Epiſcopo contra ius eaſque Hadrianum Thebanę Ciuitatis Epiſcopum fuiſſe damnatum, & Romam appellationis cauſa venientem à Gregorio benignè ſuſceptum, ac examinata, ac expenſa ſerie facti, & iudicij abſolutum, & in ſuum locum reſtitutum fuiſſe. Iudices verò acerbè reprehenſos ſuæ temeritatis pœnas luiſſe. In lib. 3. Epiſtola de correctione Cleri ad Bonifacium Epiſcopum Rhegienſem 6. & 7. de peruerſo Concilio Numidiæ ad Gennadium Patricium, & Exarchum, & 9. & 26. ad Ianuarium Epiſcopum Caralitanum, & 15. ad vniuerſos Epiſcopos per Dalmatiam, & 22. & 36. ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum loci ſunt idonei ad perſuadendum, vel incredulis, Romanum Pontificem Eccleſiæ toti præeſſe. Ex libro 4. vna mihi ſeligenda Epiſtola 52. in qua Virgilio Arelatenſi vice ſui in ijs Prouincijs conſtituto mandat, ne quam magnam cauſam & quæ altiori ſubſellio indigeat, iudicandam ſuſcipiat, ſed eam ad Sedem Apoſtolicam remittat. *Quatenus,* inquit, *valeat à nobis congrua ſine dubio ſententia terminari*. Maius quiddam eſt in Epiſtola 24. lib. 5. ad Epiſcopum Rauennatem ſuper controuerſia cum Claudio Abbate, vbi ſic. *Nunquid non ipſe noſti quia in cauſa quæ à Ioanne Presbytero contra Ioannem Conſtantinopolinopolitanum fratrem, & coepiſcopum noſtrum orta eſt ſecundum Canones ad Sedem Apoſtolicam recurrit, & noſtra eſt ſententia definita? Si ergo de illa ciuitate vbi princeps eſt, ad noſtram cauſa cognitionem deducta eſt, quanto magis negotium, quod contra vos eſt, hic eſt veritate cognita terminandum?* Huc adeſte omnes Academici Heterodoxi. En Mauritio imperante, iam Patriarchatu Conſtantinopolitano erecto, ipſo Ioanne Patriarcha homine ſuperbiſſimo, titulum ſibi Oecumenici arrogante, cauſæ maiores ad Romam deductæ, & contra iudicium Patriarchę definitæ? Ecquis tam ſit cæcus, quin videat Cathedrę Romanæ faſtigium, & prærogatiuam Sedis vniuerſalis? Cui Conſtantinopolitanus Patriarcha cedebat, ecquis non cederet? Qui ius dicebat Conſtantinopoli, in qua orbis ciuitate non diceret? Atque hic ego ſiſtere volo, ſed prius Oxonienſes, qui ſe multò quàm cęteri magnificentius reſpiciunt moneo, vt expendant quanta erat Gregorij Magni au-

Ius appellandi ad Papã.

Vniuerſalis iuriſdictionis Pontificiæ.

Cauſæ graues à Romano Pōtifice terminantur.

Digitized by Google

thoritas, quando de Anglia liberanda ab Idolorum ſeruitute, & ad Chriſtianam libertatem traducenda cogitabat? Quo iure eam ſibi prouinciam impoſuit Angliam aſſerendi, & inſtituendi? Qua fiducia miſit Auguſtinum, qui eos populos erudiret, & ad Chriſti ouile reduceret? Certè ſi iniuriam fecit, ſi temerè ſe intruſit, ſi munus alienum vſurpauit, næ, malum ij Apoſtolum habuerunt. Interrogent maiores ſuos à quibus turpiter defecerunt, diſcent eam expeditionem Sacram iure diuino ad Romanum Pontificem ſpectaſſe, & adhuc ſpectare, ſed ij Petri Clauibus portas non tam vrbium, quàm aurium occluſerunt. Heu? quàm vereor, ne quibus Clauibus cęlum patet, niſi Anglia quoque pateat, ijs Cæli Portę pulſanti claudantur, & neceſſe ſit excludi, & ad portas inferorum detrudi.

Parænesis ad Heterodoxos.

Confecto huiuſce longę, ſed neceſſariæ, ac decorę, opinor, ratiocinationis curriculo, velut in meta conſiſto, & ſic ad lectores. *Si quis veſtrum*, inquam, integer, & vacuus affectu, ſui, & arbitrij, & iudicij à me hactenus dicta recolat, ſanè fatebitur Romanæ Sedis Primatum, non in ſola prętantia, ac dignitate, ſed in vniuerſitate quoque poteſtatis, & authoritatis conſiſtere, vbique terrarum quacumque Fides Chriſtiana extenditur imperare. Regulas Fidei proponere, quęſtiones ſoluere, controuerſias definire, dubia tollere, errores auferre, hęreſes excindere, Schiſmata comprimere, hęreticos euertere, Fideles confirmare, ſuſpectos detegere, infectos expellere, contumaces punire, Religionem Catholicam propagare, ſeruare, cuſtodire, tueri. Rurſum Eccleſiaſticam Rempub. conſtituere, legibus munire, ſtatutis vallare, pręceptis inſtruere, documentis imbuere, regulis dirigere, ritibus ornare, ceremonijs veſtire. Pręterea cauſas cognoſcere, iudicia exercere, appellationes admittere, ſententias, & ferre proprias, & alienas, ſi iuſtę, firmare, ſi quę eſſent iniquę, reſcindere, iudices quoque ſi contra ius agerent, & reprehendere, & corrigere, & deponere, & vtranque in vniuerſa Eccleſia paginam facere. Hęc vero ab initio Eccleſię, non interrupta ſerie, nulla vi, nulla fraude, nemine obſtrepente, nemine repugnante ad ętatem Magni Gregorij, ideſt per quinquę integra ſecula candida, & aurea, optimos Pontifices integritate, conſtantia, iuſtitia, modeſtia, temperantia, caſtimonia, ſanctitate inſignes, quorum plurimi ſan-

Epilogus ad Lectores.

Perſuaſio.

ſanguinem pro Chriſto ſuum profuderunt, munia exercuiſſe. Quod ſi hoc fatemini, non poteſtis non, ſi Fideles eſtis, in veſtra Fide confirmari, ſi ſecus, veſtram hæreſim eiurare. Magna eſt enim, ò Lectores integri, vis veritatis, vt cum ſemel appareat, & in luce verſantibus lucem augeat, & in noctem immerſis tenebras auferat, & lumen infundat. At ne qua ſe nubes interponat, remouere volo nonnullas argumentorum nebulas, quibus depulſis, tam perſpicua maneat veritatis facies, vt à nemine videri non poſſit.

CAPVT IV.

Ipſimet antiqui Hæreſiarchæ hanc in Summo Pontifice Romano vniuerſalis poteſtatis prærogatiuam agnouerunt.

Bellum aduerſus hæreticos argumẽtum.

SOleo ſæpè dicere nulla melius, & faciliùs ratione conuinci hæreticos, quàm cum ijs, vel ſuæ, vel Patriarcharum ſuorum, ideſt Hæreſiarcharum præiudicatę ſententiæ proponuntur. Iurant in verba illorum, & ſua, & pudet vel à ſe diſſidere, vel ab ijs diſſentire. Rectè quidem, (ſi quid eſt in errando rectum) quòd à quibus acceperunt falſa, ab ijs etiam vera accipiant: non tam ſtudio veritatis, quàm authorum reuerentia. Vtamur hac in parte horum obſequio, eoſque ad veritatem cognoſcendam, & amplectandam officij nomine flectamus. Illud ſaltem efficiemus, vt noſtræ doctrinæ refragari non poſſint, ſi ſecus, illud conſequemur, vt à ſuis deficiant, & ſeparentur.

Marcion Cõmunionem Romanam affectat.

Marcion, Aniceto Pontifice, Hęreſiarcha, is quem Polycarpus Primogenitum Diaboli appellauit, ſuam vt tegeret hæreſim Romam venit, ac recipi in Eccleſiam omni ope contendit, immò & opes ſuas in Catholicos impendit, & hac pietatis ſpecie communionem cum Romana Eccleſia obtinuit. Fucum quidem ille fecit; ſed profecit ea fraude, vt conſtaret, qui à Romana Eccleſia ſit auulſus, eum Chriſti membrum eſſe non poſſe: vt poſſit neceſſe prorſus eſſe, vt cum Romano Pontifice, qui caput eſt, cohęreat. Qui aliter putant à Marcione diſſentiunt, ideſt, à Magiſtro Hæreticorum.

Cornel. Cornelio Pontifice Felix, Iouinus, Maximus, Priuatus, & Repoſtus damnati à Patribus Africanis partim ob hæreſes,

partim ob ſchiſmata, ſceleraque nefaria Romam, vt ſe purgarent, & iudices accuſarent cum Feliciſſimo quodam omnium criminum, authore Cypriano, *reo, cum mendaciorum ſuorum merce nauigauerunt*: eo conſilio, vt Romanum Pontificem in ſuas partes traherent, eoque ſe Catholicos, & Patres Africanos alienos ab Eccleſia oſtenderent. Qua de fraude monuit miſſis per Felicianum legatum litteris Cornelium Cyprianus; eſt verò ea epiſtola inter Cypriani 54. & ponitur in vita, & geſtis Cornelij tomo 1. Conciliorum.

Hæretici Africani ad Cornelium prouocant.

Cypr. ad Cornel.

Baſilidis Legionenſis Libellatici in diſſimili cauſa idem conſilium fuit. Poſt lapſum deiectus Sede Legionenſi ad Stephanum Papam Romam prouocauit, ſeque iniuſtè depoſitum ab Africano Concilio coram Pontifice queſtus eſt. Iudicauit, Sedem Romanam, & Hiſpanico iudicio, & Africano Concilio ſuperiorem eſſe: & ſiue quis Hiſpanus, ſiue Africanus foret iuris eum Romani fore.

Baſilides ad Stephanum confugit.

Baſil.

Rebaptizantium cauſæ Romæ inchoari, ac eorum ſententiæ examinari cæperunt, eo fermè tempore, quo Iconienſe in Aſia coactum eſt Concilium. Legati ab eo ad Stephanum Papam miſſi, probandi ſui erroris cauſa. Repulſam ſunt paſſi, ſed vel reiecti docuerunt, Romæ iudicium ſupremum, & vniuerſale conſiſtere, ibique cauſas orientales iudicari. Nec Firmilianus, & Sectarij Africani queſti ſunt de vſurpatione iuriſdictionis, ſed de iniquitate, quod falsò putabant, ſententiæ.

Concil. Icon.

Eundem rebaptizantes appellant.

Eodem ſtudio Ariani ſæpè Athanaſium, & Marcellum, aliosque Catholicæ veritatis vindices ad Romanos Pontifices detulerunt, ſeque eiſdem commendare voluerunt. Rati quos hi ſuſcepiſſent, & probaſſent, eorum veram confeſſionem eſſe, quos reijcerent, & damnarent, eos à fide prorſus deuiare. Id cum ex eorum ad Iulium imprimis, tum ex Iulij ad illos litteris apparet. Afferre hic vnam particulam volo epiſtolæ Orientalium ad Iulium quæ huiuſmodi eſt. *Domino Beatiſſimo, &c. Licet circa omnes Romanam Eccleſiam ſciamus eſſe munificam, & Apoſtolicam habere curam, & ſemper matrem exiſtere pietatis, quanquam ab Oriente ad eam Prædicatores pietatis aduenissent, tamen optaremus vos nobiſcum concordare, & quos à communione ſuſpendimus à vobis eſſe ſuſpenſos, &c.* Ponderent Oxonienſes illa verba *circa omnes*. Et comperient vniuerſalem illam eſſe Matrem. Hoc dicere Arianos conſiderent, qui

Ariani ſimulant concordiam cum Iulio Pap. I.

Epiſtola Iulij I.

Heterodoxi exemplo Arianorum coniunguntur

qui vel à veritate Fidei aberrantes nolebant à Romana Eccleſia ſeparari.

Alia Iulij Ep. Ex epiſtola verò Iulij vera, & germana citra vllam controuerſiam recepta conſtat, Euſebianos litteras miſiſſe per Elpidium, & Philoxenum legatos ad Iulium ſuper cauſa Athanaſij, & Marcelli, & poſtea Legatos ab iiſdem fuiſſe Romam Macarium Presbyterum, & Heſychium Diaconum, qui cauſam Arianorum contra Catholicos agerent. Quanuis hi Legati Romano in Concilio, quò prouocarant, & poſtea intereſſe noluerunt, proſcripti, cum ijs, à quibus erãt miſſi, damnatique fuerint, nouerunt tamen, ad Romanam Sedem illud Orientale iudicium pertinere, ibique cauſas Fidei terminari. Non inficior tamen eos in ijs, quas Philoxenus, & Elpidius attulerunt litteras grauiter de vſurpatione iudicij ab Iulio queſtos eſſe. Sed id iracundia, & rabie effeciſſe conſtat: cum poſtea alios illos duos Macarium, & Heſychium Legatos miſerint, & Concilium Romæ fieri poſtularint, & ad Sardicenſe Concilium indictum à Iulio venire non dubitauerint: quamuis poſtea metu damnationis diffugerint, & aliud Conciliabulum Philippopoli in Thracia celebrarint. Cui compoſito ad fallendum dolo, nomen Sardicenſi fecerunt.

Arianorum preclara de Romano Pontifice exiſtimatio.

Philox. Elpid.

Concil. Arian.

Liber. Mirum eſt, quàm fuerit ſolicitatus Liberius ad ſubſcribendum Decretis aduerſus Athanaſium! quot machinas ad eum expugnandum adhibuerit Conſtantius! Poſt Conciliabulum Mediolanenſe, Præfectum cubiculi Euſebium cum donis, & litteris ad eum miſit, vt quà donis, quà officijs, quà minis ad ſubſcribendum moueretur. Perſiſtentem in propoſito exulare coegit, Felice intruſo Sede deiecit, miris modis afflixit, donec conſenſum extorſit: eoque ſibi perſuaſit Arianæ impietati præiudicium, ac decus fore. Idcirco Felicem antea Arianum, poſtquam Pontificatum inijt Catholicum effectum Martyrio affecit, quòd noluit Arianis aſſentiri: ratus ſine aſſenſu Romani Pontificis Arianam Sectam non poſſe conſiſtere. Non ſatis erat Imperator, cum Auguſta, non innumerabilis cætus Epiſcoporum, non totus penè orbis, qui ſe Arianum eſſe putabat, ad Fidem ſuæ perfidiæ faciendam. Vnus Romanus Pontifex, ſi accederet, ſecum pondus & authoritatem trahere exiſtimabat. Hic ſcopus fuit Pſeudo Synodi Ariminenſis, Ancyranæ, Seleucienſis, Antiochenæ,

Concil. Mediol.

Liberius vexatus à Conſtantio.

Felix Martyr.

Quanti ſit Romani Pontificis authoritas

chenæ, Lampſacenæ, Tyanenſis, quæ omnes eò tendebant, vt Romani Pontificis, aut aſſenſum, aut approbationem haberent.

Vitalis hæretici fraus, & dolus.

Vitalis Apollinaris Sectator, cum propè abeſſet à proſcriptione, Antiochia, vt ſe purgaret Romam ad Damaſum venit, ac inducto ſe fuco inſinuans, Catholicum eſſe ſimulauit, & litteras ab eodem communionis acceptis, & exhibitis ijs, qui eum antea damnarant, impoſuit, & Eccleſiæ reſtitutus eſt. Licet poſtea deiectus, ſuę pœnas dederit, vel temeritatis, vel impudentiæ, ab eodem Pontifice, in Romano Concilio condemnatus. Vitalis hæret.

Paulini, & Meletij ſchiſma.

Huc pertinet, quòd Schiſmatici Antiochenę Eccleſiæ, cum ijs qui partes Meletij ſpreto Paulino ſequebantur, apud Damaſum Papam ſuam, aut ignorantiam, aut pertinaciam excuſarunt, ne quis putaret eos à Sede Apoſtolica deſciuiſſe.

Ruffinus, & Melania Anaſtaſij ſe communione defendunt.

Ruffinus, & Melania Origenis erroribus imbuti, quos Romæ occultè ſparſerant, in ſuſpicionem venerant, & Marcella eos detegente pœnæ damnationem incurrerant, quàm vt effugerent litteras formatas ab Anaſtaſio acceperunt, & ab vrbe impunè, & integra fama receſſerunt. Ruffin.

Pelagius recurrit ad Romanum Pontificem.

Nemo Pelagio vti erat acutus, & cautus melius intellexit quanti eſſet ad exiſtimationem Fidei, & Innocentiæ, cum Romano Pontifice communio. Damnatus à Patribus Africanis in Carthaginenſi Concilio, litteras ad Innocentium dedit ſe Catholicum in ijs profeſſus. *Fallere conatus* teſte Auguſtino lib. de peccato origin. 2. cap. 8. & 9. *Romanam Eccleſiam, quam tamen fallere non potuit*, cum Palæſtinam feſelliſſet. Hac autem conatus eſt ratione. Simul ac ſe à Patribus Africanis damnatum vidit, dedit operam per ſuos, qui erant Sectatores, vt communicare ſe cum Innocentio, & fingerent, & dictitarent, idque adeo ex ſententia cecidit, vt non modo id verum eſſe perſuaſerint, verum etiam ſuſpectum Innocentium apud longè poſitos, vti erant Africani Patres, reddiderint. Mox adiuncto ſibi Celeſtio Achate omnino Pelagij ad Romanum Pontificem appellauit. Libellum deinde vterque compoſuit, & cum litteris ad Innocentium qui tum erat miſit, quas Zozimus, qui Innocentio ſucceſſerat, accepit, id affirmantes, ne vlla quidem in re Fidei à Romano Pontifice diſſentire. Et quidem initio Papæ Zozimo impoſuerunt, qui & ijs credidit, & libellum Fidei ſibi oblatum Pelag. Auguſt.

Celeſtius item prouocat ad eundem. Celeſt.

ad

ad Epiſcopos Africanos eos excuſans miſit. Certè diu ea ſpecie Occidentem, Orientemque turbarunt, ſed opera eorundem qui damnarant, ac imprimis Auguſtini, effectum, vt ij fraude cognita deprehenſi ab eodemmet Zozimo, & Sixto eius Diacono, & poſtea ſucceſſore, proſcriberentur, quemadmodum ſupra narrauimus.

Baron. Binius.

Pelagius, & Celeſtius ſimulatores.

Neſtor. Neſtorij mirus aſtus, & inſignis verſutia fuit. Initio ſuę hæreſis, quàm occultè, & cautè ſeminabat, timens ſibi à Cyrillo, anteuertit illius litteras, & captata occaſione nonnullorum Sectæ Pelagianicæ Epiſcoporum eos detulit ad Cęleſtinum, & hoc ſibi artificio eius gratiam voluit aucupari; miſcuit deinde ſui erroris virus, illoque aliquanto tectiùs infuſo fallere conatus eſt Pontificem, vt in partibus eſſe videretur. Extant duę Neſtorij epiſtolę inter Concilia tempore Cæleſtini celebrata.

Celeſt.

Neſtorij ad Celeſtinum appellatio contra Cyrillum.

Eutych. Secutus veſtigia ſuperiorum Eutyches, qui cum ſe excommunicatum in Concilio Conſtantinopolitano vidiſſet, ad Romanum Pontificem prouocauit, & libellum appellationis ex mendacijs ſartum miſit, ſed ita compoſitis, vt fucum Leoni facere ſi minus potuit, ambiguum certè reddiderit, quòd non omnino exploratas habuit cauſas damnationis Eutychetis, vti apparet ex Epiſtola Leonis ad Imperat. 7. & alterius ad Flauianum, quæ eſt octaua Leonis. Quid plura? Ad Theodoſium Imperatorem confugit, & litteras ab eo commendatitias ad eundem Leonem impetrauit, eoque oſtendit, quanti eſſet Romanæ Sedi probari. Extant litteræ Leonis ad Theodoſium, in quibus id narratur. Flauio, ſiue Flauiano Acacij Conſtantinopolitani Epiſcopi ſucceſſori Hæretico ea mens fuit, vt communicatorias Epiſtolas à Simplicio Romano Pontifice obtineret; ſed quod ſimulata Fide petere compertum eſt, minimè impetrauit, nec diu manſit in Cathedra. Quarto quam ſederat menſe mortuus eſt.

Eutyches prouocat Romam ad Leonem.

Leo M.

Impetrat Epiſtolas commendatitias à Teodoſio.

Flau.

Flauiani Conſtant. Patriarchæ aſtus.

Euph. Eodem ſtudio Euphemianus eiuſdem Sedis Epiſcopus Gelaſium per litteras rogauit, vt ſe communione Cathedrę impartiret, quæ cum ei negata eſſet, rurſum preces cum legatione miſit, at repulſam tulit, quod Acacij nomen è dyptychis non eraſiſſet.

Euphemiani dolus.

Zero. Anaſt. Quantam adhibuit diligentiam Zeno, quantam Anaſtaſius Imperator, vt Enoticon illud ferale à Pontificibus Romanis reciperetur? nempe intelligebant, quod ſemel ab

Enoticon Zenonis ſuſpectum, imo & hæreticum.

his

his eſſet approbatum, apud omnes id fidem, & authoritatem habiturum. Quantum laborauit idem nefarius Imperator Anaſtaſius, vt Hormiſdam Pontificem Romanum ſibi conciliaret? quot litteras ad eum dedit? quot legatos miſit? quibus officijs promereri ſtuduit? Conſtat ex Epiſtolis inter eoſdem vltro citroque currentes. Volebat ſcilicet eo ſe pallio obuoluere, vt Catholicis imponeret, quos aliter non poterat decipere, nec ſuis hæreticis, Schiſmaticiſque conſulere.

Hormiſdam conciliare ſtudet Anaſtaſy. — Horm.

Monachorum Scythiæ præclarum eſto exemplum huiuſce exiſtimationis de Papæ authoritate. Hi Schiſmatici, & Hęreſeos ſaltem ſuſpecti, & Eccleſiæ turbatores, vt has maculas abluerent Romam cogitarunt, & Pontificis Romani ſe ſubditos ſunt profeſſi. Audiamus quid de ijs in litteris ſcribant Catholici Romani Hormiſdę Legati. *Monachi de Scythia ad Beatitudinem veſtram cucurrerunt, ſperantes ſubripere, & per litteras veſtræ Sedis ſuas intentiones confirmare.* Quę cuiuſmodi eſſent in eadem Epiſtola exponunt. Licere ſibi putarunt, quicquid cogitarant ſtabilire; dummodo Pontificem in ſocietatem operis traherent. Perſuaſum omnibus erat, quod Iuſtinianus Comes ad Hormiſdam ſcripſit. *Hoc enim credimus eſſe Catholicum, quod veſtro religioſo reſponſo nobis fuerit intimatum.* Egiſſe autem illos cum Hormiſda de pleriſque controuerſijs apparet ex litteris eiuſdem ad Iuſtinianum quæ ſunt Epiſt. 66. & 67. De ijs rurſum ita ſcribit ad Poſſeſſorem Epiſcopum epiſt. 70. *Per annum iugem quorundam Scytharum, qui monachos præ ſe ferebant ſpecie, non veritate, profeſſione, non opere, ſubtili tectas calliditate verſutias, & ſub religionis obtentu ſamulantia odijs ſuis venena pertulimus, ſtudentes eos ab interno vulnere medicabilis patientiæ moderatione ſanare,* & infra. *Hæc ideo dilectioni veſtræ iudicanda ſub occaſione credidimus, ne ſi illuc fuerint fortè delati, ignorantes, quemadmodum in Vrbe Romana tractauerint ſub aliqua verborum ſimulatione deciperent.* Tanti erat Romanæ Sedis in vtramque partem exiſtimatio, vt quē illa in communionem reciperet, Catholicus, quem reijceret, Hæreticus haberetur.

Monac. Scyth. — *Scythiæ Monachi ad Pontificem recurrunt.* — *Horm.* — *Iuſtin.* — *Quales eſſent Monachi Scythiæ.* — *Authoritas Sedis Romanæ.*

Hi demum manifeſtæ comperti hæreſeos poſt appellationem illam à Concilio ad Hormiſdam, ab eodem ſunt condemnati.

Aliud exemplum in diſpari cauſa ſimile ſuppeditarunt ſub Ioanne II. Acæmetæ Monachi, ac eorum fautores Neſtoria- — Io: II.

ſtoriani, & Origeniſtæ, qui ſpecie improbandæ illius Propoſitionis, quàm improbarat Hormiſdas. *Vnus de Trinitate eſt Crucifixus*. Neſtorianiſmum inducebant. Hi enim cum ab Epiphanio Conſtantinopolitano, & cęteris Epiſcopis orthodoxis impietatis arguerentur, quòd vellent eo prætextu negare Verbi Incarnationem, & Paſſionem, atque adeo ex conſequenti dicere in Chriſto eſſe duas Perſonas, vnam quæ ſit nata, & paſſa, ideſt humanam, cuius Maria Virgo eſſet mater, alteram Diuinam, quæ nec naſci, nec mori poſſet, vt ſibi conſulerent, & indemnes ſe præſtarent ad Ioannem ſecundum prouocarunt, Legatis eò cum ſuæ Fidei profeſſione miſſis, quę in Romano Concilio lecta, & examinata reos eſſe illos hęreſeos declarauit.

Vnus de Trinitate Crucifixus dici ne poſſit.

Quid de illa ſenſerit Hormiſdas?

Quid Ioannes II.

Seueri Hæreſiarchæ idem placuit ad elabendum conſilium. Cum enim ſciret Anthimum Conſtantinopolitanum, & Theodoſium Alexandrinum Eutychianos eſſe, Conſtantinopolim Theodoræ Auguſtæ, quæ fauebat Eutycheti gratia fretus venit, ibique errorem ſuum diſſeminare cępit, quòd cum Iuſtiniano Orthodoxo innotuiſſet, non potuit latere, nec in tuto conſiſtere. Verum aſtu vſus periculo ſe explicuit. Perſuaſit Imperatori ſe omnino aſſenſurum Romano Pontifici, ac in eius poteſtate futurum. Et quidem ad tempus diſſimulauit errorem, ſed non diu fictio tenuit, veniente quippe Romam Agapeto fucus ei detractus, & anathema inflictum.

Seuerus

Seueri hæreſis Conſtantinopoli diſſeminata

Aſtus illius in ſimulando ſe Catholicum. Proditur, & damnatur.

Agapet.

Nunquam tamen manifeſtiùs apparuit quantum valeat in vtramque partem Romani Pontificis authoritas, quàm tempore Vigilij, & Iuſtiniani. Dum enim Vigilius perſtitit in prima ſua ſententia, quæ tria capitula non damnabat, nec ſui promulgatione Edicti, nec Epiſcoporum Orientalium in V. Synodo congregatorum conſenſu, quicquam profecit Imperator Iuſtinianus. Cum autem re compoſita, & ſublata omni ſuſpicione Vigilius tria Capitula damnari paſſus eſt, & Synodo aſſenſit, eamque confirmauit, nemo fuit, quin Edictum Iuſtiniani reciperet, & ſententię Patrum acquieceret. Idcirco Imperator tot artes, machinaſque adhibuit ad conciliandum ſibi Vigilium, & in partes traducendum, quòd ſciret, dum ab eo diſſidebat, voti ſui compotem minimè futurum. Tanti erat communio cum Romano Pontifice, vt qui ab eo diſſentiebant, exiſtimationem prorſus

Vigil.

Vis Pontificię authoritatis.

Iuſtin.

Iuſtinianus conatur Vigilium ad ſuas partes traducere.

amitterent. Atque de huiuſmodi exemplis hactenus. Quæ ſi ob oculos ponant Heterodoxi ſuæ illos hæreſeos pudeat neceſſe eſt, cum ab Romano Pontifice diſceſſionem fecerint, à quo Patriarchæ illorum recedere non ſunt auſi. Quod ſi eorum adhærent erroribus, adhæreant moribus, ſequantur eorum veſtigia, vbi non deerrant, quando quidem ea, dum aberrant, ſectantur. Sed nec ij ſuos maiores Orthodoxos, nec ſuos Heterodoxos imitantur, vt verè Nouatores ſint, & nihil priſcæ doctrinæ, moriſue retineant. Dicunt tamen ſe in Chriſtum credere. Cur negant eius corpus Eccleſiam? Cur ab eius corpore ſeparantur? Extra Eccleſiam ſalui eſſe non poſſunt. Quod eos ſæpè monui nomine Auguſtini, & ad calcem iſtius operis ſeriò monebo. Facilius eſt eum, qui intra Eccleſiam manet, vel errantem reduci ad gremium, quàm auulſum ab ea, vel minus malè de cætero ſentientem ad ſalutem perduci.

Hæretici monentur, & inſtruuntur.

Quanti ſit, vnio cum Eccleſia.

SECTIO V.

Argumenta quibus Heterodoxi hanc vniuerſalem poteſtatem impugnant plurima afferuntur.

Primum argumentum hæreticorum, quod Papa ſit infra Concilium.

PRimum eſto. Papa ſubiectus eſt Eccleſiæ ſiue Concilio Vniuerſali. Idque definiuit Conſtantienſe, ac Baſileenſe Concilium: docentque non pauci Doctores Catholici, & qui illis Concilijs interfuerunt Catholici erant. Papam verò ſubeſſe Concilio latiſſimè probat Nicolaus Cuſæ Cardinalis de Concord. cathol. lib. 2. cap. 30.

Concil. Conſt.

Nicol. Cuſæ.

Secundũ quod ſit ſubditus Imperatori.

Secundum. Papæ non habent vllam poteſtatem ſuper Imperatorem, & Reges, & alios quos vocant Principes abſolutos, & qui ſui ſunt iuris: nec directam, nec indirectam. Immo Papæ olim parebant Imperatoribus, vti ex hiſtorijs conſtat. Ioannes I. obediuit Theodorico. Agapetus Theodato. Syluerius & Vigilius Iuſtiniano. Gregorius Papa ſæpè ſe in Epiſtolis ad Mauritium, Famulum eius, eumque ſui Dominum vocat, & iuſſionibus parere affirmat. Certè vna illa Gregorij epiſtola lib. 2. Indict. 2. quæſt. 62. ad Mauritium ſatis eſt ad perſuadendum, & Clerum, & caput Cleri, qui eſt Papa, Imperatori ſubijci. Ibi enim Gregorius. *Famulum ſe & ſeruum, Imperatorem Dominum* appellat, *& Sacerdotes ſubie-*

Ioan. I. Agapet. Syluer. Vigil.

Gregor. Magn.

ſubiectos eidem fatetur, immò & teſtatur, dum Perſona Dei inducta loquentis cum Mauritio, ſic. *Ego te de Comite Cæſarem, de Cæſare Imperatorem, Patrem Imperatorum feci: Ego Sacerdotes meos manui tuæ commiſi*. Idem fermè repetit Epiſt. 31. lib. 4. indict. 13. in qua magnopere colit, & veneratur Imperatorem. Sed imprimis epiſt. 65. lib. 2. Indict. 11. Ad Theodorum Medicum vbi ſic. *Valde durum mihi videtur, vt ab eius ſeruitio milites ſuos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari non ſolum militibus, ſed etiam Sacerdotibus*. Nec oportet eludere has ſententias Gregorij reſpondendo cum Baronio Anno 593. num. 17. & 18. & Seuerino Binio in notis ad eam epiſt. 62. ad Mauritium. Significare his verbis Gregorium. *Sacerdotes ita Mauritio ſubiectos eſſe, ſicut fuerant Diocletiano, & Neroni*. Quod omnino falſum eſſe ex tenore, & ſtylo epiſtolarum conſtat. Lector ſi volet legere iudicabit Gregorium non exprobando, ſed affirmando loqui. Tota enim epiſtola ſeria eſt & moderata, & ab animo ſedato, & demiſſo profecta.

Maurit. Imper. — Epiſtolæ Gregory Magni proferuntur. — Baron. Binius. — Expoſitio in Greg. refellitur.

Tertium. Ius appellandi Papam Romanum, nec diuinum, nec vniuerſale fuit; igitur Papæ non conuenit vniuerſalis poteſtas, quando tanta caruit facultate. Aſſumptum probatur, quia in Concilio VI. Africano, agitata illa de Appellationibus controuerſia, occaſione Apiarij Africani, qui Zozimum appellarat, cum huius Legati Ius appellantis defenderent, obſtitit Concilium negando licere per Concilium Nicenum: cui cum Legati reponerent omnino licere, & duos Canones Sardicenſis Concilij pro Nicenis obtruderent, reſponderunt PP. inter quos erant Auguſtinus, & Alipius, vt ſeruarentur acta Pontificis vſque ad diligentiorem inquiſitionem Concilij Niceni. In quo cum illi Canones inuenti non fuiſſent ad Bonifacium ijdem ſcripſerunt, ne vellet eiuſmodi appellationes recipere. Vnde apparet, nec iure diuino competere Papæ Romano cauſas appellantium accipere, quando totum ius in Nicenis Canonibus quærebatur, nec vllo Eccleſiaſtico conuenire, cum Niceni Canones ij non eſſent, ſed Sardicenſes, quos Patres Africani non norant. Id ſaltem conſtat, Africam ei iuri, quodcumque demum eſſet, reſtitiſſe. Quod quidem euertit rationem vniuerſalis.

Concil. Afric. — Concil. Sardic. — Concil. Nicen. — Tertium argum. Ex appellation.

Quartum. Multi Imperatores conuocarunt Concilia,

tum vniuerſalia, tum particularia, & plerique Reges particularia, immò & ad ea Imperatores ſuis edictis Papas venire compulerunt. Quin & in ijs præfuerunt etiam Legatis Pontificum Romanorum præſentibus. Igitur hac tanta poteſtate, & authoritate ſublata, non eſt in Papa iuriſdictio vniuerſalis.

Quartum ex conuocatione conciliorum ab Imperat.

Illud aſſumptum probatur exemplis. Nam Conſtantinus Magnus congregauit ſua vnius authoritate Concilium Nicenum. Ita conſtat epiſt. eiuſdem ad Patres Nicenos, quæ habetur 1. tom. Concil. Seuerin. Binij pag. 264. & in epiſt. Concilij pag. 285. & epiſt. ad Eccleſiam Alexand. pag. 288. Præterea lib. 3. de vita Conſtantin. cap. 20. & 21. fol. 347. Conſtantinopolitani author fuit Theodoſius. Maior patet ex confeſſione ipſius met Concilij pag. 533. eiuſdem tomi. Idem tradit. Theodoret. lib. 5. cap. 9. & Socrates apud Binium pag. 541. Pag. vero 545. id ipſum diſertis verbis Patres teſtantur. Concilium Epheſinum indictum fuiſſe à Theodoſio Minore patet ex ipſius litteris ad Cyrillum to. 2. Binij pag. 163. & ex Sacra Imperatoria pag. 158. & ex alia Sacra pag. 166. & ex epiſt. Synodi ad Imperatores pag. 212. & in alia eiuſdem ad eoſdem pag. 214. Sed nullo melius teſtimonio probatur, quàm Celeſtini Papæ Litteris ad Imperatorem pag. 236. addita epiſtola Cyrilli, & Memnonis ad eundem Theodoſium pag. 242. De Concilio Chalcedonenſi congregando extant duæ epiſtolæ Imperatorum Valentiniani, & Marciani tom. 3. pag. 32. & 33. quos authores fuiſſe eiuſdem Concilij Actione 1. in princip. & ſæpè alias traditur. Quintam Synodum nec opinante quidem Vigilio Iuſtinianus indixerat, & poſt illam publicatam eundem Vigilium intereſſe iuſſit, non more petentis, ſed iubentis. Id apparet ex Actis Concilij.

Exempla Imperatorum, qui viſi ſunt condocare Concilia. — Conſtãt. Magn. — Theod. Maior. — Theod. — Theod. Minor. — Celeſt. — *Concilium Chalcedon.* — Iuſtin.

Sed vt nulla ſit, aiunt, tergiuerſatio, Sextam Synodum magna vi obijciunt, quòd putent de illa non poſſe quenquam dubitare. Hanc congregaſſe Conſtantinum Pogonatum ipſemet author eſt in ſuis Sacris ad Agathonem, & Pontificijs Agathonis ad ipſum. Actione 1. mandata ſuper eo Conſtantini *præcepta* dicit apud Binium to. 3. pag. 25. & pag. 63. ponitur. *Vniuerſali Synodo per Imperialem ſanctionem congregata*. Et pag. 63. Tota Synodus ſic ad Imperatorem. *Veſtris Diualibus præceptis acquieſcentes*. Ac eidem in Proſphonetico

Ex Sexta Synodo. — Conſt. Pogon. — Agatho Papa.

netico poſt Deum inchoati,& perfecti Concilij gloriam Imperatori tribuunt.

Quod autem ijdem Imperatores præfuerint, & præſederint in Concilijs. Probauit eruditè Caluinus demonſtrans id eſſe proprium Imperatorum. Patet vero id ex manifeſto Sextæ Synodi teſtimonio. Nam Actione 5. ſic ſcribitur. *Præſidente eodem pijſſimo Imperatore Conſtantino*. Quæ verba repetuntur Actione 6.pag.59.& Actione 7.pag.62.& Actione 8.pag.63. & Actione 18. ponitur. *Præſidente Conſtantino*. Quod ipſum alijs in locis reperitur.

Caluin

Imperatores, qui viſi ſunt Concilijs præeſſe.

Sexta Synod.

Quintum. Titulus Papæ vniuerſalis non conuenit Papæ, igitur nec officium Paſtoris vniuerſalis, atque adeo nec poteſtas, nec iuriſdictio vniuerſalis. Aſſumptum patet ex confeſſione duorum Romanorum Pontificum Pelagij II. & Gregorij I. Quæ omnino afferenda ſunt. Pelagius igitur epiſt.8. arguit Ioannem Neuſtetam Patriarcham Conſtantinopolitanum qui ſe vniuerſalem, & Oecumenicum Patriarcham nuncupabat, ac eo nomine reprehendit. *Quia ſi Summus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Et propterea vetat vllum Patriarcharum*, eum titulum vſurpare. Qua certè ratione Pontifici Romano, non licet illum ſibi arrogare. Sed quia poteſt quis effugium quærere dicendo Pelagium loqui de Patriarchis Orientalibus, non autem de Romano Pontifice, cui ſoli ille titulus conueniebat, adducunt multa teſtimonia Gregorij Magni, quæ eludi aut infirmari non poſſunt. In multis execratur hoc nomen. Indicant haſce à me diligenter recognitas epiſt.34.36.38.39. lib.4. in dictione 13. quæ datæ ſunt ad Ioannem. Ad ſucceſſorem eius Cyriacum, qui hunc etiam titulum vſurpabat ſcribit eum deteſtans epiſt.3.& 24.& 28. & 70. lib.6. indict. 15.& epiſt.47.lib.11.indict.6.

Quintum argumentũ Papam non eſſe nec dici vniuerſalem.

Pel.II.

Probatio ex Epiſtolis Pelagij II & Gregorij I.

Greg.M.

Seligunt, & obijciunt nonnullas ſententias. Prima eſt in epiſt.34. lib.4. ad Conſtantinam Auguſtam, vbi inuehitur in Ioannem Conſtantinopolitanum, quod *ſuperbo illo vocabulo* vtatur, ſeque *Antichriſto ſimilem* reddat. Quod argumento eſt, qui illud ſibi attribuit, cum Antichriſtum imitari. Idem repetit in epiſt.36. ad Eulogium Alexandrinum, vbi addit. *Iactantiam ſumpſit, ita vt vniuerſa ſibi tentet adſcribere*, & omnia quæ ſoli vni capiti cohærent, videlicet *Chriſto per elationem Pompatici ſermonis eiuſdem Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubiugare*,

Epiſtola Gregor. Magn.

Titulus Patriarcha vniuerſalis vſurpatus à Patriarchis Conſtantinopolit.

gare. Itaque ſoli Chriſto cui dicitur. *Dominus vniuerſorum tu es*. Vniuerſalis nomen conuenit. Epiſtol. 38. libri eiuſdem acerrimè eum inſectatur propter idem nomen, & Antichriſto ſimilem dicit, qui *Aſtra Dei*, ideſt cæteros diſcipulos vult deijcere. Tribuens ſibi quod proprium Dei eſt nomen ſingulare, vnius ſe vniuerſis ita præponentis, vt ſolus præeſſe velit. Hactenus ad Ioannem. Ad Cyriacum ſic epiſt. 24.

Reprehenduntur ob id á Gregorio M.

lib. 6. *Eum admonere ſtudui dicens, quia Pacem habere non poſſet niſi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus Apoſtata inuenit*. Sed nuſquam magis abominatur illud vocabulum quam in epiſt. 30. lib. 6. ad Mauritium Auguſtum, cui monenti *ne ob appellationem friuoli nominis*, vſque ad ſcandalum cum Cyriaco Patriarcha Conſtantinopolitano rixaretur, ſic reſpondet. *Rogo vt Imperialis pietas penſet, quia alia ſunt friuola, valdè innoxia, atque alia vehementer nociua. Numquid non cum ſe Antichriſtus veniens Deum dixerit, friuolum valdè erit, ſed tamen perniciosum*. Et paulo poſt. *Ego autem fidenter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit: Nec diſpari ſuperbia ad errorem ducitur, quia ſicut peruerſus ille, Deus videri vult ſuper omnes homines, ita quiſquis ille eſt, qui ſolus Sacerdos appellari appetit, ſuper cæteros Sacerdotes ſe extollit*. Quæ verba explicationem non patiuntur.

Greg. ad Mauric.

1 Videat ergo Pontifex Romanus, qua ratione nomen illud & rem quod eſt multo deteſtabilius ſibi vindicet, & an vindicando Antichriſtum ſe gerat. Ac quæri deſinat, quod ab Heterodoxis Antichriſtus dicatur.

Sextum argument. ſumitur ex iniuſto, vt aiunt Heretici dominio Pótificis Rom.

Sextum & vltimum proponunt ſic. Pontifex Romanus ſua iſta vſurpatione nominis, & munerum, ac Imperij, quod à Syluestro huc uſq; in Eccleſia gerit, ſiue dominium ſiue adminiſtrationem vocemus tyrannidem, haud dubiam exercet, & apparet ex comparatione cum illis primi, & ſecundi ſeculi Pontificibus, qui anguſtis in rebus viuebant, modeſti, pauperes, humiles, paruo contenti, procul ab ambitione, & faſtu: ſine pompa, ſine opulentia, ſine ſplendore; citra arrogantiam, intra moderationem, facti ad patientiam, non ad potentiam, compoſiti ad modeſtiam, ad parſimoniam, intra terminos ſpirituales, quibus circumſcripti, intra ſuam ſe Eccleſiam continebant. Nec extra libenter, & inſolenter

ter per temporalia, & ſecularia vagabantur. A quibus quàm ſuerint diſſimiles,qui poſtea conſecuti ſunt Pontifices ex quo Principes eſſe cæperunt: quanto cum dedecore Sedis Romanæ,quanta cum ignominia Pontificij nominis, quanta cum pernicie populi Chriſtiani, ipſimet videant. Certè occaſionem diſcedendi à Romana Eccleſia tot tamque potentibus Regibus, & populis cum gemitu Chriſtiani Orbis præbuerunt. Hæc Angli Oxonienſes in ſua. Hæc Cantabrigienſes in ſua. Hæc Scoti Aberdonienſes in ſua Academia quotidie ad rauim vſque declamant. Hæc qui apud eos ſunt Curiones, & Antiſtites dicuntur,vociferantur in Pulpitis,hæc crepant in Conuentibus,in concionibus, ſæpè, aſſiduè, importunè, vt nulla fermè alia materies dicendi ſit, quàm Papam ſedemque Romanam deteſtari, execrari, abominari. Hęc eſt eorum ſumma doctrinæ. Expertus dico. Vidi eos ſæpè, & quidem cum admiratione omiſſo Euangelio, quod ad concionandum præ manibus aſſumpſerant, vix dum tertio verbo dicto,ad maledictionem Romani Papæ totam ſuam orationem contuliſſe: & confirmo nihil ex eis aliud quàm maledicta in Papam temerè,& iracundè congeſta in concionibus audiuiſſe.

CAPVT VI.

Reſpondetur adductis Heterodoxorum argumentis.

VNica reſponſione velut ictu hęc omnia argumenta pręcido. Petoque ab Academicis, quibus vehementer cupio, vt pro ſua comitate velint animos huc aduertere, & ad huiuſmodi reſponſionem attendere. Nec omittam tamen poſt eam ſingulis argumentis certas, & proprias ſolutiones more ſcholaſtico adhibere.

Omnia hæc argumenta nihil concludunt, etiam ſi omnia vera eſſe permittamus. Id duobus modis oſtendo. Primùm datis quæ ſingula argumenta probare volunt, adhuc ſtat noſtra doctrina de poteſtate vniuerſali Papæ in tota Eccleſia. Patet quia argumenta id tantum vel gratis conceſſa probant, eam poteſtatem vniuerſalem ad eos caſus non extendi, ac proinde non eſſe omnibus modis vniuerſalem. Ideſt exceptiones eas fieri,quæ ſunt in argumentis.Nimirum hanc poteſta-

Primus modus ſoluendi argumenta.

Dato ea eſſe vera nihil coʹcludunt.

teſtatem eſſe quidem ſuper membra, & Eccleſias particulares, non autem ſupra collectionem per modum vnius in Concilio vniuerſali. Ita primum argumentum non excludit vniuerſalem poteſtatem ſuper omnes Eccleſias diuiſim ſumptas, hanc enim intactam relinquit, ſed tantum excludit poteſtatem in eas ſumptas collectim.

Oſtenditur de primo.

Oſtenditur de ſecundo.

Secundum argumentum, vt ſit verum, id tantum conficit poteſtatem Papæ non extendi ad temporalem Regiam, ſed non conficit, non adęquare totam ſphæram ſpiritualis: ergo iſti nihil detrahitur.

Oſtenditur de tertio.

Tertium argumentum, quamuis rem appellationis euinceret, hac excepta relinquit integram poteſtatem directionis in materia doctrinæ & morum, in correctione, & punitione Hæreticorum, & excepto iure appellandi à ſuis Epiſcopis omnia eſſe integra Papæ. Manet igitur illa iuriſdictio directa, quæ non ſit immixta cum hac controuerſioſa recognoſcendi cauſas, & per appellationem reuocandi.

Oſtenditur de quarto.

Quarto licet demus conuocare Concilia eſſe Imperatorum, ac in ijs præſidere, non idcirco hæc poteſtas aufertur Pontifici, ſed communis eſt ei, & Imperatori: vnde non detrahitur vniuerſali, quæ eſt in Papa, ſed datur ſimilis Imperatori. Præterea quamuis concederemus, eam poteſtatem conuocandi, & præſidendi eſſe propriam ſolius Imperatoris, non Pontificis, adhuc relinquitur alius modus vniuerſalis poteſtatis dirigendi, & puniendi, ea ratione qua ſuperius diximus.

Oſtenditur de quinto.

Quintò facilè concedimus Papam non eſſe vniuerſalem in eo ſenſu, vt ſolus ſit, derogando alijs: ſed negamus inde ſequi non eſſe vniuerſalem in eo poteſtatem in dirigendis, & coercendis alijs, qui habent minorem poteſtatem, & particulares Eccleſias regunt. Itaque illud genus poteſtatis ſolitarium, & inſolens excludimus, non admittimus.

Oſtenditur de ſexto.

Sextum & vltimum minus curamus, quod taxat abuſum & vitia regiminis, non impugnat modum rectæ poteſtatis; quare quamuis demus illam vniuerſalitatem deuiaſſe per abundantiam, & exceſſum à ratione, & modo, non idcirco non eſt vniuerſalis, aufertur quippe exceſſus, & abuſus extraordinarius, manet poteſtas integra, & moderata.

Paucis rem declaro. Aliud eſt habere poteſtatem vniuerſalem: aliud habere omnes modos vniuerſalitatis. Nam habere poteſtatem vniuerſalem reſpicit omnes ſubditos, ideſt perſo-

perſonas. At verò habere omnes modos poteſtatis reſpicit non inferiores ſubditos, ſed illas differentias poteſtatis, quas illud genus includit. Vtar exemplo è Logica petito. Alia eſt ratio vniuerſalis in animali in communi reſpectu hominum de quibus prædicatur, alia reſpectu omnium differentiarum quas includit in ſuo ambitu. Nam illa eſt vniuerſalitas in certo genere erga ſua inferiora de quibus prædicatur: hæc eſt vniuerſalitas comprehenſiua omnium differentiarum, ad quas ſe extendit ratio animalis. Applico exemplum. Quando animal dicitur vniuerſale reſpectu hominum ſatis eſt, vt ſit vniuerſale in eo genere animalis, & non requiritur, vt ſecum afferat omnes alias differentias, quas continet, & comprehendit. Ita poteſtas vniuerſalis Pontificis vt ſit in totam Eccleſiam, & omnes Fideles ſufficit, quòd ſecundum vnam rationem poteſtatis de omnibus, tamquam de ſubditis prædicetur; non autem exigitur, vt omnes prorſus ad eos differentias poteſtatis deuoluat: quo exemplo exiſtimo rem expoſitam, & illuſtratam.

Egregia ſolutio, & illius explanatio.

Illuſtratur exemplo Logico.

Hic eſt primus reſpondendi Heterodoxis modus. Ex quo patet abſurdè eos colligere, nõ eſſe in Pontifice Romano vniuerſalem in tota Eccleſia poteſtatem, quòd non omnes modos in ea exerceat poteſtatis. Cum ſatis ſit ad veritatem propoſitionis, quod vno, & altero modo illam exerceat poteſtatem. Conſtat ex dictis Papam dirigere res Fidei, & Doctrinæ, ſtatuere normas morum, & regulas rituum, ius dicere, ac leges iubere, quibus vniuerſi Fideles teneantur. Igitur aſſumamus hoc, & vniuerſalitatem capitis tueamur. Nam ſi quòd non omnibus modis gubernat Eccleſiam, idcirco amittit rationem capitis, nullus fermè Rex aut Princeps erit, qui ſuo in Regno habeat Regiam vniuerſalem poteſtatem. Rex quippe non habet illam ſpiritualem iuriſdictionem, quam habent Epiſcopi, & Parochi, immò quòd eſt Laicus illam habere, ac exercere non poteſt, nec minus habet illam aliam Parlamentariam, quam vocant poteſtatem, quæ ſæpè Regi obſiſtit, vti paucis antè annis magno cum dolore vidimus in Anglia. Quam ſortem Deus pro ſua prouidentia mutauit in melius: nec idcirco tamen caret Rex vniuerſali gubernandi Regnum poteſtate. Manet ergo noſtra doctrina: ſtare poſſe cum ijs argumentis poteſtatem Romani Pontificis vniuerſalem.

Abſurditas argumentorum Hæreticorum monſtratur.

Secundus modus eſto. Reſpondendo nihil ad ſummam rei Chriſtianæ, & ſcopum, quò collimant Heterodoxi, valere illa (quamuis ea concedamus) argumenta. Quid enim quæſo agitant illi, quid conantur, quid moliuntur, niſi afferre cauſas ſuæ à Romano Pontifice, & Eccleſia Catholica diſceſſionis, & honeſtum ei prætextum quærere? & ſpeciem quandam iuris iniuſtæ ſeparationi obtendere?

Aptè & acutè refutantur hæretici.

Certè propterea illas rationes excogitarunt. At videant, quid profecerint. Eſto ſint omnia vera quæ aſſumunt, adhuc manet Sedes Romana, & Pontifex Romanus viuit in ſua, & ſtat Sede & in Cathedra perſeuerat. Adhæreant ei eo modo quo eſt: agnoſcāt Romanam Cathedram minus altam, & excelſam, paulùm depreſſam, ſed non prorſus obrutam, & deiectam. Sequantur Romanum Pontificem, ſi minus tam potentem, tam clarum, tam illuſtrem, ſaltem vti verè Epiſcopum, & primum Epiſcoporum. Tribuant ei minus, quam ſibi arrogare illum dicunt: detrahant, ſi ita malunt aliquid, ſed non auferant, quæ nemo tollit. Imitentur eos ſaltem quos dicunt Theologos, qui non omnia Papæ, vt aiunt, concedunt, retinent tamen præcipua, & capitalia, à quibus etſi, quemadmodum affirmant, non omnes prorſus modi vniuerſalitatis Romano Pontifici tribuuntur, conceditur tamen illa vniuerſalitas directiua, & coerciua Fidelium. Quare tam ſunt inepti, vt quòd nonnulla putent vſurpari, omnibus carere velint? Tollunt Papam, & vexant Romanam Sedem: Eccleſiam nullam eſſe volunt, quòd Papa maior eſſe voluit, & Sedem ſuam altius attollere conatur, quàm ij aut exiſtimant, aut volunt. Iniuria ſanè agunt, & domeſtico eos exemplo refuto. Rex Angliæ, primùm eius tantum Regni potiebatur, deinde occupauit Scotiam, & Hiberniam; ſi eorum argumentum valet, cùm creuit, cùm Regna adiunxit, cùm ſolium euexit altius, & amplificauit Imperium, Rex Angliæ eſſe deſijt. At reſpondebunt. Ea regna iure acquiſita. Repono, ſi vſurpata forent, an idcirco Regno Angliæ caderet? Si omnes Reges, qui Regna, & Prouincias alienas contra ius occupant, amittunt Regna, quæ habebant, quando occuparunt alia, pauci, opinor, erunt in mundo Reges. Quòd ſi qui ſunt, præſtaret ijs Regna ſua retinere, quàm acquirere aliena. Hac certè ratione nullus erit, vel Galliæ, vel Hiſpaniæ, vel Poloniæ, vel Sueciæ Regum, qui iure Regni ſui

Inuectiua iuſta in hæreticos.

Conuincūtur efficaciter, & manifeſtè.

Retorquetur in eos argumentum

ſui non ceciderit, cum nemo ſit illorum, quin acceptum Regnum auxerit, & amplificauerit.

Quid? quòd eorum ſententia Alexander, qui gloriæ ſtudio, non iure, maximam orbis partem occupauit, Regno Macedoniæ caruit. Iam verò Romani, quòd tot Regna, & Prouincias ſuo, iure ne, an iniuria? ſubiugarint Imperio, Romanum Imperium amiſerunt. Pudeat eos huiuſmodi argumenti. Pæniteat ſuæ planè temerariæ à Papa, & Romana Eccleſia ſeceſſionis. Stat ille in gradu ſuo; hæc, ſua Sede non eſt mota. Atque vt eos manifeſto conuincam exemplo ab ijs accepto, & in eoſdem retorto, Africana Eccleſia, (quam nobis vehementer obijciunt) doceat quid facere oporteat, quid faciendum ſit. Ea in Concilio illo 6. Carthaginienſi, vt omnes penè Heterodoxi, aiunt, negauit ius appellandi ad Sedem Apoſtolicam: eique hac in re Patres parere noluerunt; ſed non idcirco eam deſeruerunt, nec ab ea deſciuerunt. Immò deinceps ij Epiſcopi, hæreticis narrantibus, cum Romano Pontifice, & Sede Romana communicarunt, & vna illa excepta appellationis prærogatiua ei conſenſerunt. Hoc dico non quòd vera ſit Heterodoxorum opinatio, quam falſam eſſe infra monſtrabimus, ſed quod ea ijs permiſſa appareat eos ſumma iniuria, & contrà quàm ea Eccleſia fecerit feciſſe. Sequantur Aurelium, ſequantur Alipium, ſequantur Auguſtinum, quorum eam dicunt fuiſſe ſententiam, qui nunquam à communione Romanæ Eccleſiæ receſſerunt, & in ea deceſſerunt.

Hæretici temerè, ac impiè ab Eccleſia Romana receſſerunt.

Refelluntur ſuo argumento.

Aurel. Alipius. Auguſt.

Quòd ſi recentibus exemplis vti malunt: Vtantur eius, quam nobis item obijciunt, Sorbonę, quam ipſi fatentur nonnullas prærogatiuas Romanæ Sedi nolle concedere: vtcumque de his ſit: conſtat eam Romano Pontifici adhærere, eiuſque Primatum agnoſcere, tueri, prædicare, citra vllam vel ſeditionem, vel offenſionem. Cur eam non imitantur? Conforment ſe ad eam, non litigabimus. Hic ſecundus modus reſpondendi omnem diſceſſionis prætextum aufert, excuſationem nullam relinquit. Nihil itaque ad ſummam rei proficere ſuis argumentationibus apparet, etiam ſi ea omnia vera eſſe concedamus. Cogitent quàm iniquam, & impiam cauſam ſuſcipiant, & tueantur. Sed hac de reſponſione hactenus. Nunc ad ſoluenda ſigillatim argumenta accedamus. Primum verſatur in ea celebri quęſtione. *Vtrum Papa ſit ſupra, vel*

Nihil omnino conficere argumenta Hæreticorum monſtratur.

infra Concilium. Hanc nos accuratiſſimè in tractatu de Concilijs noſtro agitauimus, & multis argumentis oſtendimus Papam eſſe ſupra Concilium. Summa tamen noſtrę ſententiæ fuit, ante Concilium Florentinum de illa re potuiſſe ſine ſuſpicione erroris fortaſſe ambigi. Verum poſt Concilium Florentinum, Lateranenſe Vltimum, & Tridentinum non licere de eo dubitari. Ac ne rem ſuo loco moueamus ſummam dictorum faciemus. Patet primò ex officio Vicarij Chriſti. Secundò ex perfecta ratione gubernandi Monarchicè. Tertio ab abſurdo quòd aliter digniùs imperaret Rex in ſuo Regno, quàm Pontifex regeret Eccleſiam. Quarto ex confirmatione Conciliorum. Quinto ex abrogatione puta Ariminenſis, & Epheſini ſecundi, productis teſtimonijs, Baſilij, Leonis Magni, & Gregorij item Magni. Adde Concilium Baſileenſe, ab Eugenio IV. & Piſanum à Iulio II. reprobata. Huc pertinet antiquandi Canones authoritas, qualis fuit ille de præſtantia Patriarchæ Conſtantinopolitani in tribus Concilijs inſtauratus Conſtantinopolitano, Chalcedonenſi, vt aiunt, & in Synodo Quiniſexta, qui nunquam viguit, quòd Romano Pontifici non placuit. Sexto ex erroribus eorum Conciliorum, quæ aut citra, aut contra authoritatem Papæ ſunt facta. Septimo ex confeſſione Patrum Concilij hanc prærogatiuam Papæ aſſignantium. In Actione 2. Concilij Epheſini. Action. 2. 3. & 7. Concilij Chalcedonenſis, & in Proſphonetico Synodi Octauæ exempla ſunt. Septimo ex eo quod Papa à ſolo Deo poteſt iudicari. Octauo ex appellationibus à Conciliorum ſententijs ad Papam. Vnde Concil. Lateranenſe Quintum, & vltimum ſub Leone X. ſeſs. 11. definiuit apertè & euidenter Papam Superiorem eſſe Concilio, & reprobauit Decretum Baſileenſis Concilij contrarium ſtatuentis. Affero verba. *Solum Romanum Pontificem, tamquam ſuper omnia Concilia authoritatem habentem conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius, & poteſtatem habere, ne dum ex Sacræ Scripturæ teſtimonio dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſed propria eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat*. Scio hæc apud Oxonienſes, & Cantabrigienſes parum momenti habitura, quòd hiſce Concilijs non credant, nec Eccleſiæ ita docenti. Sed ſi ea tantum adducenda eſſent, quę ij cre-

Quã ſit verũ Papam eſſe ſupra Concilium.

Concil. Florent.

Concil. Arim.

Papam eſſe ſupra Concilium breuiter oſtenditur.

Concil. Later.

Papę sũma in Eccleſia & ſupra Concilij poteſtas.

credunt, ab omni eſſet argumenro abſtinendum: nam ne Scripturis quidem credunt, niſi apud ſe formatis, & detortis. Itaque ſuo tantùm iudicio fidunt, & phantaſmati ſuo, quod olim iam dixit Tertullianus, ſeruiunt. Quid his hominibus faciemus, qui laruis litarunt, ac ijs fidem habere maluerunt? Cuſano Cardinali latè, ac perſpicuè in materia de Concilijs reſpondemus.

Punguntur hæretici.

Secundum argumentum duas partes habet. Prima negat Papæ indirectam ſupra ſeculares Reges, & abſolutos, quod aiunt, Principes poteſtatem. Secunda affirmat eum eſſe ſeculari poteſtati ſubiectum. Vtrique occurrendum. Primæ ſic. Non eſt apta illa aſſumptio, nec huius loci. Non eſt apta, quia non eſt neceſſaria, vt Poteſtas Pontificia ſit vniuerſalis, illa extenſio ſupra Reges, vti Reges ſunt, ſed ſatis eſt vt ſit ſupra Reges, vti Chriſtiani ſunt, qua certè ratione oues ſunt, & Paſtori Chriſti Vicario ſubiecti: vtcumque illa quæſtio ſe habeat, à qua nunc abſtinemus. Propter ſecundam rationem, quia non eſt huius loci: nec nunc examinamus, an habeat omnes modos vniuerſalis poteſtatis, ſed an ſuo proprie modo, ideſt ſpirituali, vniuerſalem Eccleſiam regat. Patet itaque ex dictis omnes Fideles eſſe ſubiectos Papę tamquam capiti, & Paſtori ſaltem quoad directionem, & correctionem ſpiritualem. Itaque prima pars rem non continet. Quid nos in ea ſenſerimus in alijs operibus noſtris ſignificauimus. Quod attinet ſecundam: reſpondemus negando Papam ſubiectum, aut vnquam fuiſſe, aut eſſe poſſe vlli ſeculari poteſtati, nec vllo iure Principes ſeculares licuiſſe licere vè Pontifici imperare. Dico iure, quia de vi non dubitamus eam ſæpè allatam Pontificibus, ſed ea vis contra ius eſt, nec quicquam probat, immò contrà facit. Et quoniam de hac materia latè, & accuratè in noſtro opere contra Caronum, & Valſium, duas nunc Eccleſiaſticæ Reipub. peſtes, diſputauimus, & omnes, quos adducunt, locos, & ex Goldaſto deſumpſerunt, examinauimus, & refutauimus, eò Lectores remittimus. Tantum ſoluemus ea, quæ ex Diuo Gregorio afferuntur teſtimonia, quòd ſpeciem habent ſubiectionis: & à nonnullis noſtrorum authorum minus rectè ſolui, ac exponi videntur.

Reges ſunt oues & ſubditi Papæ.

Tractatus authoris contra Caronum, & Valſium.

Equidem attentiſſimè legens vitas, & geſta Pontificum antè, & poſt Gregorium, nullum inuenio indole molliori, &

inge-

ingenio teneriori fuiſſe: nemo eo dolentius vbi aſſligitur; nemo triſtius, vbi patitur; nemo demiſſius, vbi premitur, agit: acceſſit ad hanc mollitudinem ingenij, ſingularis ſui deſpicientia, & ſtudium eius virtutis, quę humilitas Chriſtiana dicitur, ac in eo ſumma, & propè incredibilis fuit, & in omnibus eius ſpirat operibus. Hæc impulerat in ſolitudinem ſecedere, vitam monaſticam amplecti, eadem poſtea delatum ſibi Pontificatum repudiare, diſſuadere Mauritio ſolitam id temporis confirmationem, latebras ne vi adigeretur quærere, & ſuam pro eo loco indignitatem exaggerare: vt apparet ex Epiſt. 4. 5. & 24. & 25. lib. 1. & alijs; vt mirum ſit tot tantiſque dotibus præditum virum tam ſe abijcere, tantùm cedere, tam demiſsè, & interdum timidè agere. Erat præterea natura, & habitu infirmus, æger, morbis obnoxius, corpori malè affecto mens anxia malè imperabat. Incidit ille in calamitoſiſſima tempora: premebatur malis domeſticis: vrgebatur externis bellis. Gotthi, & Longobardi Italiam vaſtabant, Eccleſias excindebant: fames inſuper, & peſtis extrema Reipubl. mala graſſabantur. Eòque miſeriarum deuenit, vt obſeſſus à Longobardis, quòd aliter liberare vrbem non poterat, pecunia redemerit, & Allienſis infelicitatis (notum id eſt ad Alliam prælium) memoriam renouarit. Legantur Epiſtolæ 35. lib. 8. Epiſt. 129. lib. 7. & 131. ibi, & Epiſt. 31. lib. 4. Epiſt. 34. lib. 4. Neſcio an pace impetrata, quàm obſidione ſoluta miſerior. Hæc enim eum, cum Agilulfo pacta deſpicabilem, & contemptibilem Exarcho, & Imperatori reddidit. Hæc, quæ ille ſolet ſæpè in ſuis ſcriptis deplorare, Sanctiſſimi viri animum ita fregerunt, vt ad mouendam miſericordiam ſe nimis abijceret. Itaque fecit in Gregorio neceſſitas, & modeſtia, quod vis in alio effeciſſet: nam quaſi oblitus dignitatis ſupplicis habitum ſumit, ſeque demittit, & Mauritio Imperatori obnoxium reddit ad opem ab eo facilius impetrandam. Hinc illæ voces Dominorum Epiſt. 2. lib. 8. Epiſt. 31. & 32. lib. 4. meorum ad Imperatores, iuſſionum ad eorum Epiſtolas, hinc illæ ſerui, & famuli apud eoſdem: quæ ex eo item fonte oriuntur, quem ille aperuit Epiſt. 30. lib. 6. indict. 15. vbi ſic. *Nam peccator ego, qui authore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non ſum*. Quippe qui occupabat ſtudia omnia, & officia Chriſtianæ humilitatis. Et Epiſt. 30. lib. 7. ad Eulogium Epiſcopum

Gregorij Magni modeſtia, & demiſſio.

Magni Gregorij cur tanta demiſſio.

Gre.M.

copum Alexandrinum. *Veſtra*, inquit, *Beatitudo mihi loquitur dicens: Sicut iuſsiſtis, quod verbum iuſsionis peto à meo auditu remouere, quia ſcio, quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, moribus Patres. Non ego iuſſi.* Et poſtea quæritur, quòd vniuerſale ſibi Papæ nomen tribuerit, & cõcludit.

Mira exempla demiſſionis Gregorij Magni.

Idem. *Peto vt in Sanctis orationibus veſtris mei memores eſſe dignemini quatenus à peccatorum meorum nexibus, quia meis meritis non valeo, veſtris interceſſionibus me Dominus abſoluat.* Ab hoc ſtudio humilitatis eſt, quòd ad eundem Eulogium in Epiſt. 37. de tribus Apoſtolicis Sedibus ſic ſcribat, vt oblatam, & recognitam ab eo Primatus prærogatiuam nolit accipere, & communem illam cum eo & Antiocheno Epiſcopo faciat: illud delibo. *Cum ergo vnius atque vna ſit Sedes, cui ex authoritate Diuina tres nunc Epiſcopi præſident, quicquid ego de vobis boni audio hoc mihi imputo.* Et addit. *In illo vnum ſumus, qui ait. Vt omnes vnum ſint, ſicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Vnde illa quæſo procedunt? *Cum me ſpecialis honor nullo modo delectet, valdè tamen lætatus ſum, quia vos ſanctiſſimi, quod mihi impendiſtis, vobis metipſis dediſtis.* Adijcit. *Itaque cum multi ſint Apoſtoli, quo ipſo tamen Principatu ſola Apoſtolorum Principis Sedes in authoritate conualuit, quę in tribus locis vnius eſt.* Eiuſdem ſtudij ſunt quæ ſcribit lib. 6. Epiſt. 27. ad Cyriacum Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Epiſt. 26. ad Anaſtaſ. Antiochenum. Eminet autem hæc demiſſio animi in Epiſtolis, quas ad Mauritium Imperatorem, & Ioannem Conſtantinopolitanum ſuper nomine Oecumenici vſurpato ſcribit, de quo inferius ſuo loco agemus. Nunc alia exempla colligimus. Quorum vnum eſt in Epiſt. 37. lib. 8. vbi doctrinæ ſuæ tantum detrahit, quantum ex comparatione illa apparet. Sic enim expetenti libros in Iob Innocentio Africæ Præfecto. *Si delicioſo*, inquit, *cupitis pabulo ſaginari B. Auguſtini Patriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum ſurfurem non quæratis.* Non miror quòd tam commendet Auguſtini: ſed quod tam ſuam deterat doctrinam, vt furfurem vocet, id miror. An non hoc humilitatis eſt? & quidem eximiæ. Sed illud certè ſummę quod ait Epiſt. 32. ad Mauritium Auguſtum. *Ego cunctorum Sacerdotum ſeruus ſum.* Illud extremæ in Epiſtol. 31. vbi ſe Fatuum, & ſinit appellari, & fatetur *fuiſſe*. Sed quò referam illud aliud quod ibidem negat? ignoro. Excedit quippe om-

Alia eiuſdem documenta.

Idem.

Auguſtinum quam exaggeratè laudat Gregorius.

omnem modum ſeſe deprimendi. Sic igitur. *Sed etſi ego Sacerdos non ſum, ſcio grauem eſſe iniuriam Sacerdoti*. Qui hæc ſtudio humilitatis dicat, mirum non eſt eum Famulum ſe ac ſeruum Imperatoris dicere, ac eum ſuum Dominum appellare. Quemadmodum igitur non eſt credendum Gregorio hæc de ſe ex ſtudio deſpicientiæ, & amore humilitatis dicenti, ita nec illi habenda fides, quando, vel ex deſiderio Eccleſiam tuendi, vel ex nimia anxietate malorum impendentium, vel ex dolore præſentium loquebatur. Multum tribuit afflictus, & abiectus ei, à quo vult recreari, & ſubleuari. Nam ſi adulatores nimium ſolent Principibus Dominiſque deferre ſtudio ambitionis, & gratiæ, etiam dolentes, & ſupplices, nimium ijs à quibus opem, & ſubſidium expectant, ſolent tribuere. Affectui dandum id eſt, non veritati, nec vtriſque credendum. Exaggerationes ſunt iſtæ Gregorij: quemadmodum & illę humiliantis ſe, & negantis Sacerdotem ſe eſſe; quomodo igitur Gregorio iſtud neganti non eſt habenda fides, ita nec illud affirmanti nimirum ſeruum ſe & famulum Imperatoris eſſe credi oportet. Vnde ad illas duas authoritates de dominio Mauritij ſuper Sacerdotes patet reſponſio. Gregorium nimium ei deferre ex deſiderio obtinendi, ne vellet legem illam impiam, quæ Iuliani primum fuerat, vetantem ne quis miles profiteri religionem poſſet, ſuſtinere, ne ve permitteret Ioannem Conſtantinopolitanum Vniuerſalis nomine appellari. Sin credamus Gregorium Patriarchis Alexandrinis, & Antiochenis Superiorem non eſſe: quòd tam ſe demittit, vt ſibi omnino eos, quod proximè diximus, pares faciat, & ob illam confeſſionem affirmet eoſdem Romano Pontifici non eſſe ceſſuros. Itaque hęc eſt vera ſolutio horum locorum ad neceſſitatem, & humilitatem referenda.

Quantum ſe demittat Gregorius.

Optima ſolutio ex virtute humilitatis Gregorij.

Alia item & quidem idonea adhiberi poteſt. Gregorium accommodaſſe ſe ad illa tempora, & mores Mauritij, qui ita imperabat, vt multa ſibi arrogaret, quæ non licebant per ius: ea tamen permittebat Deus, & Eccleſia vtcumque ferebat: cui formæ gubernandi Gregorius ſe conformabat, quemadmodum tot annis Pontifices Romani tolerarunt confirmari ab Imperatoribus, & pro confirmatione pecunias mittere, quemadmodum alias contra Caronum, & Valſium obſeruauimus. Illudque argumentum diluimus. Et hoc ſenſu

Soluitur ſecundò argumentum ſumptum ex authoritate.

ſu poteſt ſuſtineri dictum Baronij probatum Binio. *Sacerdotes ita ſubiectos eſſe Mauritio ſicut Diocletiano, & Neroni.*
Agapet. Quo ſenſu dixit Agapetus Papa ad Iuſtinianum Imperatorem: *Ego peccator ad Iuſtinianum Imperatorem Chriſtianiſſimum venire deſideraui, nunc autem Diocletianum inueni.* Nec alio locutus Vigilius ad eundem Iuſtinianum, & Theodoram Auguſtoſ. *Vt video non me fecerunt venire ad ſe Iuſtinianus, & Theodora, ſed hodie ſcio quòd Diocletianum, & Eleutheriam inueni.* Quanquam hi duo expoſtulando, & exprobrando, ſanctè tamen dixerint. Gregorius vero cedendo ſeque demittendo modeſtiſſimè pronuntiarit. An autem detraheret quicquam maieſtati Pontificiæ, tunc ille non cogitabat, qui tantùm de remedio afflictæ Italiæ afferendo, de ſuperbia Conſtantinopolitani Patriarchę conterenda, ac lege iniqua reuocanda cogitabat. Nec tamen ille tam ſe demiſit, vt abijceret. Sed obiecit ſeſe, & oppoſuit Mauritio au ilium feſſis Italiæ rebus neganti, & titulum illum ſuperbum Vniuerſalis Patriarchæ toleranti, ac imprimis legem impiam contra ſtatus Religioſi ordinis ferenti. Nam eam ipſe antiquare conatus eſt, obijciens Iuliani Imperatoris nefarij inuentum fuiſſe, & magna ex parte abrogauit. Immò & multa alia documenta libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ præbuit, quæ nos eo aduerſus duos illos Hiberniæ turbines Caronum, & Valſium tractatu adduximus, & ponderauimus.

Vigil. | Exempla aſferuntur. | Gregor.

Tertio de iure appellandi; ſæpè reſpondimus, ac in opere quod dictauimus de Concilijs hoc argumentum de cauſa Apiarij tractamus: & qua ratione illa controuerſia componatur exponimus. Nunc breuiter, ac pro re pauca, ſed apta dicimus. Primum aſſerimus, Ius appellandi ad Summum Pontificem diuinitus cum poteſtate Clauium ei collatum: quippe quòd vna & magna pars eſt muneris Paſtoralis: quemadmodum ſcribit Athanaſius, & Epiſcopi Thebaidis, & Libyæ ad Felicem II. & Theodoretus Epiſtola ad Leonem Papam, & Renatum Presbyterum, & ab initio Eccleſiæ ductus mos, tot documentis Canonicarum Epiſtolarum, tot exemplis Epiſcoporum ad Sedem Romanam appellantium confirmatus demonſtrat: quemadmodum ex Superioribus capitulis apparet. Nec obſtat illa dubitatio Africanorum Patrum, & inquiſitio Canonis Niceni, quaſi eo iure appellatio ad Romanum Pontificem nixa eſſet. Nam controuerſia

Tertium argumentum ſoluitur. | Apiar. | Athan. | Theod. | *Quæ controuerſia Patrū Africanorum cum Romano Pontifice de appellatione fuerit.*

non erat de appellatione iuſta & idonea, ſed doloſa, & fraudulenta, cuiuſmodi erat illa Apiarij, & Celeſtij, ac minus congruo modo & ſuſcepta, & acta, nempe miſſis Roma Legatis à latere, & cum pompa, & ſatellitio, & manu, quod aiunt, armata. Id quippè alienũ à Paterna charitate, & Paſtoritia clementia videbatur. Non quòd Africani Patres appellationis Romam vſum tollerent, aut improbarent, nec quòd ad id Niceni, alteriuſue Concilij authoritatem requirerent. Sed quod illa libera, & inſolens ratio appellandi pro cuiuſque arbitratu ſuſcepta ab appellantibus, & ille modus exequendi per Legatos, & Miniſtros nouos, & inexpertos, armis munitos, & vi potius quam iure agentes ijs diſpliceret. Cæterum nulla fortaſſe Eccleſia ſæpius ad Romanam Eccleſiam appellaſſe videtur, quàm Africana, immò quod frequens erat vſus appellandi, indè abuſus exortus eſt; Vno vel altero exemplo aduerſarios refello: & quidem eorum, quos illi maximè nobis obijciunt Cypriani, & Auguſtini.

Patres non dubitarunt de appellatione, ſed de modo appellandi.

Primum Cyprianus, quem nobis ſolent opponere, detulit ad Clerum Romanum tempore interregni, mortuo Fabiano Eccleſiæ clauo allidentem cauſas lapſorum, eumque de geſtis à ſe edocet; & probari ea eidem gaudet. Conſtat ex Epiſtolis quæ habentur poſt vitam Fabiani Papæ I. tomo Concil. ac inter alia ſic Epiſt. 4. *Et dilectio communis, & ratio expoſcit, Fratres cariſſimi, nihil conſcientiæ veſtræ ſubtrahere de his, quæ apud nos geruntur, &c.* Et manifeſtius apparet in Epiſt. 3. vbi exponit Clero cauſam Luciani. Illuſtrius exemplum eſt in Epiſtola eiuſdem & Synodi Africanæ ad Cornelium: narrans quippè quomodo ſe geſſerit illa Eccleſia cum lapſis poenitentibus ſic ſcribit. *Quod credimus*, inquit, *vobis quoque paternæ miſericordiæ contemplatione placiturum*. Quid hoc quæſo eſt, niſi velle ſui rationem Cornelio reddere, ac idem velle placere? Nam cur hoc alijs non communicant, cur ad alias Eccleſias non ſcribunt? Cur ad ſolam Romanam recurrunt. Certè ibi erat caput, & fons, & faſtigium poteſtatis.

Cypr.

Ius appellandi probatur ex Cypriano.

Synod. Afric.

Cauſa Luciani.

Iam vero quod obijciunt ex Epiſtola ad Cornelium de Fortunato, ac Feliciſſimo, de quibus queritur Romam prouocaſſe, eòque poſt latam ab Africana Synodo ſententiam cauſam detuliſſe, ac ijs verbis vtitur, quæ videntur æquare iura Cathedrarum, ſi rectè expendatur, nihil concludit: nam in tota illa Cypriani Epiſtola nunquam negatur illud ius appel-

pellandi ad Pontificem Romanum, ſed tantùm improbatur modus & cauſa appellationis, non enim decebat conuictos, & damnatos Hæreſeos, & Schiſmatis, & atrociſſimorum ſcelerum à Concilio Romam prouocare, accuſando iudicium & criminando ſententiam, & defendendo crimina iam damnata, quæ res ſanè nec erat pia, nec iuſta, ac proinde minimè licebat. Hanc eſſe mentem Cypriani lecta attentè Epiſtola docebit. Delibo illa verba, me authore, capitalia. *Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudo Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto nauigare audent, & ad Petri Cathedram, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à Schiſmaticis, & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum Fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Et clarius: *Quæ autem cauſa veniendi, & Pſeudo Epiſcoporum contra Epiſcopos factum nunciandi?* Cauſam & modum improbat Cyprianus, non rem, nec ius prouocandi. Nihil autem detraxit Sedi Romanæ hac ratione dicendi Cyprianus: qui abuſum vitabat, & occaſiones calumniandi iudices, & infamandi iudicia præcidebat. Hac enim data porta, omnibus pateret aditus ad veniendum Romam, & Africanam Eccleſiam contemnendum.

Reſpondetur argumēto ex cauſa Feliciſſimi, & Fortunati deſumpto.

Cypr.

Cyprianus cō firmat ius appellandi.

Atque vt omnem ſuſpicionem diluam, vtar exemplis Catholicorum. Sunt quædam Tribunalia, & Religiones in Romana, ideſt Catholica Eccleſia, quæ non permittunt cauſas quas cognouerunt, & iudicarunt Romam deferri, & acriter ſe opponunt reis, & damnatis ad ſummum Pontificem appellare volentibus, immò ſi quis ad eum prouocare velit comprehendunt, & detinent, ne Romam veniant, nec miniſtros Apoſtolicos, qui in Prouincijs, vbi degunt, & Nunciorum, & Collectorum perſonam ſuſtinent, conueniant, propterea, quod nolint, vt ſua iudicia examinentur, & ſententiæ quas iuſtas eſſe exiſtimant, reſcindantur. Et tamen ſunt boni Catholici tum illorum Tribunalium iudices, tum Religionum Superiores: Qui ſi interrogentur, an fateantur ius appellandi ad Papam? plane aiunt, & ſolum negant expedire iudicatis iam & deciſis apud ſe ſummo iure, vti credunt, controuerſijs, & latis ſuper ijs ſententijs ad Romanum Pontificem appellare: adduntque ſe huiuſmodi appellationibus opponere, ne anſam præbeant alijs vitandi iudicia, & contemnendi ſuperiores, & authoritatem eorum infringendi.

Exemplis doctrina probatur.

Idque permitti, aut concedi ſibi ab eodem Romano Pontifice affirmant, à quo certè toleratur. Quod ſi hoc noſtris temporibus vſuuenit, nec ob id creditur detrahi quicquam Papę, cum tamen minus fortaſſe ſint, quam illę temporum Cypriani graues, & periculoſæ cauſæ, cur quæſo illa Cypriani querela, & prohibitio, iniuſta, & iniqua, & Romanæ Sedi contraria exiſtimetur? Fecit in cauſis grauioribus initio Eccleſiæ Cyprianus, quod nonnulli ex noſtris Catholicis ea iam adulta, & propagata ſine vlla ſuſpicione contemptus efficiunt.

Venio ad Auguſtinum, & Patres Concilij Carthaginienſis VI. Non poterant ij negare, nec vnquam negarunt licitum eſſe appellare ad Pontificem Romanum, ſed modum illum mittendi Legatos à latere more militari non probabant: ac de hoc ſolum querebantur; & ne fieret vrgebant. Patet in cauſa Antonij Fuſſalenſis Epiſcopi apud Auguſtinũ Ep. 262. Impreſſionis Pariſienſis. Summam facio. Fuſſalæ oppido Hipponenſis Diæceſeos præficiendum curauerat Auguſtinus Epiſcopum Antonium. Ordinatus deflexit à virtute ad vitia, ſcelera atrocia commiſit, irritauit his populum: inſpecta cauſa depoſitus, & in ordinem redactus à Patribus Numidiæ; queſtus eſt apud Bonifacium Papam per litteras. Hic cognita cauſa ſcripſit, vt ſi vera referret reſtitueretur. Quòd narrauit falſa, manſit priuatus. Reſcripſit Celeſtino, & ſparſit in vulgus ab eo ſe per vim reſtituendum, eamque parari. Satellites & viatores, & apparitores ad cogendum armis populum Fuſſalenſem ſi minus vellet parere. Hac fama excitus Auguſtinus ſcripſit ad Celeſtinum egregiam Epiſtolam, dignam, quę tota huc transferretur. Adductis quippe exemplis aliorum, qui Romam prouocarant, & ſine tumultu depoſiti fuerant, ac ſine cunctatione obedierant, nimirum Priſci Cæſarienſis Primatis, & Victoris, & Laurentij Prouincię Cæſarienſis Epiſcoporum: hortatur Celeſtinum, ne velit credere Antonio Fuſſalenſi, qui nullo iure querebatur de pęna ſibi inflicta, & omnino fatetur in Romano Pontifice ineſſe illud ius appellandi, quod tota ſerie Epiſtolę confirmat. Illud tantum deprecatur, quod minabatur, & vim continebat. Liquet ex hac particula Epiſtolæ propè finem. *Accipe nunc*, inquit, ad Celeſtinum, *quæ poſt eius Sanctæ memoriæ viri* (Bonifacij Papę) *litteras geſta ſunt, & ſubueni hominibus*

[Margin notes: Patres Afric. — *Fuſſalenſis Epiſcopi cauſa.* — Auguſt. — *Auguſtinus firmat ius appellandi ad Sedem Apoſtolicam.*]

nibus opem tuam in Chriſti miſericordia multo auidiùs, quàm ille poſcentibus. Viden? vt ſe ſuoſque Auguſtinus Papa ſubijciat. *A cuius inquietudine deſiderant liberari. Iudicia quippe illis, & publicas poteſtates, & militares impetus tanquam executuros Apoſtolicæ Sedis ſententiam ſiue ipſe, ſiue rumores creberrimi communantur, vt miſeri homines Chriſtiani Catholici grauiora formident à Catholico Epiſcopo, quam cum eſſent hæretici à Catholicorum Imperatorum legibus formidare. Non ſinas iſta fieri obſecro te per* Idem. *Chriſti ſanguinem per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum Præpoſitos populorum monuit ne violenter dominentur inter fratres*. Non ſunt iſta paris ad parem, ſed minoris ad maiorem, ſubditi ad ſuperiorem. Aut ego Latina non intelligo. Dicant vel Heterodoxi, quid hæc verba ſignificent. Subiungo alia. *Ego Fuſſalenſes*, inquit, *Catholicos filios in Chriſto meos, & Antonium Epiſcopum filium ita Chriſto meum benignitati charitatis ſanctitatis tuæ, quia vtroſque diligo, vtroſque commendo.* Subiectio Auguſtini ad ſedem Apoſtolicam.

Rem certè continet hic locus. Patrem ſe dicit Auguſtinus: planè Filiorum. Quid ergo illos alteri commendat viuus & præſens? An non poterat illos paſcere, & regere Paſtor & Pater? Sanè is erat, ſed erat alius qui Patrum Pater, & Paſtor erat, ideſt, Papa Romanus. Huic ergo minor Pater ſuos Filios commendabat. Immò & in fine Epiſtolæ ſemetipſum ei commendat, ijs verbis, quæ me certè mouent ad pietatem cum lego, & in admirationem obſeruantiæ Auguſtini adducunt, viri certè doctrina, & virtute incomparabilis. Sic nempè ille. *Si membra Chriſti, quæ in illa regione ſunt ab execrabili timore, ac triſtitia recreaueris, & meam ſenectutem hac miſericordiæ iuſtitia fueris conſolatus, retribuet tibi in præſenti, & in futura vita, qui per te nobis in iſta tribulatione ſuccurrit, & qui te in illa Sede conſtituit*. Pudeat Heterodoxos calumniæ, Conuincuntur Heterodoxi. quam Auguſtino affingunt aſſerentes eum à Sede Apoſtolica, & communione Catholica cum alijs Africanis Patribus diſceſſiſſe, cum eo nemo arctiùs, & firmiùs adhæſerit.

Non potuit ergo Auguſtinus in eo Concilio negare, aut in dubitationem reuocare ius ad Pontificem appellandi cuius fuit aſſertor, & vindex, non hac ſolum in cauſa Antonij, ſed in alia quoque Primi Diaconi Spanienſis Eccleſię de qua in Idem. Epiſt. 169. ad Euſebium: ita ſcribit. *Si malè*, inquit, *facio per tuam beneuolentiam iſta corrigenda curare de me nullus queratur ſi hæc illi perferri in notitiam per codices publicos fecero, qui mihi negari,*

gari,

gari, vt arbitror in Romana ciuitate non poſſunt. Querebatur autē Proculianus, qui nolebat Priſcum perditum hominem, & à Cathol ica Eccleſia ad Circumcelliones transfugam condemnare de Auguſtino, quòd vellet communi Epiſcoporum opera eum ab Eccleſia remouere. Cumque Euſebius remiſſius ea in re ſe gereret, & minus fortaſſe Auguſtino aſſentiretur, ſcripſit ad eum Auguſtinus modeſtiſſimè, more ſuo, & monuit, ſi obtinere correctionem in Africa non poſſet, Romam pro ea impetranda miſſurum, vt iudicio Sedis Apoſtolicæ controuerſia finiretur. Quo declarauit ſe illo iure appellandi & gaudere, & vti, nec quenquam de ſe queri poſſe, quod ad Romanum Pontificem cauſas Africanorum, cum terminari rectè non poterant, tanquam ad Superiorem deferret. Nec ille tum quærebat Canonem Concilij Niceni, quo niteretur, ſed ipſo iure diuino agebat. Quare longè alius fuit ille ſtatus controuerſiæ Concilij Carthaginienſis, qui non erat de iſto iure appellandi, ſed de certo quodam modo, & forma appellandi, de quo ſine iniuria Sedis Apoſtolicę dubitari, an liceret, poterat. Vno verbo dicam. Erat cauſa priuati, & ſuſpecti hominis, iudicium vnius integri, & iuſti Concilij improbantis, & fugientis, ac petentis in Africam mitterentur Legati, cum globo armatorum more militari, quod ſanè extra ius illud Eccleſiaſticum eſſe videbatur, & quanquam interdum iuſtè fieri poſſet, dubium erat, an expediret. Hoc autem Decreto, & Canone grauiſſimi Concilij perſuadendum erat. Hæc fuit ergo cauſa controuerſię quæ nihil detrahebat Capitali veritati de iure appellandi, quod certè altius in Chriſti doctrina, & traditione Eccleſię principium habebat. Eo Auguſtinus extra illam controuerſiam nitebatur.

Aliud exemplum ex Auguſtino.

Ius appellādi ad Papam ex iure diuino.

Ad quartum de Conuocatione, & Congregatione Conciliorum tribus modis reſpondetur. Primo in conuocando, & congregando ſpectari poſſe materialem illam coniunctionem in loco ad quem vocantur Epiſcopi, & vbi congregantur; & conſultationem, & Decreta quę fiunt in eo loco à congregatis. Illud primum eſt quiddam temporale, nec repugnat fieri ab Imperatore, vel Rege, qui iudicat expedire illam congregationem: quare nihil illa conuocatio lędit Pontifices, & ſæpè legimus Reges Hiſpaniarum conuocaſſe Epiſcopos ad Concilia, quemadmodum apparet in tomis Conciliorum.

Quartum argumentum diluitur.

Et

Et idem inuenitur in Concilijs Galliarum. Immò & noſtro tempore, ſæpè vidimus Chriſtianiſſimos Galliæ Reges conuocaſſe Epiſcopos ſui Regni magna ex parte, & illis propoſuiſſe graues controuerſias, quas deciderent. Itaque hæc ratio conuocandi, & congregandi Epiſcopos nihil detrahit Pontificiæ authoritati. Non ita ſecundum, iudicij, & decreti, quod cum ſit omnino Eccleſiaſticum, & altioris ſubſellij, non ſpectat ad Principes ſeculares, qui nequeunt Epiſcopis ſuffragantibus, & ſententiam de controuerſijs Fidei ferentibus præeſſe, nec imperare. Igitur ad argumentum reſpondendum cum diſtinctione. Imperatores conuocabant, & congregabant Concilia materialiter, & in ordine ad corporalem illam aſſiſtentiam in vno loco, concedo. Congregabant Epiſcopos ſpiritualiter in ordine ad dirigenda eorum ſuffragia, & decreta, nego. Atque hæc ſit prima ſolutio iuxta primum modum. Confirmatur hæc ſolutio exemplo Vigilij, qui rogatus à Iuſtiniano venit quidem ad Concilium, ſed cum iam eſſet Conſtantinopoli tempore Concilij, noluit intereſſe Concilio, quaſi ſignificaret Aduentum, nihil officere authoritati ſuæ, officere autem præſentiam in Concilio, quia vocari, & venire, non inuoluebat quicquam ſpirituale: adeſſe autem poſtquam veniſſet, id habebat aliquid indecens, & ſuſpectum, quod videbatur derogare authoritati.

An Principes poſſint conuocare Concilium.

Vigilius Papa.

Secundus modus, & multo melior eſt, quando Imperatores, vti defenſores Eccleſiæ, vident pericula, & damna impendentia, ac ex eo mouentur ad illi ſuccurrendum exponendo Papæ, vel Epiſcopis eam neceſſitatem, & indicando eam, curant, vt veniant ad Concilium, non tanquam Superiores, ſed tanquam defenſores, & Curatores Eccleſiæ. Hac ergo ratione non eſt illicitum Imperatoribus, & Regibus, ad Synodum Epiſcopos conuocare. Ea tamen lege, vt eos nequeant cogere poteſtate aliqua coactiua. Quia tantum ſe habet per modum proponentis, & ſuadentis, non imperantis, nec cogentis. Vnde quòd multi Pontifices Conſtantinopolim venerint, vocati ab Imperatoribus licuit, quando citra vim fiebat; non licuit autem quando ijs vis afferebatur: vti patet in Syluerio, quem quia inuitum, & coactum Beliſarius extraxit Italia, & auexit in Græciam, acerbas pœnas poſtea luit. Immò id diligenter obſeruandum, nunquam Romanos Pontifices voluiſſe ire Conſtantinopolim ad Generales

Vis coerciua nulla eſt in Laico erga Eccleſiaſticos.

Syluer.

rales

rales Synodos, quamuis ab Imperatoribus eſſent per Diuales quas appellabant, litteras, vocati, vno excepto Vigilio, qui tamen noluit intereſſe Concilio, (quæ fuit Quinta Synodus) ne videretur hac in re Imperatori Iuſtiniano nimis imperitandi auido cedere. Quare iuxta hunc ſecundum modum etiam diſtinguendo procedimus. Imperator, & Rex congregare poteſt Concilium exponendo neceſſitatem illius & ſuadendo, vt fiat tanquam defenſor iuris, & Eccleſiæ: concedo: iubendo, & cogendo tanquam Superior: nego. Et in vtraque ſolutione id animaduertendum, quodcumque illud ſit, quod Imperatori, & Regibus licuit, omne id ante Concilium inchoatum, & extra Concilium eſſe, nihil autem vel in Concilio, vel intra Concilium, quo liquet nihil eſſe iuris in Epiſcopos, ſua, ideſt Eccleſiaſtica, & ſpiritualia, tractantes.

Papa inuitus numquam venit ad Concilium.

Vigil.

Tertius modus optimus, & expeditiſſimus eſt dicere Imperatores non ex ſua propria authoritate, & arbitratu, ſed ex authoritate, & conſenſu, & ſaltem permiſſione Pontificum Romanorum Concilia congregaſſe: quòd nos accuratè in tractatu de Concilijs, quem propediem edemus in lucem, multis exemplis monſtrauimus. Nonnulla producemus.

Imperatores ex authoritate Papæ Concilia conuocarunt aliquando.

Primum ſit de Niceno Concilio: cuius authorem fuiſſe Conſtantinum Heterodoxi contendunt. De hoc dicitur in Sexta Synodo Act. 18. pag. 194. in tomis Collectionis Binianæ ſic: *Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Syluester laudabilis magnam atque inſignem in Nicea Synodum congregabant.* Author vitæ Syluestri ſic ait. *Huius temporibus factum eſt Concilium cum eius conſenſu in Nicea Bithyniæ.* De Conſtantinopolitano conſtare item videtur, non fuiſſe à ſolo Theodoſio Seniore indictum. Damaſus quippe apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. *Teſtatur nullius momenti eſſe Decreta eius Synodi, cui ipſe non præbuiſſet aſſenſum.* Et Act. 18. Sextæ Synodi ſic habetur. *Macedonio, Theodoſius, & Damaſus obſtiterunt.* Quod attinet Concilium Epheſinum, & Chalcedonenſe: illud eſt inuictum pro vtroque argumentum, quòd Actione 1. contra Dioſcorum dicitur. *Synodum auſus eſt facere ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Quod verum eſſe non poſſet, ſi vel Epheſinum, quod ante Chalcedonenſe fuit, ſine authoritate Celeſtini, & ipſum quod eo nomine Dioſcorum Chalcedonenſe condemnauit, inconſulto,

Nicena Synod.

Commemorãtur exempla.

Theod.

Concil. Chalc.

Concilium Generale indicere Papæ eſt.

to, & inuito Leone congregatum fuiſſet. De ſequentibus Concilijs minus eſt ambigendum, quòd poſt hanc ſententiam Chalcedonenſis Concilij celebrata ſunt: & minus ſibi Imperatores arrogabant. Vnum ſi excipias Iuſtinianum, cui tamen Vigilius cedere noluit, quemadmodum ſuperius diximus. Quod ſi fortaſſis aliquando Papæ ſiuerunt Imperatorem conuocare ad Concilium Epiſcopos, ideò permiſerunt, quia iudicarunt illam actionem conuocandi, nihil nocere Pontificiæ poteſtati. Illud conſtat ſemper Papam fuiſſe vel authorem, vel permiſſorem conuocationis Concilij vniuerſalis, nec ſine illius Legatis vllum fuiſſe legitimum celebratum Concilium Oecumenicum, vti ea conſideranti patebit, & nos in materia de Concilijs ſcribimus.

Caluin. Et vero dictum Caluini de Præſidentia in Concilijs Imperatorum falſum eſſe, ibi monſtrauimus, diſcurrendo per omnia Concilia; nec tantus ille author eſt, vt fidem facere cuiquam vel mediocriter erudito poſſit. Homo natus ad faciendum fucum, & ſibi ſuffænum: quem hoc ſæpè nomine *Caluini impoſtura.* Mald. Maldonatus haud paulò illo acutior, & doctior taxat, & vituperat. Mentitum autem fuiſſe Caluinum cum dixit Conſtantinum in Niceno Concilio præfuiſſe, liquido conſtat, cum omnino compertum ſit Hoſium eo in Concilio præſediſſe, de quo nos accuratiſſimè. Certè vnum ex argumentis, quod Conſtantinus minimè præfuerit, illud eſt, affirmari hoc à Caluino, qui in rebus Pontificijs nunquam ſine odio, & inuidia calculum ponit. Quod ſi de Conſtantino Pogonato in *Hoſius Concilio Niceno nomine Syluestri præfuit.* Sexta Synod. Sexta Synodo dicitur. *Præſidente Conſtantino.* Id ſic accipiendum eſt, vt ille tanquam defenſor, & vindex Fidei ſeculari poteſtate vſus Patres Concilij protexerit, ijſque patrocinatus fuerit. Quantum autem in ſpiritualibus ceſſerit ex eo patet, quòd nouiſſimo loco eo in Concilio ſubſcripſit, quòd certè non faceret, ſi præſideret. Id conſtat, neque in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. Michaelem, neque in Florentino Ioannem Palæologos Imperatores Concilijs præfuiſſe.

Addo his ſolutionibus illam quæ ſit quarta, & vltima. *Imperatores nunquam Concilijs Generalibus præfuerunt.* Dato quòd aliqui Imperatores, & conuocarunt Concilia, & in ijs (quod tamen eſt falſum) præſederint, non inde ſequi iure feciſſe: nec ex eo deduci Paparũ id munus non eſſe. Multùm Imperatores poterant, & nimium ſibi arrogabant, Ec-

cleſia nondum ſatis roborata, & confirmata, quæ ſicut Aurora conſurgens paulatim creſcebat, donec ad plenam lucem, eminentemque ſtatum peruenit, & integram poteſtatem, & iuſtam maieſtatem obtinuit, qualis eſt ea quam hodie poſſidet, & ad finem vſque mundi poſſidebit. Igitur, quæ tum ab Imperatoribus fiebant, contra Pontificiam dignitatem non iure, ſed iniuria agebantur. Alioqui iure egit Iuſtinianus primus cum Vigilium relegauit, & coegit Pontifices Romanos confirmationem ab Imperatoribus deinceps petere; & Iuſtinianus ſecundus rectè ac ex æquo fecit cum in Quiniſexta Synodo ante omnes Epiſcopos ſubſcripſit. Immò & Theodorico licuit inuitis Pontificibus Flauianum Antiochenæ Eccleſiæ præficere, & eiuſdemmodi alia alijs Imperatoribus, ac Regibus licuerunt. Quæ cum ſint prorſus iniuſta, nihil vel ijs qui egerunt iuris tribuere, nec ijs qui paſſi ſunt, quicquam adimere potuerunt.

Imperatores interdum nimium ſibi in Pontifices Romanos arrogarunt.

Iuſtin.

Theod.

Quinto argumento de titulo *Vniuerſalis* accuratiſſimè reſpondere volo, quòd multum eo heretici vtuntur, & omnes illud à pluribus ſeculis tanquam reſtim trahunt. Eo vſi Vvicleffus, Lutherus, Caluinus, & Sectarij: renouauit illud Marcus Antonius de Dominis inſignis Apoſtata lib. 4. de Republic. cap. 7. num. 10. & ſeq. à quibus deſumpſit Forbeſius, & Doctores omnes Oxonij, Cantabrigiæ, & Aberdonis, & quanquam à noſtris Catholicis millies ſit, & ſatis ſolutum, vt videre eſt in Turrecremata, Caietano, Pamelio, Baronio, Bellarmino, Grethſero, Becano, Binio, ſpero tamen ſoluendo aliquod eſſe me operæ pretium allaturum.

Reſpondetur V. argum.

Luther. Caluin.

Primùm ſuppono: huiuſmodi titulo ſæpè affectos legi fuiſſe Pontifices, quemadmodum ſupra multis in locis à nobis adductis probando hanc vniuerſalitatem vidimus, non ſolum in Latinis, ſed etiam Græcis authoribus. Vnum qui ſit multorum inſtar Conſtantinum Pogonatum Imperatorem affero. Hic in Epiſt. ad Leonem. *Beatiſſimo*, inquit, *Archiepiſcopo veteris, & inclytæ Vrbis Romæ, & Oecumenico Papæ.* Quo item titulo Hormiſdam afficiunt Archimandritæ Epiſtola ad eum ſcripta.

Titulus Papæ vniuerſalis ait ſit proprius Pontificis Romani.

Conſt. Pogon.

Secundùm. Patriarchas Conſtantinopolitanos affectaſſe, & vſurpaſſe hunc titulum, vti conſtat ex Epiſtolis Pelagij, & Gregorij ad Ioannem Neſteutam, ſiue Ieiunatorem, & Gregorij ad Cyriacum Succeſſorem Neſteutæ proximè citatis.

An

An verò primus id ſit auſus Neſteuta, an aliquis alius ante ipſum ambigitur. Pelagius enim & Gregorius Magnus, ita ſcribunt, vt quenquam ante Neſteutam eum titulum vſurpaſſe videantur negare, & ita vult Baronius, & Leoni placet Allatio, qui tradi hoc fatetur. Verùm in Quinta Synodo titulus ille Oecumenici ſæpè Conſtantinopolitano Patriarchæ tribuitur, fortaſſe in gratiam Iuſtiniani; & quidem Nicolaus Alemmanus in Procopium ait: Ioannem Cappadocem Iuſtiniano in paucis charū eius nominis authorem fuiſſe, quem Epiphanius ſucceſſor imitatus eum ad poſteros titulumq; cum Patriarchatu traduxit. Illud certè conſtat Patriarchas Conſtantinopolitanos poſt Neſteutam, à quo illud cognomen Oecumenici tenaciter eſt vſurpatum, eo deinceps vſos fuiſſe: adeò vt ipſemet Ioſephus, qui Florentino Concilio Conſtantinopolitanus Patriarcha interfuit in ſubſcriptione ſententiæ ſuā poſt Concilium, Oecumenicum ſe nominarit. Immò & Beſſarion Cardinalis Patriarcha Conſtantinopolitanus in Epiſtola ad ſubiectos ſibi Fideles Oecumenici cognomen retinere maluit, quàm eo abſtinere: vt mirum ſit Theodorum Balſamonem inficiari Patriarchas Conſtantinopolitanos illud Oecumenici cognomen aſſumpſiſſe: quanquam ita ab alijs appellarentur.

Patriarcha Conſtantinopolus, quomodo eum ſibi vindicarit.

Gre.M.

Nicol. Alemm.

Beſſar.

Balſam.

His ſuppoſitis animaduertimus duos ſenſus hoc vocabulum habere poſſe. Vnum, vt vniuerſalis perinde ſit, ac inſtar omnium, traducta in ſe omnium poteſtate, quæ tota & ex integro, ac in ſolidum in vno ſit, in cæteris nulla relicta, quòd ſolus ipſe Paſtor, & Princeps ſit: cæteri nihil habeant præter obſequium, & officium ſubditorum. Alterum vt vniuerſalis ſignificet præſtantiam quandam & excellentiam eximiam ſuper alios tum oues, tum Paſtores non excludendo aliorum Paſtorum ſocietatem, ſed ea admiſſa exercendo ſuper eos altiſſimam, & ampliſſimam iuriſdictionem, quæ ſit ſupra eorumdem poteſtates, & iuriſdictiones particulares, quas ſinguli in ſuis Eccleſijs peculiariter exercent. Nihil de priuata, & immediata Paſtorum poteſtate, & iuriſdictione minuendo. In primo ſenſu Patriarcham ſe vniuerſalē Conſtantinopolitanus ille Neuſtata appellabat, quēadmodum ait Pelagius II. Papa Romanus iuxta cap. *Nullus* diſt. 29. vbi referuntur verba illius Epiſt. ad Synod. illegitimam Conſtantinopol. *Nullus*, inquit, *Patriarcharum hoc tam*

Duplex ſenſus tituli vniuerſalis Patriarchæ, vel Papæ.

prophano vocabulo vnquam vtatur, quia ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Conſenſit Gregorius Magnus lib. 4. Epiſt. 32. ad Mauritium, vbi inter alia. *Sed abſit à cordibus Chriſtianorum nomen illud blaſphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno ſibi dementer arrogatur.* Et Epiſt. 13. eiuſdem libri dixerat. *Triſte valde eſt, vt patienter feratur, quatenus deſpectis omnibus prædictus frater, & coepiſcopus meus, ſolus conetur appellari Epiſcopus.* Et Epiſt. 36. ad Eulogium. *Si vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur Patriarchę nomen cæteris derogatur.* Ecce ſenſus in quo Papa Romanus vniuerſalis dici nec vult, nec poteſt, & in eo minimè ferebat Gregorius, vt Patriarcha Conſtantinopolitanus Oecumenicum ſe ac vniuerſalem diceret.

Quo ſenſu titulus Patriarchę vniuerſalis rejiciendus. Greg. M.

Sed obijciet quiſpiam, quòd me etiam vehementer mouet, incredibile videri hoc ſenſu, tam ſuperbo, & abſurdo voluiſſe quenquam vniuerſalem appellari. Ecquis enim mentis compos ſibi perſuaſiſſet ſe ſolum eſſe Patriarcham, & Epiſcopum: cæteros nullos eſſe? Cum ordinari eos, & conſecrari videret, & ſciret ordinem Sacramentum eſſe, & omnino collatum valere? Quod ſi hoc incredibile eſt, quomodo Pelagius, & Gregorius illud attribuere auſi ſunt Patriarchis Conſtantinopolitanis, qui de eo fortaſſe non cogitarunt? Et quidem Gregorius perſpicuè attribuit. Nam litterarum ſeries id continenti filo deducit. Et præter citatos locos ille ſit ſatis Epiſt. 69. lib. 7. vbi ſic. *Nam ſi vnus, vt putat, vniuerſalis eſt, reſtat, vt vos Epiſcopi non ſitis.* Huic obiectioni quod nemimem reperi, qui hactenus reſponderit, volo occurrere, mihique ipſe ſatisfacere. Duobus modis reſpondeo.

Obiectio difficilis.

Primò Patriarchas Conſtantinopolitanos reuera exiſtimaſſe non eſſe alios Patriarchas in Oriente præter ſe ſolos, nec aut Alexandrinum, aut Antiochenum in numero Patriarcharum poſt creatum Conſtantinopolitanum habuiſſe, non quòd eos Epiſcopos eſſe negarent, ſed quòd Patriarchas eſſe nollent. Quid tum Gregorius? vt eos deterreret ab illo errore, & ſuperbia, id obijciebat, ſi ij ſoli erant Patriarchæ, ſequi omnes prorſus tolli Patriarchas, & Epiſcopos: nam qua ratione ille Patriarcha Patriarchas auferebat, & ſolus manebat Patriarcha, ea cum ille eſſet Epiſcopus vniuerſalis, cęteros Epiſcopos tollebat. Et quidem verba Gregorij id ſignificant,

Reſpondetur illi duobus modis.

Primus.

ficant, & exempla confirmant. Comparat enim Neſteutam Lucifero, & Antichriſto. Quorum ille ſimilis Altiſſimo eſſe voluit, & ambiuit diuinitatem, cæteros Angelos creaturarum inſtar habuit, quibus ipſe tanquam Deus dominaretur. Hic verò extolletur ſupra omne, quod dicitur Deus, & pro Deo haberi, & adorari volet. Igitur vt exempla conueniant, debuit ille Ioannes Conſtantinopolitanus ſimilem quandam diuinę excellentiam arrogare, vt neminem ſibi aut parem, aut ſimilem pateretur. At erat hoc non ſolum inſolentię plenum, ſed inſanię proximum. Fateor. Sed quid intereſt inter ſuperbiam, & inſaniam. Aut quid eſt ſuperbire, niſi inſanire. Hactenus de prima reſponſione.

Secunda eſto. Ioannem non negaſſe alios eſſe Patriarchas, aut Epiſcopos quoad ordinem, ſed negaſſe vllam habere iuriſdictionem, qu d totam ſibi in Oriente vindicaret: omnes pro ſubiectis habebat, & nihil, quod attinet poteſtatem, Paſtores ab ouibus diſtinguebat. Vſurpabat ergo omnem iuriſdictionem, & totam ſibi arrogabat, & hoc ſenſu ſe Patriarcham vniuerſalem dicebat. Hoc autem falſiſſimum, & iniquiſſimum erat: atque adeò minimè ferendum, cùm Epiſcopi verè ac propriè Paſtores ſint, & ordinariam in ſuis Dięceſibus poteſtatem habeant, & exerceant. Quæ ſit ſecunda reſponſio, & meo iudicio mollior, & congruentior. Qua ſtante conſtat reprehenſio Pelagij, & Gregorij: non enim poterat tantùm ſibi arrogare Patriarcha Ioannes, vt alios ſua poteſtate priuaret, quæ cum ordine ſacro ad ipſos habitu, & virtute tranſibat, & aſſignatis vnicuique ouibus in actum prodibat, ſiue immediatè à Deo, ſiue à Dei Vicario, qualis non erat Conſtantinopolitanus Patriarcha, Dei præcepto conferretur.

Secundus.

Diluitur obiectio.

Pela. P.

Vtroque igitur ſenſu retento Patriarcha Oecumenicus dici Ioannes Patriarcha, nec debuit, nec potuit: cum hoc nomen in illa, vel altitudine, vel amplitudine poteſtatis nulli homini poſſet conuenire. Animaduerto tamen Ioannem & cæteros non idcirco ſe Oecumenicos, & vniuerſales in toto orbe, ſed in Oriente dixiſſe; nam numquam ſe prætulere Romano Pontifici, cui primas ſemper dignitatis, & poteſtatis, & authoritatis dederunt, quemadmodum ſuperius tot & teſtimonijs, & exemplis eorumdem Patriarcharum oſtendimus. Satis ſit ad hanc meam animaduerſionem pro-

Patriarcha Conſtantinopolitanus nũquam ſe prætulit Romano.

bandam Taraſius, qui in Septima Synodo Papam Adrianum I. Superiorem recognouit, ſe tamen Oecumenicum, & vniuerſalem Patriarcham appellauit, & quanquam id Adriano diſplicuerit, & ad Conſtantinum, & Ireneum Imperatores ſcripſerit, vt eum ad deponendum titulum cogerent, ac eius in poſterum vſum abolerent, nihilominus eo minus eſt, quàm Pelagius & Gregorius offenſus, quod modeſtius ſe gerebat, & videbat, nihil ſibi ab eo derogari. Nec eo ſanè, me authore, Beſſarion vteretur, ſi eo quicquam Romani Pontificis dignitati, & authoritati detrahi exiſtimaret. Itaque pro Orientali tantum Imperio Oecumenicus, & vniuerſalis titulus ſumebatur. Perinde ac Oriens ſuum quendam Orbem efficeret: nec admodum quidem impropriè, cum de Alexandro dici ſoleat totum Orbem ſubegiſſe, cum vnam tantùm partem ſubegerit; & Romanos totius Orbis Dominos fuiſſe, cuius magnam partem minimè occuparunt. Addo tantùm ſuo Græcos Orienti tribuiſſe, vt ſi minus eo vniuerſum Orbem includi putarent, eum certè reliquo Orbi anteferrent.

Septima Synod.

Probatur idoneis exēplis.

Nunc ad argumentum Heterodoxorum. Papæ in hoc primo quem expreſſerunt, & impugnarunt ſenſu, Oecumenici, & vniuerſalis titulum refutant, & abominantur, non enim ſoli, excluſis alijs, Paſtores ſunt. Alios & agnoſcunt eiuſdem Ordinis Sacri compotes, & ſocios, immò & Sacramento pares, quos ipſi Fratres, & Coepiſcopos toties in ſuis Epiſtolis Decretalibus appellant, ſeque ab ijs appellari patiuntur, immò & gaudent. Quare longè ſunt ab eo crimine alieni, & prorſus liberi ab hæretica impoſtura.

Romanus Pōtifex à calūnia vindicatur.

Igitur in ſecundo illo ſenſu, quem initio argumenti propoſuimus, Romano Pontifici conuenit, & tribuitur titulus Oecumenici, & vniuerſalis, quem negare Pelagius, & Gregorius nec voluerunt, nec potuerunt: cum illud munus vniuerſalis obierint in tota Eccleſia Catholica dirigendo illius Fideles, & monendo Epiſcopos tum Occidentis, tum Orientis, immò & ipſoſmet Patriarchas Conſtantinopolitanos, cùm ſe vniuerſales dicebant reprehendendo, & corrigendo. Nullus antiquiorum Pontificum Gregorio clariora eius iuriſdictionis edidit documenta: nullus plures Epiſtolas ſcripſit: nullus ad plures regiones, nullius tam latè patuit doctrina, & correctio. Liquet ex ſupradictis à me, & prolatis Epiſtolis

Quo ſenſu Pōtifex dici poſſit & debeat vniuerſalis.

Gregor.

ſtolis hæc veritas. Duos tantùm afferre volo ex vna Epiſtola Gregorij locos, qui hæreticos prorſus conuincant lib. 6. Epiſt. epiſtolar. 32. ſic. *Petro omnium Apoſtolorum Principi totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*. Secundus: *Cura & totius Eccleſiæ, & Principatus committitur, & tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur*. Hic locus rem continet. Admittit quippe vniuerſale munus, & nomen vniuerſalis excludit, & diſtinguit ſenſus, vnum ab alio, & in quo dici poteſt vniuerſalis tacitè munus afferendo innuit, in quo non poteſt dici vniuerſalis perſpicuè ſignificat. Ac ne quis deſideret teſtimonium Pelagij, adduco idoneum Epiſtol. ad Synod. illegitimam Conſtantinopolit. *Relatum eſt*, inquit, *ad Apoſtolicam Sedem Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum vniuerſalem ſe ſcribere, vos ex hac ſua præſumptione ad Synodum conuocare generalem, cum generalem Synodum conuocandi authoritas Apoſtolicæ Beati Petri Sedi ſingulari priuilegio ſit tradita; & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica authoritate non fuerit fulta*. Ecce Pontifex Romanus Pelagius cum maximè negat titulum vniuerſalis cuiquam congruere, poteſtatem, ſibi vniuerſalis congregandi Concilij tribuit, quòd certè eſt argumentum iuriſdictionis vniuerſalis. Poſtea ſubiungit; *Sciat Ioannes niſi errorem ſuum correxerit à nobis excommunicandum fore*. A quo excommunicandus erat Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ſe vniuerſalem ferebat, vniuerſalem is poteſtatem habere videbatur. Poterat igitur vniuerſalem ſe eo, & quidem ſano & vero ſenſu dicere: ſed maluit abſtinere, ne, quòd alius item erat eiuſdem tituli ſenſus abſurdus, & inſolens, eo abuti videretur. Scopus horum Pontificum fuit, modeſtè ſe gerere abſtinendo iuſto, & idoneo titulo, vt Ioannem Patriarcham iniuſtum, & abſurdum vſurpantem ab incæpto deterrerent. Sumpſerunt in deteriorem partem titulum ne eo vti liceret, quò Ioannes à nuncupatione deſiſteret, & carere voluerunt ſuo, ne ille occuparet alienum.

Idem. — *Pelag.* — *Conſenſit Pelagius II.* — *Conuocare Synodum vniuerſalem ſolius eſt Pontificis Romani.* — *Modeſtia Romanam Pontifices.*

Prudenter itaque Authores noſtri diſtinxerunt inter Paſtorem *vniuerſalem*, & Paſtorem *vniuerſalis Eccleſiæ*, vt ſignificarent *vniuerſalis* non cadere ſuper Perſonam, ita vt ea ſola eſſet vniuerſalis, excluſis alijs Paſtoribus, qui erat ſenſus deteſtabilis, & impius, quem ſibi arrogarant duo illi Conſtantinopolitani Patriarchæ Ioannes, & Cyriacus. Sed cadere

Patriarcha Eccleſiæ vniuerſalis eſt, & dici debet Papa.

ſuper

ſuper Eccleſiam, quam ille totam, & vniuerſam regebat conſtantem ſuis Paſtoribus, & Epiſcopis particularibus priuatam, & propriam iuriſdictionem in ea, & habentibus, & exercentibus, quam minimè Pontifex Romanus auferret, ſed intactam integramque relinqueret, tantum ſuper eam ſuam extenderet, dirigendo eos, & continendo eos in officio, etſi qua in re deuiarent emendando, & corrigendo citra inſolentiam, & inuidiam, ad ædificationem, non ad deſtructionem. Non eſt tamen inficiandum ſæpè Romanos Pontifices dici *vniuerſalis* Paſtores attributo Perſonis vocabulo, idque licere: cum ſanum, & rectum ille titulus habeat, & habuerit ſenſum: quòd ſi eo Pelagius, & Gregorius, vti noluerunt, eumque improbarunt, cauſa fuit, quia corruptus fuerat ſenſus à Ioanne, ac Cyriaco, ac proinde titulus infamatus, & inſolentia plenus, quo tum, dum flagrabat inuidia, iure abſtinendum. Qua ratione conſtat argumenti ſolutio.

Pontifex Roman. rectè dici poteſt vniuerſalis.

Sextum & vltimum argumentum facilè diluitur. Oritur enim ex prauo affectu, & odio in Papam: quem Tyrannum appellant. Primum dico: ſi Papa Tyrannus, dulcis profectò eſt Tyrannus, cui tot Catholici libenter obediunt, ac in ijs maximi, & potentiſſimi, cùm Imperatores, tum Reges, qui eum vehementer & amant, & colunt. Ecquis vnquam Tyrannus ſubditos obnoxios, & obedientes habuit? Non eſt Tyrannus ille, quem ciues diligunt, venerantur, tuentur, pro quo vitam, & ſanguinem parati ſunt fundere. Somniant Hæretici cum hæc dicunt. Pueri, virgines, iuuenes, ſenes, ordines omnes dicto Pontifici audientes ſunt, nemo quæritur, nemo ſuccenſet, nemo repugnat, nemo rebellat, immò & ſubditos ei quærunt, & totum ei orbem ſubijcere conantur; & tamen Tyrannus eſt. O beatam tyrannidem omni Regno, & Imperio molliorem! Id vero mirabile eſt, qui ei non parent, ſeque ab illius Imperio ſeiunxerunt, ac extra ditionem ſunt poſiti, eos Papam Tyrannum dicere, nos qui ei paremus, & leges eius ſeruamus, & in illius poteſtate ſumus iuſtum, & mitiſſimum Dominum experiri, & nullum Tyrannidis motum ſentire. Quòd iugum ille imponit, niſi Chriſti? Quæ vincula inijcit, niſi charitatis? Quas leges præſcribit niſi Euangelicas? An hæc ſunt argumenta Tyrannidis? Si ea ſunt, pluris ea facimus, quàm delicias, quàm opes, quàm voluptates. Has nos, ſi catenæ ſunt, adoramus, & om-

Papa vindicatur ab impoſtura Hæreticorum.

Pontificis Romani dulce imperium.

& omni libertate ſuauiores reputamus. *At ſtulti*, inquiunt, *ſumus*. Immò ſimplices ſicut columbæ, & prudentes, ſicut ſerpentes. Quòd ſi ſtulti, *propter Chriſtum ſtulti ſumus*. Hanc ſtultitiam eorum ſapientiæ anteponimus. Veniant, oro; nobis aggregentur, ſubijciantur aliquandiu Romano Pontifici, experientur vtri ſimus felices, nos, an ij? Immò tunc felices omnes erimus, cum Pontifici Romano ſubiecti erimus? Venire tamen nolunt; nimirum non eos trahit ad Filium Pater. Heu: Doleo: Orent vt trahantur, & nos oramus, vt veniant. Inexperti loquuntur. Credant expertis. Cordati ſumus, compotes mentis ſumus, & ſtudioſi noſtræ ſalutis. Hic eſt via, veritas, & vita. Paſtor hic eſt ouili Chriſti præpoſitus. Apage hinc iſtum tyrannum. Pontifex eſt Vicarius Chriſti, eſt Petri ſucceſſor, eſt Papa, velint, nolint, Romanus. Quòd ſi hic Tyrannus eſt, quomodo tam diuturnum Imperium habuit? *Violenta nemo Imperia continuit diu*. Diu eſt, quòd Papa in Eccleſia exercet hanc, quam fingunt tyrannidem. Nam inde ab ineunte Eccleſia Papæ fuerunt. Nec fuit interrupta ſucceſſio, immò ex ea Auguſtinus ſpectauit Eccleſiam, vt in qua ſucceſſio Epiſcoporum eſſet, ea Eccleſia eſſet: quam nos alias exhibuimus intextam primùm à Tertulliano, deinde ab Optato Mileuitano, poſtremùm ab Auguſtino. An non pudet eos dicere omnes hos Pontifices Romanos Tyrannos extitiſſe, ac tyrannidem exercuiſſe? vtcumque ſit, tamen ijs maiores eorum paruerunt. Patiantur quos ij paſſi ſunt. Hoc dicam verè. Sunt Hæretici rebelles, non ſunt Pontifices Tyranni. Verùm laudant illos primorum duorum triumue ſeculorum Pontifices, & ſimiles ijs eſſe volunt quotquot ſequentia ſecula tulerunt. Laudo votum. Volunt ergo vt talis ſit Chriſti Eccleſia, qualis ſub tyrannide Imperatorum fuit. Optant Proſcriptiones, tabulas ferales, haſtas erectas, tormenta, cruciatus, mortes. Bellum Eccleſiæ, non Pacem; tempeſtatem non tranquillitatem deſiderant. Pium ſanè ac iuſtum votum. Nec dubito quin ij velint Romanam Eccleſiam cum ſuo capite perire. Idque ſi re præſtare non poſſunt, certè deſiderant. Animo Nerones, Decij, Valeriani, Maximini, Diocletiani ſunt. Nullus ijs magis diſplicet Imperator, quàm Conſtantinus. At hic Anglus fuit. Cur ergo homini ſui cæli, ſui ſoli indignantur? Imitari eum oportebat, non inſectari. Nempè

Cæcitas hæreticorum.

Auguſt.

Inuectiua in Hæreticos.

hic

hic Papas ditauit, extulit, ornauit. Oderint ergo Magos, qui locupletàrunt Chriſtum, ament milites, qui ſpoliarunt, Herodem qui illuſit: Pilatum qui damnauit. At Chriſtus corrumpi non potuit: Papæ ſunt corrupti, ac diuitijs, & Principatu aucti intumuerunt: Eſto: an idcirco Pontificatu exciderunt? Reuocent in memoriam Reges ſuos Angli, & Scoti comperient eos principio anguſtè regnaſſe, ſingulæ Prouinciæ ſuos Reges habebant. Poſtea totam Angliam vnus habuit, vnus integram Scotiam. An hic quod creuit Rex eſſe deſijt? Quòd fuit ditior, quòd ornatior, quòd potentior prorſus perijt? Igitur extinctus eſt Iacobus VI. quod vnus Angliam, & Scotiam rexit. At quam illud eſt à vero alienum poſt Conſtantinum deſciuiſſe à Sanctitate Pontifices? Quid? Syluester, Iulius, Damaſus, Siricius, Innocentius, Leo, Hormiſdas, Gregorius, prioribus ſæculis. Martinus, Agatho, Zacharias, Paulus, Adrianus, Nicolaus, Leo III. Leo IX. medijs. Alexander II. Innocentius II. Alexander III. Innocentius III. Celeſtinus IV. V. Nicolaus III. Martinus V. Gregorius X. & XI. Alexander V. Sixtus IV. V. Pius V. poſterioribus, à recto virtutis tramite deuiarunt? quos conſtat omni virtutum genere præſtitiſſe. Quòd ſi obijciunt à Syluestro Pontifices Principatum geſſiſſe, & Regnum Tiaræ adieciſſe, atque adeo extra fines Eccleſiaſticos Imperium protuliſſe, id quidem nos fatemur beneficio Conſtantini, & ſucceſſorum, & aliorum Regum, ac Principum factum fuiſſe; quam ſi Heterodoxi pietatem vitio vertant, inſignem perſonam calumniæ pijs, & Sanctis Principibus imponent: At de his propria vindicia prolixè, & accuratè diſputabimus: oſtendemuſque & licuiſſe Pontificibus donatos ſibi Principatus, redituſque recipere, & qui eos dederunt Principes rectè ac religioſè feciſſe. Ad quam nos diſceptationem accingimur.

Paræneſis ad Heterodoxos.

VINDI-

VINDICIA QVARTA DE DOMINIO CHRISTI.

CAPVT I.

Origo & fons huiuſce dominij aſſeritur, & explicatur.

INSTITVENTI mihi de dominio, & poteſtate temporali Romani Pontificis aduerſus Heterodoxos ſeriò, ac eruditè diſputare, viſum eſt cùm neceſſarium, tum decorum, cauſam illius, & fontem in Chriſto inquirere: vt à quo dignitas & facultas omnis ſpiritualis ad Pontifices Vicaria ope manauit, ab eo etiam conſtet Principatum, & potentiam temporalem ad eoſdem eſſe deriuatam. Igitur Chriſtus Dominus diuinam, & humanam cum comprehendat contineatque naturam, vnum habet Sacerdotij, ac Regis principium, ac ideam in ſe Pontificatus, & Principatus expreſſit: atque adeò ſignificare voluit, contra quàm Heterodoxi opinantur Sacerdotium non modo non pugnare cum dominio, ſed illius cauſam, & rationem eſſe, vt qui hoc Pontifici Romano congruere poſſe negant, ab ijs magna Chriſto Summo Sacerdoti iniuria inferatur. *Vnde Chriſto ius dominandi.*

Igitur longè alia ratio eſt dominij, ac Regni in Chriſto, ac in alijs Regibus, ac Principibus: nec enim ille voluntate, & arbitratu populorum ius dominandi vſumque accepit, ſed natura ſecum traxit ingenitum, & æternum. Altiora multò ſunt huiuſmodi initia, cauſæque Imperij, ac vnde Sacerdotij traxit dignitatem, inde Regis maieſtatem duxit. Atque vt à Sacro & celebri exemplo incipiamus.

Sicut

Sicut Melchiſedech, Sacerdos extitit Dei Altiſſimi, non aut humanæ ſortis, aut ſanguinis beneficio, ita & Rex fuit citra gentilitium ius à maioribus acceptum, cũ ſine Patre, ſine matre, atque adeò ſolitarius apparuerit. *Aſſimilatus Filio Dei.* Heb.7.
Sacerdotij, & Regni vnio in Chriſto. Cuius vmbram gerebat, quem & Sacerdotem Sacerdos, & Regem Rex figurabat, vtraque in vnum coaleſcente poteſtate: quod ad legis nouæ præſtantiam magnopere faciebat, vt enim grauiter Didymus comment. in Epiſtol. Petri. *Secundum veterem legis diſpoſitionem aliud erat Regnum, aliud Sacerdotium. Euangelium verò ſucceſſit vnum & eundem Sacerdotem Regemque conſtituens: Chriſtus namque vtrumque eſt: ad eum quippe dictum eſt. Tu es Sacerdos in æternum, & ego ſuſcitaui eum Regem cum iuſtitia, & ipſe de ſe dicit. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* Typum addidit Oecumenius ibid. *Chriſtus Sacerdos iuxta ordinem Melchiſedech dictus eſt, & Rex manſuetus, & iuſtus.* Vnde Theodoretus. *Pontificia dignitas datur in Chriſto*, comment. in Iſaiam cap. 22. Quod ipſum Hieronymus Epiſt. 116. eiuſdem exemplo Melchiſedech diſertè de Chriſto affirmauit, quem Remigius, & Primaſius ſunt ſecuti. Quare D. Thom. opuſc. 20. lib. 1. cap. 14. *Chriſtus*, inquit, *non ſolum Sacerdos, ſed Rex in Scripturis Sacris nominatur.* Locos demus illuſtriores Iſaię cap. 9. *Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt Principatus eius ſuper humerum eius.* Cuiuſmodi autem eſſet, mox indicauit. *Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit.* Hierem. 23. *Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit.* Pſalm. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper Sedem tuam.* 2. Reg. 7. *Stabiliam thronum Regni eius, vſque in ſempiternum.* & Pſalm. 44. *Intende proſperè, procede, & regna. Virga directionis, virga Regni tui. Dominus regnauit decorem indutus eſt.* & Pſalm. 96. *Dominus regnauit exultet terra*, & Pſalm. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* Iam verò in teſtamento nouo præclara ſunt de Regno Chriſti teſtimonia. Matth. 3. *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* & Luc. 1. *Dabit ei Dominus Deus Sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.* Apocal. 1. *Princeps Regnum terræ.* & 19. *Rex Regum, & Dominus dominantium*, & Pauli. *Cum tradiderit Regnum Deo, & Patri*, vt omittam alia teſtimonia, quæ generalem quendam Principatum ſignificant. Regem Chriſtum eſſe, & Regnum habuiſſe proprijs locis monſtrare

Didym. — Oecum. — Theod. — Hieron. — D. Tho — Iſaia. — Hierem. — *Quę in ſcripturis probatur.*

ſta-

ſtatus, vt cum Hilario in Pſal. 2. ad illa verba. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo* iure dicam. *Neſcio an Chriſtum etiam Regem ambigere ſit tutum*. Ac nemo ſanè Patrum Chriſtum Regem negauit, quemadmodum infra oſtendemus. Omnes de eo inter ſe conſentiunt. Itaque titulus, & res conſtat.

Verùm quoniam Regnum, & ſpeciale, & temporale eo nomine Regni continetur, id diligenter inquirendum eſt: Cuiuſmodi iſtud Chriſti Regnum fuerit? Et quidem nonnulli authores ſunt: Chriſtum non ſolum nullum habuiſſe Regnum, ſed ne dominium quidem vllum in hoc mundo, immò fuiſſe iure ſubditum Regibus, ac Principibus, ijſque omnino obnoxium. Quòd Luthero placuit, ſcilicet, ne quid Principatus ad Romanum ex eo Pontificem perueniret. Cùm eo ſenſerunt Roſellus, Duarenus, Molinæus, & Centuriät. Magdeburgenſes Centur. 1. libr. 2. capit. 7. Nec multum abſunt ab ea opinatione Marſilius Patauinus, & Iandunus, quos citat Vaſquez tom. de Incarnation. diſput. 87. cap. 1. Et cum ijs Ocham in opere nonaginta dierum. Aiunt Chriſtum cum primum in mundum venit vectigalem Auguſti fuiſſe, & veluti nexum obæratumque inter paleas iacuiſſe, nec primas illas vitales auras liberum hauſiſſe. Fugiſſe vim Herodes: Regnum ſibi delatum horrùiſſe, Regemque ſe negaſſe coram Pilato, cùm maximè ſe præconem veritatis eſſe confirmaſſet. Purpuram, Coronam, & Sceptrum in tormentum ignominiamque verſa in ludibrium accepiſſe. Verum ſi quo animo iſta dicant conſideremus, non veri inueniendi, ſed iuris Pontificis infringendi cauſa illa excogitarunt. Nam quid à veritate Euangelica alienius, quàm Dei Filium naturalem iure hæreditario ſpoliare, & eum qui vel inter mortuos liber fuit Regibus, Principibuſque in mortalibus ſubijcere: qui vel ex eo quòd Summus Pontifex erat, omnibus temporalibus Dominis præſtabat? Non negamus Chriſtum, ſummam demiſſionem, paupertatem, & inopiam profeſſum, ſed vltrò ſponte de iure ſuo remittentem, non quod eſſet obnoxius; ſed quod nollet libertate vti ingenita, idque non ſemper, ſed quando & quatenus opus erat ad doctrinam, exemplumque ſuorum, quos ad omnem virtutem erudiebat. Præterea cùm duabus conſtaret naturis medium ſe gerebat,

Authores qui omne Imperium Chriſto negent.

Heterodoxi.

Argumentum eorum.

Refutantur.

Probatur Chriſti dominium.

rebat, nec alteri ex alterius conſortio detrahebat. Itaque, cruciatibus,& pęnis ſe dabat,iniurijs,ac ſæpè ignominijs ſubtrahebat. Negabat ſe dæmonium habere,tributum, etſi ſoluebat,obligatione ſe liberabat, & ſeruitutem deprecatus, Filium ſe prodebat. Alapam accipiebat, ſed dedecus refutabat: Phariſæos reprehendebat, ſcribas obiurgabat: vendentes, & ementes flagello caſtigabat, ficum maledicebat, Dæmones ad greges porcorum amandabat, mari & ventis imperabat, ſepulchra aperiebat, mortuos excitabat, ſalutari ſe & appellari Regem permittebat. Quid? quòd morti deuotus armatas acies proſtrauit? Reus Filium ſe Dei faſſus eſt, & inter nubes tonantes fulminanteſque in maieſtate ſe magna venturum confirmauit,& rogatus à iudice,ita reſpondit, vt ille Reus audiendo: ipſe iudex, & Dominus reſpondendo videretur. Fuit itaque cùm Chriſto priuata viuendi forma, & humilis placuit. Fuit cùm Redemptoris munia obituro tormenta,& ſupplicia ſubeunda. Fuit cùm ad fidem Diuinitati faciendam maieſtas, & authoritas, & dominium oſtentandum. Nil ergo mirum ſi nondum natus materni ventris conditionem ſequebatur, ſi recèns natus vectigalis erat, & obuolutus faſcijs nexum æris admittebat. Infantis in ſcena Præſepis perſonam agebat. Ei ex præcepto Patris ſeruiendum, & cùm fugit in Aegyptum, & cùm redijt. Mox vt cœpit Redemptoris agere, alia, vti ſe dabant occaſiones, & tempora, munera præſtanda. At in his etiam maieſtatem retinebat. Cùm & nato Angeli plauderent, ſtellę ſeruirent, Reges famularentur, & inclinatis coronarum faſtigijs, effuſiſque Arabicarum opum theſauris Regem, & adorarent, & colerent. Certè ad errorem illum refellendum, ſatis eſt ille Matth. 17. locus vbi exacto ab eo tributo, verſus ad Petrum rogauit. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? A filijs ſuis, an alienis?* & accepto idoneo à Petro reſponſo. *Ab alienis.* Intulit. *Ergo, liberi ſunt Filij.* Et ita iudicant noſtri Theologi in 2. diſt. 44. Hæreticis fortè non placet, quòd ratiocinatio Chriſti eſt. Cuius formam horrore ſolent, hìc autem eſt illud *Ergo quod cane peius, & angue* oderunt. At nemo fermè Patrum eſt cui non illa probetur illatio. Quin & alia quoque in illa contenta ex ijſdem colligitur aureo à Chryſoſtomi ore filo deducta. *Si Filij Regis terreni illi tributum non debent. Ego qui Dei Regis Filius ſum,*

Vera ratio cur Chriſto dominium conueniat.

Chriſtus cur interdum maieſtatis interdum demiſſionis, & paupertatis ſpecimen dedit.

Matth.

nulli

nulli Regi debeo. Hoc ego filo, ſi vellem, intorto ligare, ac torquere vlterius poſſem, eos qui negant, ad Petrum deducendo ſenſum; perinde ac ille cum Chriſto liber eſſet, ac eiuſdem per gratiam iuris particeps eſſet. Sed nolo à propoſito diſcedere. Tantum vendico, immunem Chriſtum ijs ſeruitutis legibus fuiſſe: quòd ſi ijs teneri voluit ſponte fecit, vt demiſſionis pro nobis ſuæ exempla relinqueret. Tollant parumper oculos humo Talpæ iſti, & altius in caput huius Euangelici 15. intendant, videbunt transfiguratum in Solem Dominum, audientq; vocem illam Patris ad eum. *Hic eſt Filius meus dilectus*. Ac demum intelligent, quorſum in fine capitis exactio iſta tributi, ac eius refutatio ponatur: *Ergo liberi ſunt Filij*. Nempè adhuc in auribus erat diuinæ illius vocis ſonus, Chriſtum Filium Dei declarantis. Quì autem Dei Filius eſſet, eum ærarium, & nexum iure humano eſſe non poſſe, nemo qui & videat, & audiat, non fatebitur.

Inuectiua in hæreticos.

Depulſa breuiter à Chriſto Domino ſeruitute ſcire ſupereſt. An Regnum iſtud quod ei Scripturæ attribuunt ſpirituale omnino fuerit? an temporale? Et quidem ſpirituale habuiſſe tum ius, tum vſum dubitare poſſit nemo. An temporale item habuerit cum ſpirituali coniunctum, ſed diuerſo titulo nixum in controuerſia poſitum eſt. In qua iuuat ordine ſeruato doctrinæ faciliora capere, & ad difficiliora & altiora procedere.

CAPVT II.

Vtrum Chriſtus iure ſanguinis Rex Iudæorum, & Dominus temporalis fuerit?

MAior pars tum Theologorum, tum Interpretum Sacrorum inficiantur multis magniſque argumentis, quæ congerunt Vvaldenſis tom. 1. doctrinalis Fidei lib. 2. cap. 76. & 77. & Maldonatus varijs in locis commentar. & Vaſquez 1. tom. in 3. par. diſp. 87. & Suar. ibidem diſp. 48. ſect. 2. & Sotus in 4. de iuſtit. & iure q. 4. & acerrimè Victoria in relect. 1. quæ eſt de Eccleſ. poteſtat. & Medin. qu. 59. art. 4. & Azor. inſtit. par. 2. lib. 4. cap. 19. eamque ſententiam Patrum conſenſu ſtabilitam dicunt, & omnino ſcripturis conſonam: atque adeò non verentur alteram negligere,

Vvald. Mald. Vaſqu. Suar. Sot. Victor. Medina. Azor.

Qui negant.

immò eam Vaſquez apertè falſam dicit. Heterodoxi eamdem tradunt, ſtudio diuerſo, quòd timent ne per hoc ius Regium Chriſti obrepant Papæ Romani ad Principatum temporalem, quo illos prorſus carere volunt, quin & piaculo ducunt ab ijs quicquam, aut adminiſtrari, aut poſſideri.

Fateor hanc mihi placere ſententiam homini mediocriter in Sacris litteris, Patribuſque, & Scholaſticis verſato, & authoritatis reuerenti: verum non poſſum affirmantis opinionis argumenta tam facilè conuellere, vt non videam, ſi accederet idonea authoritas probabilem futuram. Et quoniam magna apud me eſt vis veritatis, ac proinde quæ veriſimilia ſunt amare ſoleo, ideò à Lectoribus Catholicis, & Heterodoxis præcipuè Anglis, veniam peto, ſi quæ mecum diu & accuratè commentatus ſum in medium proferre audeo. Certè, vt inanes ſint, & otioſæ, nobiles ſunt curæ. Saltem conari me magna cogitando apparebit. Status coniecturalis eſt: agam iudiciali more, ac ſtylo tenui, perſpicuoque ex Ciceronis præſcripto ſermone; nec authoribus omnino deſtituor: nam vt omittam Armacanum lib. 4. quæſt. Armen. cap. 16. S. Antoninus 3. tom. ſerm. 1. de S. Ioſeph. quem citat, & ſequitur Petrus Morales Societatis Ieſu, & Ioannes Bacon. Prol. c. 2. concl. 2. & q. 11. a. 3. id tradũt. Inclinat Abulenſis in cap. 21. Matth. q. 30. & non leue momentum addit Burg. in cap. 1. Matth. addit. 2. & quamquam ibi concl. 3. in 2. p. doceat in Iechonia fuiſſe Regiam progeniem extinctam, affirmat tamen vulgò Chriſtum Regem, quòd in ea ſucceſſione eſſet, exiſtimatum. Quoſdam præterea, ſed Anonymos huius authores ſententiæ indicat Suarez diſp. 48. ſect. 1. ad finem, eamque ſententiam probabilem reddidit Alphonſus Mendoza relect. Theolog. de vniuerſali Chriſti Regno: nec omnino improbat Franciſcus Mendoza in lib. 1. Reg. cap. 2. num. 10. annot. 15. circa litter. ſect. 3.

Authoris modeſtia.

Qui affirmãt

S. Ant. Armac. Bacon. Abul. Mend. Petr. M.

Suar.

Franciſ. Mend.

Valet pars negans authoritate: ſed ea eſt coniectura eleuanda. Fortè enim loquitur de vſu, & poſſeſſione Regni, qua conſtat caruiſſe Chriſtum: non autem de iure, & titulo de quo nos affirmamus, nec id latuit Suarium ibidem. Huic coniecturæ, qua infirmamus fidem oppoſitæ, addamus aliam qua noſtræ fidem confirmemus. Certè idem Suarez homo maturus, & cautus non omnino negare audet Chriſtum per Salomonem à Dauide deſcendiſſe, in quo fundamento, ſi ve-

Suar.

rum

rum ſit, multum momenti oportet inſit: ſed tantùm ait *eſſe probabilius per Nathan*, non per Salomonem genus traxiſſe, quo ille non adimit ſpem probandi ius in Chriſtum Regium hæreditario titulo ſanguinis fluxiſſe, ſed quia hæc à tractu ſanguinis ſumpta leuis certè eſt: volo grauiorem adducere ex idoneo authore ad molliendam quæſtionis inuidiam coniecturam, in qua multum momenti pono; tantos mihi facit animos Maldonatus (is eſt enim) vir integri incorruptique iudicij, quem ſolo nomine malè donatum ſoleo dicere. Igitur ille in cap. Matth. 27. ad illa verba Ioannis, quæ ibi aliunde ex cap. 18. num. 34. commentatur. *Tu es Rex Iudæorum?* mota quæſtione de Regno temporali Chriſti ſic. *De Regno*, inquit, *Iudææ dubitari poteſt, an humano verè ad Chriſtum pertineret ſanguine, qua in re illud conſtat eum ex Regis Dauid eſſe procreatum, & Matthæus cap. 1. eius genealogiam per Reges texère voluit. An autem ad illum ius Regium perueniret, ſi Rex eſſe voluiſſet, meo quidem iudicio non ſatis conſtat.* Nihil definit huius ego authoris præiudicio nixus ad ſuadendam affirmantem ſententiam accedo.

Iudicium authoris.

Maldon.

Prima coniectura eſto ex illo celebri Iacob ad Iudam de Meſſia in benedictione cap. 49. Geneſeos vaticinio. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec Dux de ſemore eius donec veniat, qui mittendus eſt.* Gratulor verò mihi, quòd non cum Iudæis diſputo, qui aliter intelligunt, ſed cū ijs qui fatentur de Meſſia intelligendum. Quorſum, quæſo, ſpectat illa defectio ſceptri & ſtirpis Regiæ, quocumque tandem modo ſumatur (nec enim id eſt meum) niſi qui venturus eſſet, ad eum ius illius Imperij, quod defecerat, pertineret: nam ſi nihil ad Chriſtum attinebat, quid opus erat tam accuratè de Regiæ tribus dignitate commemorare, ac de Chriſto ceu inſtauratore amiſſi iuris mentionem facere? nam Iacob, opinor, voluit oſtendere illum qui veniret Meſſiam, ad Iudam pertinere, ad eum nimirum apud quem ſceptri ius antea fuerat, non quod ille Rex futurus eſſet, ſed quòd ius ad Regnum eſſet habiturus, quod amiſerat, ac ea ratione temporali Regem eum ſpiritualem ſignificare, qui erat finis, & Meſſiæ venturi, & ſcopus Vaticinij præſentis. Immò niſi Chriſto ius Regium Iudæ conueniret, minus propriè Regem ſpiritualem ageret, quare qui Regnum animorum adminiſtraturus erat, oportebat ei Regnum ſæculare deberi, vt veritas Typi conſtaret:

Pars affirmās probabilis iudicatur.

Gen. 4.

Suadetur.

quo-

quomodo enim priuatus homo Regem totius mundi, immò & cæli, & terræ Dominum repræſentaret? Quid? quod ne quis ſuſpicaretur, quòd ad ius Regni temporalis reſpexerat, eiuſmodi Regem fore Meſſiam, ademit ſuſpicionem adiungendo. *Et ipſe erit expectatio gentium*, ita dum nos auertere ab illa cogitatione voluit, ſe de re illa cogitaſſe cauendo ſignificauit. Certè niſi vellet typum illum Regium in Iuda quærere, minus eum dicendi modum curaret, quemadmodum fecit in benedictione Dan quam ſic terminauit. *Salutare tuum expectabo Domine*, vbi Spiritus tantùm rationem habuit ſecluſo omni ad Regiam vmbram figuramque reſpectu, quòd nihil illi tribui, nec cum Regio iure; nec Chriſto cum illius tribus ſtirpe commune erat. Itaque in Dan, ſpes ſalutis, & ratio ſpiritualis Redemptionis eſſe poterat, temporalis exemplum Regni eſſe non poterat. In tribu Iuda quòd vtrique locus erat, & iuris temporalis ad typum, & ſpiritualis Regni rationem habere voluit. At Chriſtus numquam in Iudæa regnauit. Fateor. Verum ne ipſa quidem tribus Iuda à multis iam antea annis regnabat, & ſolo iure ad Regnum pollebat. Itaque & in hoc typus veritati reſpondebat, quòd iure tantum ius, non vſum vſu repræſentabat. In neutro erat poſſeſſio, ſed in tribu vi adempta, in Chriſto voluntate relicta.

Alteri locum facit nobilis illa pars Prophetiæ Danielis, quæ in Hebdomadis verſatur. Ibi enim ſic: *Vſque ad Chriſtum Ducem Hebdomades ſeptuaginta duæ, &c.* Non mihi hebdomadum euoluendum, & perſcrutandum eſt tempus, alterius eſt ab inſtituto labor, ſed id ex conſenſione Chriſtianorum ſupponendum. Illud ſumo quod rem continet, Chriſtum Ducem appellari, cum iam *Sanctus Sanctorum* appellatus eſſet, vt doceremur eum qui ſpirituali Regno præpoſitus eſſet, non eſſe temporalis expertem: quòd genus Principatus poſt captiuitatem Babylonicam in Iudæ Regno inualuit eo præſertim quod à Machabæis ad vicinam vſque Chriſto ætatem decurrit, tempore: nam ij Pontifices Duceſque populi extiterunt: atque adeò prodromi, & typi eiuſdem Chriſti, qui & Pontifex re; & Dux iure futurus erat. Atque huc reſpexit Michæas cum dixit ad Bethleem. *Et tu Bethleem terra Iuda, &c. Ex te enim exiet Dux qui regat*. Quod notat eum fore Principem venturum, non qui Regnum Iudæ oc-

Daniel.

Michæas.

cuparet

Michæa. cuparet adminiſtraretue, ſed qui iuris ſui ob ſanguinem gentilitium fuiſſet, & factum repudiaſſet. Itaque Micheas cum dixit de Bethleem exiturum Ducem, Regium Dauidis genus eſſe Chriſtum, cui Regnum debitum eſſet, aptè ſignificauit; cum autem dixit. *Ab eo Populum Iſrael regendum eſſe*. Spiritualem fore Regem docuit, nec enim Iudæum populum, Iacobus nominauit, quo nomine carnalis illa gens dici congruè potuit, ſed *Iſrael*, quod nomen ad ſpiritualem ac ex omnibus collectum gratia Dei populum referri ſolet myſticè nuncupauit. Colligo momenta, & aceruatim pono locos. Hac ratione. Nil tam frequenter occurrit in ſcripturis, quàm genus Chriſti, cum ſanguine, quàm Regnum Chriſti, cum ſolio, & ſceptro Dauidis coniunctum. Id Prophetæ de eo vaticinati, id Euangeliſtæ de eo teſtati, id à Paulo in Epiſtola celebratum, id à Ioanne in Apocalypſi prædicatum, vt appareat voluiſſe Spiritum ſanctum ſignificare Chriſto cum Dauide magnam neceſſitudinem fuiſſe: locos omitto, quòd legenti paſſim occurrent, & vel non vocati ſe ingerent. Triuiale quiddam eſt. Ego rationem inquiro. Sanè vt ad ſolam illud allegoriam ſit conferendum non permittit tanta ſanguinis, ſceptri, & Regni propria, & germana mentio, nec id ſuadet hominum illius temporis intelligentia, ad litteram multa exponentium. Deinde quid, quæſo ſi Spiritus tantum ratio habebatur, præſtantius erat in Dauide, quàm in Abrahamo, & Iacobo, quorum ille *Pater credentium, hic videns Deum* appellatus? Aut ſi nullus erat ad Regiam dignitatem reſpectus, cur non Filius Abrahæ Chriſtus vulgo, ſed Dauid dictus? Certè hoc ſpirituali titulo trahendus potius Dauid ad Chriſtum, quàm Chriſtus ad Dauidem reuocandus. Cum Chriſtus fons gratiæ, ac ſanctitatis eſſet, & caput omnium Prædeſtinatorum, à quo dona, & virtutes, & ſalus ipſa manabat: Igitur quiddam erat aliud quod hac tam accurata, tamque exacta Regis Dauid cum Chriſto, & contrà ſimilitudine inuoluebatur: quod item ad Regium genus, & ius Regni ſpectabat. Certè vt alia non eſſent, hìc primum illud me genealogicum Matthæi caput moueret. Ecce in titulo ponitur. *Liber generationis Ieſu Chriſti Filij David*. Vt in ipſo limine occurrat myſterium, nec enim aut alius quiſquam ex proximis qui Reges non erant, aut ex remotis, qui ante Reges fuerant, Pater Chriſto aſſignatur,

Confirmatur.

Matth.

cum

cum in his digniſſimi eſſent Patriarchæ, in illis clariſſimi Duces. Præterea nec vllius Regum præter Dauidem Filius dicitur, cum tamen inter eos cenſerentur Ioſaphat, Ezechias, Ioſias Religioſiſſimi Principes? Quid? quòd nemo ex ijs Rex appellatur? Vnus tantum & quidem cum energia. *Rex dicitur, Dauid Regem*. Næ id ad Chriſtum ex eo ius Regium tracturum pertinet. Perinde ac ſignificare vellet Euangeliſta. Ille quem Filium Dauid nominaui, Dauidis Regis Filius, ac proinde ab eo tanquam ab Rege Regium ſanguinem titulumque ducturus.

Accedit pondus ex cap.21. Matth. vbi de Chriſto Hieroſolyma triumphali more ineunte prolato vaticinio dicitur. Matth.

Regnū Chriſti temporale

Ecce Rex tuus venit tibi. Cuias autem eſſet Rex ille, Dauidis inclamato nomine declaratur. *Hoſanna Filio Dauid*. Quod clarius eſt in Marco, aſſignato Chriſto haud obſcurè Dauidis Regno. *Benedictum quod venit Regnum Patris noſtri Dauid*. Conſonat locus Lucæ 19. *Benedictus qui venit Rex*. Non dubito quin à Spiritu ſancto afflatu diceretur, & latius quiddam Regnum ſignificaretur, ſed non idcircò negandum illius temporalis fundamentum quo illud aliud niteretur. At erant turbæ, quæ populari plauſu vtebantur. Idcirco accipiendum verius, ac ſyncerius, quòd ore vulgi Deus loqui ſolet. Certè Scribæ, & Phariſæi non dicerent, quos illius præconij pænitebat, quibus cum Pilatus Regem Chriſtum propoſuiſſet, reclamarunt. *Non habemus Regem niſi Cæſarem*. At perperam de Regno temporali interpretabantur. Sane ſi illud de poſſeſſione, & vſu capiebant, aut vltra temporalia cogitatione non tendebant, nec typum & vmbram veri, & germani, atque adeò ſpiritualis Regni, illud ius Regium eſſe putabant. At ſi Regem eſſe Chriſtum Iudææ, ſucceſſionis hæreditario titulo credebant, cum tamen repudiato Regno illo, aliud ſacratius, & excellentius afferre, quòd ad animarum ſalutem pertinerebantur minimè certè peccabant.

Luc.

Ioan.

Maior vis eſt ad ſuadendum in loco Matth. 2. vbi Magi Stella Duce ab Oriente Hieroſolymam ingreſſi cauſam ſui itineris exponunt, dicentes? *Vbi eſt qui natus Rex Iudæorum?* Idque palam, in Vrbe, coram, in Curia, ipſo Herode præſente, iactantes. Quorum verborum is eſt ſenſus, *vbi eſt qui Rex natus eſt*. Vel Maldonato, & Guilliaudo vtroque ſeuero interprete authore, ceu Herodi qui obrepſerat in Regnum

Stabilitur.

pre-

precarium ſceptrum exprobrarent. Nec eum Regem mundi dixerunt, ſed Iudæorum: quo ſignificarunt ſe in aſtris didiciſſe, Infantem eſſe Regem mundi, & ſpiritualem Dominium fore, vt Regni item Iudæorum natura hæres eſſet, atque adeò eſſe eum, quem prædixiſſet Iacob deficiente ad alienigenas ſceptro mittendum. Cui interpretationi fauent, quæ ſunt eam interrogationem conſecuta. Perturbatio Herodis, tumultus ciuitatis, conſultatio Scribarum, & Phariſæorum, eorundem reſponſio, & timor ab Herode conceptus qui in cædem poſtea tot Innocentium bimorum erupit. Hęc certè totidem ſigna ſunt hęreditarię Chriſti in Regnum Dauidis ſucceſſionis, quæ niſi magnis argumentis nixa eſſet minus negotij faceſſeret Herodi, minus firma doctis videretur, qui quamquam litteræ hærebant, nec Spiritum latentem inueſtigabant, attamen ex Cathedra vera docebant. Itaque vt longè eſſent à Spirituali Regno, quod non capiebant, non idcircò in temporalis ſucceſſione, quam perceperant, omnino errabant. Ille totius ciuitatis conſenſus id ſentientis, me haud mediocriter mouet ad exiſtimandum fuiſſe in Chriſto ius ad Regiam dignitatem. Cui quidem vel muti infantes teſtimonium reddiderunt: quanquam enim ſacratius oblati ſūt, certè occaſio mortis, inuidia, & odium naſcentis Regis, & timor amittendi Regni temporalis fuit. Nam niſi hæc opinio Herodis animum inceſſiſſet, illi Martyres non fuiſſent.

Porrò hac in re metus ad metum gradus, eſt gradus ad coniecturam. Nouam præbet Pilati timor: qui cum inaudiſſet de Chriſti iure ad Regnum: tam de eo fuit ſolicitus, vt nihil frequentius in ore haberet, quàm illud. *Tu es Rex Iudæorum?* Id ore omnium Euangeliſtarum accipimus. Altius hoc in pectus, quàm alia crimina deſcendit. Angebat nimirum hominem Cęſaris miniſtrum illa communis opinio, quæ certè minus commoueret, ſi minus eſſet probabilis. Hinc ille & cum Chriſtó in Prætorio, & cum Iudæis extra Prætorium, tertio quoque verbo, Regem Regnumque dicendo ingerebat; nec abſtitit donec ſupra Crucifixi caput, titulum *Regis Iudæorum* cauſam mortis inſcripſit: quod ſuſcepto fecit conſilio, vt ſe Cæſari commendaret, ceu hominem Regnum Iudaicum affectantem occidiſſet. Quòd autem *Rex Iudæorum* affirmando dixerit, id ſanè diuina prouidentia factum eſſe conſtat, perinde ac Chriſtus verè Iudæorum Rex Melior.

iure fuiſſet, extorquente Deo à perfido Iudice veritatem, quæ etſi altior erat, & vltra ſenſum illum tendebatur; illo tamen typo, vti proximè diximus, figurari oportebat.

Optima coniectura pro Regno Chriſti Iudaico.

Præterea omnes boni, & mali, Regem Iudaici populi Chriſtum, vel eſſe, vel fore putabant. De vtriſque nonnihil ſparſim diximus, nunc collectim dicamus. Mali: Scribæ, & Phariſæi apud Herodem Matth. 2. Pilatus Marc. 15. & apud Ioannem cap. 18. Boni: Magi Matth. 2. Mater Filiorum Zebedei Matth. 20. Marc. 10. Ipſi diſcipuli cum rogarunt, ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſrael? Actorum 1. Mixti ex bonis, & malis in turba Triumphum Palmarum die celebrante Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. An omnes fallebat opinio? Eſto. Afferam quod eleuari tam facilè nequeat. Ioan. Marc. Luc. Matth.

Ipſemet Chriſtus, ipſamet veritas quoties quæſitum fuit. *Vtrum Rex eſſet?* minimè inficiatus eſt, ſed aut conſenſit, aut diſſimulauit. Et quidem cùm interrogatio ad Regnum Iudaicum prorſus temporale pertinebat. Celebris eſt illa Pilati Iudicis ad Chriſtum de Regno inquiſitio Matth. 27. n. 12. Marc. 15. num. 23. num. 3. *Tu es Rex Iudæorum?* nec minus celebris reſponſio. *Tu dicis.* Apud eoſdem Euangeliſtas. Quibus verbis, vti obſeruant Interpretes, modeſta quædam, & tacita confeſſio inerat. Etſi vero apud Ioannem paulò aliter Chriſtus reſponderit: ita vt videretur diſſimulare; non tamen negauit, nec id fieri poterat cum illud apud alios Euangeliſtas videretur affirmaſſe. Quare illa verba. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Non ſunt inficiantis titulum, ſed exponentis modum. De quo paulo poſt latius cum obiecta ſoluamus dicturi ſumus. Iam vero in exemplo adducto de Matre Filiorum Zebedæi, etſi repulſam illa retulerit, quòd intempeſtiuè, ac ineptè peteret, atq; ob id Chriſtus Filios petitionis authores reprehenderit, & ad Patris Tribunal amandarit, nulla eſt Regni de quo illa mentionem fecerat refutatio, immò tacitè quædam confeſſio. Quòd autem mater de temporali dominatu cogitaret, id commune interpretamentū eſſe Maldonatus eo Matth. loco teſtatur. Ex Chriſti autem reſpōſione nihil quod eſſet contra ius & dignitatem Regiam, quam mulier fingebat animo, colligitur. Nihilo item minus turbas in die ſuo triumphali Regem ſe plenis, vti aiunt, buccis crepantes compeſcuit: clamare permi- Ioan. Mald.

ſit,

ſit, & ſilentio ſuo, plauſuque alieno ſalutationem illam approbauit. Pilato inſuper ex ijs, quæ ex ipſo audiebat, Regem eſſe ſuſpicanti, idque perſpicuè inſerenti. *Ergo Rex es tu?* minimè contradixit, ſed ei alia maiora quidem & altiora propoſuit, ad quæ ille mentem erigeret, Regioſque illos honores, & ornamenta myſtica ſignificatione traduceret. Certè ita ſe geſſit loquendo, vt Pilatus ſibi perſuaſerit Regem omnino eſſe eum, qui ſic loqueretur. Itaque non deſtitit, & coram accuſatoribus Regem dicere. *E ccce veſter.* Et palam in Caluario publico titulo fidem facere. *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Demum poſt Reſurrectionem ſuam rogatus à Diſcipulis. *Quando reſtitues Regnum Iſrael?* cùm maximè oportere videbatur Regnum ſuum ſpirituale ſtabilire, & cogitationes illas ignobiles reſecare, & palam docere, nihil ſibi à Patre mandatum de reſtituendo, ac inſtaurando Iſraelitico mortali, & caduco Imperio, diſſimulauit, & rem totam ſilentio inuoluens altiora illa eſſe, quàm eorum mentes vireſque ferrent, dixit: ea in Patris poſita poteſtate, ad Spiritus ſancti Aduentum afflatumque præparauit, & curas illas non deleuit, ſed mutauit; quæ eò me ratiocinando perduxerunt, vt non modo probabile, ſed idoneum Chriſti Regnum iure hæreditario videatur. Sic vt mirer illud tam ſeuerè ab alijs authoribus refutari, nec ſatis æquo animo ferre poſſum adimi ab ijs Chriſto Regnum, quod ipſe ſibi adimere negando noluit.

At quibus id argumentis fecerint, quàm ea firma, & valida ſint, oportet videamus, & nobis, ſi forte ſolui queant proponamus.

Primum eſto. Chriſtum Dominum, etſi ex Tribu Iuda, & Regia Dauid domo fuerit, quod omnes fermè contra Iulianum, Celſum, Porphyrium, Fauſtum, & Gnoſticos Orthodoxi, Heterodoxique fatentur, non tamen ex Regia linea, quæ per Salomonem ducitur, ſed ex alia quæ per Nathan trahitur, veniſſe. Itaque non potuiſſe ad illum iure ſanguinis Regnum pertinere. Aſſumptio apparet ex cap. 3. Lucæ, vbi Genealogia Chriſti aſcendendo vadit ad Nathan per *Heli* cum dicitur, *qui fuit Heli*. Quamuis enim res ibi enarretur hoc modo. *Ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur Filius Ioſeph,* qui fuit *Heli* illud *Heli* non refertur ad *Ioſeph*, ſed ad *Ieſus*, vt ſaltu quodam à Nepotis

Soluuntur argumenta partis negantis.

Matth. Luc.

Ieſu generatione,omiſſa Matre Virgine ad Nathan tranſcendat. Quòd ſi hæc interpretatio durior videatur, alia mollior adhibetur retenta ſemper origine ad Nathan, nimirum admiſſo, illud, *qui fuit Heli* referri ad *Ioſeph*, ita vt Ioſeph dicatur *Filius* ſoceri ſui ratione Beatæ Mariæ coniugis; nam non potuit eius eſſe naturalis Filius, cum fuerit Iacob, à quo dicitur *Genitus* Matth. 1. Itaque vtrouis modo, Chriſti generatio ex Maria per Nathan, non per Salomonem à Dauide trahebatur, ergo non erat Regalis, nec ius Regium traducebat. Quæ ſententia authores habet Oſiandrum lib. 2. Harmon. Euangel. cap. 16. & Eraſm. in cap. 3. Lucę, & plures alios citatos à Patre Suarez tom. 2. num. 3. par. diſp. 2. ſect. 3. Iſque illam probabilem indicat, & alteri præfert. Vaſquez vero 1. tom. in 3. par. diſp. 87. cap. 1. Illius certus eſt author, & promittit, id ſe oſtenſurum ad q. 31. art. 2. D. Thomæ. Solet enim hæc ſententia tribui Hieronymo, & Auguſtino. In operibus quibuſdam nothis, & Damaſceno lib. 4. Orthodox. Fid. cap. 15. quem citat D. Thomas q. 31. art. 3. & in eam videtur inclinare quanquam addat. *Credendum eſſe, quod etiam per Salomonem originem Chriſtus duxerit*. Immò eo quod addit ſignificat ſe huius eſſe authorem ſententiæ.

Oſiand. Eraſm.

Suar. Vaſq.

D. Tho. Hier. Auguſt. Damaſ.

Huic argumento dilucidè breuiterque reſpondeo: negando Chriſtum per Nathan, non per Salomonem à Dauide deſcendiſſe: idque conſtanter affirmo, non ſolum Regis Dauidis, ſed Dauidis, vti Rex & erat, & ſanguinis, ac iuris Regij fons, per Salomonem Filium eſſe: atque adeò in Salomonis linea recta cenſeri. Idque primum ex ipſo textu deduco: deinde authoritate: tandem ſolutione argumenti confirmabo. Propoſuerat Matthæus Chriſtum eſſe Filium Dauid: ad id lineam per Salomonem, ac Reges texuit, eamque ad Chriſtum deduxit. Quorſum, ſi ad eam Chriſtus non pertinebat? Ineptè ſanè concluderet Euangeliſta Chriſtum eſſe Dauidis Filium, ac eius quidam Regis, ſi extra illam ſeriem eſſet, quam texebat? Certè nemo non videt, quàm abſurdum ſit dicere, Chriſtum eſſe Dauidis Regis natura filium, & ad probandum alienæ generationis filum deducere, & quæ nihil ad propoſitum attineret. Itaque neceſſe omnino eſt fateri, quam genealogiam Matthæus poſuit, in ea Chriſtum cenſeri. Omitto, quæ longiùs ex Euangelio petuntur argumenta, ex quibus conſtat, quæ ad Salomonem ſpectant ad

Chriſtus per Salomonem à Dauide deſcendit.

Chri-

Chriſtum traduci ſolere, vt Chriſtus non ſolum Dauidis, ſed Salomonis quoque ſucceſſor eſſet. Sed nunc ad argumentum. Magnorum certè authorum ſententia eſt Matthæum Regale Chriſti genus monſtrare voluiſſe. Id Iulius Africanus in Epiſt. ad Ariſtidem. Id Iuſtinus quæſt. Orthod. 66. id Euſeb. lib. 1. Hiſtor. cap. 7. id Hieron. comment. in Matth. id Ambroſ. Luc. 3. id Eucher. q. 3. in Matth. Id Damaſ. lib. 4. de Fide cap. 15. id Beda cap. 10. in Luc. id Theophyl. Luc. 3. Id ſæpè Auguſtinus, tum lib. 23. contra Fauſt. tum lib. 2. de conſenſ. Euangel. cap. 2. & 3. & lib. 2. retract. cap. 17. Quos docti, & eruditi interpretes ſequuntur. Itaque accuratè reſpondendum argumento.

Iul. Afr. Iuſtin. Hieron. Euſeb. Damaſ. Ambr. Auguſt. Beda.

Igitur locum Euangelij obiectum expono, & in rem meam venientem conuerto. Verum quidem eſt Matthæum cap. 1. Lucam 3. diuerſos Patres Ioſeph dediſſe, nempè Matthæum *Iacob*, Lucam *Heli*; ſed eos duos Fratres fuiſſe, & vnam amborum vxorem, quod vidua vnius fuerat, fuiſſe: ex qua cum *Heli* Filios non genuiſſet, eo mortuo illã nupſiſſe *Iacob*. Vnde Filius, qui ab hoc genitus eſt, dicitur legalis Heli filius, quod ſecundum legem ex illius vxore natus erat. Ita duos Patres habuit Ioſeph Iacobum natura, Heli lege. Quare cum eſſent Fratres ambo, ex linea Salomonis erant, atque adeò Ioſeph à Dauid per Salomonem originem trahebat. Perſpicuè, opinor, dixi: nunc verè me monſtro dixiſſe. Licuiſſe, immò lege præceptum Hebræis, vt defuncto fratre ſine liberis alter frater ducta illius vxore ſemen fratris ſuſcitaret, conſtat Deuter. 25. num. 5. nec id opus eſt probare, cum Sole clarius ſit. Quod autem natus ex vxore, & fratre mortuo mortui Filius vocari poſſet, ac ſoleret, eodem hoc capite habetur, & conſtat ex cap. Geneſ. 38. num. 9. idque tradit Magnus Author Auguſtinus in Deuteron. q. 4. & lib. 2. retract. cap. 7. & idoneus interpres Maldonatus Matth. 1. A quo alia in rem afferuntur exempla, qui huiuſmodi interpretationem, vti ſolet magnopere confirmauit, & illuſtrauit: altera prima, quæ ſanè duriuſcula eſt, refutata. Ecquis enim non videt, illud relatiuum. *Qui fuit Heli*: ad Ioſeph, non ad Ieſum pertinere? cum præſertim nulla fiat mentio de Maria Matre Ieſu, quæ ſanè ſi Ioſephi ratio non erat habenda, iure nominanda erat, maximè cum Lucas generationem legalem, vbi tot erant Filij adoptiui, & Patres legales ponendi ſequerentur.

Matth. Luc. 2.

Conciliantur Genealogiæ Matthæi, & Lucæ.

Deut.

Geneſ. Auguſt. Mald.

tur. Itaque coactam eam interpretationem dicit acris vir iudicij Maldonatus.

Inſtet tamen quiſpiam acutus. Si Iacob, & Heli Fratres natura fuerunt, & vna amborum vxor ex qua Ioſeph vtrumque habuit Patrem, ſequi inde totam illam genealogiam per Nathan à Dauide textam, aut non conſiſtere, aut totam ex Patribus, & Filijs legalibus conſtare. Primum ſic ſuadetur, quia dato duos iſtos Fratres eſſe, eiuſdem ſint Patris oportet, ideſt Matthan, qui cum ſit in linea Salomonis, in linea Nathan eſſe nequit. Vt autem pertineat ad Nathan neceſſe eſt dicere habuiſſe Patrem legalem in ea linea, qui cum etiam frater naturalis alicuius Patris futurus eſſet, redit eadem quæſtio, atque adeò vel generatio Nathan eſſe deſinet in eo, qui eſt Pater legalis, & redibit ad Salomonem, vel certè omnes, quotquot ſunt in linea Nathan ſunt Patres legales, quod eſt incredibile. Nemo, quòd ſciam, hanc difficultatem, vti eſt à me poſita, vidit. Maldonatus partem obiter perſtrinxit, dum quærit, cur plures ab vno, quàm ab alio Euangeliſta Progenitores Chriſti numerentur? Et quo ille ſe expedit modo, eo nos item vtemur. Cenſeo. Non omnes, qui in linea ſunt Nathan, Patres eſſe legales. Quod placet Maldonato; ſed aliquos ex ijs adoptione Filiorum ex linea Salomonica Patres conſtitutos: qui cum eſſent ex ſanguine Nathan ad eius lineam homines alterius lineæ trahebant. Quæ idcircò mihi vehementer placet, quòd placuiſſe ſcio Auguſtino, etſi Maldonato minus probetur. Nam & exemplo Sacro Gen. 49. 85. Filiorum Ioſeph, qui à Iacobo ſunt adoptati, & prophano Scipionis Aemiliani, qui à Scipione Africani Filio adoptatus per adoptionem in Scipionem familiam tranſijt, aptè probatur. Itaque potuit Salathiel à Neri adoptari, & à Familia Salomonis in Nathanicam adoptione tranſire, ac in ea linea cum poſteris ſuis, vel ijſdem Binomijs, vel diuerſis Filijs natu ſecundis, aut tertijs numerari. Quem ſanè modum idoneum, & expeditum puto. Alium Maldonatus offert. Iechoniam ducta vxore Filia Neri genuiſſe ex ea Zorobabelem, qui prætermiſſa Matre Neri, Aui dicatur Filius: quod ne inſolens ſit facit Athalia, quæ cum Filia eſſet Achab, & neptis Amri, huius tamen 4. Reg. 8. num. 26. & aliàs Filia dicitur. Ego quidem non admodum id probo, qui videam per matrem lineas non duci, quòd autem ſemel nomi-

Pater legalis qui?

In Chriſti genealogia.

Pater naturalis qui?

nominetur Athalia Filia Amri, non tam fauet, quàm officit Maldonato, cum vel mulieri, non mater, non auia, ſed auus in Patrem aſſignetur. Vnde conſtat ne in fœminis quidem rationem haberi fœminarum, ſed virorum: Quare inſolens eſſe, vt in genealogia virorum, mulierum ratio habeatur. Præterea ne id quidem Chriſto contigit, qui ſola matre cenſendus erat; cum per Ioſeph cenſeatur. Adde huius rei, ſi ita contingeret, Mariam quæ Virgo peperit prærogatiuam fore: nec alij id excellentiæ communicandum. Itaque Maldonati coniecturam non probo. Dicerem potius Salomonem fratris ſui Nathan ſine liberis defuncti vxorem ſecundum legem duxiſſe, ex illa Mathan genuiſſe, qui cum legalis eſſet Nathan Filius, eius nomen in lineam traxit, & poſteritatem nouam induxit: non enim lego in ſcripturis vllum Nathano Filium aſſignari. Salomonem autem liberis abundaſſe argumento eſt, quòd amoribus, & vxoribus intemperanter indulſit. Vtcumque ſit, ex modo loquendi ſcripturarum conſtat Chriſtum per Salomonem à Dauide genus duxiſſe.

Suarez. Obijcit ſecundùm Suarez, hanc de Regno temporali Chriſti ſententiam Iudaicum quiddam redolere: quorum proprium fuit, & credere Meſſiam Regem temporalem futurum, & expectare in Iudæa regnaturum. Vult nos religionis obiectu Suarez, vir ſolidæ pietatis, à ſententia deterrere. Verùm facilè ſcrupulum remouemus occupando Iudaicum eſſe id tantùm de Chriſto credere, quod intra limites temporalis poteſtatis erat, nec vlterius quicquam de dignitate, & ſtatu ſpirituali cogitare, & expectare illum tanquam Regem terrenum, non Seruatorem æternum: exiſtimare regnaturum, vti cæteri ante eum Reges regnarant, eumque temporis, & corporis legibus definire, & ad naturalem felicitatem, non ad cæleſtem beatitudinem eiuſdem Aduentum, & Imperium referre, ac vno verbo in temporali fine conſiſtere: nos certè aliud agimus, aliud cogitamus. Qui dicimus Chriſtum ius quidem illud naturale Regium deſpexiſſe, dignitatem repudiaſſe, vſum contempſiſſe, quò indicaret, quàm parui facienda eſſent temporalia illa Regna, decora, & ornamenta, quæ cum ſibi deberentur flocci pendebat, quòd vacua, & ſine Spiritus medulla inania eſſe iudicabat. Immò vt appareret, quantò ſpiritualia temporalibus *Obiectio eliditur.*

præ-

præſtarent, æquum erat, vt illi debitum naturali iure Regnum eſſet, quo cum ſe abdicaret oſtenderet, quanto illud maiori habendum in pretio eſſet, quòd ipſe virtuti ſanctitatique poſtponeret. Et quidem maior vis exempli eſſet Chriſti tot onuſti, & ornati inſignibus, ea omnia, cum frui poſſet deſpicientis, & calcatis ijs ad virtutem ſalutemque tendentis, quàm vacui, & nullis ornamentis præditi demiſsè, ac tacitè ſpiritualia ſectantis. Id ſanè cùm facere Heroicum, non Hebraicum: tum affirmare Catholicum, non Iudaicum eſt. Itaque negamus Chriſtum fuiſſe Regem vſu, & adminiſtratione, quod aiunt ſore Hebræi, affirmamus ius ad Regnum habuiſſe, ſed illo tamen vti noluiſſe; nec videmus, quid ad fidem, virtutemue pertineat carere iure; cum carere, defectus dignitatis ſit, non fructus honeſtatis. Tandem animaduerto hac melius ratione Iudaicam opinionem confutari, cùm, vti ſupra ſignificauimus, Regium illud ius figura fuerit ſpiritualis dominij, ac eo Chriſtus tanquam vmbra voluerit, cæleſtem, qua pollebat, dignitatem adumbrare.

Apta ſolutio.

Sunt tamen duo communes ex Euangelio: Alter. 6. alter. 18. cap. Ioannis loci, quos magna vi ſolent authores opponere. Illum, quòd dicat Euangeliſta Chriſtum, *Cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugiſſe*: iſtum quòd dicat eundem, cùm interrogatus eſſet à Pilato. An Rex eſſet? *Reſpondiſſe: Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Miror quòd homines acuti primum illum nobis objiciant; nam certè non decuit Chriſtum ab hominibus, quos pauerat, de repente, & tumultuosè Regem creari. Nec illi ius regnandi tribuere fortuita conſpiratione poterant. Nec ille vi cogi, aut rapi debuit. Certè non illa erat digna Chriſto imperandi ratio, nec eo nos titulo ad ſolium vocamus. Quòd autem fugerit, nullo argumento eſt regnandi ius non habuiſſe, ſed eo iure vti noluiſſe. Immò retorqueo locum in aduerſarios. Cur quæſo populus eum voluit Regem creare? Sanè quòd videret in eo ius ad Regnum ineſſe: nam credendum non eſt, homines ſenſatos, & probos, ſi ſcirent omni iure carere, Regem eum facere auſuros. Igitur tentaſſe rem tantam, fiduciæ illorum fuit. Fugiſſe autem Chriſtum, prudentiæ. Equidem puto ſi quem ex aduerſarijs turbæ tumultuarium Regem creare vellent, eum certè, quòd

Duo textus Ioannis explicantur.

Chri-

Chriſtus fecit fugiendo facturum. Quare hic locus non tam officit huic ſententiæ, quàm fauet, nec eum nos ſolùm refuſutamus, ſed etiam aduerſus authores contrariæ retorquemus.

Pergo ire ad alterum, in quo maior eſt vis. Itaque eum vehementer omnes fermè obijciunt, cum tamen quidam ex ijs eundem exponere teneantur, quòd doceant Chriſtum totius mundi ratione hypoſtatica temporalem Dominum, ac Regem eſſe. Certè quo illi modo, ne ſuæ noceat opinioni, eo ego, ne meæ officiat expoſuero. Idque accuratiùs facere volo ne cui locus ſit dubitandi. Ait Chriſtus *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. *Non negat*, inquit, Chryſoſt. homil. 82. in Ioan. & Theophyl. & Auguſtinus hoc loco, & Cyrillus lib. 12. cap. 10. & Gregor. Homil. 8. in Euang. *Regem ſe eſſe*. Quid ergo negat? Verbis Patrum reſpondeo: *Negat ſe Regem eſſe eum, qui more Regum aliorum ſuum Regnum gerat, & adminiſtret, armis defendat, & amplificet; negat Regem ſe eſſe ſplendore, pompa, opibus, potentia, viribus, quibus aliorum Regna inuadat, & occupet. Negat ſe cuiquam Regum, aut ius adimere, aut vſum eripere, aut quicquam detrahere*. Sic Auguſtinus, ſic Chryſoſtomus, ſic Cyrillus, ſic Theophylactus, & communis interpretum ſenſus, teſtibus ipſiſmet Vaſquio, & Suario, & Maldonato in Matth. cap. 27. ac præcipuè Durando tract. de iuriſdict. Eccleſ. q. 3. Quin & illi qui nobis vehementius aduerſantur (nam Maldonatus conniuet, & penè conſentit) vt ſe à Medina, & Victor. alijſque negantibus Chriſto temporalis omne dominij genus, liberent, & defendant, dicunt *Chriſtum* de vſu, & adminiſtratione, quam nunquam exercere voluit locutum vno verbo, inquit, Vaſquez diſput. 86. cap. 5. *Quia in hoc mundo non regnauit, quamuis illi conuenerit ius Regni*. Quo quid ego in rem meam affirmare congruentius potui? Cum hoc autem iure ſtare potuiſſe Paupertatem Euangelicam, & abdicationem rerum omnium temporalium fatetur Suarez diſp. 48. ſeſſ. 2. ac ea fermè qua Vaſquez vtitur ratiocinatione. Igitur ſtatuo: Chriſtum negaſſe Regnum, nimirum vſu, & adminiſtratione, non iure, ac poteſtate, & confirmauit ſe non eſſe regnaturum, ſicut alijs Regibus mos eſt, nec ſe cuiquam eorum quicquam temporale ademptururum, & vti natus fuit Rex ſine Herodis damno, ita moriturum Regem ſine Cæſaris detrimento; *non eripere ſe mortalia*

Chryſ. Cyril. Greg. Theop. Auguſt.

Quo ſenſu Chriſtus negauit Regnũ ſuum eſſe mundanum.

Durand.

Vaſqu.

Suarez.

lia, qui regna daret cæleſtia. Erat enim, ait Auguſtinus, Rex *non talis qualis ab hominibus fit, ſed talis vt homines Reges facerent.* Docuit: propoſito ſibi gaudio Crucem ſuſtinuiſſe, & iure hæreditario per Dauidis genus accepto Regno, vſu ſe & adminiſtratione priuaſſe, & ad paupertatem, & abiectionem, pœnam, & miſeriam demittere voluiſſe. August.

Satis hoc erat ad locum exponendum, ſed volo momenta adijcere, & expoſitionem alijs locis Euangelicis confirmare. Multa videtur Chriſtus negare, quæ ſanè re ipſa conſtabant, non quòd negare vellet, ſed quòd ſpecie negandi altiora doceret, menteſque humanas à ſenſibus terrenis, & caducis ad cæleſtes, æternaſque cogitationes traduceret. Dixit Ioan. 7. num. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me*, & gemina ſententia Ioann. 14. num. 24. *Sermonem, quem audiſtis non eſt meus, ſed eius qui miſit me Patris.* Non quòd negaret ſe, aut docere, aut loqui, ſed vt monſtraret ſe à Patre, & doctrinam, & verba accepiſſe, & ſe docendo, & loquendo non ſolum, ſed ſimul cum Patre, cuius erat, & ſapientia, & verbum loqui, quemadmodum Chryſoſtomus, Cyrillus, & Euthymius, & Beda his locis, & Ambroſius lib. 2. de Fide cap. 4. & lib. 5. cap. 3. ac præcipuè Auguſtinus, tum his locis, tum lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. 2. cap. 3. interpretatur. Dixit Ioan. cap. 12. nu. 44. *Qui credit in me non credit in me, ſed in eum qui miſit me*, non quòd inficiaretur, qui in Patrem credit, & in ſe credere, ſed quod vellet docere fidem, qua ſe quiſque hominem eſſe credebat, ad diuinitatem quoque pertinere, quæ vna ei, & eadem cum Patre erat. Iiſdemmet Patribus authoribus, & Ruperto multis illorum, aut ego fallor, ſola ætate minore. Itaque vltra hominem credendo ire, atque adeò ad Deum pertingere, eum & idem homo eſſet, & Deus, oportere. Dixit Matth. 10. num. 20. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* An negare poterat loqui diſcipulos, cùm perſpicuè loquebantur? Non id agebat, ſed ſignificabat eum à quo vim, & virtutem loquendi acciperent, vti eo loco interpretes exponunt. Plura omitto. Hæc ſunt ſatis, vt conſtet Chriſtum, cum dixit. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Regem ſe prorſus temporalem, non negaſſe, ſed non eo modo, & ratione, qua Reges in mundo regnant ſe regnare, ſignificare voluiſſe.

Locorum, qui videntur opponi conſenſio.

Chryſ. Cyrill. Euth. Beda. Ambr. Auguſt. Rupert.

Duæ

Duæ adhuc ſuperſunt difficultates, vna omnibus Euangeliorum, tum Orthodoxis, tum Heterodoxis interpretibus communis, altera quæ non magis mihi, quàm ijs, qui dominij, & Regni authores ſunt negotium faceſſit; itaque breuius à me expedientur. Prima: vnde conſtet Chriſtum eſſe ex genere, & ſemine Dauid, cùm eius genealogia ad Ioſephum terminetur? hic autem Chriſti Pater non fuerit? Trita reſponſio eſt (præterquam quod id ex multis alijs teſtimonijs conſtet) Mariam Virginem Matrem eo quod eſſet vnica Ioachimi Filia, & hæres, ex eadem cum Ioſepho eſſe, & domo, & familia, idque ex matrimonio ipſo apparere, quòd ſecundum legem cum propinquiori erat contrahendum; extat autem lex num. 36. num. 6. & 7. adiuncto num. 8. & 9. in primis enim iubetur, vt Filiæ hæredes nubant viris de Tribu ſua, ne de Tribu in Tribum tranſeat hæreditas. In ſecundis additur, vt nubant cognatis, & hæreditas permaneat in familijs. Idque exemplo Filiorum Salphaad eo capite, & antea cap. 26. & Saræ Filiæ Raguel Tob. 7. ſatis probatur. Quæ ſanè ratio exponendi placuit Auguſtino 16. qu. in lib. Iud. q. 47. lib. 23. & Ambroſio cap. 3. & 4. Hieronymo ſuper Matth. Damaſceno lib. 4. de Fide cap. 15. Theophyl. & Euthymio in cap. 1. Matth. Itaque Mariam ex lege Ioſepho deſponſatam. Quod autem obijciunt, Euangeliſtam hoc ipſum docere debuiſſe, nullius momenti eſt: nam quod omnibus notum erat, id non oportebat enarrari; quemadmodum item animaduerti opus non fuit, Mariam Virginem vnicam, & Filiam, & hæredem Patris Ioachimi fuiſſe. Quare Euangeliſtæ ſilentium, compertæ veritatis eſt argumentum.

Obiectiones vulgares duę ſoluuntur.

Prima quomodo genealogia Chriſti ad Ioſeph terminetur.

Auguſt. *Hieron.* *Damaſ.* *Theop.* *Euth.*

Reliqua dubitatio eſt, quomodo Chriſtus Regni Iudaici hæres eſſe potuerit, cum ius regnandi cum ſucceſſione in Iechonia multò ante deſijſſet? Ita diſertè Hierem. cap. 22. n. 30. *Hæc dicit Dominus, ſcribe virum iſtum* (Iechoniam) *virum qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda.* Quod cum non poſſet de ſterilitate liberorum, (quòd eos, vti conſtat 1. Paral. 17. num. 18. vbi octo eius Filij numerantur, quorum vnus fuit Salathiel habuerit) intelligi; de ſterilitate Regum, quòd eorum nullus, nec poſterórum Rex fuit, omninò intelligendum: vti ſcitè obſeruat Maldonatus,

Secunda quomodo poſt Iechoniam detur ſucceſſio?

1. Paral.

in quo inſigne mendum inuenias, dum ſcribitur. *Aggæi & Eſdræ libris Salathielem Iechoniæ Filium dici*, quòd ſanè numquam non in ijs modo, ſed in nullo veteris teſtamenti præter illum Paralip. & noui, Matth. 1. loco habetur. Hac autem interpretatione accepta, non apparet, quì potuerit ius illud Regium ad Chriſtum peruenire? Equidem affirmo nullum ex poſteris Iechoniæ ab eius vſque ad ortum Chriſti Regem fuiſſe, quemadmodum docent Baſilius Epiſtol. ad Amphil. Hieron. comment. in Hierem. Ambroſ. lib. 3. in Luc. cap. 3. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate. Euſeb. lib. 1. Hiſtor. cap. 6. non idcircò tamen nego Chriſto ius ad idem illud Regnum fuiſſe, cuius ego rei, & interpretationis loci Hieronymum habeo authorem, in eundem locum Hieremiæ. Ille igitur opponens ſibi quo pacto Hieremias dicat neminem ſeſſurum in Regno Dauid ex ſemine Iechoniæ, ſiquidem Chriſtus futurus erat de ſtirpe Iechoniæ, & ſeſſurus ſuper ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius, perſpicuè admittit in Chriſto ius ad Iudaicum Regnum fuiſſe, & teſtimonio contra ſe adducto reſpondet primùm: intelligi poſſe neminem de ſtirpe illius illo viuo eſſe regnaturum; ſecundum: de puro homine loqui Prophetam, non autem de homine Deo, qualis erat Chriſtus; qui certè idonei reſpondendi ſunt modi. Tertium afferam. Prophetam de poſſeſſione, & vſu regnandi, non de iure, & titulo intellexiſſe. Quid enim intereſt ad humana titulum inanem, & ius mortuum habere? niſi eis & poſſeſſio, & adminiſtratio accedat. Certè ſi verba Prophetiæ attendantur, illa poſſeſſionem, & vſum, atque adeo rem ipſam ſignificant. Tandem cum illa pæna peccati fuerit, eos ſolum, ad quos culpa tranſire potuit, debuit comprehendere. Idcirco Deus per eundem Prophetam cap. ſequenti. *Suſcitabo*, inquit, *Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit*. Perinde ac indicare vellet in germine, ideſt Chriſto, extinctum illud ius Regium ſuſcitandum, vt in quem non caderet peccatum in eo deſineret maledictio. Hac ratione ſatis, opinor, illam de iure Chriſti ad Regnum Iudaicum ſententiam citra offenſionem, inuidiamque probauimus: non quod eam ſequamur, ſed quòd, qui eam ſequi velint, tutam ijs & facilem viam monſtrare velimus.

Secunda. Quo modo poſt Iechoniam datur ſucceſſio.

Optima interpretatio.

Baſil. Hieron. Ambr. Auguſt. Euſeb.

CAPVT III.

An & quatenus Chriſtus Regnum, & dominium temporale in hoc mundo habuerit?

CElebris eſt quæſtio,& magna tum animorum,tum ſententiarum contentione agitata,ex qua multæ, & graues controuerſię pendent. In qua permagni intereſt ad ſtabiliendam iuris Eccleſiaſtici cum ſeculari concordiam, ſcire, quì Chriſto, & quatenus poteſtas, quàm accepit à Patre, conueniat? Primùm conſtat Chriſtum Dominum, & Regem generali vocabulo dici ſæpè in ſcripturis. Id cum ſupra quibuſdam commemoratis indicauimus, tum hic alijs prolatis euidenter oſtendimus. Hunc ſibi titulum ipſemet
Ioan. tribuit Ioan. 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benedicitis, ſum etenim*, nec ſolùm priuatum diſcipulorum, ſed communem vniuerſorum Dominum ſe fatetur, cùm quo ſenſu eſt magiſter omnium, eo & Dominus ſit. Ideò vtroque titulo vulgò donatus. *Rabbi, Rabboni, Magiſter, Domine*. Dominus vbique, & quidem verè, vt ait, Lucas 1. Actorum. *Et Dominus quidem Ieſus*. Nam vti 10.Actor.Petrus. *Hic eſt omnium Dominus*. Immò & ipſe Dominum ſe ſupra Dauidem Regem eſſe confirmauit adducto loco.Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Quo vſus eſt Matth.22.n.44. Id ab ipſo Dauide accepit teſtimonium. Pſalm. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*. Non Hebræorum ſolum, ſed etiam gentium: non vnius Prouinciæ, aut Regni, ſed totius Orbis. Et Pſal. 8. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*. Quem locum Paulus de Chriſto exponit. Hebr. 2. & à Ioan. in Apocal.cap.1. *Princeps Regum terræ* dicitur, & cap.79. *Rex Regum,& Dominus dominantium*, in femore, ceu à natura eſſet, inſcribitur. Et apud Matthæum cap.vltimo,ipſemet Chriſtus. *Data eſt*, inquit, *mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Qui certè loquendi modi vniuerſales ſunt, & omne genus poteſtatis, & vniuerſale in omnes creaturas ſuſum dominium comprehendit.

Marginal notes: Luc. — Pſalm. — Paul. — Matth. — *Chriſtus, Dominus, & Rex dicitur.*

Vt tamen ſunt diuerſa hominum ingenia, variæ diſcrepanteſque ſunt ſententiæ. Sunt qui velint Chriſtum, Dominum ſolum, & Regem ſpiritualem eſſe, atque huiuſmodi *Quo ſenſu ſpirituali ne an temporali.*

di

di teſtimonia ſenſu temporali negant accipi debere. Itaque totum Chriſti dominium ad ſpiritum contrahi. Nec opus eſſe effundi, cùm latiſſimè hic titulus pateat, & ad ipſum omnia reuocentur. Nam hac ratione ineſſe Chriſto ius, & poteſtatem vniuerſalem, quam indirectam, & obliquam vocant, minimè negant. Sunt qui contrà ſentiunt, aiunt quippè, vltra hoc ſpirituale, quòd omnes concedunt, temporale quoque Chriſto dominium conuenire: idque vniuerſale eſſe, ac vndecumque perfectum. De quo illos adductos locos intelligendos: nec decere, vt Chriſtus Dominus naturalis Dei Filius, eo titulo careat, quem in *Femore* ob id maximè, quòd naturalis ſit, ſcriptum gerat. Ita locum qui carnem ſanguinemque ſignificat cum iure temporali conuenire. Vtrique authoritate Patrum, vtrique ratione pugnant. Et quoniam qui affirmant pluribus Sacrarum Scripturarum locis niti videntur, hos ij authores, qui negant vno verbo refellunt, ſpiritu, non littera locos metiendos. Itaque illorum ſenſum allegoricum, & myſticum eſſe. Idque tum expendendo adductos in quibus verba ſunt, quę ſpiritum redoleant, tùm adducendo alios, qui ſolido Spiritu conſtant, confirmant.

Videtur ſummi ſenſu ſpirituali. Vnum & alterum demus: *Zacharię 9. Exulta ſatis Filia Sion, iubila Filia Hieruſalem. Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator, & ipſe pauper.* Huc omnis apparatus, & pompa redit. Quòd quo maximè videtur loco maieſtas, & dignitas Regia indicari, ille totus ad Spiritum refertur. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo. Super Sion montem Sanctum eius.* Huius quippè altitudo, & ſolij, & montis ad plana, & iam prædicationis deſcendit. *Prædicans præceptum eius.* Sanè vix vllum eſt Sacrum teſtimonium, quòd etſi maximè exaggeratum ſit, non ad ſpiritualia tandem munia deuoluatur. Zachar. Pſalm.

Igitur antequam ad Patres, quorum nos maximè authoritate mouemur, accedamus, recentioris memoriæ authores, quorum in vtramque partem eſt diuerſum iudicium, numeremus. *Pars negans Regnum temporale Chriſti.* Negantem complectuntur Vualdenſ. lib. 2. Doctrinal. Fid. cap. 76. & 77. Driedo lib. 7. de dogmat. Sacr. Scriptur. tract. 2. cap. 10. par. 1. Abulenſ. in cap. 21. Matth. 9. 30. ad illud. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Victor. relect. 1. de Poteſt. Eccleſiaſt. q. 5. Bartholom. Medina apud Vaſq. q. 59. art. 4. Burgenſ. apud Azor. in Scrutin. Script. par. 1. diſp. 7. Sot. ſect. 4. de Iuſtit. & Iure q. 4. art. 1. & Maldonatus comment. Vvald. Dired. Abul. Victor. Medin. Burg. Sot. Mald.

ment. in cap. Matth. 27. vbi ait Regnum Chriſti eſſe ſpirituale, & addit. *Qua parte Chriſtus homo erat, non eſſe vniuerſi Orbis terrarum temporalem Regem, & ita Auguſtinum, & omnes bonos Theologos ſentire*. Affirmantem tenent Diu. Antoninus 3. par. tit. 3. cap. 2. Almain. tract. de poteſt. Eccleſ. cap. 8. Turrecrem. lib. 2. Summ. cap. 116. Gandau. quodl. 6. q. 23. & Nauar. in cap. Nouit. de iudicijs notab. 3. nu. 8. & nu. 130. Hoſtienſis in cap. *Quod ſuper his* de voto col. 4. Durand. tract. de iuriſdict. Eccleſ. q. 3. Azor. inſtit. par. 2. ſect. 4. cap. 19. & ſi titulum Redemptioni aſſignet. Suarez 1. tom. in 3. part. diſp. 48. ſect. 2. Vaſquez ibidem diſp. 87. cap. 2. & grauis author Franciſcus Mendoza in lib. 1. Reg. cap. 2. num. 10. annot. 15. De mente D. Thomæ diſſentiunt duo Summi Theologi, Vaſquez, & Suarez. Nam Suarez non dubitat, quin huius ſit affirmantis author ſententiæ. Vaſquez vero in negantem eum abire contendit. Nos infra de eo iudicium feremus, cùm multùm in authoritate Sancti Doctoris eſſe momenti exiſtimemus. Quòd ſcripturas, & Patres attinet, mirum eſt, quòd Vaſquez affirmat, nullum ex ijs, quæ pro ſua ſuorumque ſententia afferuntur Sacræ Scripturæ teſtimonijs, ſatis idoneum eſſe, cùm omnia facilè in contrarium ſenſum verti poſſint. Neminem item eorum qui citantur Patrum ei adſtipulari ſententiæ. Itaque vtrorumque vires teſtimoniorum exponendo infringit, tàm accuratè, vt nullus aduerſariorum ingenioſiùs id, aut aptiùs facere potuerit. Itaque cap. 4. eleuata omni prorſus authoritate ſola ratione ſuam ſententiam probare nititur, & ingenuè fatetur, aliter eam rectè confirmari non poſſe. Ratione autem vtitur ea, quæ communis item eſt Suario, alijſque authoribus: Ad eam priuſquam veniamus: quoniam huic adhæremus ſententiæ, monitum volumus Gabrielem Vaſquez, & ingenio acrem, & iudicio grauem, & eruditione excellentem, de duobus, quæ operæ pretium duximus ad ingreſſum cauſæ occupare. Alterum: non admodum firmam eam fore ſententiam, quæ nullo ſcripturarum, nec Patrum fundamento nitatur. Alterum: ſi ea ratio tam apta eſt, & certa, mirum eſſe quomodo tot tantoſque Patres latuerit? Quorum primum Vaſquius, vti eſt prudens, non fatebitur: Secundum, vti eſt moderatus non admittet.

D. Ant. Alm. Turr. Henric. Nauar. Hoſt. Duran. Azor. Suar. Vaſqu. Mend. Vaſqu. Suar.

Pars affirmans.

Quid de ſcriptura, & Patribus Vaſq. ſentiat.

His animaduerſis ſic cenſeo. Chriſtum quà Homo eſt, beneficio

neficio Hypoſtaticæ vnionis vniuerſale ius in totum Orbem, & dominium vtriuſque generis, ideſt ſpiritualis, & temporalis habuiſſe. Vno verbo expreſſimus rationem Vaſquij, quàm ille tantoperè exaggerat; ac ea certè eſt Suarij diſp. 48. ſect. 2. & omnium fermè qui hanc ſententiam affirmantem ſequuntur. Quorum etſi ſunt nonnulli, qui aliam adhibeant ductam ex ſimilitudine Melchiſedech in vtraque dignitate, & Sacerdotis, & Regis conſtituti, & Sacerdotij iure nixam, vti eſt Franciſcus Bozzius Eugubinus par. 1. de temporal. Eccleſ. Monarch. & Sacerdot. Nullus tamen eſt, quin affirmet radicem, & fontem huiuſce vniuerſalis dominij, & poteſtatis, vnionem naturæ humanæ ad hypoſtaſim Verbi fuiſſe; quàm ſanè optimè capite illo 4. exponit, & amplificat Vaſquez. Sed nec ſæpius vſurpat, nec vehementius inculcat, quàm facit Suarez. Et quidem idonea ratio eſt, quam & afferre certiùs, confirmare fortiùs, & amplificare latiùs volo.

Chriſtum eſſe Dominũ ſpiritualem, & temporalem cenſet author

Suar.

Eugub.

Vaſqu.

Altiùs duco principium. Chriſtus eſt naturalis Dei Filius, atque adeò hæres Dei. Filio autem, & hæredi conueniunt, quæ Patris ſunt naturali, & hæreditario iure. Deus verò eſt Dominus, & Rex vniuerſi: igitur & Chriſtus dominium, & Regnum ſuper totam rerum vniuerſitatem habet: Nihil in hac ratiocinatione, opinor, ad rem hanc demonſtrandam deſideratur. Ea quidem conſtat: ac eſt vndecumque certa, & munita. Id ego accuratè oſtendo. Illa prima pars propoſitionis reliquarum fundamentum in confeſſo eſt, cuius oppoſita damnata eſt ab Adriano I. Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpan. & in Epiſt. Concil. Francofordienſis ad eoſdem. Et in libro Sacroſyllabo edito in eodem Concilio, & in Epiſtola Caroli Magni ad Elipandum Archiepiſcopum Toletanũ, qui cum Felice Vrgelitano Epiſcopo Chriſtum adoptiuum eſſe, non naturalem Dei Filium aſſerebat. De cuius authoritate Concilij præter ea, quæ habentur tomo 3. Conciliorum egit ſua accuratione ne poſſemus ambigere Vaſquez diſp. 89. à quo etiam illud habemus teneſſe in Eccleſia huiuſmodi veritatem definitam. Quæ ſanè optimè demonſtratur à S. Th. 3. par. qu. 3. & 4. & 32. art. 3. & 4. contra gentes cap. 4. & Scoto in 3. diſp. 10. q. vndec. qui cum S. Thoma in eo conſenſit, quamquam in ratione, & modo loquendi de adoptione aliquantum diſſentiat. Hos Principes ſuæ Scholæ ſequun-

In quo fundetur vtrunque Chriſti dominium.

Chriſtus Filius Dei naturalis.

Adr. I.

Epiſtola Caroli Magni.

D. Tho.

Scot.

Magiſt. Albert. Suarez. Vaſqu. Adrian. Papa. Concil. Franc. quuntur poſt Magiſtrum in 3. diſt. 10. cap. 4. & Albert. ibi art. 13. nec non tota Ieſuitarum Authorum cohors Ducibus Suarez diſp. 49. & Vaſquez diſp. 89. Ea vero probatur ab Adriano Papa, & Concilio multis Sacræ Scripturæ teſtimonijs. Ex quibus duo tantum produco. Alterum Pauli ad Romanos 8. *Proprio Filio ſuo non pepercit*, ideſt, *naturali*, non adoptiuo, & aliunde ſumpto. Alterum Ioann. 1. cap. vltimo. D. Tho. *Vt ſimus in vero Filio eius*. Quem locum citat D. Tho. qu. 23. art. 4. in corp. Vtrumque autem coniungit grauis interpres Pauli Guilielmus Eſtius in Paul. 8. ad Romanos, vt ex ijs inuictè probet Chriſtum *Filium Dei naturalem non adoptiuum eſſe*. Quod miror minus animaduertiſſe Louanienſes, qui capita illius Epiſt. Ioan. mortuo Eſtio abſoluerunt: cùm in commentarijs more Græco legant. *In vero, in Filio eius*. Separando illud *vero, à Filio, & vero*, Patri Deo aſſignando, vt ſit ſenſus *in Patre, ac Filio*. Quod alienum eſt à mente Guilielmi, qui ad locum Pauli legit. *In vero Filio eius*. Vti legit D. Thomas, & vnde colligit eſſe natura, non adoptione Filium. Hinc communis Patrum conſenſio affirmantium Chriſtum hominem Filium eſſe naturalem Dei, & eo à nobis, qui per gratiam adoptati ſumus, diſtingui. Ita Ambroſius lib. 1. de Fide cap. 9. & lib. de Incarn. Domin. Sacram. cap. 8. *Ille*, inquit, *per naturam: nos per adoptionem*. Ita Auguſt. Epiſt. 120. & lib. contra Secundinum Manichæum cap. 5. & lib. 3. contr. Fauſtum cap. 3. & tract. 2. in Ioan. cap. 1. & antiquior Ambroſio Irenæus lib. 3. contr. hæreſes cap. 22. & Hilar. 6. de Trinit. & Gregor. Magnus lib. 2. Moral. cap. 6. alias 29. & Ildefonſus in lib. de Virginitate Mariæ, & Iſidorus lib. de doctr. & Fide Eccleſiaſt. dogm. cap. 2. & Damaſcen. lib. 4. de Fide cap. 8. Leo item IX. Papa in Epiſt. 3. ad Petrum Epiſcopum Epiſcopum Antiochenum.

Eſtius. — Louanienſiũ de iſtis ſcriptis in curia. — Louan. — Ambr. — Auguſt. — Patres negãt Chriſtum eſſe Filium adoptiuum. — Irenæus. Hilar. Gregor. Magn. Ildefon. Damaſ. Leo IX.

Satis eſſet huiuſmodi authoritas ad rem aſtruendam; ſed quoniam circa veram, & germanam rationem diſcrepant Theologi, qui varias excogitant, alijs alias oppugnantibus, & defendentibus, vt apparet in Scoto, & in Vaſquez qui ceu acutiores eſſent multas improbant, putantque ſuas idoneas, & validas eſſe, multumque in ijs inueniendis ſudant: quam illi duo maximè probant, ea certè traditur ab Auguſtino, & à Diu. Thoma perficitur. Eſt autem huiuſmodi ex vtraque confecta. Auguſtino lib. 3. contr. Fauſt. cap. 3. D. Thoma

Scotus. Vaſqu. — Auguſt. D. Tho.

Comperto Chriſtum non eſſe adoptiuum, ſed naturalem Dei Filium, ex eo ſequitur eſſe hæredem. Quòd D. Paulus Galat. 4. aptè intulit. *Quod ſi Filius, & hæres.* Immò & Matth. in parabola. Pro eodem poſuit; nam cum dixiſſet: ore Chriſti narrantis *Filium ſuum*, & rurſum ore Patris *Filium meum* induxit Parricidas colonos dicentes. *Hic eſt Hæres*. Perinde ac idem eſſent illa duo, quæ ſeorſim poſuerat. Et quamuis locus Pauli ad Filios per gratiam adoptatos pertineat, vti ex textu conſtat, & obſeruat Eſtius ibi, inde apparet quanta ſit vis iuris in Filio naturali ad hæreditatem, cùm vel adũbrata ratio Filij adoptione expreſſa, ius illud ſecum portet, & transferat. Vnde idem Paulus ad Hebræos, cum nominaſſet Chriſtum Filium Dei ad nos miſſum Doctorem, & Magiſtrum, per quem nos docuiſſet Pater *nouiſſimè locutus in Filio*. Statim adiecit: *Quem conſtituit hæredem:* vt nexum inter vtrumque indicaret. Et verò diligenter notandum, quòd conſtitutus ſit hæres, cùm primum ſuſceptus eſt, & aſſumptus: vt ſimul eſſet, & aſſumpta natura, & ius acceptum, & in eadem vnione, & ratio nexus cum Diuinitate, & cum hæreditate conſiſteret; Vt eo loco Eſtius, & Suarez diſp. 48. ſect. 2. obſeruant: quod adeò verum eſt, vt etiam quæ diuinæ naturæ propria ſunt, & Verbum cum Diuinitate accipit, ea tamquam Filium accipere, & iure Filij habere ſe teſtetur: tam firma eſt illa ratio hæreditatis. Id verò Ioan. 16. nu. 15. apparet: vbi ſic Chriſtus. *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet*. Quæ verba de eſſentia, & attributis, quæ appellant, Patres intelligunt, quos magno numero citat Maldonatus, à quo ibi cum Theodoro Mopſueſteno, quem citat, animaduertitur, ea omnia nomine bonorum, & poſſeſſionis, quaſi hæreditario iure venire, non quod non eſſet maior multò vis communicandi in natura, quæ vna erat, & eadem, ſed vt firmitas quoque illius iuris, in tranſmiſſione dominij per naturam à Patre in Filium translati ſignificaretur. Huic loco geminus eſt alius Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*. Vbi vocem *Omnia*, quàm Hilar. Euthym. & Theophylactus ad diuina referunt, cæteri Patres Chryſoſtom. Hieron. Beda. Tertullian. lib. 4. contra Marcion. & Auctor. Imperf. ad externa, & humana referunt. Ea verò, quæcumque ſint, vnde manent, mox oſtendit. *Et nemo nouit Filium, niſi Pater: neque*

Margin notes: Paul. — *Chriſtus hæres Patris.* — Eſtius. — Suarez. Eſtius. — *Vnde id proueniat.* — Mald. Theod. Mopſ. — *A ratione Filij naturalis.* — Hilar. Euth. Theoph. Chryſ. Tertull. Hieron. Beda.

Patrem quis nouit, niſi Filius? Nempè à generatione, quæ intellectu in diuinis perficitur, quæ ratio eſt, & via tranſmittendæ hæreditatis.

Iam verò cum de veritate propoſitionis conſtet, agamus de aſſumptionis veritate. Certè nemo ambigere poteſt Deum eſſe Dominum, ac Regem vniuerſi, ac omnium quę in eo res continentur. Earum ergo dominium habere Chriſtum naturalem eius Filium, iure item Filij, id eſt naturali, neceſſe eſt. *Chriſti dominium vniuerſale ſtatuitur* Hoc autem ita ſuadeo teſtimonijs Scripturarum. Io. 13. *Omnia dedit ei Pater in manus.* Ioan. Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt*, vbi. *Omnia: nihil omnino, aut excludit, aut excipit.* Itaque Tertullianus. Tertull. *Omnia quæ per ipſum facta ſunt*, interpretatur lib. 4. contra Marcionem. Author Imperfecti *Omnia Regna Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.* Author Imperf. Rurſum Matth. vltimo. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Omnis autem Poteſtas.* Nullam non ſignificat. Non eſſet autem *Omnis*, ſi temporalis deeſſet. Dauid, ac ex eo Paulus rem prorſus tradiderunt. Dauid. *Omnia*, inquit ille, *ſubieciſti ſub pedibus eius. Oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi*; & quaſi dedita opera docere nos vellet, hoc dominium, & temporalium, & temporale eſſe, ac nihil omnino excipi: addidit. *Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*, & concluſit. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?* ne quid in ea nomini eius non aſſignaretur, cui inclinantur genua. *Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.* Hic autem, ideſt Paulus 1. Corinth. 15. adhuc expreſſius, & ex- Paulus. *Teſtimonijs vtriuſque teſtamenti.* plicatius. *Oportet autem illum regnare.* Quòd autem Regnum vniuerſale foret, adiecit. *Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio, præter eum qui ſubiecit ei omnia.* Præclarè: nam dum negat ſubijci ei, quod ſubiectum eſſe non poteſt, cætera omnia ſubiecta eſſe confirmat. Adijcit momentum locus ad Hebr. 1. *In Filio quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit, & ſæcula.* In quo tam eſt perſpicua locutio, vt Chryſoſtomus *Vniuerſorum* Chryſ. interpretetur: *Dominum totius mundi.* Et D. Thomas. *Vni-* D. Tho. *uerſalem hanc Chriſti hæreditatem* intelligat. *Dominationem, quam accepit in vniuerſam creaturam.* Nullum autem manifeſtius, & luculentius inuenitur huiuſce Principatus teſtimonium, *Egregium Pauli teſtimonium.* quàm illud 1. Epheſ. capite, in quo, me iudice, res tota conficitur. Paul. Eſt autem. *Quam operatus eſt in Chriſto ſuſcitans illum*

à mor-

à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in Cæleſtibus, ſupra omnem Principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Hic ſermo eſt de actu, & poſſeſſione dominatus, & Regni, quam Chriſtus poſt mortalem hanc vitam in Cælo accepit. Ea verò monſtrat cuiuſmodi illius ius fuerit, acquiſitum per vnionem ad Perſonam Diuinam. Hac verò phraſi Pauli, *omnia* comprehenduntur, quæ excogitari, ſiue in cælo, ſiue in terra poſſunt, vti apparet ex illa exaggerata forma, & ratione dicendi. Quam Græcus textus altius adhuc euexit, nec enim legit ano, ideſt *ſupra*: ſed Yperano hoc eſt *longè ſupra*. Vt ſublimius attolli non poſſet. Quòd autem Paulus de temporali dominatu, ac poteſtate loquatur (id enim rem continet) manifeſtè apparet ex reliqua parte ſententiæ. *Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam.* Diſtinxit hoc membrum à cæteris, ac ſeorſim dixit, ne quis putaret, quæ hucuſque dixerat, ad ſpiritualem ſenſum pertinere. Itaque adiecit Eccleſiam, quòd voluit diuerſam dominationem, & poteſtatem ſignificare, quæ ſpiritum & contineret, & ſaperet: eius autem ſe caput dixit, vt nouum dominandi genus indicaret, quo cum in eam vteretur, non auulſus ab ea, ac ſuper eminens maneret, vti alio regnandi genere remanebat, ſed coniunctus cum ea, & copulatus, vt illa eſſet corpus, ipſe autem capitis inſtar ita præeſſet, vt pars illius eſſet, cum eaque in vnum corpus coaleſceret. Qua ſanè diuerſitate poſituræ, diuerſa dominatus genera ſignificabat. Itaque alter ille modus Imperium, & eminentiam quandam temporalem, hic dignitatem, & influxum capitis in membra ſpiritualem continet.

Expenditur ex Græco.

Illuſtre item huiuſce Principatus temporalis argumentum eſt, quòd Chriſtus non hominum tantùm, ſed Angelorum caput, & Princeps eſt: atque adeò omnibus præeſt, vti Dominus: cui omnes obediunt, ſeruiuntque. Id autem liquet ex verbis Pauli proximè ex 1. cap. Eph. adductis. Nam nomine *Principatus, & Poteſtatis, virtutis, & dominationis,* & 2. Coloſs. num. 10. *Qui eſt caput omnis Principatus, & poteſtatis* Angeli intelliguntur. Quemadmodum Græci Patres, & ex Latinis Hilar. in Pſal. 139. & Auguſt. in Enchir. cap. 56.

Chriſtus an & quomodo ſit caput Angelorum.

Hilar. Auguſt.

cap. 56. & Concione 3. in Pſalm. 36. & Anſelm. in lect. Pauli, & D. Thomas 3. par. q. 8. art. 4. interpretantur. Et tradit Eſtius in Paulum, & Scholaſtici, quos infra citabimus. Hunc ſenſum confirmat celebris ille eiuſdem Pauli ad Hebr. 1. locus. *Tanto melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditauit.* Qui & præſtantiam Chriſti ſuper Angelos, & cauſam continet. Nam ex Græco. *Tanto potior*, ſeu *præſtantior* legitur. Ne quis ad Sanctitatem gratiamque ſolam referret, Principatum, & dominationem excluderet. Vnde Chryſoſtomus, & Theophylactus. *Tanto maior* verterunt. Cauſam verò *differentius nomen* ſignificat. Ideſt *Filij Dei naturalis*, vti D. Thomas, & Caiet. obſeruant, & ſequens, quem iam expendimus locus oſtendit. *Cui enim dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu? ego hodie genui te?* Ea verò phraſis indicat cuiuſmodi illa ſubiectio Angelorum, excellentia futura ſit: nempè integra & perfecta, tum quoad Sanctitatis, & gratiæ, tum quoad authoritatis, & dignitatis, atque adeò dominationis excellentiam, nec enim niſi Homini Dei Filio Angelica natura ſubijceretur, nec verò hic eam aut recuſare poterat, aut remittere: quod nimirum debita eſſet iure ſeruitutis, quam Paulus vſq; ad adorationem prouexit. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, Sumpto teſtimonio ex Pſ. 96. Secutus vti ſolet ſeptuaginta, qui, quod hebraicè eſt *Elohim*, non *Malakim* vertunt, eius: quanquam etſi retineatur *Elohim* idem eſt ſenſus, & exaggeratior Chriſti excellentia, qui vel ab Angelis, quos quidem ceu Deos colebant, & adorabant, erat adorandus. Quare huc facit ille verſus Pſalm. 96. *Nimis exaltatus eſt ſuper omnes Deos*. Vbi ſeptuaginta retinuerunt *Elohim*. Congruit autem maximè hic ſenſus menti Pauli, qui ſæpè in ſuis Epiſtolis conatur refellere hęreſim Simonis Magi à quo Angeli ad Diuinam vſque maieſtatem euehebantur, teſte Irenæo, & Epiphanio, quos citat, qui huius animaduerſionis aptæ, ſanè & idoneæ author eſt Guilielmus Eſtius in comment. ſuper. cap. 1. ad Epheſ. & ſæpè aliàs. Ad eum ergo refellendum, qui Chriſtum Angelis, vt hominem, & Dijs poſtponebat, Paulus omni ſtudio ex ſcripturis probat, Angelos Chriſto, vti Crearuras, Filio Dei naturali eſſe ſubijciendos. Et mihi quidem vehementer placet Eſtij coniectura. Cui meam etiam adijcio. Eandem rem agere Petrum qui par Simoni in arena Catholica oblatus, cum eo deſtinato

Anſel. D. Tho. Eſtius.

Chryſ. Theop. Theod. Caiet.

Angeli Chriſto ſubiecti.

Paul. 70. Dauid.

Simonis Magi hæreſis de Angelis.

Irenæus Epiph. Eſtius.

ſibi

ſibi hoſte conflixit. Obſeruo quippè in Epiſtol. eius 1. ſæpè Petrus. *Imperium* Chriſto tribuere, & in ſecunda cap. 1. num. 12. *Regnum Æternum* Eidem aſſignare, & cap. 3. Epiſtolæ 1. Illuſtrem illam ſententiam ad refutandam hæreſim Simonianam, quaſi fulmen aliquod intorquere. *Per Reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt in dextera Dei deglutiens mortem vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. Profectus in Cælum ſubiectis ſibi Angelis, & Poteſtatibus, & virtutibus.* Nec dubito, quin & Iudas in ſua Catholica eundem Simonem, & Sectatores pungat, cum dicit. *Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem, & Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.* Vtramque enim hæreſim profiteri eos, & luxuriæ, & perfidiæ, ſectando voluptates, Epicureo more, & negando Chriſti diuinitatem, eique Angelos anteferendo conſtat ex ijs, qui de hæreſibus ſcripſerunt. Ac illa particula *Solum* me in hanc coniecturam prorſus adducit. Quòd illi non negabant Chriſtum Dominum eſſe, ſed affirmabant Angelos, item Principes, & Dominos eſſe, eòque Superiores: Quòd Iudas tangit, & refutat, faſſus eos, non ſolum Chriſtum Dominum dicere, & oſtendens illum ſolum dominatorem, & Dominum ſecluſis Angelis eſſe. Idque in fine Epiſtolæ, vt apud Latinos habetur luculenter declarat. *Soli Deo Saluatori Noſtro per Ieſum Chriſtum Dominum Noſtrum gloria, & magnificentia, Imperium, & Poteſtas ante omne ſæculum, & nunc & in omnia ſæcula ſæculorum, Amen.* Quæ doxologia, etſi Deo tribuatur, in Chriſtum ſanè per quem ea, quibus conſtat, parta ſunt, haud dubiè redundat.

Iudas. Apoſt. — *Refutantur.*

Pergo vrgere propoſitum. Adorari ab Angelis Chriſtum compertum planè eſt. Atque ita Concilium Tridentinum locum illum Pauli ex Dauide ſumptum intellexit, & ad Euchariſtiæ adorationem traduxit ſeſſ. 13. cap. 5. Itaque non eſt mirum prohibuiſſe Angelum illum Apocalypſeos Ioannem, ne ſe adoraret. *Vide ne feceris.* Cum ſciret ſe Chriſto Homini eſſe ſubiectum, quem vti ſeruus debebat adorare: Vnde & hanc cauſam innuit illis verbis. *Conſeruus enim tuus ſum.* Et quidem Angeli Chriſto Matth. 4. miniſtrarunt. *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Nec id mandaret ijs Deus niſi ſubiecti eſſent. *Angelis ſuis mandauit.* Nec illi manus ſuas pedibus Chriſti ſupponerent, niſi caput eſſet hominum, & Angelorum. *In manibus tollent te.* Atque hìc eſt

Concil. Trid. — *Subiectio Angelorum erga Chriſtum.*

nobili quæſtioni locus. An Chriſtus ſit caput Angelorum? Ambigunt quidam, quòd diuerſæ ſint naturæ: quæ ratio ſi vera eſſet, Deus non eſſet caput Angelorum. Eam vero & affert D. Thomas & refutat alio tamen modo q. 8. art. 4. vbi ait Chriſtum non omninò diuerſæ eſſe naturæ, cum conſtet corpore, & animo, qui Spiritus eſt. Atque adeò eiuſdem generali ratione cum Angelis naturæ. Communis tamen ſententia eſt Scholaſticorum. Alexand. 3. par. q. 22. memb. 2. art. 2. Richard. in 3. diſp. 13. art. 2. Durand. q. 2. nu. 7. Palud. q. 1. art. 3. & Thomiſtarum, cum D. Thom. 3. par. qu. 8. art. 8. & Scotiſtarum cum Scoto in 3. diſt. 7. qu. 1. & diſp. 19. q. vn. & in reportat. diſt. 7. qu. 4. vel diſt. 6. qu. 4. dum ait: Verbum independenter à peccato Adæ incarnatum iri, & Patrum Ieſuitarum, ac fermè omnium Pauli Epiſtolarum interpretum affirmantium. Quoniam verò capitis eſt in reliquum corpus influxus: quæritur. An Chriſtus hac ratione Angelorum caput ſit? Et quidem Scotus cum ſuis, & Iacobus de Valentia in Pſalm. 81. & 107. & Pighius lib. 8. de libert. arbitr. cap. 1. art. 2. & 3. & lib. 10. cap. 1. & Catharinus lib. de eximia Chriſti prædeſt. & in annot. ſuper hac re contra Caiet. in quæſt. lib. 3. partis, & Claudius Taurinenſis lib. de Prouident. qu. 1. art. 2. & Viguerius in inſtit. Theolog. cap. 20. §. 1. & Iacob. Naclant. in Epiſt. ad Epheſ. cap. 1. & Suar. diſp. 5. ſeſs. 5. alijque & ante & poſt eum magni nominis Theologi aiunt: Chriſtum eſſe caput Angelorum influens in eos, & gratiæ dona, & gloriæ prȩmia: & quidem ad ſuam ſententiam congruenter. Quibus cum ſi ego ſentirem facilè me ab hac quæſtione affirmando expedirem. Verum aliter ſenſi in mea Cortina cum Diuo Auguſtino, & Sancto Thoma, quorum ibi quàm plurimos citaui locos, & modò cum iiſdem ſentio, quòd videam cauſam Incarnationis Chriſti non aliam tradi in Sacris litteris, Patrumque libris, niſi remedium peccati. Vti vir doctiſſimus, & cui multum deferre ſoleo, Maldonatus confirmat. His grauiſſimis in cap. 3. Ioan. numer. 8. verbis. *Tertium eſt Chriſtum in hunc mundum venturum non fuiſſe, ſi homines non peccaſſent. Hanc enim ſolam cauſam Aduentus ſui, & Chriſtus hoc loco, & ſcriptura vniuerſa, & veteres authores omnes reddunt.* Quos numero vndeviginti alius non eo minus doctus, & eruditus eiuſdem inſtituti Author Vaſquez adducit 1. tom. in 3. p. q. 8. art. 3. diſp. 8.

Quomodo Angeli ſubijciantur Chriſto.

Chriſtus eſt caput Angelorum.

Incarnatio Verbi non foret ſi Adam non peccaret.

D. Tho. Alexan. Richar. Durand. Palud. D. Tho. Scot. Iacob. Valent. Pighius. Cathar. Claud. Taur. Viguer. Naclan. Suarez. Auguſt. D. Tho. Mald. Vaſqu.

diſput.8. cap.4. & 5. qui eidem ſubſcribit ſententiæ: quam omnes S. Thomæ ſectatores vnanimi conſenſu profitentur, ac ex alijs D.Bonauen.in 3.d.1.art.2.quæſt.2. & Richard. ib. art.1.quæſt.2.& Gabriel.d.2.quæſt.vn ar.3.dub.3. Argentin. ibid.ar.4.Abulenſ. in cap.4. Matth.q 44. Dionyſ. Carthuſ. q.2.Ioannes Arbor. lib.3. cap.8.

D.Tho. Bon. Rich. Gabr. Arg. Abul. Carth. Arb.

Quare alia mihi ineunda eſt via: quam & in cortina indicaui,& in mente Innocentij, & in ſcrinio Auguſtini,quam quòd hic aperuit, ſum ingreſſus. Docet igitur Auguſtinus, Chriſtum non meruiſſe Angelis, nec Adamo in ſtatu integritatis gratiam, & innocentiam, atque neutram ex meritis Chriſti fuiſſe. Quòd non fuerit *Prædeſtinatus Filius Dei*(vtor verbis Pauli) niſi poſt præuiſum Adami peccatum. Cuius remedium, & generis humani redemptio, vnica, & integra cauſa eius aduentus fuit. Id nos ibi latiſſimè probauimus, adductis multis, & expreſſis locis. Itaque præiudicatam ſequimur ſententiam, quam ex eodem Auguſtino, & alijs confirmat eruditè Vaſquez diſp.49. c.2. & ſequen. qui docet *Angelos non habuiſſe gratiam ex Chriſti meritis*: Quod eſt aſſumptum capitis 2. Itaque influxiſſe Chriſtum gratiam in Angelos,atq; adeo illa eſſe ratione caput affirmare Auguſtiniani Theologi,& hac in re Thomiſtæ non poſſumus. Non ideò tamen caput eſſe eorumdem iuſtum quidem aptumque negamus. Cuius D. Auguſt.author eſt, & auſpex ſententiæ Concione 3. in Pſalmum 3. qui quoniam illuſtris eſt locus, à me hic eſt repræſentandus. *Caput*, inquit, *noſtrum Chriſtus eſt. Corpus capitis illius nos ſumus. Numquid ſoli nos? Et non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio ſecuti fuerunt iuſti adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum; vt illa vna Ciuitas fiat ſub vno Rege, & vna Prouincia ſub vno Imperatore*. Simile quiddam habet Comment. in Pſal. 189. ad illa verba: *Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos*. Quæ mens item fuit Hilarij circa eundem Pſalmum. Age verò quomodo caput ſit videamus.

Aug. — *Chriſtus non eſt mortuus pro Angelis.* — Vaſq. — *Chriſtus eſt caput Angelorum.* — Aug. — Hilar.

Primùm vindico: id nobis bellè cadere, quòd gratiæ per influxum caput non ſit: nec enim alius videtur ſupereſſe modus, quàm vt Principatu, & Dominatione caput ſit. Vnde conſtet neceſſe eſt Chriſtum Angelis imperare, & regnum inter eos gerere. Quod autem hoc ſit ſatis ad ſuſtinendam rationem capitis liquet ex doctrina S. Thom. 3.p.

q. 8. art. 6. in corp. vbi docet Chriſtum duobus modis eſſe caput Eccleſiæ, altero *per intrinſecum influxum*: altero *per extrinſecam gubernationem, prout*, inquit, in ſolutione ad primum *Rex dicitur Caput Regni ſui*, quo ſenſu Chriſtus propriè *Rex Angelorum*, authore eodem D. Thoma à Guilielmo Eſtio in cap. 2. ad Philippenſes, eſſe dicitur. Id autem ipſum nos volumus qui affirmamus Regnum Chriſto temporale conuenire. Hoc ergo munus capitis cùm erga Angelos exerceat, eorum certè Rex, & caput eſt. Verum, & illud aſſumo: Chriſtum etiam capitis influentis in Angelos rationem habere. Lectis diligenter Theologis: tribus modis comperio poſſe Chriſtum, ſecluſo influxu Gratiæ, Angelorum caput eſſe. Primus exterior perſonis, ſed intrinſecus ſtatui quòd nimirum illorum ordines reparauit, quos cum praui, ac reprobi Angeli ruina ſua minuerint, & turbarint, Chriſtus additis prædeſtinatis hominibus, eos impleuerit, & refecerit. Secundus interior illuminationis, quæ vberior per Chriſtum accidit Angelis, qui ab eo tanquam à Sole præſente copioſiùs illuſtrantur. Tertius non minus intimus, accidentalis, quam vocant, gloriæ, quæ certè Angelis ex Chriſti aſpectu, & Sanctorum hominum conſortio accreuit. Hos tradit, & putat ſufficere ad rationem capitis tuendam Alexander 3. p. q. 11. mem. 2. art. 3. cum tamen author ſit Chriſtum ante præuiſum Adæ lapſum prædeſtinatum, & adhuc ſemoto eius peccato eſſe venturum. Et omnes alij qui in oppoſita ſunt ſententia. Bonauent. in 3. diſt. 13. 1. art. 2. quæſt. 3. Durand. 16. q. 2. num. 7. Palud. quæſt. 1. art. 3. & Vaſquez. 1. ſect. 3. par. diſp. 48. cap. 2. & in lib. 1. d. 217. quo in loco affirmat, Angelos à Chriſto illuminari. Ego vero aliud quoddam genus addiderim: vt ratio capitis erga Angelos, magis in Chriſtum quadret.

Quomodo ſit Chriſtus caput Angelorum. — D. Tho. — Eſt. — *Tres modi aſſignantur.* — Alex. — Bon. Dur. Palud. Vaſq.

Grauis, & probabilis multorum Patrum ſententia eſt. Reuelaſſe Deum Angelis vix dum creatis Incarnationis futuræ myſterium, & Chriſtum ijs adorandum propoſuiſſe: quem qui adorare voluerunt, electos, qui noluerunt reprobatos eos fuiſſe: atque adeo bonos meruiſſe reuerentia, & officio: malos peccaſſe inuidia, & contemptu. Sanè ita docet Bernard. Serm. 15. in Cantica, & Serm. 1. de Aduentu Dei. & Rupert. lib. 8. in Ioan. cap. 8. & nititur præclaro illo loco ad Hebr. 1. *Cum iterum introducit Primogenitum in Orbem terra-*

Incarnatio Verbi Angelis reuelata. — Bern. Rup.

terrarum, inquit, & adorent eum omnes Angeli eius. Illud enim *iterum* planè ſupponit aliàs anteà introductum, & propoſitum ad adorandum: reuelato Incarnationis myſterio. Quare ſic ſentiunt Catharinus in opuſc. de gloria bon. & lapſu mal. Angelorum. & in illud Geneſ. 3. *Serpens callidior erat*. & Iacobus de Valent. in Pſal. 82. & Viguerius de inſtitut. Theolog. cap. 3. & ex antiquis Alexand. 3. par. q. 2. memb. 13. quod ego iudico probabile, qui videam Auguſtinum lib. 11. de Geneſi c. 14. & Baſil. Concione de inuidia. & Niſſenum orat. Catech. cap. 6. & Cyprianum opuſc. de zelo, & liuore Dæmonis peccatum, fuiſſe inuidiam, affirmare: quæ certè ex reuelatione illius myſterij orta fuit; vti eleganter Rupertus exponit ad locum Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio*. quem neſcio quo iure Vaſquez neget huius ſententiæ authorem eſſe. Cui ego Maldonatum paris ſcientiæ, & authoritatis virum, qui affirmat, opponam. Nec verò ſuo me argumento deterret Vaſquez Chriſtum non fuiſſe prædeſtinatum ante præuiſum peccatum: nec eo remoto venturum: nam nec idcirco non potuit Deus Angelis in tempore aperire, quod ab æterno decreuerat: à ſe nimirum inſtitutum, vt verbum diuinum in remedium lapſus hominis incarnaret. Aliud eſt enim decerni, aliud reuelari; aliud ponere futurum. Decerni eſt æternitate, vtroque prius. Reuelare prius tempore, quàm ponere futurum. Potuit ergo quicquid decreuerat ab æterno, Angelis reuelare: cum autem decretum Incarnationis eſſet ab æterno, erat ab æterno prius Angelis, atq; adeò potuit ijs reuelare, quod erat prius in Decreto, & in tempore poſterius ponendum. Itaque ſentio Deum Angelis propoſuiſſe Chriſtum hominem Redemptorem futurum, & adorare præcepiſſe: non quod ab eo redimendi, aut ſanctificandi erant, ſed quod erat hominum Redemptor, & ſanctificator futurus.

Catharin. Iacob. Val. Vigu. Alex. Aug. Baſ. Nyſſ. Cypr. Rup. Mald. Vaſq.

Probatur remota obiectione.

Nunc ad rem. Chriſtus ita propoſitus adorandus Angelis occaſio virtutis exercendæ ac meriti fuit; atque adeo gratiæ, & gloriæ, quam ob eam reuerentiam, & adorationem acceperunt: igitur Chriſtus vti obiectum habuit rationem cauſæ ſaltem exemplaris gratiæ, & meriti Angelorum. Quod quidem ſatis eſt ad influxum, qui ſi minus efficiens fuit, fuit certè motiuus, & obiectiuus. Quam ego rationem, vt exiſtimo à me non ineptè excogitatam alijs adijcio, & lectoribus

Noua ratio capitis in Chriſto reſpectu Angelorum.

examinandam modeſtè propono.

Quid autem S. Thomas hac in re ſenſerit, non admodum conſtare video, deque eo magnopere contendunt Suarez, & Vaſquez. Ille affirmat ſenſiſſe Chriſtum cauſam fuiſſe gratiæ influentem, vt verè ac propriè caput ſit: hic negat fuiſſe: ac ſine eo influxu conſtare rationem capitis affirmat. Ego cum vtrumque legerim, & adductos vtrinque locos contulerim, rem dubiam comperi. Sed ne in biuio ſim cum Vaſquez malo ſentire: ea præcipuè ratione quòd S. Thomas ſentiat Verbum non fore incarnandũ niſi Adam peccaret; vnde ſequitur Chriſtum non niſi in remedium peccati venturum: qua certè ratione fieri non potuit, vt Chriſtus Angelis gratiam, & gloriam meruerit. Nec puto Diuum Thomam fidiſſimum Auguſtini, & interpretem, & ſectatorem, hac in re, cuius omnino Auguſtinus eſt author, ab eo diſſentire potuiſſe. Locos autem quos affert Suarez diſp. 42. ſect. 1. ſic expono, vt aut de gratia illuminationis, aut certè de gratia ſanctificationis exemplaris, & obiectiuæ, quemadmodum proximè diximus intelligatur. Quoniam verò S. Doctor in cap. 1. Ioan. ad verſum. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* videtur Suarij ſententiam manifeſtius tradere, vt ei hunc locum, quem illi dat Vaſquez, eripiam addo. Potuiſſe Chriſtum Dominum non ſolum colendum, & adorandum Angelis, ſed imitandum quoque proponi, atq; adeò illius ſanctitate obiecta, Angelos commotos ad eam adumbrandum ijs virtutibus, quas in Chriſto tanquam in Idea expreſſas videbant, vt veræ, & propriæ exemplaris intus operantis cauſæ Chriſtus erga Angelos rationem haberet. Vnde non ex creatione tantum, & more obiecti extrinſeci, ſed etiam formaliter, vt aiunt, & inſtar exemplaris cauſæ virtutem ex Chriſto gratiamque acciperent, vt hoc modo conſtet dictum illud Ioannis, vt à Diuo Thoma Suarius intellectum vult. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.*

D. Tho.

Mens Diui Thomæ inquiritur.

Suar. Vaſq.

Ioan.

Chriſtus cauſa exemplaris gratiæ Angelorum.

D. Tho.

Verùm enimuero plus obiectioni dedimus, quàm illa poſtulabat: nec enim opus erat ad Regnum Chriſti ſtabiliendũ, caput eum Angelorum conſtituere hac ratione intimè influendi, cùm ſatis eſſet illa dominandi forma, quæ inter Regem, & ſubiectos populos intercedit. Quam certè nemo negare poteſt in Chriſto, & Angelis inueniri. Cuius rei argumentum eſt, quòd cum ſinguli homines Angelos Cuſto-

des

des habeant, Chriſtus cum homo eſſet, non cuſtodes eos,ſed miniſtros habebat,vti eleganter Maldonatus in Matth.c.18. *Habet quidem Chriſtus Angelos, à quibus ſibi miniſtretur, non à quibus cuſtodiatur*. Imò ea ratio excogitata capitis per gratiam influentis, Spiritualis cum ſit, minus rei hæret noſtrę, qui de temporali dominatione diſputamus. Quare cum certum ſit Chriſtum eſſe Dominum Angelorum, & hos ei eſſe ſubiectos, non opus eſt alio vti argumento ad illius Regnum ſtabiliendum. Accedit quòd Chriſtus dæmonibus imperat, eoſq; omnino obnoxios imperio ſuo habet, quemadmodum conſtat ex loco Pauli. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Et ibi ex communi conſenſione Patrum obſeruat Eſtius ad num.11.& c.3. Marci animaduertit cum Theophylacto, & Beda Maldonatus. In Dæmones autem Chriſtus non influit gratiam, nec eorum caput eſt,eo quem diximus ſenſu. Igitur neceſſe non eſt ad illius imperium regnumque aſſerendum erga Angelos, vt ab eo in eos tanquam à capite gratia deriuetur.

Mald. — *Chriſtus eſt Dominus Angelorum.* — Eſtius. Theoph. Beda. Mald. — *Dæmones ſubiecti ſunt Chriſto.*

Magnum huic ſententiæ ſplēdor accedet alia Chriſti excellentia inuenta, & expreſſa: quæ huiuſmodi eſt. Chriſti adeò propria eſt dignitas, & dominatio, vt ſeruitutis conditionem prorſus excludat. Quare qui ne ſeruus quidem Dei eſſe dici vè poteſt, eum omnium dominari neceſſe eſt. Erit tamen, qui aſſumptum hoc noſtrum aut miretur, aut reprehendat, cùm præſertim videat Diuo Thomę 3. par. qu. 20. videri Chriſtum Seruum Dei dici poſſe: idque multis,& teſtimonijs Scripturæ, & Patrum ab eius ſectatoribus ſuaderi: Cuius ſententiæ author locuples eſt Suarez ibi. diſp.43. qui, etſi cautè loquendum eſſe occupét, non dubitat tamen illi propoſitioni *Chriſtus eſt Seruus, ſaltem in quantum homo*, aſſentiri. Verum ego conſtanter negem cum Vaſquio Chriſtum *Seruum* dici poſſe: nec adducam in rem meam quæ ille cumulat eruditiſſimè Scripturæ, Conciliorum, Patrum teſtimonia. Nec id aſſumam, quod Patres dant, ſeruitutem eſſe pœnam peccati, vti docet Auguſt. lib.19.de Ciuit. c.15. & Gregor.lib.21. moral. cap. 11. & Ambr. in cap.6. Lucæ. Nec minus id quod iura docent, ſeruitutem eſſe contra naturam, *l. Libertas* ff.*de ſtatu hominum*. inſtitut. de iure nat. gent. & ciu. §. *Ius autem gentium*, & de iure perſonali verb. *Seruitus autem*, ſola ratione contentus exemplo roborata.

Chriſtus an poſſit eſſe, ac dici ſeruus? — D.Tho. — Suar. — Vaſq. — Aug. — Greg. Ambr. — *Seruitus quid?*

Ser-

Seruus eſt qui ſui iuris non eſt, & omni iure ad bona caret, ac ex integro alteri ſubijcitur. Hoc autem in Chriſtum quadrare nequit, igitur ſeruus eſſe non poteſt. Propoſitio iuris effatum eſt. Caius in l. 1. ff. *de ijs qui ſui, vel alieni iuris ſunt*. Inſtit. eod. titul. l. *ſi Dominus*. ff. eod. tit. l. *Peculium* eſt ff. *de Peculio.* ibi Pomponius. Caius. l. *Acquiritur* ff. *de acquirend. re dom.* l. *liberos.* §. vlt. ff. *de capit. diminut.* l. *intercedit.* ff. *de condit. & demonſtr.* l. *Seruitutem.* ff. *de reg. iur.* & ibi Gloſ. l. *Si Filius*, & l. *Qui teſtamento* §. *Seruus.* ff. *de teſtam.* l. *quoniam* C. *de teſtam.* l. *Pœnæ* §. *in ſeruum.* ff. *de recept. arbit.* l. *Cum prætor* ff. *de iudic.* l. *in perſonam.* ff. *de regulis iuris.* l. *obligari.* ff. *de act. & oblig.* l. *cum ſeruis.* ff. *de regulis iuris.* l. *quod attinet.* ff. eod. titul. 2. Caius 2. Aſſumptio tenet. Nam Chriſtus eſt Filius naturalis Dei, atque adeo ſui iuris, & hæres Patris, ergo, nec eſt iuris alieni, nec omni prorſus dominio bonorum caret. Quare ſeruus eſſe non poteſt. Robur ab exemplo ſumit ratio. Non minus pugnat cum Chriſto adoptio, quàm ſeruitus. Atqui adoptio non cadit in Chriſtum, igitur nec ſeruitus cadet. Vtrunq; autem conſtat ex Epiſt. Adriani, & ipſomet Concilio Francofordienſi. Vtrumq; exemplum ſic eſt nexum, vt qui alterum neget, negare alterum, qui alterum affirmet, affirmare alterum debeat. Itaque Felix, & Elipandus, qui Chriſtum Filium adoptiuum dicebant, & ſeruum eſſe dixerunt. Beatus verò, & Haterius, qui adoptiuum eſſe negabant, & ſeruum eundem eſſe negarunt. His cum Adrianus, & Patres Concilij Francofordienſis aſſenſerint: & illos proſcripſerit, quàm ſit verum, Chriſtum ſeruum nec eſſe, nec dici liquidò apparet.

Definitur, & probatur ex Iure.

Adrian. I.

Concil. Francofor.

Felix. Elipandus.

Beat. Hater.

Quid autem reſpondendum ſit argumentis, quæ videntur probare Chriſtum dici poſſe *Seruum*, ſi ea hæreticum ſenſum intendant, ſatis conſtat ex Epiſtola Adriani, & Concilio, vbi ea optimè ſoluuntur, & Elipandus, ac Felix refutantur. Si autem Catholico ſenſu procedant, & tantùm affirment Chriſtum retenta Confeſſione Fidei, quæ docet naturalem Filium eſſe, non adoptiuum, ſeruum tamen ratione humanæ naturæ propriè dici poſſe, ſatis ijs reſpondet Vaſquez tom. de Incarnat. diſp. 80. Verum vni præcipuo me authore minus ſatis fecit. Quod ex eius ſententia ſumitur. Ac eiuſmodi eſt. Chriſtus dici poteſt creatura ſaltem in quantum homo, ergo & eodem modo ſeruus dici poterit.

Seruus de Chriſto, quo ſenſu affirmetur?

Vaſq.

Quo ſenſu negetur?

Ante-

Antecedens concedit Vaſquez , non ſolum cum eo additamento . *In quantum homo.*diſp.66. ſed etiam abſolutè ſecluſo periculo Arianiſmi diſp. 65. cap. 2. & diſp. 66. cap. 2. n. 14. Cui etſi ego in hoc ſecundo aſſumpto minimè aſſentiar, quòd ſit contra Scotum in 3. diſp. 11. q. 1. §: *Cui iſta*, & D.Th. 4. contra gent. cap. 48. & 3. par. qu. 16. art. 8. in primo ſenſu, cum additamento aſſentior. Atque adeò ſoluere argumentum debeo. Igitur ſic reſpondeo: rationem creaturę non pugnare immediatè, ac propriè cum ratione Filij, quæ conſtituit propriè Verbum Filium naturalem, ſed pugnare immediatè, ac propriè cum Deo, & mediatè item Filio, qui eſt natura Deus. At verò ratio ſeruitutis immediatè, ac propriè opponitur rationi Filij naturalis, qui adoptiuus, & ſeruus eſſe nequit, ac proinde directè pugnat cum Filio, nec dici de eo poteſt cum additamento, quemadmodum de Filio poteſt dici cum additamento ratio creaturæ. Patet autem hæc immediata, & directa oppoſitio ex eo, quòd Filio in ratione Filij naturalis in quacunque Perſona, & natura ſumatur ſemper repugnat adoptio, & ſeruitus, vnde ſiue Filius ſit in diuinis, ſiue in humanis, nec in diuinis, nec in humanis adoptiuus, aut ſeruus eſt Patris ſui naturalis. At verò ratio creaturæ conuenit Filio in humanis: omnis enim Filius, qui ſit homo eſt creatura Dei: igitur ratio creaturæ, non eſt directè oppoſita Filio in ratione Filij naturalis, ſed in ratione talis Filij, qui eſt Deus. Itaque primò pugnat cum ratione Deitatis, ac deinde ſecundò, & mediatè cum Filio. Vnde quando dicitur Chriſtus in quantum homo, eſt creatura: nihil periculi eſt: cùm autem dicitur Chriſtus, & ſeruus in quantum homo, ſemper erit periculum à ſeruitute, quia eſt hoſtis, & oppoſita Filiationi naturali. Quæ ratio ſi conſideretur, videbitur eſſe idonea, & rem prorſus continere.

Scotus. D. Tho.

Cur ſeruitus repugnet Filio.

Magis repugnat Filio Dei Chriſto ſeruitus, quæ ratio creaturæ.

Quòd verò attinet ad ſententiam D. Thomæ ille q. 20. ar. 2. admittit dici poſſe ſeruum cum additamento, ſed non in ſenſu propriæ ſeruitutis: idque conſtat ex ijs quæ dixerat in art. 3. diſt. 1. art. 2. q. 3. ad 3. vbi docet nomen ſeruituris, cùm tribuitur Chriſto ſolum ſignificare ſubiectionem, & ita aliquo modo concedi Chriſto, quòd eſt impropriè ſeruum eſſe ac dici. Ex his apparet quantò iure Adrianus, & Patres Francfordienſis Concilij negarint ſeruitutem Chriſto conuenire, & eandem Filiationis naturalis, & libertatis rationem

D. Tho.

D. Thomæ de Chriſti ſeruitute ſententia.

nem eſſe putarint: coniungendo cauſam Filij naturalis contra adoptionem, & liberi, & hæredis contra ſeruitutem, ſtatuentes contra Felicem, & Elipandum: Chriſtum, nec adoptiuum, nec ſeruum eſſe dicendum.

Quomodo autem ſoluantur argumenta ex locis Scripturæ in quibus Chriſtus vocatur Seruus, docuit Adrianus in ſua illa ad Epiſcopos Hiſpaniæ Epiſtola. Primùm locos illos veteris eſſe teſtamenti, in quibus allegoricè, & per ſpeciem Chriſto multa tribuuntur, non quod re ineſſent, ſed quod quadraret ſenſus, vt cum *Petra, & Leo* dicitur Chriſtus. Qua ratione ſeruus dictus, non quòd verè ſeruus eſſet, ſed quòd inſtar ſerui futurus eſſet. Secundùm eo ſenſu Chriſtum ſeruum appellari, qui ſubiectionem, & obedientiam ſignificat, hunc autem conuenire Chriſto non negamus, cum cadere in ingenuos, & liberos poſſit. Quo item modo exponenda ſunt teſtimonia Patrum, quæ obijci ſolent: qui non verę, ac propriæ ſeruitutis, cuiuſmodi nos eam deſcripſimus, ſed ingenuæ, & cum libertate coniunctæ ſubiectionis rationem habuerunt: quam duce Diuo Thoma 3. par. q. 20. art. 1. & in 3. diſp. 10. qu. 1. art. 2. q. 3. ad 3. Chriſto tribuendam eſſe minimè inficiamur. Eſt autem optimum ad remouendam veræ, & ſeueræ ſeruitutis formam à Chriſto Domino argumentum, nullum inueniri in Euangelijs locum, in quo ſeruus dicatur Chriſtus. Immò ne Deus quidem ab eo *Dominus* appellatur. Quòd certè mirum, ac myſterio dandum eſt, qui cùm maximè demiſſionem, & abiectionem profitebatur, ſeque ad omne contumeliarum, & ſuppliciorum genus comparabat, cum nec ſerui ſe nomine, nec Patrem ſuum Domini titulo affeciſſe. Quod Magnus ille, & in quo nihil non eſt magnum, Author Auguſtinus, opinor, obſeruauit lib. quæſt. ſuper Geneſ. q. 59. Ex quo id Adrianus, opinor, deſumpſit. Eo tantummodo diuerſus, quòd affirmat nunquam in Euangelijs inueniri: cùm Auguſtinus dicat. *Non facilè inueniri*. Sed Auguſtinus modeſtè, vti ſolet, Adrianus fidenter, vti debuit, affirmauit. Quanto igitur iure Rex erit, ac Dominus, qui ſeruus eſſe, & dici, nec voluit, nec potuit.

Erunt tamen qui hæc omnia, quæ hactenus adduximus teſtimoniorum, & rationum momenta eleuent vnica interpretatione: ita nimirum eſſe accipienda, vt de dominatione

Quomodo Chriſtus in veteri teſtamento vocetur ſeruus.

Chriſtus nunquam in Euangelio ſeruus dicitur.

Obiectio diluitur.

D. Tho.

Aug.

Adria. P.

ne

ne ſpirituali, vel certè de temporali, vti aiunt, indirecta, & quæ obliquè ex ſpirituali deducitur, & ad ſpiritualem reducitur, intelligantur. Et quidem ſic authores contrariæ ſententię ſolent interpretari. Quibus ego effugium volo prę cludere, vno aptè, ac verè in rem excogitato argumento. Chriſto Domino ſubiecta ſunt omnia, non modò quæ ratione pollent, ſed etiam quæ carent, nihil enim excipitur. *Omnia ſubiecisti. Subiecta ſunt omnia.* At in his omnibus multa continentur, quæ quòd ratione careant, non poſſunt vllo modo ad iuriſdictionem illam ſpiritualem pertinere, vel reduci. Igitur hæc ſaltem ſubiecta temporaliter Chriſto ſunt. Propoſitionem confirmat Sacra Scriptura. Aſſumptio manifeſta eſt, nam vt animalia, & viuentia, & inanima quædam nobiliora, & nonnulla item ignobilia, quòd ſint familiaria, & apta vſibus humanis poſſint eſſe, & dici ſubiecta modo ſpirituali, quòd conducant ad hominum ſalutem, vel proximè, vel remotè, certè ſunt alia tam vel exigua, vel aliena, vel ſepoſita, vel inutilia, vt nulla ratione ad ſpiritualem vſum reuocari poſſint. Quemadmodum conſideranti apparebit. In hæc tamen Chriſtus ius, & poteſtatem habet. Igitur habet eam, quæ temporalis eſt, poteſtatem. Addo momentum ex Suario. Chriſtum dixiſſe datam ſibi eſſe: *Omnem poteſtatem.* Matth. vltimo. Vbi, *Omnis, in poteſtatem* cadit: perinde ac omnes formas poteſtates includat. Eſt autem duplex forma ad minimum Poteſtatis *ſpiritualis, & temporalis.* Neutra igitur excluditur. Nec refert dicere temporalem fore indirectam: nam vt hæc ſit forma poteſtatis, etiam hoc nomine continetur: verùm & alia quoque *temporalis directa* forma eſt poteſtatis, igitur & ea quoque comprehenditur: *Vt verum ſit datam eſſe Chriſto omnem poteſtatem. Qui enim dixit*, inquit Suarez diſp. 48. ſect. 2. *Omnem poteſtatem, nullam excluſit, quæ in hominem cadere poſſet.* Hanc rationem idoneam idoneo exemplo confirmo. Quod Adamo cōceſſum eſt à Deo, id certè Chriſto non videtur negandum. Adamo dominatus, & poteſtas in vniuerſum orbem terrarum data eſt à Deo, quę ſanè temporalis fuit, vti apparet ex textu Geneſeos. *Vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ.* Quì ergo Chriſto negari potuit, quod Adam ius, & dominium conceſſum fuit? Aut cum de eo dictum ſit. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius:* non eodem item

Optimum argumentū pro dominio temporali Chriſti.

Suarez.

Aliud argumentum idoneum.

ſenſu quo Adamo *præſit* dictum eſt? Eo tamen Chriſtus Adamo præſtat, quòd huic gratis illa poteſtas, & quidem vnius generis temporalis, vel ſi alterius ex parte tantum, ac ex priuilegio data eſt, Chriſtus vero omnem ex integro poteſtatem iure hæreditario, tanquam naturalis Dei Filius, & habuit, & accepit. Maneat itaque: Chriſtum Dominum, & Regem totius vniuerſalis orbis tum terreſtris, tum cæleſtis ex integro eſſe conſtitutum.

Sed quoniam oppoſitæ ſententiæ authores nos vrgent authoritate Patrum, quos negant nobis aſſentiri. Et noſtræ author grauiſſimus, & eruditiſſimus Gabriel Vaſquez diſp. 87. cap. 3. & 4. cum ijs ſenſit, conſtanter affirmans neminem Patrum, qui citantur pro dominatu, & Regno Chriſti temporali, eam tradidiſſe ſententiam, conaturque teſtimonia ex ipſis petita in ſpiritualem ſenſum trahere, & tanto nos priuare patrocinio, quo carere nec volumus, nec debemus, operæ pretium duco locos nonnullos proferre, in quibus grauiſſimi illi Patres affirmantes noſtram ſententiam tradiderint, eoſque Vaſquio, & aduerſarijs obijcere, ac ijs omnino perſuadere, quidquid ſtatutum eſt de Chriſti Regno, & dominatione temporali, id omnino Patrum authoritate ſtabiliri.

Vaſqu.

Patres, qui docent dominiũ Chriſti temporale.

Ergo D. Athanaſius ſer. contra Arian. explicans ea verba: *Data eſt mihi poteſtas in cælo, & in terra. Quòd merus*, ait, *homo accipit, id ei eripi poteſt, cuius rei ſpeciem in Adam vidimus, quippè qui illud, quòd accepit, perdidit: vt autem gratia indemptibibilis eſſet, firmaque hominibus cuſtodiretur, ea de cauſa hanc donationem vt propriam ſibi arrogat, dicitque ſe poteſtatem accepiſſe, vt hominem, quam ſemper habebat vt Deus*. Perſpicuè dixit Athanaſius, & quid datum eſſet, & quo iure datum eſſet. Nempè quod paradigmate Adami imperantis expreſſum eſt. Hoc autem temporalis dominij rem exhibuit, quod cum amiſiſſet à Chriſto reparatum eſt. Amiſit autem temporale; hoc ergo etiam Chriſtus recuperauit: ius autem quo vendicabat Chriſtus ab Adamo amiſſa, erat ortum ex vnione, cui omne genus dominij debebatur.

Athan.

Iure Chriſtus Dominus.

Nyſſenus in fragmen. quæ extant tom. 3. Biblioth. Sanct. Patrum. *Datus eſt illi honor, & Imperium, & Regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ſeruient illi; Poteſtas eius Poteſtas Sempiterna, quæ non pertranſibit, & Regnum eius non euertetur, & quis*

Nyſſen.

& quis eſt hic , niſi Filius hominis, qui poteſtatem accepit abſolutam in omnes, ac ſempiternam: homo quidem omnino nullus, ſed ipſe Deus & Chriſtus, de quo & Dauid Deum, ac Patrem ſic alloquitur, Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam Filio Regis, & vti homo factus eſt Rex, & Filius Regis, nempè Dauidis; ex quo poſtea, data, ait, mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra, ad quem Pater poſtquam vt homo poteſtatem accepit: Sede, inquit a dextris meis, &c. Omnia huius membra ſententiæ exhibent manifeſtam Regni, & dominatus temporalis effigiem. *Honor, Imperium, Regnum, Poteſtas abſoluta in omnes.* Nihil prorſus excludit omnigenæ poteſtatis. Id ipſum verſus ex illo Pſalmo, quo maximè declaratur genus ex Dauide & Regnum ab eo acceptum, atque ad Patris dexteram poſſeſſum ſignificat. Iſtud verò omnia poteſtatis, & ſubiectarum rerum genera comprehendit.

Chryſ. Chryſoſtomus in comm. in cap. 1. Epiſt. ad Epheſ. *Ecce omnia quantæcumque virtutis ſint, ſubſtrauit Chriſti pedibus, nempè Deus; nec vtcumque effecit Superiorem, quaſi præficiens iſtis per comparationem, verius quaſi Dominum ſeruis ipſum cunctis anteponens, (Papæ! quàm ſtupenda ſunt hæc, quantæque plena formidinis?) Ecce vt homini Chriſto omnis creata virtus, quaſi ancilla Domino ſubſtrata eſt, idque propter inhabitantem in ipſo Deum Verbum.* Certè non aurum ſolum in his verbis, ad alliciendos, ſed ferrum quoque ad domandos animos eorum qui obſtinatè negent Chriſtum dominium habuiſſe temporale, ineſſe lector iudicabit. Ecquis enim manifeſtiùs dixerit. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu ego hodie genui te, poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Baſilius comment. illud Pſ. 2.

Baſil. *Neque dumtaxat ſuper Sion Regnum obtinuit, ſed ſuper vniuerſam creaturam.* Et mox: *Cum ſit vt Deus omnium Dominus, vt homo tamen horum dominium à Patre accepit.* En quod Deus habet, eiuſdem particeps homo eſt. Is ergo tantum adimat Chriſto ſæculare regimen, qui Deo auferat. Itaque nemo detrahet Chriſti Regna, quin iniuriam Deo imperanti faciat. Ab hoc fonte Imperij ille riuus ducitur poteſtatis. Quam qui aquam in riuo inuenerit, eam in fonte cum aſcendat altiùs planè reperiet.

Chriſtus Dei Filius omnia ſubiecta habet.

A quo fonte iſtud dominium.

Theod. Theodoretus in prior. Epiſt. ad Corinth. cap. 15. *Non tan-*

tantummodo montis Sionis Rex eſt, ſed viſibilium, & inuiſibilium totius orbis. Et infra. *Veruntamen cum Dominus ſit vt Deus, etiam vt homo dominium accepit.* Regnum in Sione, non ad Hieruſalem ſolum Pacis viſionem, & Spiritus ſancti domicilium, ſed ad totam orbis vniuerſitatem pertinet; & inuiſibilia, quæ Spiritu, & viſibilia quæ corpore continentur, vtroque dominationis genere complectitur.

Omnia ſpiritualia, & corporalia Chriſto ſubiecta.

Cyrillus lib. 11. in Ioan. in cap. 15. *Regem ſuper Sion montem eius conſtitutum eſſe non conſequenter diceremus, niſi à Patre illum accepiſſet, ſed cum ſponte obſecutus Patri homo factus eſt, qui omnia poſſidet vt Deus, omnia recepit vt homo, cui regnare aduentitium eſt, ideſt non naturale, creaturæ namque rectè dicitur, quid habes, quod non accepiſti? Creatura autem verè Chriſtus in quantum homo.* Theologicè planè Cyrillus, & amplitudinem Imperij deſcripſit, & cauſam expreſſit: hæc in diuinitate radicem habet, illa ex hac radice ramos, quanta eſt vniuerſitas rerum propagauit. Quod ſupra humanam ſit illa poteſtas naturam, ex eo deducitur nullo termino circumſcribi. Gemet illa intra carceres anguſtiores concluſa. Cyril.

Idonea ratio dominationis.

Titus Boſtrorum Epiſcopus in comm. in Luc. cap. 1. *Ille, cum vniuerſæ creaturæ opifex conditor foret, ratione naturæ humanæ ex liberali Patris donatione recepit gentes in hæreditatem: Poſtula à me (ait per Prophetam) & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Et paulo poſt. *Erexit cornu in domo Dauid: cornu in Sacris litteris modò pro Regno, modò pro robore, vel potentia vſurpatur: vtrumque autem in Chriſtum, qui ex familia Dauid originem ducit appoſitè quadrat, ipſe enim eſt Rex Regum.* Sic Titus. Qui liberaliter à Patre recepit, certè non parum accepit: cum præſertim vti conditor acceperit, ceu ad eum vniuerſa creata donatione redirent. Memoriam Dauidis renouare, eo pertinet vt Regni recordemur, non illius tantum, quod diuino & ſpirituali titulo, ſed etiam quod ſanguine inter mortales comparatur. Titus Boſtr.

Primaſius in comment. in 1. cap. Epiſt. ad Hebr. *Quem ipſe Pater ſecundum humanitatem conſtituit iam immutabilem hæredem vniuerſorum, ideſt poſſeſſorem omnium creaturarum, atque totius mundi Dominum.* An qui omnes poſſidet creaturas ſpirituali tantùm iure vtitur? Sanè ampliori. Quomodo autem hæres vniuerſorum, ſi inter hæc temporalia non cenſentur? Aut quis hæreditatem generalem accipiet, ſi ei eripitur poteſtas Prim.

Chriſtus, vt homo Dominus & hæres.

ſtas

ſtas temporalis? Aut qua ratione totius mundi eſt Dominus, qui deficitur iure ſeculari ad imperandum?

August. Auguſtinus in Pſalm. 109. *Eo ipſo quod carnem accepit Chriſtus, quòd in eadem carne mortuus eſt, quòd in eadem carne aſcendit in cælum, & ſedit ad dexteram Patris, & in eadem carne ſic honorata, ſic glorificata, ſic in cæleſtem habitum commutata, & Filius eſt Dauid, & Dominus eſt Dauid, ſecundum enim hanc diſpenſationem tranſitus Chriſti etiam illud ab Apoſtolo dicitur, propter quod illum exaltauit à mortuis, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, vbi erit Dauid, & non ei ſit Dominus? in cælo ſit, in terra ſit, in inferno ſit, Dominus eius erit, quia eſt Dominus, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Acutè hęc Aquila vidit quomodo vel Dauid ipſe Rex antonomaſticè, *Dauid Rex* ſubiectus ſit etiam temporaliter Chriſto; nam qui Filius Regis eſt Rex & hæres illius eſt, hic autem Regis Dauidis eſt Dominus, Patris iure Regio; non accepto à Patre Dauide, ſed à Patre Deo in omne genus Angelorum, & hominum, & creaturarum. Itaque Superior eſt Dauide, quà Rex eſt; nam niſi hac eſſet ratione ſuperior profectò Dauid Chriſti Dominus eſſet, quòd negat Auguſtinus, & S. Proſper in comm. in Pſal. 109. S. Maximus homil. 2. de Epiph. *Adorent itaque Magi Dominum, & afferant munera, vt impleatur, quod ait ille præcipuus Prophetarum Dauid. Afferte Domino Patriæ gentium, afferte Domino gloriam, & honorem: Domino, & Domino, quòd ait Dominum illum eſſe ſecundum Deum Dominum, & ſecundum hominem myſtico ſermone declarat.* Et mox: *Quomodo ergo non priuilegio vtriuſque ſubſtantiæ, Dominus eſt omnium Chriſtus, qui ſibi vniuerſa creatione, aut redemptione ſubiecit? Afferte, inquit, Domino gloriam, & honorem.* Maximum à Maximo momentum accipimus, nam idcircò vtriuſque ſubſtantiæ meminit, vt vtramque formam dominationis commendaret. Vtrumque autem titulum Creatoris, & Redemptoris protulit; ne vno tantùm dominari in vniuerſo crederemus. Itaque Creator temporalem, Redemptor ſpiritualem dominationem importat. Similia poſſem adducere ex Theodoreto in cap. Epheſ. 1. Oecum. ibid. Hilario 2. de Trinit. Gregor. hom. 13. in Ezech. Vigilio lib. 5. contra Eutycheten. ac præcipuè ex Theophylacto ad illa verba. *Data eſt mihi omnis poteſtas.* Quem affirmat Bellarminus lib. 5. de Sum-

Chriſto Filio Dauidis Regnum conuenit.

S. Max.

Concluditur Chriſtum eſſe Regẽ, & Dominum temporalem.

Theod. Hilar. Greg. Euthy. Teoph.

Summo Pontifice cap. 5. ita ſenſiſſe, & excellens Chriſti dominium agnouiſſe. Certè D. Thomas lib. 20. de Regimin. Principis cap. 12. & ſeq. huiuſce opinor eſt author ſententiæ. Hanc vmbram teſtium ardori ingenij Vaſquij obtrudo, ac ſub ea parumper à diſputandi calore requieſco. D.Tho.

CAPVT IV.

Vtrum dominium iſtud Chriſti Domini temporale ad vniuerſa ſe extenderit, & an ab eo aliquando ſit in vſum, & actum reductum?

TItulum Regni Chriſti excellentis vnioni hypoſtaticæ ſecundum communem Patrum, & Scholaſticorum ſenſum aſſignauimus, ex quo diuerſum quoddam dominationis genus à diuino, & humano exiſtit. Quod excellentiæ à Theologis aptè dicitur; quemadmodum appellat Molina tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 28. Suarez de Incarn. diſp. 48. ſect. 2. & ab alijs vocari fatetur Vaſquez ibid. diſp. 86. cap. 6. A quo tamen conſtanter negatur hoc tertium genus dominij quòd nolit illud eſſe diſtinctum à dominio noſtro humano, vel iuris, vel vtilitatis; ex quo item deducit Chriſto non fuiſſe generalem in res omnes vniuerſi dominationem, quòd res vna non poſſit eſſe in poteſtate duorum. Quæ ſanè duo ita ſunt nexa, & cohærentia inter ſe, vt ex vno alterum pendeat. Itaque examinari illud oportet primum. Vtrum dominium Chriſti fuerit diuerſæ ab illis duabus formis diuini, & humani, rationis? Negat Vaſquez ac negando prouocat ad doctrinam traditam à ſe diſp. 57. cap. 2. ad quæſt. 13. S. Tho. vbi agit de Omnipotentia animæ Chriſti. Quo in loco aduerſus Richardum, & Bonauenturam probat nullam maiorem virtutem ineſſe animæ Chriſti ob vnionem cum Verbo, quàm ſi aut ea non eſſet vnita, aut cum quauis alia anima conferretur. In qua nihil minus eſſe putat virtutis, aut potentiæ, quàm ſit in anima Chriſti. Ratione verò vtitur ea, quàm ſumpſiſſe, ait ex Scoto in 3. diſp. 23. §. *Ad argumenta iſtorum*. Animam Chriſti per vnionem intrinſece non mutari, nec augeri, atque adeò eiuſdem prorſus cum alijs eſſe virtutis. Atq; vt ab hoc incipiam miror hominem acutum id non vidiſſe: multum intereſſe, inter virtutem intrin-

Molina. Suarez. Vaſqu.

Sit ne in Chriſto dominium excellentiæ.

Richar. Bonau.

Scoto.

Sententia Vaſqu. negans.

intrinſecam,& dominium animæ: nam illa phyſicum quiddam eſt natura nixum, & à natura profectum: hoc autem moralis cuiuſdam generis à natura ſeiunctum, & aliunde tributum, quo & natura carere, & frui ſine vlla ſui mutatione poſſit, vti apparet in Domino, & ſeruo qui eiuſdem cum ſint naturæ, ſunt tamen morali iuris conditione diuerſi. Et quanquam Vaſquez non de virtute intrinſeca, ſed de iure creationis, & conſeruationis loqui ſe dicat diſp. 86. cap. 6.
Vaſqu. cum tamen eo quò ſe remittit loco diſp. 57. cap. 2. ne verbum quidem de iure iſto habeat, ſed de ſola virtute intrinſeca animæ loquatur, fit vt à me non iniuria moneatur. Sed eſto. Accepto iure creationis, & conſeruationis, & cum iure dominationis Imperijque collato, magna inter vtrumque differentia eſt: nam illud oritur ex omnipotentia, & prorſus ſupra vires naturæ eſt: hoc autem intra naturalis facultatis terminos continetur, & à Deo primum hominibus in vniuerſas res creatas tributum, vti obſeruat S. Thom. 1. par. q. 96. art. 1. quæ in ſtatu innocentiæ ſponte ijs erant parituræ: nec ab eo poſt peccatum omnino excidit, quamquam magna ſit ex parte diminutum, ac idcircò idem S. Doctor, ait art. 2. *Naturale dominium homini ſuper reliquas creaturas competere*. Deinde & hominibus ad homines trāſijt alijs ſe alijs ſubijcientibus: itaque humanum quiddam eſt dominium,& inter homines exercetur, proindeque longè diuerſo modo ſe habet, ac ius creationis, & conſeruationis: præterea creatio, & conſeruatio in natura ipſa condenda, & conſeruanda verſantur, cuius ſolus eſt author, & conſeruator Deus: at ius, & dominium accidit naturæ conſtitutæ, & tantum eſt *facultas, quædam moralis de rebus conſtitutis diſponendi*, vti definit Bart. *l. Si quis, in §. Differentias.* ff. de acquirenda poſſeſſione, & Petrus Gregor. Toloſan. lib. 1. ſyntagm. cap. 12. num. 2. Iam verò ſi loquamur de inſtrumento ad Creandum, vt id cadere in rem creatam poſſit, certè non maior eſt in vna virtus, quàm in alia: vnde nihil inter animam Chriſti, & reliquas animas interer it: cùm non propria virtute, & creata, ſed aliena, & diuina operentur, quæ eſt doctrina ipſiuſmet Vaſquez diſp. 57. cap. 1. & 2.

Quid differat inter ius creationis, & dominationis.

D. Tho. — Bartol. — Petrus Gregor. — Vaſqu.

Itaque non ſequitur ex illo exemplo Vaſquij non poſſe in Chriſto eſſe dominium excellens alterius generis ab humano: cùm longè diuerſa ſit vtriuſque iuris ratio creationis, & domi-

Incipit impugnare ſententia.

dominationis. Supereſt ratio, in qua multum momenti Vaſquez ineſſe putat: eaque confici prorſus exiſtimat dominium illud excellentiæ medium, quod Chriſto tribuitur commentum eſſe, quam ſuis verbis volo proponere. *Omne dominium rerum, aut eſt dominium excellentiæ, aut eſt vtilitatis aliud enim excogitari nequit, nedum explicari: atqui humanitati Chriſti nullum aliud dominium, quàm vtilitatis conuenire poteſt; hoc autem modo non poteſt quæcunque res ſub dominio illius eſſe, cum plurimæ illarum ſub dominio aliorum hominum ſint, & eadem res ſub dominio duorum in ſolidum hoc modo eſſe non poſſit, vt diximus: ergo Chriſtus non habuit dominium omnium rerum.* Hanc formam argumentandi rectam, ac ſecundum regulas Logicæ eſſe affirmat: vt autem concludat probat propoſitionem ex doctrina antea tradita diſp. 57. quæ etiam confirmat primam partem aſſumptionis: ſecundam verò ſupponit probatam diſp. 8. cap. 4. Concluſio eſt idonea; atque adeò rem conficit argumentum.

Argumentū quo nititur Vaſquez.

Verùm hoc ego ipſum in Vaſquez argumentum retorqueo. Dominium Chriſti: nec eſt diuinum: nec humanum: igitur eſt tertij cuiuſdam generis, ac proinde excellentiæ. Non eſſe diuinum, hoc eſt idem quod Dei proprium eſt, dat nobis Vaſquez; non eſſe humanum probo; nam dominium humanum conſenſu, & lege hominum conſtitutum eſt, & ab hominibus acceptum, cuiuſmodi non eſt Chriſti, cui à Deo cùm verbo eſt vnita natura humana prouenit: eique ratione naturali hæreditatis conuenit, nec ei adimi poteſt; igitur non eſt humanum, quòd nec eſt naturale, nec perpetuum: ſed voluntate ſæpè, ac euentu fortunaque cùm amittitur, tum mutatur. Quæ omnia Vaſquij pronuntiata ſunt. Ex quibus deducitur, opinor, concluſio. Quòd ſi reſpondeat. Primum iuris fontem à Deo fuiſſe, nihilominus procedo. Ab eo homines illud tanquam ſeruos, & alienos, Chriſtum tanquam Filium naturalem, accepiſſe, atque adeò titulo multò præſtantiore: cui neceſſe eſt dominium aſſimilari. Deinde id quod Vaſquez aſſumit, & ſtatuit principium, non tam eſt, ac exiſtimat firmum. Vniusac eiuſdem rei duos dominos in integrū eſse non poſſe. Primùm ſi de iuriſdictionis dominio ſermo ſit, corruit iſtud effatum: nam in eandem Eccleſiam habet iuriſdictionem Epiſcopus, & Vicarius Epiſcopi, & Summus Pontifex. At ſunt ſub-

Retorquetur in eundem.

An eiuſdem rei apud multos poſſit eſſe dominium.

ſubordinata dominia: non negem, ſed vindicem, dominia omnia noſtra humana eſſe ſubordinata Chriſto. Iam verò ipſummet dominium temporale ſubordinatum vnius, & eiuſdem rei multiplex item eſſe poteſt. Etenim Reſpublica habet ius quoddam excellens in priuatos, vt eos poſſit priuare dominio, & ſæpè res eorum in vſum, & vtilitatem communem traducere. Quin & in iſtam, & in liberos, quæ maximè cuique propria ſunt, interdum ius habet, cum grauis neceſſitas Reipub. interuenit. Licet enim ei ad defentionem præſidiumque commune vti ciuium priuatorum armis, opibus, viribus: eoſque ad ſanguinem vſque profundendum compellere. Sed tum non eſt, aiunt duplex dominium, ſed vnum ademptum ciuibus, & in Rempubl. tranſlatum. Negem. Nemo enim dum viuit non eſt vitæ ſuæ dominus: atque adeò in vita ſaltem verùm eſt, quòd aſſerimus. Præterea in alijs rebus non deficit ratio: nam etſi in vſu, & actu vnius ſit dominium Reipub. antequam tamen illa vſum, & actum exigeret, & priuati ciues dominium, & vſum haberent, erat ille domina habitu, & poteſtate. Vnde ortus eſt actus ipſe imperandi, cùm neceſſitas imperandi fuit. Igitur erat dominium duplex. Alterum habituale, & excellens in Repub. alterum actuale, & priuatum in Ciuibus. Quid? quòd in priuatis reſpectu eiuſdem rei duo iura, & dominia eſſe poſſunt? idque authore Vaſquez. Hic igitur in opuſculis moralibus. tract. de Eleemoſyna dub 7. Secutus S. Thomæ ſententiam ait, qui extremè laboret, eum poſſe rem alienam ſurripere ad ſuam neceſſitatem ſubleuandam, etiam ſi is à quo ſurripit, non teneatur ei ſuccurrrere. Quo dato interrogo. An ille qui ſurripit habeat ius ad ſurripiendum? Planè: cum ei liceat. Deindè an alter à quo ſurripitur ſit Dominus rei quam indigens ſurripit? Sanè: nam non tenetur dare, quòd ſi non tenetur dominus illius eſt. Hinc ſequitur vnius, & eiuſdem rei ex integro apud duos dominium eſſe: eum qui aufert, & à quo aufertur. Fateor equidem vſum, & poſſeſſionem duorum eſſe non poſſe. Atqi id voluit Vaſquez: etenim cum vſus, & poſſeſſio fiat per actum verum, & corporeum, non poteſt vnius rei eſſe duduplex apprehenſio, & vſus. At ius, & dominium cum ſit quiddam incorporeum, nec in rem tranſeat, ſed maneat in domino, etſi cum reſpectu ad rem, poteſt eſſe multiplex

Probatur exemplis.

Vaſq.

nulla facta rei mutatione, variato duntaxat titulo, & reſpectu. Nobis tamen ſermo non eſt de actu, & vindicatione rerum, ſed de iure, & dominio circa illas. Quod quidem monſtrauímus eſse diuerſum. Atque ita de dominio Chriſti excellenti opinatur Molina, & Suarez ſupra citatus, & Layman. in ſua Theologia morali lib. 3. ſect. 5. tract. 1. c. 4. quæſt. 2. & alij quos Vaſquez indicat, quiq; authore Laymano aiunt, *per hoc dominium Chriſti vniuerſale nihil decedere dominio particulari aliorum hominum*: citatque Molinam tom. 1. tract. 2. diſp. 28. Mol. Suar. Laym. Molin.

Statuitur dominiũ Chriſti excellent. Hinc ſequitur illud quod cõnexum eſt. Chriſtum habuiſſe generale quoddam ius in Vniuerſum Orbem, ac omnes, & ſingulas res creatas: ac de ijs pro ſuo arbitrio poſse diſponere: quæ eſt vera, & Nauarri ſententia in c. Nouit. iudicijs. not. 3. num. 8. & 10. & 130. quamuis Vaſquez dicat paucos habere Nauarrum ſectatores. Habet certè quotquot huiuſmodi dominij Excellentis in Chriſto Authores ſint. In quorum gratiam volo Vaſquez ipſum aut in hanc ſententiam traducere, aut ſaltem à ſua illa deducere. Hac ratione. Vaſquez docet Chriſtum *Iure habuiſſe ius Regis, & Imperatoris ſuper omnes alios Reges*, nixum vnione hypoſtatica, & ex illa ortũ. Ita expreſsè diſp. 87. cap. 2. & 4. Hoc autem accepto ſequitur, & eiuſdem rei eſse dominos duos poſse, & ius Chriſti diuerſum, & excellens eſse: & in omnes alias res vniuerſi generale Chriſtum dominium habuiſse. Primum patet, quia illud Regis ſuper alios Reges Chriſti dominium, non abſtulit dominium illorum: igitur ij Chriſto non vetante regnabant actu, & vnius Regni Chriſtus, & Rex qui regnabat Dominus erant: Ac proindè vnum Regnum erat ſub duorum poteſtate. Secundum liquet; nam cum Vaſquez neget non poſse in eandem rem cadere dominia duo vtilitatis, & hic duo dominia ſint, neceſse eſt, vt vnum ſit Excellentiæ: atque adeò Chriſtus diuerſo modo, ideſt excellenter dominetur. Tertium apparet, quoniam ſi duo domini vnius Regni eſse poſsunt, etiam vnius rei poterunt eſse: ſi autem huius eſse nequeunt, illius item eſse nequibunt: cum illa item ſint dominia vtilitatis in Vaſquij ſententia. Quã aptè quidẽ impugnamus: nam vel illi veniendũ eſt in noſtrã, admittendo Chriſtum, cum ſit dominus Regum, & rerum excellenter eſſe poſſe: vel à ſua diſcedendum, negando Regum domi-

Nauar. *Vrgetur Vaſquez.*

num

num eſſe, qui rerum eſſe non poſſit: ne duo in vnam, & eandem rem dominia cadant.

Affirmamus itaque Chriſtum Dominum ratione vnionis hypoſtaticæ vniuerſale in totum Orbem, & partes eiuſque res prorſus omnes dominium habuiſſe: nec ideò tamen quidquam aliorum hominum iuri, aut dominio obfuiſſe: cum illud quod habebat, dominium quoddam eſſet excellens, atque altioris multò rationis. Vnde negamus id quod quidam apud Suarium diſp. 48. ſect. 2. ad finem intulerunt: à primo inſtanti Conceptionis Chriſti omnes Reges ſuorum Regnorũ iure, ac re dominio ſpoliatos: quod perſpicuè negat Auguſtinus tract. 14. & 115. in Ioannem, & canit Eccleſia cum Auguſtino in feſto Epiphaniæ: *Non eripit mortalia qui Regna dat cæleſtia*. Quemadmodum igitur cum Rex Regum omnium eſſet, nulli Regnum ademit; ita cum dominus eſſet omnium rerum, nemini ius earum eripuit. Quod autem dominium omnium rerum habuerit, conſtat ex ratione vnionis, quæ illi ſupra omnia dominium contulit excellens, & ſuperioris ordinis, cuiuſmodi eſſe debuit hominis, qui erat Filius Dei naturalis: & hæres vniuerſorum. Si autẽ non habuiſset omnium rerum dominium, quomodo vniuerſorũ hæres, ac dominus eſſet? aut quomodo illi omnia ſubiecta dicerentur?

An Chriſti nato omnes Reges eſſe tales diſierint.

Aug.

Vtrum autem vſum huius dominij Chriſtus exercuerit, illudque in actum reduxerit? reliqua, & præcipua huius capitis quæſtio eſt. Imprimis ſuppono quarum rerum Chriſtus vſum habuerit, earum alios dominos eſse non potuiſse: Atque in hoc verum ſentire Vaſquium potuiſse fatemur: ſi rectè dominium habituale ab illo actuali, quod eſt cum rei vindicatione coniunctùm diſtinxiſset: qua de re item video Suarium obſcurius diſp. 48. ſect. 2. fuiſse locutum. Nos autem vt perſpicuè doceamus: animaduertimus dominium ſine vſu rerum per ſe, ac ſolitarium non modo poſse, ſed etiam reapsè conſiſtere. An verò vſus ſine dominio poſſit, ac conſiſtat de eo dubitari? Etenim ſunt qui dicant, in rebus, quæ vſu ipſo conſumuntur, nullo modo vſum à dominio diſtingui, proindeq; negant vſum ſine dominio eſse poſse. Qua de re controuerſia olim in Eccleſia nobilis extitit inter duos Papas Nicolaum IV. & Ioannem XXII. illo affirmante, hoc negante vſum earum rerum à dominio diſtingui. Et quidem

Suar.

Dominium ab vſu quomodo diſtinguatur?

dem verius Nicolaus ſenſit cap. Exijt, *de verbor.* ſignificat. in ſexto. Cui idcirco poſtea aſsenſit Clemens V. in Clement. *Exiui de Paradiſo*, ibid. Eſt autem ratio manifeſta. Quia qui vtitur re quæ vſu ipſo conſumitur, puta pane, vel vino, ſi dominus eius eſt, poteſt ea diuerſo modo vti, & vel donare, vel vendere, vel commutare; at, qui ſolum vſum illius habet, non poteſt de ea aliter, quàm conſumendo diſponere. Ac ita ſenſit Bellarminus lib. 5. de Roman. Pontif. cap. 10. & Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 28. ſect. 2. An verò Chriſtus aliquarum rerum dominium habuerit? Poterit quiſpiam dubitare, quòd putet diuerſa ea de re tradidiſſe duos Pontifices, Nicolaum, & Ioannem. Ille enim dicit Chriſtũ mendicaſſe, & ſolo vſu fuiſſe contentum. Hic autem ait Chriſtum nunquam id mendicitatis genus, quod omni dominio caret, profeſſum fuiſſe: vti apparet ex triplici Extrauag. altera. *Ad conditorem: altera: Cum inter nonnullos: tertia: Quia quorundam*. Verùm inſpecta diligenter eorum Pontificum doctrina conſtat Chriſtum Dominum vtranque paupertatis formam tradidiſſe: tum quæ ſolo vſu contenta, dominio ſe omni abdicat; tum quæ cum vſu dominium in communi retinet: nam cùm generalis virtutis, ac perfectionis Magiſter eſſet, & non vna ſit ſolum forma recti, perfectique inſtituti: oportebat omnes doctrinas tradere, ac exemplo conſecrare: Omni ſe dominio priuabat cùm ſuſtentabatur à pijs fęminis, *quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Luc. 8. & cum dicebat: *Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet*. Matth. 8. Secundum eam quam tradiderat Matth. cap. 10. doctrinam. *Nolite poſſidere aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis veſtris; non peram, nec duas tunicas, nec calceamenta, neque virgam*. Marc. 6. *Præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona æs*. Luc. 9. *Nihil tuleritis in via*, &c. Exemplo verò, & doctrinam quam viuens tradiderat, in Cruce moriens nudus cõfirmauit: & quinque vulnerum ſuorum ſigillis conſecrauit. Quæ cum illa perfectiſſima inſtitutę à ſe paupertatis forma animo Sanctiſſimi Patris Noſtri Franciſci, corporique impreſſit. De hac verò Nicolaus Pontifex eſt locutus: verùm non hanc ſolum ſuis ſectatoribus ineundam viam reliquit. Vſui dominium aliàs item adiecit, vti cum Ioann. 12. Iudam ſecum habuit cum loculis, & pecunia, & Ioan. 4. cum diſcipuli eius *veniunt*

in

Nicol. P. — Clem. V. — Bell. — Suar. — Ioan. P.

Controuerſia inter Papas Nicolaum IV. & Ioannem XXII.

in ciuitatem, vt cibos emerent: & eiuſdem cap. 6. cum dixit ad Philippum, *vnde ememus panes, vt manducent hi?* & Matth. 14. *Date illis manducare.* Qui loci monſtrant Chriſtum non omni ſe, ſuoſque dominio priuaſſe, ſed aliquid in commune ſaltem retinuiſſe: quod voluit Ioannes XXII. Itaq; nec illo ſemper, nec iſto ſe habuit modo, ſed vtrunque pro loco, & tempore ad inſtitutionem noſtram vſurpauit. Atque hac ratione conciliantur diuerſæ illorum duorum Pontificum ſpecie ſententiæ. Quemadmodum exponunt Turrecr. lib. 2. ſum. cap. 112. & Soto lib. 4. de iuſt. quæſt. 1. art. 1. & Bellar. lib. 4. de Summo Pontif. cap. 14. & Suarez 2. tom. 3. par. diſp. 28. ſect. 2. & Molina 1. tom. de Iuſt. tr. 2. diſp. 28. Nos item eoſdem ſine vlla ſpecie contradictionis ita ſenſiſſe monſtrauimus in Schol. noſtris, Schola 7. c. 7.

Auferetur, & conciliantur ambo.

Turre. Soto. Bell. Suar.

Hæc vera ſunt de dominio communi: ſed ſupereſt adhuc ſcire: vtrum Chriſtus aliquando propriũ ſibi aliquid vendicarit, quod cum alijs commune non fecerit, in eoq; dominij ſui excellentis illuſtria exempla præbuerit. Do quædam ea ratione, ordineq; diſpoſita, vt ex ijs appareat, vniuerſorum quæ in hoc Orbe continentur rerum dominium, nullo fermè genere excepto Chriſtum habuiſſe. Igitur Angelorum Dominum ſe oſtendit cùm poſt longum illud ieiunium in deſerto: *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Matth. 4. Hominum ſæpè, ac præcipuè, cùm vocauit diſcipulos, atque ad ſe omnibus poſthabitis ſequendum cõpulit. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 1. Ioann. 1. cùm vendentes de Templo flagello eiecit, Ioan. 2. Matth. 26. Marc. 14. Cum Phariſæos conantes ſe apprehendere vetuit. Matth. 21. & Ioan. 7. cum volentes lapidare prohibuit Ioan. 8. & 10. cùm tentantes præcipitare eluſit. Lucæ 4. num. 29. cùm palmarum die de turba ſibi ſubiecta ſuper illius veſtes inducto aſello triumphauit. Matth. 21. Mar. 11. cum in Horto aggredientes ſe milites vna voce proſtrauit. Ioan. 18. cum Sathanam ſe tentantem repulit, & exegit. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. cum Dæmones è corporibus eiecit. Matth. 8. & 12. & 17. Marc. 1. & 3. & 5. & 7. & 9. & ſæpè aliàs. Cum diſcipulis ſuis expellendi eos poteſtatem dedit. Matth. 10. Marc. 3. Vt de eo, vel viuo, illud Pauli impleretur. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.*

Oſtenditur dominium Chriſti excellens.

Numeremus alia: & quo Deus condito Adamo in Vni-

Vniuerſum ius, ac dominium contulit ordine, cum nos numerando ſequamur. *Præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ.* Geneſ. 1. 26. & 28. Dominatus eſt piſcibus cogendo eos ad retia Apoſtolorum. Luc. 5. & Ioan. 21. & rurſum compellendo vnum ad hamum Petri, eumque numo fœtando ad tributum ſoluendum. Matth. 18. ac tertiùm capto altero, & aſſo Apoſtolos inuitando Ioan. 21. Dominatus eſt volatilibus cum columbam ad Iordanem Spiritus Sancti vehiculum, & teſtem habuit. Matth. 3. Ioan. 1. & cum in Templo cathedras vendentium columbas euertit. Matth. 21. Dominatus eſt beſtijs cùm dæmones in porcos abire, & ab ijs in mare agi permiſit. Matth. 8. Marc. 11. Luc. 8. & cùm oues, & boues cum venditoribus è Templo abegit. Ioan. 2. & cùm aſina, & pullo vſus eſt ad ingreſſum triumphalem Hieroſolyma. Matth. 21. Marc. 21. Luc. 19. Dominatus eſt terræ cum eam, & moriens, & à mortuis reſurgens mouit, ſciſſis petris, apertis monumentis. Matth. 27. & 28. Nec his tantùm terminis poteſtas, & dominium contentum; euagatum eſt in omnia elementa. De terra diximus. Mare ab eo commotum, ſedatum, calcatum. Matth. 8. & 14. Marc. 4. Luc. 8. Ioan. 6. Immò, & Petro ſubſtratum, & ſubiectum. Matth. 14. Aqua mutata natura in vinum ab eo verſa. Ioann. 2. & in latere ipſius enata, & cum ſanguine coniuncta. Ioann. 19. Aer obtenebratus eo patiente. Matthæo 27. ac eo imperante compreſſus. Marc. 4. Lucæ 8. Anhelitu emiſſus à Chriſto ſanitatem, & gratiam aſflauit.

Omnia rerũ genera numerantur.

Ioan. 6.

Ioann. 20. Ignis accenſis in littore prunis ſubitò extitit. Ioan. 21. & diſcipulis minitantibus fulmina, præſtò eſſe ipſa eorum ad Chriſtum fiduciæ plena oratio declarat. *Vis vt ignis deſcendat de Cælo, & conſumat illos?* Lucæ 9. Quin & Cælum, & Aſtra obnoxia imperio ſuo habuiſſe illius, vel maximi hoſtes faſſi ſunt, cum *ſignum ab eo de Cælo quærebant.* Quæ ſi nulla viuus edere noluit, mortuus permiſit: obſcurato Sole, & die erepto, nocte infuſa, ordine temporum inuerſo, & orbium curſu mutato. Luc. 23. Marc. 13. Matth. 27. Quod Dionyſius, vel Athenis cognouit.

Apta enumeratio.

Ex qua ratiocinatione apertè omnino cõſtat, generale in res omnes huius vniuerſi Chriſtũ ius habuiſſe: veramq; hanc eſſe ſententiam. Quarũ autem vſu caruit (caruit vero multarum)

ca-

earum ſe ſpontè dominio abdicare voluiſſe. Quando igitur Authores docent, Chriſtum non habuiſſe dominium omniũ rerum, eo ſenſu loquuntur, quo ego proximè, de dominio humano ordinario cum vſu, & proprietate rerum coniuncto. Quo intelligi nequit Vaſquez, qui cum excellens ab iſto vulgari non diſtinguat, vtroque ait Chriſtum generali caruiſſe, quòd multis rebus vſus non fuerit: vti patet ex illius doctrina. diſp. 86. cap. 6. Multòque eo melius puto ſenſiſſe Molinam, & Suarium, & Laymanum citatos cum Nauarro, & alijs quos adduximus, qui & dominium excellens à noſtro diſtinctum Chriſto tribuũt, & nullam prorſus rem ab eo alienam putant. Iure quidem: cum illud in vnione hypoſtatica nixum ad omnia ſe extendat, nec vllum defectum patiatur. Sanè cum phraſes Sacræ Scripturæ terminis ex parte rerum vniuerſalibus vtantur: *Omnia ſubieciſti. Subiecta omnia. Dominus vniuerſorum. Omnis poteſtas*: nec aliter verè capi poſſunt, nec niſi cum dominio generale conſiſtere: Quod exiſtimo præter alios, eo item loco à Chriſto ſignificari, vbi Phariſæos reprehenſores Diſcipulorum, qui ſpicas euellebant, & manducabant Sabbato ita refutauit, *Quia Dominus eſt Filius hominis etiam Sabbati*. Matth. 12. & Luc. 6. Qui enim fatetur etiam Sabbati dominum eſſe, teſtatur, & aliarum rerum, & ipſius temporis, & legis cadentis in tempus poteſtatem habere. Itaque tum ſpicarum, tum meſſium, tum tempeſtatum, tum præceptorum, ideſt, & naturalium, & moralium rerum dominum eſſe. *Et Templo*, inquit Maldonatus, *maiorem & Sabbato. Poteſt enim de re ſua quod velit facere*. Qui autem Templo, & Sabbato maior eſt, ille ſanè excellentem, & diuinitus datam poteſtatem habeat neceſſe eſt, qua non magis carere, aut priuare ſe Chriſtus poteſt, quàm aut iure Redemptoris, aut naturalis Filij dignitate, quod docet Vaſquez diſp. 86. cap. 4. contra Medinam. Omnia in hac noſtra docendi via plana, & expedita ſunt. Primum Chriſtum ratione vnionis hypoſtaticæ totius mundi Dominum eſse. Secundum ius iſtud ac dominium longè præſtantiſſimum, atque adeò alterius ab humano, & vulgaris generis, proinde excellens eſse. Tertium eo nunquam aut caruiſſe, aut carere potuiſſe. Quartum cum dicitur dominio ſe rerum humanarum priuaſſe, illudque à ſe ſponte abieciſſe, quod multi cum Nicolao Pa-

Marginalia: Vaſq. — Nauar. — *Probatur locis Scripturæ.* — Mald. — Vaſqu. — *Chriſtus carere non potuit dominio excellentia.*

pa dicunt, non de illo excellenti, ſed iſto communi, & humano, quod in proprietate, vſuquè conſiſtit intelligendum. Quo etiam ſenſu Ioannis XXII. Papa non negauit Chriſtum interdum dominio, & iure rerum temporalium caruiſſe: quemadmodum obſeruat Suarez 1.tom. 3.p. diſp.48. ſect.2. & 2.tomo diſp.28. ſect.2. Suar.

Ad calcem volo ius iſtud, ac dominium Chriſti excellens ab vnione ortum optima ratione ſtabilire, ne quis ſit à quo illud cum Vaſquio, cui nobiles in Complutenſi, quam veneror, Academia, ſectatores non deerunt, in dubium reuocetur. Vaſqu. Si iſtud Chriſti dominium eiuſdem eſſet rationis cum noſtro humano, Chriſtus Angelorum Dominus, nec poſſet eſſe, nec dici. At qui Chriſtus, Dominus Angelorum, & eſt, & dicitur, igitur alio genere iuris, ac dominij, quàm humano Dominus dicitur. Illa aſſumptio, quæ minor ſyllogiſmi eſt, conceditur nobis à Vaſquio tom. de Incarn. diſp.49. cap.4. & diſp. 50. ac idcircò non eſt probanda, ſed accipienda. Propoſitio negotium faceſſit. Sed ea ſic demonſtratur. *Chriſtus eſt Dominus Angelorum.* Angeli cum ſint hominibus nobiliores naturà, & altiores gradu, excedunt terminos iuris, & dominij humani, atque adeò qui ijs dominatur, neceſſe eſt altiori, & nobiliori modo vtatur. Vnde ſi Chriſtus aliud non habeat dominium, quàm humanum, & eiuſdem cum noſtro rationis, non poteſt in Angelos dominari. Confirmatur nam de Chriſto, vti eſt homo illud Pſalmi accipitur. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* Pſal.8. Interprete Magno Auguſtino lib.2. de Symb. cap.4. & Gregorio hom.8. ſuper Ezechiel. eſtque communis Latinorum ſenſus, ſuffragante verſione Syriaca: nec repugnat Vaſquius, qui de natura humana interpretatur in 1.p.q.1.art.1.diſp.17. ſeſs.8. cap.5. num.2. Auguſt. Greg. Vaſq. Igitur ſi dominium Chriſti eſt intra limites naturæ, & conditionis humanæ, non poteſt ad Angelos ſuperiores extendi. Itaque neceſſe eſt poni alterius generis dominium, quod ſublimius ſit, & vltra naturæ humanæ terminos euehatur, & Angelos quoque exuperet; hoc autem illud erit excellens, nixum vnione hypoſtatica ab eaque profectum. Quod etſi neget Vaſquez agnouiſſe, & tradidiſſe Patres, certè fallitur; quemadmodum ex multis eorum locis proximo capite oſtendimus, & nunc obiter monſtremus hac ratione. Patres nonnulli locum hunc Pſalmi. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*: nolunt ad conditionem

natu-

naturæ, ſed ad quantitatem temporis pertinere, itaut non ſit ſermo de natura, aut dignitate, ſed de quantitate temporis vitæ Chriſti Domini, qua mortalis, & infirmus vixit, & contemni, & abijci, & pati voluit, donec ad debitum ſibi dignitatis ſplendorem rediret. Et ſic quidem apud locum Pauli Epiſt. ad Hebræos cap. 2. exponunt Origenes, Athanaſius, Chryſoſtomus. Immò & S. Thomas allegato Auguſtino. Qui ſenſus maximè cum Pauli ſententia cohæret, à quo ibi mirum in modum Chriſtus commendatur, & tollitur, ac proinde Angelis antefertur. Iuuat phraſis Græca brachis, quæ latinè ſonat, *breue quid*. Quæ ad breuitatem temporis trahi poteſt. Itaque non ineptè vertit Eraſmus *Pauliſper* hoc eſt *ad breue tempus*. Dum ſcilicet. *Formam ſerui accepit* ſeque. Non modo infra Angelos, ſed etiam homines demiſit. Qua interpretatione, quæ idonea eſt, ac Eſtio placet, nihil omnino Chriſti dignitati excellentiæque detrahitur, nec naturæ, quæ Verbo diuino copulata erat, vel in ſpecie quicquam derogatur: tantùm voluiſſe Deum, quòd Redemptor erat ſplendoris illius, qui ex vnione erupturus erat radios obtundere, ne Angelorum luminibus obſtrueret, ſignificatur. Itaque hac idonea ratiocinatione noſtra, quæ Bellarmini item eſt lib. 5. de Romano Pontifice cap. 4. & 5. de dominio excellenti Chriſti appoſitè quidem illud, & validè aduerſus Vaſquium ſententia ſtabilitur.

D.Tho. — *Concluditur contra Vaſq.* — Eraſm. — Eſtius. — Bellar.

CAPVT V.

Vtrum huiuſmodi dominium, vel pars eius ad Romanum Pontificem, Eccleſiam've Romanam tranſire potuerit?

DVæ ſunt perſonæ, quæ venire in quæſtionem hac de re poſſunt. Pontificia, & Regia. Primam in Scenam producimus Pontificiam, quòd & ſacratior ſit, & altior authore Chryſoſtomo Homil. 5. de verb. Iſaiæ, qui Pontifices *Reges quoſdam cæleſtes* dicit, *Reges terreſtres*, & Innocentio III. cap. Solitæ. Extrauag. de maiorit. & obedient. vbi Pontificiam dignitatem cum Regia conferens, Pontificiam Soli, Regiam Lunæ aſſimilat. Hic agimus de Pontificia.

Poteſtas Pontificia prę̃ſtatur Regia. — Chryſ. Innoc.

Attigimus quæſtionem diſſerendo de Clauibus Petri,

Nunc latiùs explicatiuſque dicemus. Et quidem non pauci, nec ignobiles ex Catholicis Authores contendunt Chriſtum Petro temporale item ac generale in res omnes vniuerſi huius dominium cum Clauibus tradidiſſe: quos ibi accuratè recenſurimus. Ex quibus nonnulli acriter pro hac ſententia pugnant, & dominium quàm maximè extendunt, Hoſtienſis, Azor, & Franciſcus Bozzius Eugubinus. Qui tres rem hanc accuratiſſimè, & eruditiſſimè probant, quos qui legat nihil fermè vltra deſideret. Animaduertendum eſt autem eos de dominio recto, quod directum expreſſumque, non de obliquo, quod indirectum, & implicitum dicunt, loqui, differunt inter ſe tamen, quòd Hoſtienſis, & Azor volunt vt omne dominium Regum etiam Ethnicorum temporale, non modò ſit ſubordinatum Pontifici, Eccleſiæque Romanæ, ſed etiam obnoxium: ita vt ſicuti per Chriſti Aduentum omnium Regum poteſtas expirauit, & in vicariam quandam adminiſtrationem tranſijt, haud ſecus ſuccedente Petro, & Succeſſoribus Pontificibus in locum Chriſti, nemo Regum ſuo, & proprio, ſed alieno, & accepto titulo regnet, atque adeò precarium Regnum habeat, quo ſi Pontifex velit eos, aut ſpoliare, aut tranſmutare, non id minus liceat Chriſti Vicario, quàm Chriſto Domino licuiſſet. Eugubinus autem non vult, vt Reges ſint obnoxij, Regnaque prorſus hac ratione ſubiecta Pontifici, ſed tantum ſubordinata, vt nihil ijs noceat, detrahat vè iure ſuo Pontificali, quemadmodum, nec Chriſtus ſuo dominio, quod excellens, & appellat, & ſtatuit, nihil nocuit, detraxituè de iure, aut dominio Principum regnantium.

Quale ſit Papa dominij.

Eugub.

Hoſt. Azor.

Ad probandum verò huiuſmodi aſſumptum multis, & varijs vtuntur locis, tum Scripturarum, tum Patrum, tum Scholaſticorum, deinde non paucis argumentis. Trium autem horum authorum locos adduco, tanquam theſauros legum, Canonum, Scripturarum, & Patrum, & Iuriſprudentum, & Theologorum, vnde ſententiæ peti poſſint. Hoſtienſis cap. *Quod ſuper his*. De voto, & voti redempt. Azor. par. 2. inſtit. tract. 21. lib. 4. cap. 19. & lib. 10. cap. 2. Eugubinus toto libro integro de tempor. Eccleſiaſt. Monarch. Ac illud imprimis ſtatuunt in Chriſto Domino dominium iſtud fuiſſe, quod proximè oſtendimus. Non fore autem hoc ſolitarium, & ſterile omnino credendum, Vicario Petro,

Azor. Eugub.

& Ec-

& Eccleſia hærede inſtituta. Itaque & in hac relictum, & in illum traductum. Hoc Claues geminas, Matth. 18. ſignificaſſe: hoc duos apud Lucam cap. 22. gladios indicaſſe. Sicut ipſe Chriſtus à Patre miſſus, ita ab eo miſſos diſcipulos, cum omni poteſtate. Hanc in vnione fundatam, & Sacerdotio nixam æterno, non poſſe aliter æternare, niſi perpetuitate retenta: quæ neceſſe fuit continuatam duci, & integram nullà intermiſſione interruptam permanere. Finem rerum ita exigere, vt in vno ſit capite omnis ad imperandum, & regendum virtus: eò membra omnia oportere referri: non poſſe autem, niſi vtraque poteſtas in capite inſit; nam ſi membrum, reſiliat, & pugnet, nolitque ad compagem, aut pertinere, aut redire, qua ratione, niſi vis adſit punitiua, quæ à ſeculari eſt poteſtate, poterit reduci, & ad caput iterum reuocari? Deinde ordo id ipſum poſtulat, ne duo capita ſint auulſa, & diuerſa inter ſe, ac pugnantia. Nam ſi vnumquodque ſit in ſuo genere integrum, & perfectum, nec in vnum coaleſcant, dum alterum vult præeſſe alteri, diſcordia exiſtet, & pugna: ex quo in corpore diſſenſio partium exiſtet, quam interitus conſequatur. Item poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe quiddam formatum, & perfectum: non poſſe autem formari, nec perfici, niſi vtriuſque ſit compos poteſtatis: etenim manca erit eo quòd altero brachio careat, quæ non minus ineſſe debent in Eccleſia, quàm in corpore. Præterea niſi ſeculare dominium penes Pontificem ſit, nec cauſas eum Principum iudicare, nec contentiones tollere, nec rebelliones poſſe comprimere. Tandem occaſionem ex oppoſita ſententia præberi Regibus, & Imperatoribus, quod non ſemel accidiſſe vidimus æquandi ſe Pontifici, immò & eum ſibi ſubijciendi, & vtramque ſupremam ſibi poteſtatem arrogandi: quo malo Anglia laborauit, ac etiamnum laborat. Iam verò exempla Scripturarum præclara huiuſce veritatis Imagines exhibere. Patriarchas illos ante Moyſen omnis vtriuſque dominij conſortes fuiſſe: Moyſen, Heli, Samuelem vtroque Principatu inſignes extitiſſe. Nec aliud poſt captiuitatem, quàm mixtum ex Sacerdotio, & dominatu, Hebræo populo inſpirandi genus contigiſſe: cuius in Machabæis apparet manifeſtum paradigma. Quin & præclarus ille Melchiſedechi Typus, inter cæteras imagines eminens vtriuſque poteſtatis in vnum coniunctæ conſortium, &

Papam habere dominium excellentiæ ſuadetur argumentis.

proponit, & perſuadet. Patrũm id teſtimonijs Scholaſticorum ſententijs, Iuriſperitorum iudicijs, quos magno citat Eugubinus numero numero confirmari. Hanc eſſe Angelici D. Thomæ doctrinam multis in locis lib. 1. cap. 2. citatis, ac integro teſtimonio ex opuſc. 20. de regimine Principum deprompto: vbi ait Conſtantinum *ceſſiſſe in dominio Vicario Chriſti Sylueſtro, cui illud de iure debebatur. In qua ceſſione ſpirituali Chriſti Regno adiunctum eſſe temporale* teſtatur. Adiecto momento ex lib. 2. ſent. ad calcem in quo aſſerit vtramque poteſtatem in Pontifice Romano in vnam coaluiſſe ad normam & ideam *Melchiſedechi.* Cui parem Bonauenturam authorem Eugubinus adiungit: vt totum cælum eo trahere: nec tam calculos addere, quàm ſydera adducto etiam Bernardo videatur. D. Tho. Bonau. Bern.

Nec verò deeſſe facta reapſe comperta, quæ doctrinæ reſpondeant, & faueant. Datus olim Imperatori à Romano Pontifice gladius ad infideles debellandos teſte Nicolao Papa Epiſtola 26. omni eſt calami argumento fortius. Id tubis militaribus clamant. Bella Sacra, quæ quoties à Pontificibus inducta, ſuſcepta, geſta, toties huic temporali poteſtati teſtimonium reddunt. Ei adijciunt calculos Electores Imperij, cùm Imperatori ſuffragantur, Gregorij V. auſpicijs, & mandatu. Id vel cum gemitu ſectus ab Alexandro VI. in duas partes Orbis, quod gladius Alexandri non potuit, expreſſit. Id tot fulmina litterarum minacium in coronas Imperatorum Regumque contorta rubentis argumenta dexteræ teſtantur. Nicol. Papa. *Exemplis ſtabilitur.*

Papa non habet excellens dominiũ

His agit rationibus cauſam ſuam Eugubinus. Verùm longè aliter ſentiendum eſſe exiſtimo: qui videam illud excellens dominium non poſſe à Chriſto in homines deriuari, quòd proprium ſit perſonæ, vti neque alia ornamenta in ea vnione fundata. Quod ſi, vti vult Eugubinus, non dominium ſed miniſterium Chriſtus tranſmiſit, quod tandem illud eſt miniſterium? Si vſus, quomodo quem Chriſtus habere noluit, in Pontificem tranſtulit? Aut qui eſſe poteſt huiuſmodi vſus ſine dominio? Neceſſe igitur eſt aliud excogitare, quod nec illud excellens, nec iſtud vulgare ſit. Non enim iſte vſus à vulgari poteſtate prouenire poteſt: ab illa excellenti, niſi interuentu eiuſdem, quæ deriuari nequit, à Chriſto in homines non poteſt proficiſci. At Vicariã habeant Pontifices

pote-

poteſtatem à Chriſto acceptam. Igitur eandem quam habet Chriſtus. Nam Vicarij locum qui tenet eandem cum domino obtinet poteſtatem. Sanè? At illius homo capax non eſt, quæ ſoli homini Deo conuenit, vti eſt illa dignitas Redemptoris, & mediatoris Chriſti; adeo propria vt cõmunicari nequeat. Quòd ſi alterius ſit generis, neceſſe eſt vt ſit humana, quæ illos effectus ſortiri excellentis poteſtatis non poteſt. Scripturarum teſtimonia ſatis de indirecta poteſtate explicantur, quam nemo certè cordatus neget: idque authoritas Patrum confirmat. Exempla Melchiſedechi, Moyſis, Heli, Samuelis, Machabæorum, monſtrant vtramque dignitatem in vna, & eadem poſſe eſſe perſona. Iiſque nos & ſupra vſi ſumus, & infra vtemur. At non probant, nec ſuadent ita rem eſſe in Pontificibus. Fuiſſe oſtendunt, fore non præſagiunt, poſſe eſſe conuincunt. Quid? quòd illa exempla nil faciunt ad cauſam? Cùm in eo populo, ſiue Melchiſedechi, ſiue Hebræorum non eſſent tunc alij vel Reges, vel Principes, vnumque tantùm eſſet caput, & Regni, & Sacerdotij? Nec illi Principes, niſi in ſuo populo dominarentur; at vero in Eccleſia Dei multi alij ſunt Reges, Principeſque ſæculares, qui temporalia regunt, & adminiſtrant. Præterea extra Eccleſiam multò ſunt plures, quibus Papæ non imperant; neceſſe eſt autem ijs imperare, ſi Papa dominio illo vtitur excellenti. Igitur illa exempla nihil proficiunt. Deinde ſunt alia, quæ nocent illi ſententiæ. Toto Regum tempore diuiſa illa munia Sacerdotij, Regnique fuiſſe conſtat; argumento quòd vbi ſunt Reges temporalibus præſunt, Sacerdotibus ſpiritualia moderantibus. Quare vti Regum tempore Sacerdotes temporaliter non regnabant, ita nec hodie cum Reges ſunt, & Regna, Sacerdotes regnare non debent, cum ſuum ſit vtriſque officium conſtitutum. *Refutantur contrariæ ſententiæ argumenta.*

Duo quæ afferunt exempla clauium, & gladiorum non multum ad cauſam dominij terreſtris directi faciunt; & quidem Clauium ſignificatio tota ad cælum refertur, cùm dicitur, *Claues Regni Cælorum*, quòd autem mox ad terras extendatur, *ligaueris ſuper terram* ad munus ligandi, & ſoluendi pertinet, non ad regnandi. Qua de re ſatis diximus. Gladios non continere Imperium communis eſt Patrum, ſi paucos cum Bonifacio VIII, Extra *vnam ſanctam*, de maiori & obed. excipias, qui allegoriam longiùs poſitam vindicant, ſententia. *Exempla refelluntur.*

tia. Ad defenſionis opus pertinere, omnes fermè interpretantur, ac de eius neceſſitate, & opportunitate docemur. Cuius Maldonatus interpretationis eſt author, & grauiſſimos eiuſdem Patres authores affert: cui docti, ac ſeueri maximè commentatores adhærent. Vt autem claues, & gladij Symbola ſint vtriuſque poteſtatis, vnam certè poterunt directè, alteram obliquè ſignificare: cùm ſatis id ad vtrumque genus regiminis ſit, ac ita gladiorum ſignificationem quidam ex ijs qui ad Imperium trahunt, interpretantur. Inter quos ſunt nobiles Scholaſtici Henr. Gandau. quodl. 6. q. 23. Palud. in 3. d. 41. concl. 3. Aegyd. Rom. de poteſt. Eccleſ. par. 3. c. 1. Qui ſpiritualem poteſtatem propriam, ac perpetuam Pontifici aſſignant temporalis certis temporibus, & locis vſum attribuunt. Mald. *Duo gladij quid ſignificent.* Henric. Palud. Aegyd.

Rationes idoneæ quidem ſunt ad probandum, vtramque poteſtatem ineſſe oportere Pontifici, ſed vnam alij ſubordinatam, quod nos probamus, & proximè infra explicabimus, & proximè infra explicabimus. Immò id prorſus euincunt, vt ſpectato fine ad quem ordinantur, & ordine quem ſeruare debent, æquales inter ſe pareſque non ſint, ſed inæquales, & impares, ita vt temporalis ſpirituali ſubeſſe, ac ſeruire debeat. Quod autem aiunt, niſi in Pontifice vtraque directa, & integra poteſtas ſit, futura inter Papas, Principeſque diſſidia, dum vni alteris æquari, ac præeſſe volunt, id maximè à ratione alienum ducimus: cùm ex eo, quòd ſua cuique certa poteſtas conſtet, pax, & concordia conſecutura ſit, quæ omnino tollitur, ſi Pontifex omne genus ad ſe dominatus trahat, & Reges ſibi obnoxios faciat, & ad arbitrium ſuum reuocare velit. Immò nullus iure Princeps exiſtet, ſed Vicarij tantum Pontificis, ac beneficiarij erunt, & ab eo precarium Imperium accipient. Quòd quàm ſit à ratione, & ordine alienum nemo non videt, quamque pronum ad ſeditiones, & turbas excitandas, quas illi tollere imprimis volunt, & eo maximè inducunt.

Facta & exempla illa Pontificum Sacri gladij dati, belli ſuſcepti, ſuffragij conceſſi, Orbis ſecti, fulminis intorti, libenter admittimus, ſed negamus ijs directam illam poteſtatem aſtrui, cùm ab indirecta manarint, quæ ſatis eſt, vt effecta eiuſmodi, aliaque ſimilia producat. Aliter & gladius feriret, & bellum opprimeret, & calculi errarent, & orbis gemeret, & coronæ arderent. Quod ſi vel indirectam Ponti-

ficis

ficis poteſtatem multi Reges ferre non potuerunt, ob idque maxima in Eccleſia incendia excitarunt, quid, quæſo, futurum erit, ſi videant iſtam directam, & excellentem à Pontifice vendicari? Certè curandum eſt, vt quod alijs in rebus minori momenti dici aptiſſimè ſolet, in hac quæ ſumma eſt, & maxima vſurpetur. *Ne quid nimis*.

Igitur negandum omnino eſt excellentis huiuſce dominij temporalis quemquam hominum eſſe participem, atque adeò Papam illius compotem eſſe inficiandum. Ratio præcipua iam à me antea impugnando affirmantem ſententiam producta eſt. Non omnia quę Chriſtus habuit communicari, aut poſſunt, aut debent: ea maximè quæ in vnione fundantur, & Chriſto propriè illius ratione conueniunt. Ecquis enim dicet nobis communicari poſſe à Chriſto dignitatem Filij naturalis, aut Redemptoris? Huius certè generis eſt illud excellens, præſtanſque dominium, quòd illi à natura ineſt. Vnde illa in femore inſcriptio: *Rex Regum, & Dominus dominantium*. Ceu iure naturæ accepiſſet quod dominium,& Regnum oſtentabat. Potuit certè nos ille Filios per gratiam adoptiuos conſtituere, potuit ſanctificare per iuſtitiam inhærentem, & additam nobis, potuit & noſtra opera ſanguini ſuo adiungere, vt cooperando Redemptioni ſalutem conſequeremur, in quibus erat ratio quædam deflexa, & adumbratio dignitatis. Quam concedimus in dominij communicatione interueniſſe. Nam cum non poſſet illa perfecta,& præſtans forma ad nos pertingere, ſpiritualem iuriſdictionem conceſſit, quæ ad gratiam ſpectaret, eiuſque ſimilitudinem haberet, ac ei annexuit, quæ ad temporalem ſtatum, ſed vti cum ſpirituali nexum erat, pertinebant. Hæc ſanè ratio Achilles iuſtus eſt. Addo alia argumenta. Non poteſt huiuſmodi ſuprema temporalis poteſtas concedi Pontifici, niſi ad finem à Chriſto propoſitum obtinendum. At hic eſt omnino ſpiritualis, nempè hominum æterna ſalus, qui certè citra illam temporalem poteſtatem conſiſtit, immò hæc ad illam conſequendam neceſſaria non eſt. Cur igitur Pontifici concedenda fuit à Chriſto? cum præſertim ille totam hominum redemptionem ſine illius poteſtatis vſu operatus ſit? Niſi fortè quis dicat conceſſum iri à Chriſto eam non ad vſum actumue vllum, ſed ad ſplendorem ſolùm, & pompam dignitatis, vt in Pontifice otioſa eſſet, quo quid cogita-

Excellentis dominij Chriſti nullus homo eſt particeps.

Probatur argumentis.

gitari poſſit abſurdiùs? Præterea non eſt res tanta, tamque excellens temerè aſtruenda: neceſſe eſt illius,& principium, & fontem oſtendere, vbi is ſit monſtrent authores:authoritatem Chriſti priuilegiumque exhibeant, quo tempore, quo loco, qua occaſione dominiũ illud temporale dederit, exponant.Certè illos tantum fluxos,& aliò fortè pertinentes locos dabunt, quos indicaui,Clauium, & gladiorum, quorum minor vis eſt ad id, quod volunt obtinendum.

Obiectionis diſolutio. At opponunt: Vicarium Chriſti eſſe Pontificem. Ergo, inferam, operetur miracula, abſoluat citra Sacramenta,vertat in Solem faciem, veſtes in niuem, inſtituat Sacramenta. Negabunt. Negent igitur & temporale Regnum à Chriſto iure illo excellentiæ debitum accepiſſe. Vices Chriſti agunt, ſed vti homines infirmi, fragiles, lutea vaſa portantes. Salutis inſtrumenta à Chriſto tradita diſpenſant, adminiſtrant, ius dicunt in Eccleſia, ſed Eccleſiaſticum.Spiritus curam gerunt;eminent eo in genere, quo ſpiritualia continentur. Capita ſunt Eccleſiæ,& quæ huius membra ſunt, illorum dominationi ſubijciuntur. Inſtar Solis præſunt diei, noctem Lunæ relinquant. Non licet vtramque in Orbe paginam facere, & totum lumen vſurpare, ac Lunam ſtellaſque extinguere. Satis eſt ijs luminaris maioris vicem gerere, ſinant minus ſuas in anguſto vices agere. Quid? quòd ipſimet,quibus ſtudent Pontifices, tantùm ſibi tribui nolunt ſpirituali Principatu contenti? Imperatori ſuum Imperium, Regibus ſua Regna, Principibus ſuos Principatus, datos à Deo, ex populi conſenſu,ſanguinis iure, electionis beneficio agnoſcunt, & probant,ratoſque eſſe volunt, & liberos, nec eos Vicarios ſuos, aut obnoxios ſibi dici patiuntur. De fidelibus ago. Nam de infidelibus illud Pauli adducunt, & celebrant 1.Corinth.5. *Quid ad me de his qui foris ſunt iudicare?* Eos ſcripturarum doctrina imbuti veros, ac iuſtos ſuorum Regnorum Dominos fatentur: nec illorum obſtrepunt iuri, ferunt, & approbant. Dicunt cum Daniele cap.2. *Tu es Rex & dedit tibi Deus Imperium*. Dicunt cum Chriſto Matth.22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*. Cum eodem rurſus dicunt Luc. 22. *Reges gentium dominantur eorum*. Clamant cum Apoſtolo ad Roman. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal*. Clamant cum eodem 1. ad Timoth. 2. *Obſecro primum fieri obſecrationes pro omnibus. Pro Regibus, & om-*

Stabilitur veritas teſtimonijs ſacris.

& omnibus qui in ſublimitate ſunt. Clamant cum Petro 1.Ep.2. *Subiecti eſtote. Siue Regi quaſi præcellenti*. Et paulo poſt iterum. *Regem honorificate*. Quæ eo diligentius ſunt obſeruanda, quòd de Regibus, cuiuſmodi erant tempora, ſermo erat. Quorum tamen Regna, & iura non improbantur, immò & admittuntur, & approbantur. Proferamus quædam illuſtriora Pontificum teſtimonia, quibus fidem dictis idoneam faciamus. Primum eſto Nicolai, qui ad Michaelem Imperatorem ſic ſcribit. *Nolite præiudicium Eccleſiæ Dei irrogare. Illa quippè nullum Imperio veſtro præiudicium infert*. Hic ſupponit poteſtates eſſe diſtinctas: dum neutram alteri detrahere vult. Detraheret autem, ſi aut Imperatoria Pontificiam, aut Pontificia Imperatoriam opprimeret. Apertè mox infra diſtinguit dignitates, ſecernitque poteſtates. *Idem*, ait, *mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſic actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur*. Non potuerunt Angli manifeſtiùs, aut elegantiùs dicere. Rectè hucuſque. Id nos ijs damus. Sed ij amplius vſurparunt, quàm licuit. At de eo proximè agemus. Animaduerto autem hoc teſtari Nicolaum, quem nimis tenacem Pontificiæ authoritatis, & iuriſdictionis, contrariæ ſententiæ Authores, & putant, & dicunt, quòd ad eundem Michaelem ſcribat: Chriſtum *Beato Petro vitæ æternæ clauigero terreni ſimul, & cæleſtis Imperij iura commiſiſſe*. Quam tamen poſt Epiſtolam examinabimus. Secundum (non ſequor temporum ordinem) Pelagij in Epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem. *Duo ſunt*, inquit, *Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, authoritas Sacra Pontificum, & Regalis poteſtas*. Diuiſit in duo, ne quis putaret, vtramque committi, & in vnam coaleſcere, aut alteram ab altera non ſeiunctam, ſolitariamque conſiſtere. Tertium Innocentij III. celeberrimum, & aptiſſimum. *Ad firmamentum cæli hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo luminaria magna, ideſt duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas, & Regalis Poteſtas*. Certè illa condidit Deus, vt diem noctemque diuiderent. *Diuidant diem ac noctem*. Quò illas duas dignitates diuerſas, ac ex æquo ſibi reſpondentes, ſi conditionem earum, naturamque ſpectes, ſignificaret.

Gelaſ.

Innoc.

Sententijs Summorum Pontificum.

Quod idem ille clariùs dixit ibidem. *Cum Rex*, inquit, *ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcat*. Non timuit hoc fateri Pontifex Innocentius, quòd verum eſt, Regem in temporalibus caput eſſe, non tamen vetuit, ne caput iſtud ſe Aris ſacriſque ſubmitteret, non prophano iure, ſed diuino ſuperioribus. Itaque ſuum huic capiti decus, ſuum inſigne, & faſtigium conſtat. Cui qui temporaliter velit noceri nocentes, & non innocentes Pontifices fecerit. Quartum in quo multum ſit momenti, eſto Gregorij Magni lib. 2. Epiſt. 61. Greg. ad Mauritium. *Poteſtas ſuper omnes homines dominorum meorum pietati cælitus data eſt*. Non ergo Vicariam, aut precariam habent à Pontificibus poteſtatem ij, quibus à Deo data eſt. A quo ſuam Pontifices ſpiritualem ab eodem, Authore Gregorio, ſuam Reges temporalem ſeorſim alij ab alijs acceperunt. Hoc ipſum Magnus alter ante Gregorium Leo multis Leo. epiſtolis ad Marcianum, ad Theodoſium, ad Leonem Imperatores datis faſſus fuerat. Et quidem ingenuè, nec enim vlla, ea euectione coronarum, iniuria Tiarę Pontificiæ irrogatur. Duo ſunt Apices à Deo demiſſi, & in duobus Pontificis, & Regis capitibus conſtituti. Vnus altior eſſe, & præſtantior eſſe poteſt, ſed alterum obruere, & deturbare non poteſt: in diuerſo ſunt ordine: neuter aduerſatur alteri, modo vterque ſit rectè collocatus. Hoſium illum antiquum, & magnum apud Athanaſium audiamus in epiſtol. ad ſolitariam vitam agentes *Tibi*, Conſtantino, *Imperium commiſit: nobis quæ ſunt Eccleſiæ credidit, & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens magno crimini obnoxius fias*.

Iam verò authoritatis multò maius eſt, pro hac noſtra, quàm pro contraria pondus ſententiæ. Et quidem Patres, qui negant temporaliter Chriſtum regnaſſe (ſunt autem fermè omnes) nobis adſtipulantur. Nec enim quod Chriſtus ſibi non ſumpſit, id alij credendum eſt, conceſſiſſe. Nam ius illud dominiumque excellens, quod ex communi eorundem conſenſu aſtruximus Pontificibus communicari non potuiſſe oſtendimus. Cuius quòd nullus erga Reges Chriſto vſus fuit, ex eo deducitur nullus Pontificibus directus futurus. Certè vna Patrum illa mens eſt, Chriſtum ſpiritualem dominationem Petro, & Eccleſiæ ſuæ reliquiſſe. Hanc, ſuum, &

Re-

Regnum, & hæreditatem eſſe ſanguine ſuo acquiſitam, Petro, & Apoſtolis commendatam. Nota illa vox eſt Auguſtini. *Chriſtum dixiſſe tacitè ad omnes Reges terræ. Nolite timere. Non impedio dominationem veſtram* tract. 115. in Ioannem. Quare huic calculos ſuos addunt gloſ. in cap. Quoniam diſt. 10. verb. Diſcreuit, & in cap. Quæſitum 23. q. 4. & in cap. Si Imperator, & cap. Duo ſunt, & in cap. cum ad verum diſt. 96. & Hugo ibid. Albert. c. in diction. in verbo electio. Ioan. Pariſienſ. tract. de poteſtate ſæculari, & Spirit. Mich. Vvlcur. de regim. mundi par. 2. Henricus quodlib. 6. q. 3. Ioan. Driedo lib. 2. de libert. Chriſti cap. 2. Ioan. de Turrecrem. lib. 1. ſum. cap. 213. & ſeq. Caietan. in Apolog. c. 13. ad 6. Albert. Pigh. lib. 5. Hierarch. Eccleſiaſt. Thom. Vvaldenſ. lib. 2. doctrinal. Fidei art. 3. cap. 76. 76. 78. Paludan. lib. de Eccleſiaſt. Victoria qu. 2. de poteſt. Eccleſ. dominat. Soto in 4. diſp. 25. q. 2. art. 1. Sander. lib. 2. cap. 4. viſibilis monarch. Bellarm. de Rom. Pontific. lib. 5. cap. 4. & ſequ. Suarez de Incarnat. diſp. 48. ſect. 2. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 6. Becan. in Duello de Primatu Regio comment. cap. 1. & Vaſquez de Incarnat. diſp. 86. cap. 5. Molina 1. tom. de iuſt. tract. 2. diſp. 8. Maldonat. Matth. 16. illud: *Tibi dabo claues Regni Cælorum.*

Auguſt.

Authores.

CAPVT VI.

An Poteſtas Regia ab iſto fonte excellentis in Chriſto Poteſtatis originem ducat?

ERit qui ſuperuacaneam, & ineptam huiuſmodi quæſtionem putet, quòd non videat, quì fieri poſſit, vt Reges temporales à Chriſto poteſtatem accipiant, cùm excellens illud dominium ſic proprium Chriſti ſit, vt alienum eſſe nequeat, alius verò fons non appareat, vnde emanet. Præterea, vt appareret, multò antiquiora ſunt Regiæ poteſtatis quàm Cunabula Chriſti, primordia. Itaque cùm multo altiùs eruperint fontes, ineptum eſſe infra eos originem quærere. Verùm ſi quis mecum Authorum, quos retulimus enumeret, expendatque ſententias, inueniet nonnullos in ea fuiſſe: Chriſto nato Regnorum omnium iura expiraſſe, neminemque Principem in ſtatu manſiſſe, donec permittente

Quæſtionis vtilitas.

Chriſto, vſumque & poſſeſſionem à ſe omnem abdicante, nouo titulo regnare cæperunt: atque adeò precarium à Chriſto Regnum acceperunt, vt deinceps ijs non proprio, ſed Vicario iure fuerit imperandum. Et quidem ſic cenſuit Hoſtienſis cum alijs, de quibus Molina 1. tom. de iuſtit. tract. 2. diſp. 28. & Vaſquez diſp. 87. & Suarez diſp. 48. quibus, vti ſunt acuti, Hæretici acceſſerunt, diuerſo maximè à Catholicis ſtudio, ſed eadem opinione: nam illi volebant omne illud ius Regium in Petrum Succeſſorem Chriſti, & Pontifices Vicarios fuiſſe translatum, quibus Reges omnino ſubijci oporteret: hi autem malebant Reges nouo iure diuino affectos præditoſque regnaſſe; vices Chriſti gerentes, vt eos Papis, aut æquarent, aut anteponerent. Immò vt eos vtroque dominio à Chriſto donatos, vtriuſque poteſtatis ciuilis, & Eccleſiaſtica compotes facerent, & Principes, & capita Eccleſia eſſe dicerent. Quod obſeruauit Suarez ſect. 2. diſp. 48. Magnum Catholicorum opinioni momentum affert illa Sancti Thomæ lib. de regim. Principum cap. 13. celebrata ſententia. *Auguſtum Cæſarem Vicarium Chriſti* fuiſſe. Quod expendit & exponit Suarez citatque Azor. lib. 4. cap. 19. ne fauore aduerſarijs videatur. Vnde validum pro Regum dignitate, & dominatu argumentum ſumunt Heterodoxi; nam ſi Auguſtum Chriſti Vicarium S. Thomas dicit: multò ſanè maiori iure Reges Chriſtiani Vicarij eiuſdem & dicentur, & erunt. Cùm autem nemini, niſi ei cuius ſunt Vicarij, ſubijci debeant, Chriſtus autem ſolus is ſit, ſequitur eos nulli præter Chriſtum alij ſubijci iure debere: proindeque ab omni Papali iuriſdictione exemptos eſſe. Immò & quiddam maius hinc deducitur: nimirum Reges Chriſtianos in ſuis Regnis capita item Eccleſię fore, cum enim Chriſti vices agant, quo modo ille Rex, & caput fuit, eo illi Reges, & capita ſunt futuri. Quàm certè rationem Angli, & Scoti recentiores addere poſſunt Iacobi ſui Regis argumentis, quibus hoc probare contendebat.

Chriſtus an Regnum naſcens obſtulerit Regibus.

Hoſtien. Molina. Vaſqu. Suar.

D. Tho.

Azor.

Poteſtas Regia an ſit à Chriſto.

Acuti ſunt fateor Angeli, & Scoti, ſed nos haud ſumus obtuſi, & quid moliantur ſuis iſtis ſubtilitatibus ſuſpicamur, & quid elicere ex ijs tentent præuidemus, ac ne eliciant cauemus. Quare tutò, & cautè incedimus. Ac primum negamus, quod aiunt, & in quo Catholicos ſectantur. A Chriſto Rege, ac Regum Principe Regiam in Reges, ac

Occurritur hæretici.

Prin-

Principes dignitatem, & poteſtatem deriuatam. Quæ noſtrorum communis eſt authorum ſententia. Nam excellens illa poteſtas ijs communicari nec debuit, nec potuit. Ac ſi vix illius vſum habuit Chriſtus; quomodo liberum vſum Regibus eſſe voluit? Iam verò, quod omne ſuſtulerit ius Regnantibus, id abſurdum quidem, & ab omni ratione alienũ eſt: cùm nec illud dominium, vulgare illud, & ordinarium Regum tollat, quemadmodum ſupra monſtrauimus, nec Chriſtus venerit in hunc mundum ad Reges, ac Principes ſpoliandos, ſed ad hominum ſalutem procurandam. Vni Principi ſe Chriſtus oppoſuit, ideſt Diabolo, quod huius mundi Principem dixit. Ioann. 12. Quòd in mundo immanem tyrannidem exercebat: *Auertens*, inquit Auguſtinus, *hic à Deo corda è quibus à Chriſto eſt eiectus, & animas vbique captans, & inſidias præcipitans ac illarum deuictarum ſpolijs ſe onerans, & ornans, quibus eum Chriſtus expoliauit*. Hanc poteſtatem tenebrarum euertit Chriſtus, quæ quòd malè agebat in tenebris ambulabat, non verò illam quæ à luce deſumpta rationis humanæ ſocietates hominum inſtituit, & legibus firmat, & diſciplinis inſtituit, & ad pacem concordiamque reducit. Quæ à Deo antea erant probata non oportebat illa à Chriſto auferri, ne quis putaret improbari. *Poteſtas non eſt niſi à Deo.* Rom. 3. *Per quem Reges regnant, & Principes imperant*. Prouerb. 8. Chriſto autem Deo ea confirmanda, non euertenda. Immò tam procul ab hoc exuendi Reges dignitate propoſito Chriſtus fuit, vt cum in mundum venit, tributum pro ſe ſolui voluerit à Parentibus, ac illud naſcendi tempus elegit, quo huic legi eſſet obnoxius. Ac nihil in aduentu ſui Præcurſoris amplius, & grandius ſonare voluit, quàm nomina illorum Regum, ac Principum, qui tunc Iudeæ præerant ſub Tiberio Auguſto. Cuius exactè, & Imperij, & temporis meminit, vt ſignificaret nihil à ſe de imperij iure, ac temporis curſu detrahi. Sinere ſe Reges ſuis, & Sceptris, & annis frui; nec tributa ſolui prohibuit, immo affirmauit ſoluenda, & cum ſe maximè liberum oſtendiſſet; tunc vel miraculo facto pendi imperauit. Nec in Herode, aut Pilato refutauit poteſtatem, ſed iniuſtitiam reprehendit. Nec Regis vnquam titulum admiſit ne de alieno detrahere videretur. Crucifixus illud accepit, ceu in eo etiam pateretur, & quod ad pompam, & voluptatem conducit, in tormen-

[Margin notes: *Chriſtus nemini Regis nocuit.* — Auguſt. — Luc. 3. — *Omnibus ſua Regna reliquit.*]

mentum ſibi,& dedecus verteretur. Latroni Regnum ſuum commemoranti modeſtè reſpondit, & Paradiſum reddidit, cum vocem Regni horreret. Hic igitur tam ab his, & inſignibus, & ſplendoribus alienus, non debuit vix dum natus Reges ſuo aut iure, aut dominio, aut poteſtate priuare. Nihil ſanè, quod rem hanc oleat in Euangelio reperimus: quod totum plenum eſt ſpiritualis inſtitutionis, & præceptis, & exemplis; vt nihil minus curaſſe Chriſtus, quàm temporalis iſtius imperij rationes videatur. Nec verò decuit, vt Chriſtus, qui doctorem paupertatis, & dimiſſionis animi magiſtrum agebat, Regiam perſonam, aut ſuſtineret, aut inſtitueret. Reges vti erant eſſe permiſit: nec de illorum quicquam dominio, ſtatu ve mutauit; vti Regnum inire noluit, ita Regna integra reliquit. Mitiora ille meditabatur, non ad ſe humana, ſed ad nos diuina transferebat: ac vt optimè Auguſtinus tract. 51. in Ioann. *Non Rex Iſrael Chriſtus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum hoſtes viſibiliter debellando, ſed Rex Iſrael, quod mentes regat, quod in æternum conſulat, quod in Regnum Cælorum credentes, ſperantes, amanteſque perducat*: & tract. 14. *Erat quidem Rex non talis, qualis ab hominibus fit, ſed talis, vt homines Reges faceret*. Sed quos Reges? nimirum inquit, tract. 115. *Credentes in eum: quibus dicitur: De mundo non eſtis, ſicut & ego non ſum de mundo, quamuis vellet eſſe in mundo propter quod de ijs dixit ad Patrem: non rogo, vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à mundo: vnde & non dixit; Regnum meum non eſt in hoc mundo, ſed non eſt de hoc mundo*.

Chriſti paupertas. — Aug. — *Quale Chriſti regnum.*

Itaque ius illud excellens Chriſti alijs communicari non potuit: aliud ordinarium, & vulgare cum vſu, actuque coniunctum Chriſtus habere noluit: neutrum igitur in Reges deriuauit. Et quidem attentius intuenti mihi. Cur Chriſtus dominium hoc à ſe Regium abdicarit; id videri ſolet, noluiſſe, vt cum colendus, & adorandus eſſet, partem vllam cultus, & obſequij maieſtas illa decerperet. Si enim aut ſceptro inſignis, aut corona, inſideret in ſolio, qui ad eum adorandum accederet, is ſanè viſus eſſet honorem eum dignitati, non virtuti deferre, nec tam occulta diuinitatis trahentis vis eſſe, quàm manifeſta, & ſplendida maieſtatis ſpecies crederetur. Iniuriam ius illud Regium cùm proderetur faceret diuinitati, cùm ad ſe partem gloriæ traheret, quæ

Cur Chriſtus Rex eſſe temporalis noluerit.

gra-

gratiæ diuinæ ope, non humanatum opum ambitione parabatur. Idcirco quos ad ſe primum Reges duxit, eos non aut purpura rubens, aut auro nitens, aut armis cinctus, aut militibus ſtipatus, excelſus, eminens, ſpectabilis, ſed nudus, ac pauper, inermis, imbecillus, abiectus accepit: quo ſe Deum eſſe probauit, qui Regiam tribus nixam columnis maieſtatem, ſola virtute ante pedes ſuos proſtrauit. Quo ſe amplius ad infima demiſit, eo altiùs opinionem diuinitatis euexit.

Iam verò, quod moliuntur Heterodoxi, facili negotio diſſipatur. Nam non aliam Chriſtus inſtituit Imperij, Regni vè formam, quàm ſpiritualem; quemadmodum Patres communi conſenſu, Scripturarum interpretes, Scholaſticique fatentur. Non negauit Regem ſe, ac Dominum eſſe, ſed temporalem, ac ſimilem ijs, qui in hoc mundo regnant eſt inficiatus. Admiſit quidem illum titulum excellentem, quem amittere, nec poterat, nec debebat: ſed iſte nihil, vti proximè diximus ad Regni temporalis vſitatum, & ordinarium, cum vſu coniunctum, de quo loquimur dominium attinebat. Huius omnino expertem ſe reddidit, nec de eo quicquam ſibi vendicauit. Illud tantùm ſumpſit, quod ad mentium, & animarum regimen, & adminiſtrationem ſpectabat: quodque intra ſpirituales terminos claudebatur. Ad turbam Regum mundi conuerſus illud dixit, quod Rex ille prudens ad Abraham Geneſ. 14. *Da mihi animas cætera tolle tibi*. Aurum, argentum, purpuram, opes, arma, ſtemmata, equos, currus, ſpolia vobis relinquo: dummodò animæ ad me redeant. Hæc eſt *pars, & hæreditas* mea: quam ſanguine meo acquiſiui: iure hæreditario non contentus. Idcircò Domini titulum in Rabbi nomen conuerti pluries voluit, ne quis corporum Dominum, non magiſtrum mentium exiſtimaret. Paſtorem ſe ouium ſæpè, non Regem ciuium dixit: Oppoſuit ſuorum dominationem, Regum Imperio: non negauit dominium eos geſturos, ſed noluit illo quo dominantur Reges, modo dominari. *Reges gentium dominantur, vos autem non ſic. Sed qui maior eſt in vobis fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt tanquam miniſtrator*. Maiores, & præceſſores inter eos fore non vetuit; nec enim dominationem ſuſtulit: vetuit Regum more inſoleſcere, euehi, exaltari. Ac ne qua ſuſpicio fieret, quod Regum meminiſſet

Chriſtus carere voluit vſu Regni.

ſet, Regiæ dignitatis, induxit ſedentis ſui in domeſtico conuiuio exemplum. *Qui maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit?* Vt tamquam Pater qui inter Filios, vti caput familiæ ſedet, accumbere ſe, non tamquam Rex eminere, ac incumbere alijs videretur. Petrum autem cum caput Eccleſiæ conſtituiſſet, non in faſtigio collocauit, ſed in fundamenta abiecit: *ſuper hanc Petram ædificabo*. Non tam honoris, quàm oneris rationem habens: quòd illud quo donabatur ius imperandi, non ad propriam imperantis, aut dignitatem, aut gloriam, ſed ad communem totius Eccleſiæ vtilitatem, & ſplendorem pertinebat. Quòd autem claues poteſtatem ſignificabant, & quidem temporalem, interdumque Regiam, vt omnem Regni temporalis directæ poteſtatis mentionem aboleret, promiſit dumtaxat, & ſuſpendit poſſeſſionem dignitatis ad illud vſque tempus, quo eius, & formam exponeret, & poſſeſſionem traderet. Ac tum oſtendit Paſtoris eam eſſe non Regis, aut Principis præfecturam. Ioan. 21. *Paſce oues meas. Paſce agnos meos*. Puto autem, quòd Paſtoris Regnum non eſt, ſed cura, & ſollicitudo potiùs cuſtodientis, quàm imperantis? Certè ſi Chriſtus Reges inſtitueret, debebat eos, & implere præceptis, & iura ijs dictare regnandi, & quemadmodum Deus Optimus Max. 1. Regum 8. cùm populus Regem poſtulaſſet, quod Regium ius futurum erat prædixit, ita & Chriſtus ſi Regij author eſſet dominij, non omitteret formam, & rationem imperandi præſcribere. Nuſquam hoc tamen in Euangelio inuenimus. Nec niſi in alienos, & infideles Principatus incurrimus, quòd illud genus Imperij à natura ductum ad naturæ potiùs lumen, quàm ad legem gratiæ pertineret. Illud certè mirandum eſt maximè, Chriſtum Regis ſplendoris non modo nihil delibaſſe, ſed illum in ignominiam dedecuſque vertiſſe coronam ad ſpinas, & dolorem; Sceptrū ad arundinem, & opprobrium; purpuram ad contemptum ludibriumque retulit: quo, quàm procul eſſet ab illo faſtu ambitioneque monſtraret. Immò cum mitiſſimus erga omnes, & manſuetiſſimus eſſet, erga eum qui tum in Galilæa regnabat Herodem, duriorem ſe, ac iratiorem exhibuit. Illum vulpem appellauit. Illum miracula quærentem neglexit, & cum Verbum naturà Patris eſſet, coram eo multis prouocatus ſermonibus obmutuit. Luc. 23. & qui Sapientia Diuina eſt ge-

Quod dominium Petro Chriſtus donauerit.

Matth.

Ioan.

Luc.

nera,

nita, ab illo voluit alba veſte indui, & eo ſigno ſtoliditatis notari.

Video tamen obijci mihi ſententiam illam celeberrimam Prouerb. 18. *Per me Reges regnant, per me Principes imperant.* Prou. At illa meam confirmat ſententiam, quoniam ibi Sapientia Diuina Dei Filius, antequam humanam naturam aſſumeret, loquebatur, à qua omnis & poteſtas eſt, & ratio regendi. Quo ſenſu Paulus docuit, non niſi à Deo poteſtatem eſſe. Ad Rom. 13. Atque huiuſmodi Sapientiam mitti ſibi à Deo poſtulabat Salomon Sap. 9. *Da mihi ſedium tuarum Aſſiſtricem Sapientiam:* non vti inter nos natam, & verſatam, ſed vti in ſinu Patris genitam, & locatam. Eam, quæ in prima orbis molitione Patri Creatori adfuit: de quo eod. cap. num. 2. *Qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientia tua conſtituiſti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta eſt.* Hæc autem diuina ipſa ſapientia erat, nondum naturæ humanæ particeps. A qua vti olim Adamus, ita & poſtea Salomon inſtitutus. Adamum autem Verbum, nondum Chriſtus, diuinitus inſtituit, idemque Salomonem erudijt. Vnde Pineda vtra fuerit illa ſapientia genita nè, an ingenita dubitat in ſuo præuio Salomone lib. 3. cap. 6. Quæ omnium Regum magiſtra, & Dux eſt. Quòd ſi Chriſtus, inquit Auguſtinus, non erat Rex talis, qualis ab hominibus fit, & Regnum eius Regnum cælorum fuit, eoque nomine appellari noluit, vt omnem terreſtris Imperij ſuſpicionem amoueret, quì potuit venire vt homines Reges, & Principes crearentur? Id verò Regnum ſpirituale eſſe Eccleſiam, quam inſtituit, demonſtrauit, ſiue in via militans hoc in ſæculo, ſiue in Patria triumphans, quemadmodum eruditè probant Victoria. Roſell. 1. de poteſtate Eccleſiaſtica q. penult. à num. 15. & Sotus in 4. diſp. 23. q. 2. art. 1. & 4. de iuſt. q. 4. art. 1. & Bartholom. Medina 3. par. q. 59. ad art. 4. D. Thomæ, & Maldonat. in Matth. cap. 27. Quare non poſſunt vllo ad ſe Reges iure Regiam à Chriſto trahere poteſtatem, vt eo nomine vel ſpiritualem ſibi arrogent, vel à ſpirituali ſe ſubiectione penitus eximant.

Sap. — Regnandi poteſtas à Deo. — Pineda. — Auguſt. — Victor. Roſell. Sotus. Medina. Mald.

VINDICIA QVINTA. DE TITVLO, ET IVRE PONTIFICIO AD TEMPORALEM PRINCIPATVM.

CAPVT I.

Status quæſtionis proponitur.

LVTHERANI, inquit Azor.lib.4. inſtitut. par. 2. cap. 19. *Caluiniſtæ, & alij Hæretici omninò negant vllam eſſe in Romano Pontifice Poteſtatem in temporalibus*. Non eos tamen deſignat. Nec explicat, an id negent, quòd putent, poteſtatem ſpiritualem in Sacerdote omnino excludere temporalem, ita vt cum ea vnà conſiſtere nequeat: cùm tamen concedant, immò & exigant, vt temporalis poteſtas in Regibus ſpiritualem admittat, & trahat, quòd ſit hæc illius appendix, & conſectarium. Nos quæ ille prætermittit afferemus. Primùm: qui negant ſunt Brentius in Prologom. contra Petrum Soto. Petrus Martyr in cap. 13. ad Roman. & Magdeburgenſ. centur. 1. lib. 2. cap. 4. & Sereniſſimus Rex Iacobus VI. & illius Sacellanus. Præterea Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 11. §. 8. qui magna id contentione, & ſtudio probat. Hæc omnium mens eſt pugnare omnino cum ſpirituali poteſtate illud dominium temporale: adeò vt Caluinus inficietur vllo id exemplo Scripturę probari. Itaque cùm in lege

Azor. Brent. Petrus Mart. Magd. Rex Iacob. Sacell. Caluin.

lege veteri, tum in noua eam coniunctionem fuiſſe prohibitam. Nec ſolum hæreticorum is error eſt, ſed quorumdam etiam Theologorum noſtrorum fuit. Marſilij de Padua, Ochami, & Ioannis Pariſienſis, quos ſecuti ſunt. Almainus tract. de ſuprema poteſtate laica q. 3. & Maior. in 4. diſt. 4. qu. 3. concl. 3. Eos citat Azor, qui hæreticos minimè nominauerat illo c. 19. Verum nec hi, nec ſuperius à me citati Heterodoxi affirmant pugnare natura ſua inter ſe iſta dominia, quôd videant in veteri teſtamento vnam, & eandem perſonam & ſpirituale & tẽporale dominium habuiſſe. Vnus Caluinus negat coire in vnam poſſe & exempla veteris teſtamenti omnia inficiatur. In quo certè turpiter errat. Sed conſequenter tamen ad ſuum errorem accommodat rationem: nempè in neutro teſtamento idcircò vllum inueniri exemplum, quia illa duo dominia natura ſunt, & conditione pugnantia, quod cum alij minimè dicant, fatentur aliquando fuiſſe in eadem perſona coniuncta, ideſt in veteri teſtamento. Negant verò in nouo vnquam coijſſe: quòd id per Euangelium non licebat. In eo tamen à verò deflectunt cæteri, quòd aſſerunt ſecularibus Principibus ſpirituale dominium, etiam in lege gratię attribui: adimi autem Sacris Principibus temporale. At verò Caluinus magis ad veritatẽ accedit, dum negat ſpirituale dominium in Principibus ſæcularibus inueniri, vti videre eſt in commentarijs in Amos. cap. 7. quemadmodum nec in Sacris temporale reperitur. Quòd ex ſua illa ratione conſequebatur nixa intrinſeca illorum inter ſe dominiorum repugnantia, quæ coniunctionem non ferebat.

Marſil. Ocham. Ioan. Pariſ. Alm. Azor.

In hac certè controuerſia: ita procedemus, vt primùm oſtendamus contra Caluinum iſta duo dominia in veteri teſtamento in vnam, & eandem perſonam concurriſſe, adductis pleriſque & teſtimonijs, & exemplis. Secundùm contrà aliquos monſtrabimus, numquam licuiſſe Principibus ſæcularibus ſpirituale dominium exercere. Poſteà quid in lege gratiæ, & ſtatutum, & actum ſit accuratè examinabimus, & eundem Romanum Pontificem, & cæteros Principes ſacros temporalis dominij capaces eſſe, & temporalia, & accepiſſe, & adminiſtraſſe concludemus.

SECTIO VNICA.

Animaduerſio in Hæreticos.

Hæretici arrogant ſibi ſcientiã ſcripturarum.

NIhil fidentiùs arrogare ; nihil frequentiùs vſurpare ; nihil faſtidioſiùs inculcare Heterodoxi, maximè Angli & Scoti Academici ſolent, quàm peritiam, locos, teſtimonia Scripturarum : perinde ac vel illæ apud eos, vel ij in in illis habitent, nos verò inter eas, ac inter nos illæ peregrinentur. Et quidem, qua in eas poteſtate interpretandi vtuntur, & nutui ſeruire ſuo cogunt, non inter eas illi commorari, ſed dominari videntur. Hinc eſt illa in peruulgando facilitas, in citando audacia, in explicando inſolentia, in venditanda Sacrarum litterarum intelligentia faſtus, & arrogantia. Adimunt Pontificibus noſtris claues poteſtatis, vindicant ſibi clauem ſcientiæ ; quæ à Chriſto data eſt Petro, & negant transferri : quam ſibi Chriſtus ſoli reſeruauit, eam vſurpant. Patefactas libenter à Chriſto cæli portas patere Petro, & Papæ non ſinunt. Obſeratas, & nemini alij præter ſe peruias Scripturarum portas, pro libitu ſuo volunt & claudere, & aperire. Quibus illud, *væ*, quod olim Chriſtus Phariſæis occinuit prorſus impingendum. *Væ vobis qui tuliſtis clauem ſcientiæ*. Ridere ſoleo cum video eos argumentis noſtris oppreſſos ad Sacram Scripturam prouocare, & cenſorio quodam ſupercilio ad illud nos Tribunal vadari, & ſiſtere, vt ibi noſtræ Fidei rationem ijs iudicibus reddamus. Rideo autem, quòd ſcio eos metu id & aſtu agere, & hac velle arte vim prementis veritatis effugere : conari tamen nobis fucum facere, & obtentu illo fiduciȩ ludificare. Quȩrunt in Scripturis effugium, non prȩſidium. Latibulum vbi abſcondantur, non lucem qua illuſtrentur. Haud nos fallunt. Nam etiam Latrones, & Parricidæ Templa ingrediuntur, & aras tangunt, ad eaſque confugiunt: vt manus quȩrentium euadant, ſeque ſacrorum præſidio tutentur. Cùm deprehendi, & capi à nobis nolunt, eorum verſutia deprehenditur, ne vinci videantur, honeſtè cedere videri volunt, & obiectu religionis inſequentes auertere. Vt ſi manum in ſe inijcere tentent, violati diuini iuris eos appellent. Homines ſanè acuti & cauti, quòd ſciunt difficilem Scripturarum intelligentiam,

Irridentur.

Arguta refutatio.

tiam,

tiam, & obſcuros interdum ſenſus eſſe, atque adeò diuerſis interpretationibus obnoxios, latebras in difficili, & obſcuro loco aſtutè quærunt, & oppanſis interpretamentorum ſuorum velis ſe tegunt; non quòd ament lucem doctrinę, quam maximè oderunt, ſed quod tenebras eligant, quibus inuoluantur. Eripere hac ſe ratione è manibus noſtris conantur, & in hiſce latibulis immiſſa in nos caligine, & iniecto fumo ſeruari. Nimirum Caci more veros, & germanos Scripturæ ſenſus è Sacris Biblijs auferunt, & verſis intelligendi veſtigijs detorquent, & gementes in ſuas partes trahunt. Secumque in ſpeluncis latronum vi detinent: noſque Herculis inſtar ablata repetentes loca, & ad veram doctrinę vocem germanis editis teſtimonijs reuocantes deludere moliuntur. Sed eos ego virtute Herculea perſequar: nec morabor in ſpecum deſcendere, & fumeas quas inhalant nubes perrumpere, gutturaque, quibus illam eructant caliginem, ſtringere, donec vi veritatis impreſſa angam inhęrens *Aſtus, & fraus hæreticorum.* *Aptum exemplum.*

Eliſos oculos, & ſiccum ſanguine guttur.

Virgil. lib.8. cogamque illa teſtimonia, quæ fallente ſtomacho malè concoxerant, fæculenta turpiter euomere, ac ijs Tribunal ad quod nos ſiſtere volunt, ſordidè implere. Vtar clariſſima Scripturarum luce, & illatis facibus perſequar, & aut eos è tenebris extraham, & in ſuperos reducam, vt diem videant, & lumen hauriant: aut ſi exire nolint,

Immittam ruptis Titana cauernis
Aſſligamque die.

& quo nullum noctuis maius tormentum eſt cogam pati Solem, quem execrantur.

Præſtringet oculos lucis ignotæ nitor.

Primùm oſtendam ſecundum Scripturarum ſenſum licere Pontificibus noſtris vtroque & ſpirituali, & politico, ſæcularem vocant, dominatu frui, immò & hunc ab illo originem trahere, eoque niti. Deinde monſtrabo illicitum prorſus fuiſſe Principibus Laicis, & ſæcularibus ſpirituale ius, & dominium vendicare, ac exercere. Atque adeò Pontifices noſtros rectè, & ex Scripturæ ſenſu temporalia adminiſtrare, ſuos ſecus, ac contra Scripturam ſpiritualia munia exercere. *Propoſitio.*

CAPVT II.

Licere Summo Pontifici, & cuilibet Epiſcopo temporalem dominatum obtinere, & vtramque ſpiritualis Paſtoris, & ſæcularis Principis perſonam agere, Scripturarum, authoritate, doctrina, vſuque probatur.

AGè verò totius Imperij fontem inquiramus. Is cap. 1. Geneſeos continetur, in quo & origo Dominij, & dominatus ſic habetur. *Faciamus*, inquit, *Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ*. Homo conditur, & ad Imperium deſtinatur. Rationem ſi quæris iuris, vnde effluat, Imaginem, & ſimilitudinem Dei habes. Nam quid aliud Spiritus Sanctus voluit inducta Imaginé Dei, niſi cauſam cur deſtinaretur Imperio ſignificare? ideò nexuit. *Et præſit*, perinde ac illa verborum, & rerum eſſet coniunctio; vbi impreſſa eſt homini ſimilitudo diuina, ibi dominij vis expreſſa. Ea ratio conferendi Principatus fuit, quæ Deo ſimilem hominem reddidit. Deprehendimus fontem: inſpiciamus originem, & cuiuſmodi illa imago fuerit inueſtigemus. Ea certè in animo, & arce animi, ideſt mente, & ratione ſita: nec enim alia Deum repræſentaret. Quì enim poſſet pars caduca, & mortalis, & à luto, cænoque recens citra animum, & vitæ, & ſenſus expers Dei ſimilitudinem non dicam exprimere, ſed adumbrare? A ſpiritu tota, & quæ ſacratior virtus ſpiritus eſt, ab ea certè ſpiritus parte ducenda. Audiant doctos apud Auguſtinum lib. 2. de geneſ. contra Manichæos cap. 7. *Poſtquam dictum eſt finxit Deus hominem de limo terræ: propterea non additum eſt ad Imaginem, & ſimilitudinem, quoniam nunc de corporis formatione dicitur. Tunc autem interior homo ſignificabatur, quando dictum eſt: fecit Deus hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem Dei*. Interior homo animus ipſe, & rationis, & virtutis compos dicitur. In hoc impreſſa Imago Dei. Videamus in eodem expreſſam poteſtatem. Auguſtinum ipſum appello lib. 1. contra Manicheos cap. 17. ibidem ſpiritus hominis in ſcripturis dicitur ipſius animæ potentia rationalis, qua diſtat à pecoribus, & eis naturæ lege domi-

Gen. 1.

Iuris, & Principatus origo.

Quid ſit ad imaginẽ Dei creari.

Auguſt.

Mens & ratio ſunt Imperij.

dominatur. En radix & origo dominationis, non eius tantum, quæ in animos exercetur, & ſpiritualis eſt iuris, ſed illius etiam, quæ ad corpora funditur, & temporalia comprehendit, & vniuerſæ terræ ſpatia peruadit. At non homines hic ponuntur, nec politices mentio vlla fit. Planè: Non in quos nunc dominatio tendit ſpectamus, ſed à quibus fontibus manet inſpicimus. In capite adhuc & origine ſumus. Nondum deducti fluminis curſus, & quos decurrendo riuos colligat conſideramus. Creſcet, & inuoluet viros, ac Vrbes, & Oppida, cùm in ea inciderit, cùm præſertim adhuc non exiſtant, quæ corripiat, ſibique adiungat: Satis eſto monſtrare ſpiritualem vim mentis totius Imperij cauſam, & fontem eſſe, & quæ illius poſtea futura ſint diuortia ab eo capite origineque deſcendere. Et quoniam magna eſt, & merito apud Anglos authoritas Auguſtini eiuſdem hac de re tota illuſtrem produco lib. 1. de Geneſ. ad litter. cap. 17. ſententiam. Quæ integram meam ratiocinationem repræſentat. *Nouerint*, inquit, *quòd homo ad Imaginem Dei factus dicitur ſecundum interiorem hominem dici, vbi eſt ratio, & intellectus. Vnde etiam habet poteſtatem piſcium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum, & ferarum, & omnis terræ: Cum enim dixiſſet faciamus hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram addidit continuo: Et habeat poteſtatem piſcium maris, &c. vt intelligamus, non propter corpus dici hominem factum ad Imaginem Dei, ſed propter eam poteſtatem qua omnia pecora ſuperat*. Totidem verbis, dixit Auguſtinus, quòd ego proximè vſurparam. Nemo autem dubitat, quin poteſtas humana, & politica ſimilis ſit corpori, ſacra autem & ſpiritualis ſimilis animo. Vnde deducitur hanc illius eſſe, & originem, & cauſam, & in quo hæc ſit, in eum, & illam quadrare, & poſſe, & debere.

Auguſt.

Poteſtas ſpiritualis animæ, temporalis corpori aſſimilatur.

Expreſſam hoc loco veritatem, alter in eodem capite Geneſeos adumbrat: in quo ducta lineamenta Imperij apparent: quibus in Adamo vltima manus acceſſit. Duo illa initio mundi luminaria Sol, & Luna vix dum condita ad imperandum erudita, *vt lucerent, & præeſſent*. Singulari quidem exemplo. Nam quæ luminis fontes ſunt, quo ſapientia ſignificatur, ijs Principatus conſtitutus. An non ille Syderum Princeps Sol, quod multò ſit cæteris claritate præſtantior ius ſibi Imperij vendicat, & quot ex lucidiſſimo illo globo diffundit radios: tot dominatus ſui notas deſcribit? Ille tam-

Gen. 1.

Sol, & Luna vtriuſque Principatus ſymbolum.

quam

quam moderator luminum reliquorum, & illuſtrat ea, & ſouet, ille vices, & munia lucendi diſtribuit, ille ordinat, & regit, aſtra diem noctemque diſcriminat, & temporum apta conuerſione curſus annuos conficit, & tempeſtates diſtinguit: orbemque cùm perpetua luce illuminat, tum grata temporum varietate exhilarat. Vt qui olim Philoſophi hanc æquabilitatem motus, hanc conuerſionem cæli, hanc diſtinctionem ſyderum, hunc ordinem, viceſque luminum naturalis intelligentiæ vi perceperunt, ij vel ſolem animam, & mentem mundi eſſe exiſtimarint, aut à diuina quadam mente, & intelligentia regi crediderint: omnes penè ex eo numen aliquod à quo & illa & exiſterent, & fierent eſſe collegerint. Tam inter ſe ſunt mens, & dominatio nexæ, & copulatæ: vt vbi inſit ratio, ibi & radix Imperij conſiſtat.

Caim primus politicus. Riuos iam placet ad homines, & politicas Societates deducere. Certè ne ille quidem Caim, qui primus ciuitatem ædificaſſe legitur, atque adeò politices rudimenta poſuiſſe, cum ſceleſtus & nimium eſſet, non tamen initia quædam Sacerdotij præmiſit. *Obtulerat enim ante de fructibus terræ munera Domino.* Hoc ſacrificio ille ad condendam Vrbem prælusit: quæ quòd terrena erat futura, è terra deſumptis muneribus, nixa ſtetit. Haud temerè puto factum, vt ſacrificantis Caim mentio fieret, ne cùm quis poſtea authorem ciuitatis videret rationem in eo Sacræ illius originis deſideraret. Leuis eſt coniectura, at non opinor negligenda, cùm præſertim ſuum habeat acumen, quo imprimis Angli, & valent, & delectantur. Gen. 4.

Titulus Principatus in Sacerdotio fundatur. Robuſtius argumentum eſto à Noë petitum. Altero Adamo inſtauratore Orbis, & vindice, qui antequam à Deo huic iterum rerum Vniuerſitati præficeretur, ceu ad illum ſe dominatum compararet, altari erecto ſolemniter fecit, & perlitauit: Quem ego Sacerdotem fuiſſe tum ex eo, tum quod vini, cuius in Principe Eccleſiæ Sacramento vſus futurus erat, inuentor extitit. Abrahamum quem Deus Patrem multarum, & moderatorem gentium inſtituebat, quater lego ante ſuſceptum Iſaac ſacrificaſſe. Quòd autem eum ſuper Altare immolare ex præſcripto Dei voluit, & pro eo Ariete ſuffecto ſacrificium obtulit, eò ſanè ſpectauit, vt ampliſſimum, qui ei eſt conſtitutus Principatum promereretur. Huiuſmodi in Iſaaco, & Iacobo argumenta iuris Sacrifi- Noë. Abrah. *Probatur exemplis Scripturæ.* Iſaac. Iacobo.

cijs

cijs nixi apparent. Sed ſolidiora quæramus.

Melchiſedech ille Sacerdos altiſſimi, & Rex Salem in quo vtraque, & Pontificia, & Regia dignitas, & poteſtas fuit, ſatis eſt ad refutandam omnium Heterodoxorum calumniã. Vtramque quippè eum ſacram, & prophanam egiſſe perſonam, tum ex Geneſeos 13. tum ex Epiſtola ad Hebr. 7. capite conſtat: nec illi inficiari poterunt, cùm Manichæi non ſint, illum non ſolum typum Chriſti Domini, quod Paulus confirmat, ſed futurorum etiam Chriſti in Summo Pontificatu Sacerdotum fuiſſe. Ac primum apparet duplicem illam imperandi rationem in vnum, & poſſe coaleſcere, & coaluiſſe: ac quemadmodum ille tiara ſublimis enituit, & corona celſus effulſit, ita & Pontifices noſtros, & mitra inſigniri, & diademate radiari. Deinde illud mihi proprium vendico in Melchiſedecho primas habuiſſe Pontificiam, non Regiam dignitatem: vt ſæcularis Regis poteſtas Sacro Pontificis iure: non contrà niteretur. Id ego idoneis coniecturis ex vtroque textu elicio. Primùm, quia Melchiſedech hæreditario iure Rex non eſſe à Paulo ſignificatur, eum dicitur ſine Patre, ſine matre, ſine genealogia, quod certè non cadit in hominem à Regibus prognatum, & qui iure ſanguinis per auorum ſeriem Regnum ad ſe traheret. Deinde quia in eo loco Geneſeos, & ſubito Rex & obiter exiſtit, & dicitur. Sacerdos autem eſſe affirmatur, & quidem eo verbo quo æternitas innuitur, *Erat*. Et nullo Regio munere fungitur; Pontificium tantum obit: nec Abrahamus in eo Principis, ſed Sacerdotis perſonæ rationem habuit. Accedit: Paulum prætermiſſa Regia dignitate totum ſe ad eius Pontificatum deſcribendũ, Chriſtoque accommodandum contuliſſe. Præterea Dauid eundem in Pſalmo nulla factà Regni mentione Sacerdotem inducit: ac vterque Dauid, & Paulus ordinem in eo agnoſcit, quòd aut è ſtirpe Sacerdotali eſſet, aut certè ordinem inſtituiſſet, qui ordo ei obueniſſet, antequam Rex eligeretur: immò & conijcio eum ideò creatum Regem, quòd Sacerdos eſſet initiatus: nimirum vt Abrahamo gratulabundus occurreret, eique benedictionem impartiret, & ſacrificium pro eodem incrementum offerret.

Obijcient tamen Academici: Paulum eo ad Hebræos loco ad mentem Dauidis ſolius Sacerdotij rationem habuiſſe, nec Regiæ poteſtatis quicquam delibaſſe, nec ad Chriſtum tranſtuliſ-

Geneſ. | Hebr. | Pſalm.

In Melchiſedecho vterq; Principatus coniunctus.

Melchiſedech præcipuè Sacerdos.

Obiectio ſoluitur.

ſtuliſſe. Atque hinc deduci ſæcularem dominatum cum Sacerdotio minimè conuenire, cùm ille non tranſierit ad Chriſtum translato Sacerdotio; nam ſi vtraque poteſtas coaleſceret in vna eademque perſona, vtraque ſimul tranſmitteretur. Quare cùm Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech dicatur, non Rex, argumento eſt à Pontificatu Regiam poteſtatem excludi. Quòd ſi in Melchiſedecho ambæ coniungebantur, in Summo certè Pontifice copulatas eſſe non poſſe, cùm in Chriſtum à Melchiſedecho translatæ non fuerint. Acutè quidem Angli Academici, ſed nos aptè reſpondemus. Paulo non eſſe propoſitum oſtendere Regiam in Chriſto poteſtatem eſſe, ſed Pontificiam, quæ cum illius ſanguine videbatur pugnare, atque adeò nullam in eo eſſe potuiſſe. Itaque Paulus cum ſciret Chriſtum in Tribu Iuda cenſeri, de qua *nullus* ait *altario præſto fuit*, vſus eſt argumento Melchiſedechi, cuius ſacerdotium non erat Tribui alligatum, nec ſanguini Leuitico addictum; immò & hoc antiquius, & ſuperius. Ac eius *Ordinis* eſſe Chriſtum dixit, qui *non ſecundum legem mandati carnalis, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis factus eſt*. Probauit igitur Sacerdotium Chriſti alterius generis eſſe, quàm Leuitici, cuius Melchiſedech typum geſſerat, *aſſimilatus Filio Dei qui eſt Sacerdos in perpetuum*. Non excludit tamen Paulus Regium ius admiſſo Sacerdotio Melchiſedechi, nam de eo conſtabat Chriſto ineſſe poſſe, quòd de Tribu Iuda eſſet, penes quam ſceptrum eſſet, nec oportebat probare, id quod manifeſtum erat; nec decebat Regem eum ſecundum Ordinem Melchiſedech dicere, cùm Chriſtus à Melchiſedecho Regiam poteſtatem non mutuaretur: quòd eam haberet iure ſanguinis, ac hæreditatis. Illud à Melchiſedecho ſumpſit, quòd iure Tribus habere Iudaica lege non poterat, idque Sacerdotium fuit, quod alterius generis erat, ac multò quàm Leuiticum præſtantius. Quare nihil eo argumento aduerſus Pontifices noſtros concluditur: cùm Chriſtus & Rex & Sacerdos fuerit. Quid enim illo teſtimonio Dauidis manifeſtiùs. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo?* & illo Matth. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra?* & illo Apocalypſeos. *Rex Regum, & Dominus dominantium?* quem titulum in femore præferebat, vt Regium ſibi ius cum ſanguine tranſmiſſum indicaret,

Explicatio Sacerdotij Melchiſed.

Chriſtus Rex & Sacerdos.

Dauid. Matth. Apoc.

Melchiſedecho Moyſen adiungo. Quem è ſtirpe Leui fuiſ-

fuiſſe conſtat: & quamuis nondum ea conſecrata Domino natus, non ideò tamen non pondus ſecum affert ſententiæ: cùm multo ante ipſum, immò & Leui ortum ad eius Sacerdotium reſpexiſſet Deus, vt illud Melchiſedechi Sacerdotio ſubiectum iri ſignificaret: nam vt inquit Paulus. *Leui in lumbis Patris Abrahæ decimatus eſt*. Igitur potuit in Moyſe Deus nepote Leui ante Aaronis Sacerdotium rationem Sacri miniſterij reſpicere, cùm illum ad imperandum Hebręo populo elegit, vt illum idcircò eligeret, quòd ſanguinem Pontificium traheret, & gentile munus præ ſe ferret. Quid? quòd Moyſes non modo Leuiticæ Tribus nondum inſtitutę ad Sacra obeunda, ſed Sacerdotij etiam compos, & particeps fuit? Conſtat id cùm ex multis, quæ obtulit in Exodo ſacrificijs, tum ex ipſius, quam exercuit, inauguratione Aaronis. Ac præcipuè ex manifeſto Dauidis teſtimonio. *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius*. Hic itaque Princeps illius populi inſtitutus, qui Sacerdotali dignitate fungeretur. At prior tamen in Moyſe dominatus, quàm Sacerdotium fuit. Potuit quidem vſu prior eſſe, at ratione finis deſtinati poſterior, vt exercitium ab inſtituto Dei penderet: qui homini Leuitici generis, & qui Sacerdos futurus erat, Imperium committere voluit: vt nos doceret, non modo bene vtrique inter ſe conuenire, ſed dominium prophanum à Sacra perſona non abhorrere. Idcircò eum Iethro generum dedit, qui *Sacerdos erat Madian*, vt in eius domo rudimenta quodammodo Sacerdotij poneret. Idcircò antequam populo eum præficeret, futuri ab eo Sacrificij monuit, præcipiens, vt poſt aſſertum in libertatem populum in monte Horeb Deo immolaret. Immò cum paſceret oues, gregemque minaſſet, Authorem, & vindicem Dominus Hebræorum creauit, idque ei inter oues agenti denuntiauit; perinde ac Paſtoris in eo, Pontificiſque perſonam reſpiceret, ac in munere Paſtorali ſæcularis Imperij fundamenta iaceret.

Hebr. — *Moyſes cur Princeps electus.* — *Pſalm.* — *Occupatur obiectio.* — *Idonea coniectura.*

Cęteros à quibus idonea peti exempla poſſunt breui commemoro. Iudicum politicam adminiſtrationem fuiſſe compertum eſt. Eam Heli Sacerdotem ex Aaronis ſtirpe geſſiſſe Sacra Regum narrat Hiſtoria. Idem munus obijſſe Samuelem virum Deo dicatum, & planè Sacerdotem, qui *inter eos qui inuocant nomen Domini* recenſetur à Dauide, eiuſque filios Ioelem, & Abiam lib. 1. Regum accepimus. Regum tem-

Reg.

pore diuiſa ea ſunt Regis, & Pontificis officia, quòd poteſtas Regum, quos populus petierat, ſolitaria eſſe debebat: quod ipſum ſuadet in Regibus Sacerdotium eſſe non poſſe: cùm illi prophano tantùm iure niterentur, & quibus regnantibus Deus eſſet quodammodo ne regnaret abiectus: ſecundum illud ad Samuelem. *Non enim te abiecerunt, ſed me.* Vnde momentum ſeutentiæ noſtræ accedit, licere Pontifici ſęcularia, Regi non licere ſpiritualia adminiſtrare. Quo aſſumpto pergo ire vlterius, & Scripturas diligenter ſcrutari. 1. Reg. 8.

Regum Hebræorum tẽpore diuiſum Regnum a ſacerdotio.

Cyro Rege, liberato captiuitate populo, etſi Zorobabel de Tribu Iuda imperaret, non excluſi ſunt tamen à dominatione Ioſue & fratres eius Sacerdotes, qui Principes Patrum vocantur. Quin & Ioſue Ieſus dicitur, qui Eccleſ. 49. parem cum Zorobabel poteſtatem habere memoratur. Artaxerxe Rege, Eſdras Pontifex Aaronis nepos Hebræorum populo præeſſe primo eiuſdem libro traditur. Anno eiuſdem Regis viceſimo miſſus eſt cum Imperio Nehemias ad inſtaurandam Hieruſalem: Nehemias inquam Helciæ filius, quem etſi non conſtat cuius tribus fuerit, veriſimile eſt fuiſſe Tribulem Leui, vti Patris indicat nomen. Id tamen conſtat apud eundem Eliaſib Sacerdotem Magnum vnum è Principibus in ædificando fuiſſe. Præterea primum illorum, qui ciuitati & populo præerant Ioachim filium Ioſedech Sacerdotem cap. 12. Nehem. numerari: cui Nehemias Dux ipſe ab Artaxerxe Rege conſtitutus numerando ſubijcitur, vt de quo an ſit Sacerdos, ambigitur, ei Sacerdos manifeſtus præferatur.

Eſdr. 1. Eccleſ. Eſdr. 2.

Poſt Reges coniunctum.

Nuſquam tamen illuſtrius huiuſce rei exemplum inuenitur poſt illud, quod capitale eſt Melchiſedech, quàm Principatus Machabæorum, qui cum eſſent de Tribu Leui, & Sacerdotis Matatthiæ filij, ac ipſi Sacerdotes, ſuſceptis habenis Imperij, & rem politicam, & bellicam adminiſtrarunt. Atque id genus adminiſtrationis Principatum Sacræ litteræ appellarunt. Quòd autem Ionathas ab Alexandro Antiochi nobilis filio, & Simon à Demetrio Demetrij filio renuntiati ſunt Sacerdotes Summi, id certè intelligendum eſt de confirmatione, & facultate exercendi liberè in ijs regionibus ſuę ditionis vſum Sacerdotij, vt ijs impunè, & honeſtè eo liceret munere fungi; nec enim alienigenæ Reges poterant Hebræo-

Mach.

Machabæi Duces, & ſacerdotes.

bræorum populo ius, & leges Sacerdotij dare, cùm à Deo acce
piſſent. In quo item ille Pontificatum noſtrum adumbrauit: nam aliquandiu in Eccleſia mos iure ne?an iniuria Gratiano in cap. *Adrianus*, & gloſſis ibi authoribus tenuit, vt ab Imperatoribus Summi Pontifices rati haberentur, donec Ludouicus Pius ei ſiue mori, ſiue iuri renuntiauit. Itaque Machabæi primum Sacerdotes: deinde Duces Hebraici populi extiterunt: nullo Regis Imperio expectato: vti conſtat ex cap. 13. in quo ſic ſcribitur in tabulis, & geſtis publicis. *Anno primo ſub Simone Summo Sacerdote magno Duce, & Principe Iudæorum. Factus eſt enim Summus Sacerdos poſt Ionatham fratrem ſuum*: antequam ad eum fæderati Reges, & Principes ſcriberent, à quibus, quòd iam Pontificatum gereret, Sacerdos magnus, & Summus, & Princeps Sacerdotum appellatur in litteris, eòque nomine primum afficitur, & cap. 14. & 15. vt ſemper priores habeat partes Sacerdotium. Tandem filius, Ioannes, acceptum ab eo Pontificatum geſſit, iure hęreditario Leuitici ſanguinis tranſmiſſum, quemadmodum ſcribitur in fine cap. 16. lib. 1. Machab. Quare ex tota ſerie hiſtoriarum veteris teſtamenti deducitur, cùm vtriuſque poteſtatis compotes fuiſſe Pontifices, tum ex ambabus primam, & radicem, & fontem Pontificiam extitiſſe, quam prophana, & politica ſit conſecuta.

Grat. Gloſſa. Mach.

Sacerdotium radix Imperij.

Verùm non acquieſcunt huic noſtræ ſententiæ Heterodoxi Angli Academici, homines, etſi candidi, & ingenioſi, opinoſi tamen, & difficiles, ac minimè creduli, præſertim cùm præiudicatis ſententijs adhæreſcunt. Opponunt autem nobis locos, vti aiunt, inuictos Scripturarum, in quibus Leuiticis hominibus Sacris, & Sacra curantibus huiuſmodi ſæculari dominatu omninò interdicitur: ac quod ex eo conſequi ſolet patrimonium, & peculium. Ecce enim Numeri 18. num. 20. *Dixit Dominus ad Aaron in terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael*, & num. 24. *Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vſus eorum, & neceſſaria ſeparaui*. & Deuteron. 18. *Non habebunt Sacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui de eadem Tribu ſunt partem, & hæreditatem cum reliquo Iſrael, quia ſacrificia Domini, & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum*. Et Ezech. 44. num. 28. *Non erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum, & poſſeſ-*

Obiectiones ex Sacra Scriptura.

Num. Deuter. Ezech.

poſſeſſionem non dabitis eis in Iſrael, ego enim poſſeſſio eorum. Et alijs eiuſdemmodi. Cùm autem, nobis Catholicis authoribus, Aaronem, & Leuitas Pontificis Summi, & Epiſcoporum noſtrorum figuram, typumque geſſiſſe conſtet, ſequitur, quod illis per Deum non licuit, nec his licere per eumdem potuiſſe.

Soluuntur. Lubens Anglos audio, quòd eorum amo, & indolem, & ingenium. Volo ijs morem gerere, ac debeo cùm poſſum. Fateor aptos eſſe huiuſmodi locos, & inuictos ad probandum partem Anglicanæ hypotheſis nullo meę doctrinę periculo, non tamen ad extorquendam aliam partem, quàm volunt, ac ego prorſus inficior. Do Leuitas non potuiſſe eadem ratione, qua cæteræ tribus præeſſe, & poſſidere; nego vetitum ijs omnino eſſe, & dominari, & habere. Itaque rem non interdici, modum prohiberi. Id ex alijs locis manifeſte perſuadeo. Nam cap. 35. nu. 2. Ait Dominus ad Moyſen. *Num.* *Præcipe filijs Iſrael vt dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum*, & num. 8. *Singuli iuxta menſuram hæreditatis ſuæ dabunt oppida Leuitis*. Et Ioſue 21. Acceſſerunt Leuitę, atque dixerunt Eleazaro, & Ioſue terras Tributim diuidentibus num. 2. ſic. *Dominus præcepit per manum Moyſi, vt darentur nobis Vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta. Dederuntque Filij Iſrael de poſſeſſionibus ſuis iuxta Imperium Domini ciuitates, & ſuburbana earum*. Et in eodem capite numerantur ciuitates, quæ quadraginta octo numerum explerunt Leuitis aſſignatæ. Et Deuter. 18. vbi ſeriò vetatur, ne quid poſſideant, conſtat eos habere vrbes, & hæreditates, ſic num. 8. vbi mentio fit de Leuitis in alias vrbes migrantibus. *Partem ciborum eamdem accipiet, quam & cæteri: excepto eo, quod in vrbe ſua ex paterna ei ſucceſſione debetur*. Quibus locis manifeſtè traditur Leuitas habuiſſe, & ciuitates quibus præeſſent, & bona quibus fruerentur. Sunt præterea duo perſpicua huiuſce rei exempla: alterum veteris, alterum noui teſtamenti. Ex veteri illud eſt Hieremiæ, qui cùm eſſet ex genere Sacerdotum Agrum vendidit Hieremiæ 31. Ex nòuo Barnabę, qui cum Leuites eſſet, agrum item quem poſſidebat, venumdedit. Quì autem fieri potuerit, vt & Leuitæ nihil poſſiderent, nihilque præter decimas reciperent, & tamen haberent ciuitates, & ſuburbana, ac eorum prouentus, cùm Anglis, tum nobis iuxtà

Leuitæ an poſſederint bona temporalia.

Ioſue. *Deuter.* *Hier.* *Act.*

exa-

examinandum : nam negari prorſus alterum è duobus nequit. Vtrumque autem ſuſtinere difficile. Ego conſiderata maturè huiuſmodi re, id author ſum, Deum vetuiſſe Leuitis iure ſuo occupare quidquam, & poſſeſſiones illas bellando, vti cæteræ Tribus acquirere, ſed expectare dum ab ijs terra illa promiſſionis in poteſtatem redigeretur, & à Diuina prouidentia pendere, qua futurum erat, vt ex aliarum Tribuum liberalitate gratuitæ donationis titulo ciuitates, & poſſeſſiones acciperent. Ita nec illi quicquam ſibi iure primum vendicabant, & verum erat nihil poſſidere, cùm omnia ab alijs eſſent Tribubus occupata, & iure belli poſſeſſa. *Omnes* enim ait Scriptura. Ioſue 11. num. 19. *Iſrael omnes vrbes bellando cepit*. Nec tamen nihil deinceps habebant ex donatione aliena, & conſtabat poſſidere non iure ſuo, ſed ex præſcripto Dei, & fratrum largitate. Hac ratione puto locos vtrinque obiectos, & ſpecie pugnantes conciliari. Verum eſt enim & eos nihil in illa expeditione ſibi iure occupationis vendicaſſe, & poſtea quæ poſſiderent, dono accepiſſe. Alio item modo rem expedio. Leuitas ciuitates tantùm ad habitandum habuiſſe, non aut agros, & prædia extra ciuitates, vnde prouentus redituſque acciperent, quos tantùm ex decimis conſtat vixiſſe: idque nos docet Scriptura, dum ait eos ſuburbana ciuitatum petijſſe ad alendos greges; quæ cum ſint excepta, & certis à Deo circumſcripta limitibus, compertum eſt eos in agros, & prædia ire vlterius poſſidendo non potuiſſe. Igitur cùm præcipitur, ne quid habeant, redituum & prouentuum ratio habetur, quibus Leuitæ carebant, & quorum loco decimas capiebant, cùm autem permittitur habere ciuitates, & ſuburbana, habitatio, & politica ſocietas attenditur, & præterea gregum ad ſacrificium, eſumque paſtura. Ita media inuenta eſt, via, qua tutò incedendum: vt nec omnino inficiemur Leuitas omni prorſus dominio, & patrimonio caruiſſe, nec affirmemus eos, tam liberè, ac alij & imperaſſe, & poſſediſſe. Damus hoc Anglis, modo ij nobis illud concedant, quòd certè negare non poſſunt. Eo autem accepto illud conficitur. Leuitas, & politicum in ijs ciuitatibus, quas acceperant, & in ſuburbanis, quæ pro alendis gregibus ijſdem accreuerant vtile dominium habuiſse. Qua ratione corruit tota Anglorum contra ius noſtrum Pontificium ratiocinatio.

Conciliantur loci Scripturæ de poſſeſſione Leuitarum.

Ioſue.

Explicatur poſſeſſio Leuitarum.

Vt

Vt autem norint Angli, quàm noſtri & Pontifex, & Epiſcopi ad normam Scripturæ Imperium acceperint, & geſſerint, gerantque, animaduerto. Originem dominatus Eccleſiaſtici ſimilem Leuiticæ fuiſſe: cùm Pontifices Maximi non ſibi dominium vendicarint, occuparintue, ſed illud ab Imperatoribus, Regibuſque dono acceperint, vt quemadmodum Leuitæ non iure belli primùm vrbes ceperunt, ſed captas ab ijs qui ceperant, habuerunt, eaſque deinceps ſui iuris fecerunt: ita & Pontifices noſtri, non aut inuaſere Regna, vt occuparent, aut vi ſe in eorum poſſeſſionem iniecerunt, vt retinerent; ſed quæ Imperatores Regeſque ſibi iuſtis, & honeſtis titulis acquiſierant, ad ſe piæ, & liberaliter tranſlata acceperunt. Qua in re ſimiles Leuitis extiterunt. Hi enim cùm Sacris eſſent deſtinati, dicatique Deo, armis abſtinere debuerunt, nec niſi pacificè, & citra ſanguinem ſibi dominatum, & peculium parare. Idque eorum exemplo Pontificibus agendum. Et ſanè Deus vetuit Leuitis cruentas poſſeſſiones habere; vnde quòd illæ primum ſanguine acquirebantur, earum ijs eſt occupatio interdicta. Quare neque à Moyſe Num. 32. referente, nec Ioſue c. 13. cum Rubenitis & Gaditis, & dimidia Tribu Manaſſe trans Iordanem: nec cum reliquis Tribubus ab eodem c. 18. & cæt. cum primum diuiſa eſt terra partes ſuas acceperunt: ſed poſtea extra calorem belli, citra armorum ſtrepitum ex occupatis, ac diſtributis gratis, & vltro conceſſas poſſederunt. Quod certè legimus Pontificibus noſtris accidiſſe, quibus Conſtantinus, Aritpertus, Pipinus, Carolus Magnus, alijque quos ſuo loco memorabimus, Principes partam à ſe Imperij, & poſſeſſam partem religioſè ſanctèque dederunt, quòd neque Dei lege, neque Chriſti præcepto ijs interdictum fuiſse legimus. Quòd autem poſtea, quæ ſibi donata fuerant, & quorum in poſseſſionem venerant armis defenderint, & ſæpè vi ab hoſtibus repetierint, id (præterquàm quod alterius eſt loci, quò rem differimus) ſanè licuiſse conſtat: nam aliud eſt occupare aliena, aliud ſua tueri, & iuſtum eſt, quòd iuſtè poſſidetur, & retinere, & repetere; nec enim ſi quis, opinor, vellet Leuitas ex illa ciuitatum, quas acceperant poſseſſione depellere, non liceret vim vi repellere, ſeque, ſuaque ab iniuria illata defendere: cùm id ius naturæ dictet, ratioque ipſa perſuadeat. Nunc ſatis ſit monſtrare, non eſſe vetitum lege teſtamenti veteris,

Dominium Pontificium ſimile Leuitico.

Nu. 32. Moyſes.

Ioſue 13.

Nec Pontifices eum primum habuerunt.

Licet armis parta ſine armis tueri.

nec

nec exemplo vllo prohibitum hominibus Sacris, & Sacra administrantibus, & dominatum prophanum gerere, & politicè ciuitatibus populiſque præeſse, immò conſtare, id & permiſsum lege diuina, & exemplis inductis vſitatum.

CAPVT III.

Non licuiſſe Prophanis, & Sæcularibus Principibus Sacrorum adminiſtrationem ſibi arrogare eiuſdem veteris teſtamenti locis exempliſque oſtenditur.

NIhil magis miror in Anglis hominibus, in Scripturis haud mediocriter verſatis, quàm quòd, aut Regibus ſuis Sacrum Imperium detulerint, aut vſurpari ab ijs permiſerint, cùm id ſit à diuinarum litterarum doctrina alienum, vellemque ex ijs ſcire, quibus exemplis lociſue nitantur ad eam poteſtatem aſtruendam. Eant quęſo mecum per libros Sacros, & conſulant eorum teſtimonia, & exempla, & ſi quid inuenerint, quod vſui eſse ad id probandum poſſit, næ ego digitum tollam, & herbam porrigam. An quòd priſci illi Patriarchæ ſacrificarunt, putant Regibus, & Principibus ſuis licere Sacra adminiſtrare? Animaduertant ijs temporibus, nondum fuiſse diſtinctos ordines, muniaque diuiſa, & omnibus promiſcuè ſacrificia permiſſa. Præterea aliud eſse ſacrificare priuatim, aliud ſacrificantibus imperare. Sed iam in ea prima ætate ſigna quædam ſunt Sacerdotij ſupra prophanum ſtatum excellentiæ. Id apparet in occurſu Melchiſedechi Abrahamo de hoſtibus victori: nam Abrahamus qui gentis ſuæ Princeps erat, cuique iam à Deo ampliſſimus imposterum dominatus promiſsus Melchiſedechum Superiorem agnouit, accepta ab eo benedictione, & oblatis decimis, præſtitiſque Religionis officijs, quo ſe inferiorem oſtendit. Authore Paulo. *Sine vlla*, inquit, *contradictione, quod minus eſt à meliori benedicitur*. En Abrahamus tantus vir iam penè iuſti exercitus Dominus, victor ac triumphator, ſpei futuri Principatus plenus, & Sacerdotio iam Leui lumbis erumpente fætus, coram Melchiſedecho proſternitur, & tantùm non adorat, quòd in eo reuerebatur Pontificiam dignitatem. Non faceret Henricus VIII. Certè dum Abrahamo ſimilis fuit faceret, diſſimilis non faceret: idque ipſum argumento eſt,

Apta, & iuſta cum Anglis expoſtulatio.

Temporalis poteſtas ſubiecta ſpirituali.

cùm minimè fecit, perperam feciſſe. At non erat Rex Abraham: erat Melchiſedech. Fateor, ſed Abraham in Melchiſedecho non Regis, ſed Sacerdotis perſonam ſpectauit, & coluit. Repono, Princeps iam erat, eoque nomine appellatus à filijs Heth, quos adierat, vt ſepulchrum ad Saram ſepeliendam impetraret; eos tamen adorauit, quòd nimirum ab ijs rem Sacram poſtulabat, & Sacrum in ijs ius attendebat.

Henr. VIII. Angliæ Rex ab Abrahamo diuerſus.

Puto autem, ſi Henricus de ſepultura, tum cùm à Pontifice Romano defecit, cogitaret, in officio fuiſſe manſurum; ſed quòd de thalamo Annæ cogitabat, Religionem abiecit. Itaque Abraham bis adorauit in ea cogitatione defixus. Henricus cum adorare debuiſſet, ac ſolitus eſſet, inflammatus libidine voluit adorari. Sed Abraham ſepeliebat vxorem mortuam. Henricus repudiauerat, ac penè infoderat viuam, & pellicem quærebat, quam viuam deperibat. Hinc illæ lachrymæ! Gen. 23.

Iuuat item non parum, illud, quod inter Sacerdotes accidit Leuit. 10. vbi narratur Nadab, & Abiu, cùm filij Aaron eſſent, & legitimè ſacrificarent, quòd alienum ignem abſtuliſſent, miſſo de ſuperis igne eſſe conſumptos. Quid? Si ij alienæ eſſent familiæ? ſeque in Sacra intruderent? Tam ſeuerè vetabat Deus, ne vel Leuites inſtituta illa Sacra contaminaret. In diuinis nonniſi lege diuina operandum. Itaque Pontificiæ manus prophanum ignem expiare non potuerunt. Quid ſi manus prophanę ignem Sacroſanctum attingerent, illumque temerarent? An ferat Deus acer vindex, vltorque iniuriarum, quæ Sacris inferuntur? Nec illud aliud ab re eſt, quòd Rex Balac ad propitiandum Deum, & iram eius in hoſtes auertendam Balaam Prophetam acciuit, ac nec auſus eſt id quod precariò quiuis impetrare poterat, niſi adhibito Propheta procurare. Struebat quidem Balac altaria, hoſtias imponebat, ſed ex Balaami præſcripto, & illius reſponſum, ceu oraculum, expectabat. Quid hoc erat aliud, quàm Balaamo ſeruire, & maieſtatem Regiam Pontificiæ dignitati ſubmittere? Scio Gedeon ædificaſſe Altare Domino Iudic. cap. 6. num. 24. At non lego ibi ſacrificaſſe; vbi lego feciſſe Ephod, & inſigne illud Sacerdotij vſurpaſse, ibi comperio idololatriam populi, & ruinam Gedeonis, eiuſque familiæ. Iudic. 9. num. 5. *Fornicatus eſt omnis Iſrael in eo, & factum eſt Gedeoni, & omni domui eius in ruinam.* Certè

Prophanis arcendi à ſacris — Leuit.

Num.

Probatur exēplis Scripturarum. — Iudic.

Ephra

Ephra in qua vrbe locarat Ephod, 70. filiorum ſanguine, redundauit, quos ſuper vno lapide, ceu ad illum errando offenderet, Abimelech è ſcorto natus immaniter iugulauit. Multum autem intereſse inter ſacrificium, & Ephod compertum eſt in Sacris litteris: cùm ſacrificium commune fuerit Tribubus, quo vti poterant ob priuatas cauſas, quemadmodum multis locis deprehendimus, at Ephod Sacerdotum propriũ eſset, illud præcipuè, quòd ad ſolemnia Sacra pertinebat. De quo iterum infra occurret ſermo. Sacrificio quòd vſus ſit Gedeon, nil prorſus culpæ admiſit, & nil ſupplicij luit. Quòd Ephod abuſus ſit, & peccatum commiſit, & pœnas dedit. Quas nihilominus Manue effugit cap. 13. cùm tamen ſacrificium obtuliſset: nec enim Sacerdotale, ſibi munus vindicauit.

Iud. 17. Inſignem ad rem noſtram locum ſuppeditat Hiſtoriæ Iudicum pars penultima cap. 17. & 18. contenta. Fecerat Michas domi ſuæ ſculptile, & conflatile: Ephod & Theraphim. *Exemplum Micoæ.* Iure ne, an ſecus, nil ad nos interim attinet. Certè quod Sacerdotem inſtituerit Filium, perperam: nec enim erat Leuites. Et ſanè Michas id conſcientiæ eſse duxit, nec licere ſibi docuit, cùm accedentem ad ſe Leuitem de Bethleem Iuda retinuit, & amoto filio Sacerdotem inſtituit, eique vſum Sacerdotij quodcumque tandem eſset, commiſit. Nouerat ſcilicet nemini id muneris obire licere prophano, & à Sacris alieno. Idque confirmarunt quinque illi viri de Sara, & Eſthaol Danitæ, qui & Leuitam conſuluerunt, & eius conſilio acquieuerunt, & poſtea cum Sacris detulerunt, vt haberent eum Patrem, & Sacerdotem. Euentus rectè illos & ſenſiſse, & egiſse probauit. Cùm eo ſocio Lais vrbem expugnarint, & in ea poſitis Ephod, & Theraphim Ionatham Filium Gerſon nepotem Moyſi, Sacerdotem elegerint, ad cuius poſteros munus illud cum ſanguine propagatum. Quid hoc exemplo manifeſtiùs? vt non oporteat à me quicquam adijci, cùm ipſum per ſe ſatis documento ſit Sacra à Sacris tantum viris eſse tractanda, & clamandum cæteris cum Sibylla.

Procul ò procul eſte prophani.

Sed quid moramur ad robuſta argumenta accedere, & inter Antilochos, Patroclos, Merioneſque verſamur? Ad Aiaces, & Achilles veniamus. Regibus inſtitutis apparuit Pontificiam dignitatem, & poteſtatem prorſus à Regia eſse ſeiunctam: *Regũ exempla.*

cùmque connubij iura commnnia Tribui Iuda, & Leui eſsent non tamen eſt permiſſa poteſtatis communio. Ita Regia illa Tribus à Sacrorum fuit omnino adminiſtratione repulſa, quòd Paulo teſte ratum in Epiſtola ad Hebr.c.7. habetur. Loquens enim de Tribu Iuda, inquit. *De alia Tribu eſt de qua nemo Altario præſto fuit*. Aiax hic eſt: ex eo Achillem formemus. Tam alienum fuit Sacerdotium à Regia Tribu, vt cùm Paulus vellet probare, Pontificatum legis veteris deſijſſe, & nouum legis gratiæ incepiſſe; idemque æternum fore, ex eo argumentum ſumpſerit, quòd Chriſtus Dominus Sacerdos æternus, æternumque Sacerdotium geſturus, ex Tribu Leui non fuerit, qua ratione Sacerdos legis veteris eſſet, atque adeò caduci, & perituri Sacerdotij Author, ſed ex Tribu Iuda, de qua nemo Sacerdos aut fuit, aut eſſe potuit, atque adeò alterius generis Sacerdotio functus. Eo cap.7. propoſitum Paulo erat probare aduerſus Hebræos legem nouam gratiæ Chriſto Authore cœpiſſe, quæ multo eſſet, quàm vetus ſcripta perfectior, eamque perpetuam, & æternam fore: cùm lex vetus caduca fuerit, & perierit. Ac ita grauiter ac ſolidè ratiocinatur. Noua lex Sacerdotem habet, & Sacerdotium nouum, à veteris legis Sacerdote, & Sacerdotio diuerſum. Qui Sacerdos eſt æternus, & Sacerdotium æternum gerit, cùm Sacerdos, & Sacerdotium vetus caducum omnino ſit, & periturum. At lex ex Pontificatu ſpectatur, igitur ſi lex noua æternum habet, & Pontificem, & Pontificatum, lex autem vetus fragile, & caducum, noua lex veteri omnino eſt præſtantior, atque adeò conſtans, & æterna. Probat verò aſſumptum hac ratione. Chriſtus Sacerdos, & Pontifex eſt, non veteris legis, ergo nouæ. Eſt autem æternus Sacerdos, & æternum geſturus Sacerdotium, igitur ea lex quam inſtituit, & in qua Pontificatum æternum poſuit, perfecta & germana eſt, nec vnquam peritura. Propoſitionem oſtendit ſic. Si Chriſtus eſſet Sacerdos legis veteris eſſet ex Tribu Leui, non ex Tribu Iuda: Atqui fuit ex Tribu Iuda, ergo non fuit Sacerdos legis veteris. Hæc eſt vis huiuſce Achillis, quæ nulla eſſet, ſi non omnino cum Regia Tribu Sacerdotij munus pugnaret; neceſſe igitur eſt, vt conſtet Pauli argumentum, vt nulla ſit Tribus Regiæ cum Leuitici Sacerdotij in adminiſtratione communio. Si qua enim eſſet perperam Paulus concluderet. Atque id quidem ille optimè

Paul. ad Hebr.

Chriſtus Sacerdos non ex Leui.

Sacerdotium antiquũ pugnabat cum Regia dignitate.

me vidit; idcircò affirmauit neminem de illa Tribu Altario præſtò fuiſſe: Chriſtum autem ex ea Tribu fuiſſe; & rurſum confirmauit, nihil eam cum Sacerdotibus commune habuiſſe. Audiamus Paulum. *Tranſlato Sacerdotio neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat. In quo enim hæc dicuntur (id eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech) de alia Tribu eſt, de qua nullus altario præſto fuit. Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter. In qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Tam hoc eſt forte, & validum argumentum, vt Achilles ſit, cui etſi Hectora, & Troiam opponas, vnus. Patet ex argumento Pauli.

Ruentes Hectora, & Troiam trahat.

Ne quid autem Paulo deeſſet ad conuincendam Iudæorum obſtinatam pertinaciam vtitur loco Dauid. Pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Vt qui diuerſæ omnino gentis Sacerdos fuerat, & alterius generis multo ante Leuiticum Sacerdotij genus inierat, & adminiſtrarat, eius Chriſtus ordinem profiteretur: qui ordo, vti inceperat in homine carnis, & ſanguinis experte; *Sine Patre, ſine matre, ſine genealogia.* Et æternitatis typo, *neque initium dierum, neque finem vitæ habente:* ita in perpetuum manſurus erat. Cuiuſmodi certè non erat Sacerdotium Leuiticum, quòd gentilitium, & vni familiæ addictum, carnem & ſanguinem ſapiebat, & mortale, & caducum erat. Atque adeò à Chriſto Dei Filio legis nouæ authore alienum.

Pſalm. — Cur Melchiſedechus Chriſti Sacerdotium expreſſit.

Hoc ſi in animum demittant Heterodoxi Angli, ſeriòque expendant, decedent opinione ſua, pudebitque eos contra manifeſtam Sacræ Scripturæ authoritatem Regibus ſuis Sacerdotij iura permiſiſſe. Nam quid huic, quæſo, ratiocinationi reſpondebunt? An veteri teſtamento niti? nec illi Manichæi ſunt, nec illa non in Paulo tota eſt. Nihil omnino ad nos attinere: ſed ad Chriſtum tantùm ſpectare. At etſi Chriſtus ratiocinationis ſcopus ſit, non idcircò ad doctrinam Regum non pertinet, & Sacerdotij Chriſtiani dignitatem oſtendit. Quid? quòd vis rationis id demonſtrat: non licuit cuiquam de Regia Tribu adminiſtrare ſacra in veteri lege, quæ tota figura erat nouæ: igitur, neque in noua Regi, & Principi temporali licebit, quòd hoc illo typo continebatur. Nam niſi hoc illo facto ſignificaretur, quid aliud oportebat ſignificari? igitur, aut hoc ſignificet, noſque doceat:

aut

aut certè hac parte à figurando deficiat, quod eſt contra Paulum, quo authore legem habuiſſe *vmbram futurorum bonorum, & omnia ijs hominibus in figura contigiſſe conſtat.*

Verum vrgere iuuat Anglos exemplis. Tres legimus in Sacra Regum hiſtoria Reges in Sacra inuaſiſſe, ſibique Sacerdotum munus arrogaſſe. Saulem bis, ſemel Ieroboamum, ſemel Oziam. Quid ijs acciderit, videamus. Si impunè fuit vincant Angli, ſin ſecus, vincat Catholica veritas. Imminente prælio cum Philiſtæis, expectandus Samuel erat, qui cùm diutiùs, quàm fortè vellet, moraretur, viſum eſt è Republica Sauli Sacrificio Dominum placare, & cùm perlitatum eſſet, hoſtes aggredi auſpicatò. *Itaque obtulit ipſe holocauſtum.* Aduenienti Samueli, & factum exprobranti purgauit ſe Saul, moram excuſans, & neceſſitatem: *Non veneras iuxta placitos dies: neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum.* Iuſta videbatur cauſa Regis. At Deo aliter viſum, quòd non, opinor, licebat homini prophano Sacra adminiſtrare: idque nullo vel prætextu, vel cauſa excuſari poterat. Itaque ſupplici um ei grauiſſimum conſtitutum: minacibus verbis expreſſum. *Stultè egiſti: nec cuſtodiſti mandata Dei tui. Quòd ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus Regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum, ſed nequaquam Regnum tuum vltra conſurget.* Quid grauius ſtatui potuit in hominem paulo ante Regem inſtitutum? tot dotibus cumulatum, tot laudibus celebratum? Neceſse erat atrox crimen eſset propter quod ſceptro, quod virtutibus delatum fuerat, priuaretur. Equidem iudico non aliud eſse potuiſse, quàm in ſacra temerè alienum hominem authoritate abuſum Regia irruiſse. Idque Deus tam acerbè in eo vltus eſt crimen, ad deterrendos Reges ab illa dira libidine extendendi ad Sacros limites Regiam poteſtatem: voluit eos alieno ſupplicio in officio continere. Et quanquam in altero ſacrificio ab eodem Saule cap. 15. oblato non videatur Deus pænas ob id, ſed ob tranſgreſsionem præcepti à Saule expetijſse, immò ſignificetur victimarum immolationem, haud ingratam Deo ſuiſse illis verbis. *Melior eſt enim obedientia, quàm victimæ.* Nil tamen ex eo contra doctrinam proximam deducitur; nam vel noluit Deus iteratum eiuſdem rationis peccatum, cui iam pæna, cùm primũ eſt commiſsum fuerat conſtituta, vel certè Saul, tum propria manu non fecit, ſed aliorum Sacerdotum. Etſi enim dicitur *Saul offerebat*

Exemplo Saulis.

Reg. 1.

Proponitur obiectio.

bat holocauſtum Domino locus eſt tamen coniecturæ non eum Sacris operatum, quòd cap. 15. ait. *Pepercit populus vt immolarentur; reliqua verò occidimus.* Et de futuro ſacrificio addit. *Tulit de præda populus, vt immolet.* Et quod populo faciendum affirmat, id fortè populus iam fecerat, ideſt adhibitis iuſtis miniſtris, & Sacerdotibus. Vel certè Deus Optimus Maximus, cum vtrunque eſſet peccatum, inobedientiam tantùm punire voluit, quòd contrà præceptum recens, & manifeſtum Saul parcendo gregibus, & reliquæ prædæ parti, fecerat. Cuius præcepti violatio inſignem Dei vetantis iniuriam continebat; cùm fuiſſet à Samuele mandatum Dei palàm denuntiatum: addidiſſetque Saul arrogantiæ quòddam, & contemptionis Diuinæ Maieſtatis ſignum, erecto ſibi poſt illud peccatum *fornice triumphali.* Quo non magis hoſti victo, quàm contempto Numini inſultabat. *Coniecturæ.* *Idoneæ reſponſiones.*

Idoneæ, ni fallor, ſunt hæ reſpondendi viæ. Sed illa prorſus arridet, quæ omnem meo iudicio difficultatem tollit. Saulem tunc priuato more ſacrificaſſe, nec in Sacerdotale munus irruiſſe, quod ſanè nulla vetitum erat lege. Aſſumptum ſuadeo, quia Samuel non promiſerat ſe eſſe venturum, vt ſacrificium offerret, nec eius locum Saul vſurpauit, vti in Galgalis antè fecerat, cùm expectandus erat Samuel ad placandum Dominum, & litandum; quare Saule faciente, iniuria Samueli, & Sacerdotio facta fuit. At verò hic nulla erat promiſſio venturi Samuelis, nec futuri ab eo Sacrificij, atque adeò etſi Saul ſacrificauit, non egit perſonam Samuelis, nec eius munus vendicauit. Idcircò huius illi rei gratiam fecit Deus, & ob ſolum inobedientiæ crimen puniuit. Quod adiecimus licitum fuiſse priuatum ſacrificium Regibus offerre, patet exemplis. Conſtat quippè Dauidem in Area Areunæ Iebuſæi ædificaſse Altare, ibique holocauſta, & pacifica obtuliſse. 2. Reg. vltimo, & Salomonem *Vera ſolutio.*
populumque cum eo coram Domino victimas immolaſse. 3. Reg. 8. quod tamen lege licebat, nam piacularia erant,
Reg. 2. & priuata ſacrificia, quæ nihil Pontificiæ dignitati detrahebant.

Expedita huiuſmodi quæſtione pergo aliud exemplum
Reg. 3. afferre. Eſt autem Ieroboami ex cap. 13. Reg. lib. 3. deſumptum, vbi narratur Ieroboamum extructo Altari in Bethel ſuper illud ſtetiſse, & thus iecisſe: in publica celebritate.

At

At huiuſmodi exemplo confutatur potiùs, quàm confirmatur oppoſita ſententia. Etenim Ieroboamus impius, & Idololatra erat, & vitulos aureos fabricarat: ijſque in eo Altari Sacra faciebat. Itaque nec ſacrificium illud iuuat, nec Regis quicquam illius exemplum proficit ad perſuadendum licitum eſse Regibus Sacra adminiſtrare. Immò id ad refellendum idoneum eſt argumentum, Regem Idololatram, & & impium id ſibi muneris arrogaſse. Quid enim mirum qui Deum contempſiſset, ab eo & Sacerdotij iura contempta? Vtrumque autem geminum ſcelus eſse, & idola colere, & Sacerdotium vſurpare. Verùm demus ab eo Rege, vtcunque ſit, ſacrificatum tamen eſse: An ei illud impunè fuit? An non temeritatis ſuæ pænas dedit? Eo ipſo momento quo ſtabat ſuper Altare, & thus iaciebat, ab homine Dei acerbiſſimè increpitus eſt, & ab illo fædo miniſterio grauiſſima comminatione deterritus: *Altare, Altare, hæc dicit Dominus ecce Filius naſcetur domui Dauid. Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet*. Quæ quamuis in Altare iacta eſſent, & in omnes Sacerdotes contorta, intellexit tamen Rex ad ſe pertinere, quòd & debitum Deo cultum Idolis deferret, & Sacerdotij munus ſibi arrogaret. Ac impatiens iniurię ſacrilegam manum in Prophetam extendit, quæ ab vno in alterum pergens ire ſacrilegium, exaruit, nec illud tantùm poſterioris, ſed prioris etiam criminis ſupplicium fuit, vltum eſt numen, & temeritatem dextrę iacientis thus, & audaciam apprehendentis Prophetam: nec potuit ea, quę Religionem violarat, Religioſum virum non lędere. Gradus ſcelus vnum ad aliud ſcelus fuit. Quamuis enim non eſset illud iuſtum, immò omnino iniuſtum eſset miniſteriũ, tamen ſpeciem habebat Sacerdotij, & ad ſacros homines attinebat, quare non debuit ad ſe Rex trahere munus Sacrum, à quo alienus prorſus erat, cùm pręſertim ſacrificandi animo acceſſiſſet, ſeque Sacerdotibus ſciens, & prudens permiſcuiſſet. Ex quo & illud colligitur, vel leuem huiuſce delicti ſuſpicionem diuini numinis iram irritare.

Ieroboami impium factum.

Tertium exemplum, quo vſus eſt in Toletano Concilio ſecundo Montanus Epiſcopus, tam eſt manifeſtum, vt cùm meridiana luce ſit clarius, neceſſe haud ſit exponere: aut exaggerare. Simplici narratione eſt opus. Proponam ſicuti habe- Concil. Tolet.

habetur in Sacro textu lib. 2. Paral. cap. 26. vbi ſic de Ozia, Rege Iuda. *Eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum, ingreſſuſque templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper Altare Thymiamatis. Statimque ingreſsus poſt eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortiſsimi, reſtiterunt Regi, atque dixerunt. Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium: egredere de Sanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratuſque Ozias, tenens in manu thuribulum vt adoleret incenſum minabatur Sacerdotibus: Statimq; orta eſt lepra in fronte eius coram Sacerdotibus Domini, ſuper Altare Thymiamatis. Cumque reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & feſtinatò accelerauit egredi, eo quod ſenſiſſet illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leproſus, vſque ad diem mortis ſuæ, & habitauit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini.* Equidem ne voto quidem optare poteram, quod Sacer hic textus repręſentat. Itaque illum Anglis obijcio, & verbum non amplius addo.

Verùm aiunt Regi Henrico impunè fuiſse occupatum Sacerdotium, nec aut lepra percuſsum, aut infami aliquo morbo oppreſsum, ſed reliquam ętatem, vti antea, incolumem, ſaluumque exegiſse. An volunt ex eo deducere non peccaſſe? Certè ſi quòd peccatores à Deo minimè puniuntur, idcircò ſunt à peccatis excuſandi, multis & inſignibus Deus gratiam facit delictorum: immò & multi Sancti, & integerrimis moribus viri in peccatorum numero erunt, qui ſępè à Deo varijs, & morbis tentantur, & calamitatibus probantur. Non bene cum ijs agitur, qui cum peccant nullas peccatorum pœnas luunt: id enim timendum eſt, ne quibus in hac vita miſera breuique parcitur, ijs in altera & æterna ſit pœna conſtituta. Sed ne hac ratione elabantur Angli, nego non fuiſſe punitum à Deo Henricum. Mihi enim eius Hiſtoriam vitæ legenti, & extrema cum primis tempora conferenti illud compertum eſt, potentiſſimum, & fortunatiſſimum antequam ab Eccleſia Romana deficeret, & Summum ſibi Sacerdotium arrogaſſet, fuiſſe, poſtquam vero, & ab illa deceſſit, & Pontificatum vſurpauit, multum de illa potentia, & felicitate amiſiſſe. Ac fuit quidem tempus, cùm ille

ſibi arbitrium Europæ vendicabat, & inter duos maximos, & potentiſſimos Principes Carolum Imperatorem, & Franciſcum Galliæ Regem poſitus, vtriuſque vires, & fortunas quaſi in ſtatera pendebat, & æquato examine lances ſuſtinens vtrumque expectatione ſuſpendebat, vt ad vtrum vergeret, ille imperaret: ac verè illud celeberrimum diceret. *Cui adhæreo præeſt*. At Rex tum erat ille dumtaxat, non ſimul Pontifex. Iure ſuo citra iniuriam iuris alieni vtebatur. Poſtquam illo abuſus eſt, paulatim cadere ab eo culmine, & exiſtimationis, & virtutis cœpit. Domi multas eſt calamitates expertus, tot vxoribus, an pellicibus inductis, & ſublatis: tot adulterorum veſtigijs in Regio thoro deprehenſis, tot maculis Regio nomini inuſtis, quas ipſo coniugali ſanguine delere coactus eſt. Foris quamquam paulò felicior fuerit, tamen neque Fidei, neque conſtantiæ, neque virtutis, neque ſplendoris, neque felicitatis cœptum curſum tenere potuit. Nam & Franciſcum Regem amiciſſimum deſeruit, & cum Cæſare inimiciſſimo ſocietatem inijt, & in Galliam turpi fœdere conſpirauit, nec fidei tenax, nec conſtantię memor. Deinde vti bellum temerè ſuſceperat, ita & negligenter geſſit: tenues quippè, & ſemiermes copias ſubſidio Cæſari miſit, quas non modo hoſtes, ſed ipſi Hiſpani irriſerunt, ijſque Landreſium irrito conatu oppugnarunt, à quo repulſi cum cæteris ignominioſè ſe in Angliam receperunt. Et quamquam Bononiam poſtea ad delendam ignominiam Rex ipſe Henricus iuſtas, & ornatas copias ad obſidionem adduxerit: eamque vrbem ceperit, expugnatæ vrbis decus receptus dedecore maculauit: nam fugienti ſimilis ſe recepit, eumque à tergo Henricus Delphinus ſecutus magna clade affecit: nec verò integra eius expeditionis gloria frui potuit, cùm Motrellum oppidum acriter obſeſſum, & vehementer oppugnatum expugnare minimè potuerit, ac tandem ſpe potiundi Pariſijs, quam Vrbem ſibi pactione cum Cæſare facta deſponderat, excidit; atque ab ipſo, cui ſe addixerat Cæſare, vti aiebat, deluſus, nec bellum cùm Franciſco gerere, nec pacem facere potuit, & haud multò poſt inuiſus ſuis, deteſtatus alienis mortuus eſt.

Henr. VIII. adhuc Catholici felicitas.

Heterodoxi infelicitas.

Infortunia Henr. VIII.

Nec ego dubitem, quin hæc ei ob violata Sacerdotij iura acciderint, & quod inde eſt conſecutum ſtirpis Regiæ in Eduardo maſculæ defectus, & in fœmineam tranſitio, quæ

in

in Eliſabetha prorſus deſijt, ac imprimis illa ad Stuardam, cui & ipſe, & maiores ſui infenſiſſimi fuerant, Regni deductio. In qua hodieque familia Regnum perſeuerat, etſi magni, & vehementes perturbationum turbines intercurrerint, ſperamus tamen, & quidem iure, recepta nunc cum feliciſſimo, & Optimo Rege Carolo Secundo, & Catholicæ iuncto Principi, Regia dignitate, ad ſummam illud, & antiquam amplitudinem, & felicitatem rediturum. At ſiue iſta ſupplicia ſint, ſiue non ſint, certè coniecturæ locus eſt, qui Sacra occupant Reges, ijs multum de ſceptrorum gloria decedere.

Si ergo in veteri teſtamento non ſunt auſi Reges Prophetarum munus agere, ſed illud integrum Prophetico generi, ideſt filijs Prophetarum relinquebant, vti conſtat ex tot Regum librorum locis, qui liceat Regibus in nouo teſtamento Pontificum vendicare, cùm multo ſit Prophetico ſacratius? Quare non ineptè in Henricum, aliumue ex Angliæ Regibus ſimilem, illud celebre quadrabit Prouerbium paulùm deflexum. *Nunquid & Saul inter Prophetas? Nunquid & Henricus inter Pontifices?* Quòd alieniſſimum à Rege munus ſit.

CAPVT IV.

Obiecta quædam ſoluuntur, & difficultas tollitur.

HAnc nouam de Regio, non Pontificio Eccleſiæ capite opinationem nuperi quidam ſcriptores Angli conati ſunt multis in lucem editis libris adſtruere, quibus doctè, & accuratè reſpondit egregius author Dominicanus Grauina, & inſignis Ieſuita Becanus, à quo liber Iacobi VI. Regis, & auxiliaris quędam Sacellani eiuſdem Regis, qui Achates ipſius haberi voluit, opella confutatur. Nec ego quicquam huic eruditiſſimo viro addendo detrahere velim. Vnum tantum ex ijs, quæ à Rege adducta ſunt, argumentum habita pace verſare volo; quod ſcio multum eo niti Anglicam gentem, & contrà quàm Becanus putat, magni apud illius gentis miniſtros fieri, quibus perſuaſum integrum adhuc poſt reſponſionem Becani, firmumque manſiſſe. Quod cùm ego dum eſſem in Anglia perſpexiſſem, iam tum mecum

Munitur via ad argumenti præcipui ſolutionem.

Becan.

conſtitui, quæ ſe prima daret ſcribendi occaſio, eam accipere, & loco accuratiſſimè reſpondere, ita vt Anglis omnino ſatisfacerem, aditumque euadendi omnem præcluderem.

Locus igitur habetur lib. 3. Reg. cap. 2. num. 27. in quo Sacer textus. *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini, vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in ſilo.* Ex quo ita Becanus format pro Rege Iacobo argumentum. *Qui deponit ſummum Sacerdotem ab officio, & alium illi ſubrogat, neceſſario habet iuriſdictionem ſupra ſummum Sacerdotem. At qui Salomon depoſuit Abiathar ſummum Sacerdotem ab officio, & ſubrogauit illi Sadoc: ergo Salomon Rex habuit iuriſdictionem ſupra ſummum Sacerdotem.* Admiſſo argumento duobus modis reſpondet Becanus in Duello de Primatu Regio cap. 2. num. 36. Primo cum Bellarmino, Grethſero, & alijs. *Salomonem non Regia id, ſed Prophetica poteſtate, nec ordinaria via, ſed ex peculiari inſtinctu Dei fecisse.* Vt impleretur, quod à Deo per Samuelem Prophetam prædictum Heli iudicante fuerat. 1. Reg. 2. num. 31. Vnde nihil in Regiam rem colligitur, quod enim ſemel Salomoni extra ordinem non ex officio contigit, ex eo nullum in Reges ius deduci poteſt. Secundò vt id Salomon authoritate Regia effecerit, non conſtare, rectè ne? an ſecus egerit? Itaque de facto, non de iure conſtare, vt autem ius ad Reges tranſeat, non facto, ſed iure viam muniri oportere.

Reg. 3.

Proponitur & formatur à Becano.

Becan. Bellar.

Prima ſolutio Becani

1. Reg.

Mihi etſi primus magis placeat modus, non tamen omnino probatur: nec enim implet votum meum. Secundum probare non poſſum, nam iure feciſſe Salomonem non dubito. Quod ſtatim, cùm meum ſenſum attulero apparebit. Igitur reſpondeo: Abiatharem cum à Salomone fuit eiectus Sacerdotem eſſe deſijſſe. Sadochum autem vnicum, & verum Sacerdotem iam multò anteà fuiſſe. Vnde nihil Salomonem, neque eijciendo vnum, neque conſtituendo alterum iuris exercuiſſe. Vtrumque ſic oſtendo. Primum Abiathar Sacerdotem eſſe deſijſſe, quòd à Deo depoſitus eſſet, abrogato illi Sacerdotio. Conſtat ex cap. 2. lib. 1. Regum prædictum à Deo Heli Sacerdoti, fore, vt in pœnam ſceleris Ophni, & Phinees filiorum ipſius, Sacerdotium ab eius familia auferretur, & in aliam transferrretur. *Ecce dies*, ait num. 31. *Veniunt, & præcidam brachium tuum.* Et mox num. 32. *Videbis æmulum tuum in templo*, & num. 35. *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem*

Propria, & vera reſponſio.

fide-

fidelem. De quibus iterum cap. 3. num. 12. *Incipiam*, inquit, *& complebo*. Deinde compertum eſt duas ex Aarone familias Sacerdotales extitiſſe: alteram Eleazari, alteram Ithamaris fratrum. Succeſſit Aaroni Eleazar maior natu, huic Phinees, Phineæ Abiſue, Abiſue Bocci, huic Ozi. Quintus *Duæ Familiæ Sacerdotales.*
Paral. 1. ab Eleazaro, quemadmodum cenſet 1. Paral 6. nu. 4. & 50. Interruptum eſt in ea linea Sacerdotium poſt Ozi, & tranſlatum ad lineam Ithamaris: Qua cauſa incertum: alijs opinantibus cum Lyra vſurpatum illud ab Heli Iudice per iniuriam: alijs ablatum à Deo obſcelus aliquod Eleazaricum cuicuimodi fuerit, & ad lineam Ithamaris in pœnam tranſlatum, quod veriſimilius videtur, vt ſicut poſtea ob peccata filiorum Heli ad Eleazari domum redijt, ita ab ea primum ob delicta filiorum Eleazaris ad Ithamaris tranſierit. Manſiſſe autem Sacerdotium in quibuſdam poſteris Heli docemur ex Sacro textu. Heli enim mortuo, Saule Rege, decedente *Series Pontificum.* Samuele obijt munus illud Achias, poſt Achiam Achimelech, poſt Achimelechum Abiathar, in quo defecit Pontificatus. Et quidem expetijſſe Deum pœnas neglecti muneris ab Heli, & poſteris patet, quòd nullus deinceps Ithamaritarum Sacerdotium geſſit, ſed in Eleazaritarum linea ſemper manſit. Immo nec vlla in libris Paralipomeon Ithamarinæ poſteritatis fit mentio: quod ſanè indicat nomen eorum ob impietatem prorſus fuiſſe deletum. Quamuis autem Deus permiſerit poſteris Heli aliquanto tempore illo munere fungi, tamen ex quo Heli mortuus eſt imminui illa dignitas ea in familia cœpit: nam ante Abnepotem eius Achiam *Samuel an fuerit Summus Sacerdos.* nemo Sacerdos fuit Samuele Pontificatum gerente, vt mul-
Auguſt. ti exiſtimant cum Sancto Auguſtino lib. 17. de ciuit. cap. 4. & in Pſalm. 98. & 2. retract. cap. 55. & contr. Fauſtum cap.
Hieron. Gregor. Eucher. Angel. Ignat. 33. & Hieron. 1. Corinth. 1. Gregorio Magno, Eucherio, Angelomo. Duce Ignatio Epiſt. ad Magneſium, qui ſentiunt ſummum Sacerdotem fuiſſe: quibus ego prorſus aſſentior, nam Achias ipſe de quo legimus. 1. Reg. 14. & portaſſe Ephod, & Arcam applicuiſſe, non niſi deſerto iam à Deo, & Samuele, Saule, id muneris vendicauit. Achimelechum autem ab eodem Rege interfectum conſtat. 1. Reg. 22. Et quanquam Abiathar eius filius cum Ephod Sacerdotij inſigni ad Dauidem confugerit, ibidem, & apud eum aliquan- *De Abiathare quid?* to tempore Pontificatum geſſerit cap. 23. & 30. antequam regna-

regnaret, eo regnante in Hebron, & poſtea in Iuda tot annos, vſque ad rebellionem Abſalom de illo mirum ſilentium: cùm tamen id tempus multa tulerit, quæ vſum Sacerdotij exigebant. Cuiuſmodi ſuit bina Regis inauguratio, ſolemnis Arcæ cum pompa reductio: de domo Dei ædificanda prædictio, tot bella, tot victoriæ, tot triumphi; tacente omnino Abiathare, quod argumentum eſt illi paulatim munus abrogari cœpiſſe; immò eo tempore intercurrente initiatum fuiſſe Sadochum eius æmulum exiſtimarim, ei tantùm permiſſo muneris exercitio, vt cum honore ſepeliretur, quemadmodum Synagoga, cuius typus erat, poſtea ſepelienda erat. Nam poſt fugam ex vrbe Dauidis cap. 15. cùm mentio incidit Abiatharis, primas & nominis, & muneris habet Sadoch, & quoties deinceps nominantur, ſemper Sadoc Abiathari præfertur, vti videre eſt eo capite ſexies, & ſexcenties poſtea, donec eo ventum, vt 3. Reg. 1. Adoniæ partibus contrà Salomonem adhæreret, & cap. 2. dignitate caderet, & in ordinem redactus exularet. Sadoc iam ex integro Pontificatum adminiſtrante: quæ omnia cum ſint in Sacris litteris expreſſa aliorum authoritatis non egent.

Sadoc an verus Pontifex.

3. Reg.

Quare neque à Salomone primum Abiathar ſacerdotio amotus, nec eo Sadoc donatus; ſed ille à Deo depoſitus, hic ab eodem in locum ſuum reductus: Idque eo conſilio factum, vt vaticinium illud compleretur. *Incipiam, & complebo*, quod ſignificat rem tantam non properè, aut ſubitò, ſed paulatim & ordine peragendam. Hac ſanè ratione nil habent, quod ex eo loco eliciant Angli. Nec opus eſt recurrere ad diſtinctionem illam perſonarum Regiæ, & Propheticæ in Salomone: cùm quauis retenta fecerit; nihil ſibi iuris arrogarit. Itaque telum hoc manu Iacobi fugit, aut certè extractum fuit.

Argumentum optimè ſoluitur.

Ego tamen ne videar vim Regi, Angliſue feciſſe, liberaliter cum ijs agere volo. Do quidem Salomonem Abiathari abrogaſſe Pontificatum, do quiddam maius in gratiam Abulenſis, magni profectò authoris, Reges in veteri teſtamento Pontificibus Superiores fuiſſe: nego fidenter poſſe inde quicquam iuris ſibi in Romanos Pontifices alioſue Epiſcopos eo inferiores vindicare. Videant quàm ſim animoſus. At non ſine Deo animoſus author. Nego. Diu eſt, quòd ratione ea vti nolebam, quæ quòd illuſtris eſt maximè, poſtula-

Abul.

ſtulabat expectationem, eam verò ego hac mea in Regem comitate, & ex vero fidentia dignam re ipſa excitaui. Erectis legentium animis repræſento.

In nouo teſtamento Chriſtus, vti nouus Sacerdos fuit, non ſecundum ordinem Aaronicum nixum, & tractum ſanguine: ſed ſecundum ordinem Melchiſedech cæleſtem, ac ęternum: ita nouum inſtituit Sacerdotium, quod non carne, ac ſanguine niteretur, nec fragile, ac caducum eſſet, ſed à cælo originem duceret, illudque ſaperet, & æternitatem intueretur. Atque adeò humanos vltra terminos euectum extulit, atque prophanis legum vinculis exemit. Cuius inſignia Claues Petro Vicario ſuo tradidit, quas cælò intulit, ne quis putaret terræ addictas obnoxiaſque eſſe. Ac vti ipſe Melchiſedechum ſymbolum habuit, quem Sacerdotem, ac Regem accepimus, ne quis ei imperaret, ita Regem egit, & Sacerdotem cum excellenti in totam hanc vniuerſitatem iure, ac dominio, cuius tum aliàs, tum imprimis, cùm Apoſtolos ad exercendum ſuum munus miſit, ſpecimen præbuit. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*, vt à quo fonte Apoſtolicum illud manaret officium indicaret. *Regale Sacerdotium* Petrus dixit, quòd prærogatiua eſſet, nec vlli humanæ temporali poteſtati obnoxium: nam ideò regale appellauit. Quoniam ſicut regale ius Summum ęſt, ac in eo genere ſupremum; ita Sacerdotium, quòd regale eſſet, nemini ſubiectum eſſe Regi Principiue ſæculari monſtraret: Quod ſi totum Sacerdotij genus Regium eſſe, ac liberum, & excellens voluit, quantò liberius, ac excellentius fore voluiſſe credendum eſt caput, & Apicem huius Sacerdotij, ideſt ipſum Summum Romanum Pontificem, quem in Arce conſtituit; & dignitatis, & poteſtatis? *Cui dixit paſce oues meas*. Nulla excepta niſi, ſi qua, ne Petrum Paſtorem habeat, ouis Chriſti eſſe nolit. Itaque authore Bernardo lib. de conſider. 2. cap. 8. *Petre paſce oues meas*. Quas? *Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes*. Vnde vocat Summum Pontificem Bernardus hoc loco. *Ordine Melchiſedechum, Vnctione Chriſtum. Tu ordine, Eugeni, Melchiſedech, Vnctione Chriſtus*. Rectè ex Auguſtini doctrina Bernardus, Melchiſedechum, & Chriſtum coniungit, vtrumque Regem, & Sacerdotem, vt indicaret Summum Sacerdotium Chriſtianum Ordinis, & vnctionis Symbolo in faſtigio rerum

Differentia ſacerdotij legis gratiæ à veteris.

Noua, & illuſtris reſpōſio.

Bernar.

Auguſt.

rum omnium eſſe collocatum. Obſeruat enim Auguſtinus in veteri teſtamento Sacerdotes, ac Reges vnctos fuiſſe. Perinde ac ille communis honor ambas aliquo modo æquaret dignitates, quod cum Abulenſi Anglis proximè liberaliter

In veteri teſtamento vnctus, & Rex, Summus Pōtifex.

dedimus. At in nouo teſtamento ſolum Chriſtum vnctum dici, quòd Rex ſimul & Sacerdos fuerit, ne locum æqualitati relinqueret, atque adeò qui Vicarius eius foret, eum perinde ac Regem dignitate fore. Auguſtinus in Pſalm. 26. ad titulum Pſalmi. *Tunc vngebantur Rex, & Sacerdos. Duæ iſtæ illo tempore vnctæ perſonæ. In duabus perſonis præfigurabatur futurus vnus Rex, & Sacerdos, vtroque munere vnus Chriſtus, & ideò Chriſtus à Chriſmate.* Eo Bernardus vngi vult Pontificem, quem *vnctione Chriſtum* appellat. Vt vtranque indicet dignitatem. Rurſum Auguſtinus lucem hanc infuſo oleo accendit. Super illa verba Pſalm. 44. *Vnxit te Deus. Vnctum audis Chriſtum intellige. Etenim Chriſtus à Chriſmate. Hoc nomen quod appellatur Chriſtus vnctionis eſt. Nec in aliquo alio vngebantur Reges, & Sacerdotes, niſi in illo Regno, vbi Chriſtus prophetabatur, & vngebatur, & vnde venturum erat Chriſti nomen.* Oleum totum, & vnctionem ſibi Chriſtus vendicauit. *Rex & Sacerdos*, ſecundum ordinem Melchiſedech extinguens lucernam ſacerdotij veteris, & lucem veteris Regni, noluit, vt Reges vncti, ſicut antea eſſent, cùm Aaronici Sacerdotes erant. Nimirum in ea caligine ob vmbras figurarum noctem aſſimilante duabus lucernis opus erat, oleo in vtramque diuiſo. At in Euangelij luce clariſſima opus non eſt lucernas inferre, nec oleum infundere; Sole Chriſto exiſtente, qui diem agit, vnctionem illam in gratiam transferente. Cuius beneficio Pontifex vtriuſque olei ſignificationem myſticam vendicat, Regiæ, & Sacerdotalis poteſtatis. Authore Bernardo *vnctione Chriſtus*.

Bernar.

Auguſt.

Excellentia Sacerdotij legis gratiæ.

Atque huiuſmodi vnctionis præſtantiam, qui Reges, ac Imperatores Chriſti Fidem Religioſè ſunt profeſſi, etiam ſi ſupremum rerum humanarum faſtigium tenerent, ſuſpexerunt, nec in Pontificibus tantùm Summis, qui ſacratiùs vnguntur, ſed in alijs etiam Epiſcopis, & Sacerdotibus, qui Chriſti item Domini dicuntur, recognorunt, & venerati ſunt. Quorum erga illos reuerentiæ exemplis plena ſunt hiſtoriarum monumenta. Noſque nonnulla infra cum de adoratione pedum agemus aptè recenſebimus. Atque vt omittam

Theo-

Theodoſium I. apud Nicol. in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem, & Valentinianum apud Sozomenum lib. 6. cap. 7. & 21. Baſilium Imperatorem in 8. Synodo Oecumenica in 6. Actio. Theodoſium II. apud Cyrillum tom. 4. inter Epiſtolas. Carolum Magnum apud Sigonium de Regno Italiæ lib. 4. Princeps hoc in genere Religionis Conſtantinus fuit, quo nemo vel imperauit auguſtiùs, vel vicit fortiùs, vel triũphauit glorioſiùs. Hic & ſupra galeam Crucis ſignum, & ſupra coronam tiaras poſuit, & ſolium plantis Epiſcoporum ſubiecit. Extat apud Ruffinum l. hiſtor. cap. 2. egregium ad faciendam huic venerationi fidem teſtimonium. Hic certè ad Anglos pertinet, cùm Angliam patriam habuerit, immò & vti volunt Angli, Anglicam matrem. Sed neſcio, quomodo vti ille Crucis, & Pontificis cultum coniunxit, & præſtitit, ita qui ab eius pietate defecerunt Reges Angli, & Crucis, & Pontificis venerationem abiecerunt. Norint tam Chriſtum crucifixum cum Pontificibus ſuis Vicarijs arctè copulatum eſſe, vt qui hos diligat, & illum diligat, qui hos oderit, illum oderit. Non ego aliena exempla Anglis obiecero: nolo peregrina intrudere: domeſtica ſuppeditaui, propria ingeſſi. Amant ſua, magni ſe faciunt: putant ſe alium Orbem, & efficere, & incolere, ideò ſe à reliquo Orbe diuiſos, quòd integrum alium exigerent, vt ſeorſim imperarent. Tanti eſt Anglia, quanti reliquus Orbis. Id ego libens conceſſero: modò imitentur maiores ſuos: quorum vti exempla commemoraui, ita dicta referam. Vtroque ſenſu veritatem hauriant. Eduardi ea vox eſt Epiſtola ad Nicolaum II. *Summo vniuerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam ſubiectionem, & obedientiam.* Qui Patrem vocat Filium ſe dicit, qui ſummum, minorem eo ſe profitetur: iuſtumque id eſſe debita ſubiectione teſtatur. Illa Henrici II. ad Alexandrum III. apud Petrum Bleſenſem Epiſt. 136. *Veſtræ magnitudini promitto me veſtræ diſpoſitioni in omnibus pariturum.* Nihil exceptum vult Rex Henricus Secundus, ſed Octauus contrà nulla in re obedire voluit. Addit idem ſecundus *veſtræ iuriſdictionis eſt Regnum Angliæ.* Iniuſtus ergo qui ademit. Adijciamus propter Eliſabetham Reginam Eleonoram eodem teſte Bleſenſi Epiſtola 145. ad Celeſtinum. *Non Rex, inquit, non Imperator à iugo veſtræ iuriſdictionis eximitur.* Et Epiſt. 146. *Crux antecellit Cæſaris*

Margin notes: Cyril. Sigon. — Ruffin. — *Imperatorũ erga Sedem Apoſtolicam reuerentia.* — *Reges antiqui Angliæ Romanam Sedem venerati.*

Aquilis: gladius Petri gladio Conſtantini, & Apoſtolica Sedes præiudicat Imperatoriæ poteſtati. En Crucis, & Apoſtolicæ Sedis mentio: cùm illius vigebat religio, etiam huius veneratio ſtabat; vt illa cecidit, & hic corruit.

Summuſque dies & Crucis idem & Tiaræ fuit.

Et quidem illorum voces debuerat audire Henricus VIII. ſed illud magnoperè mirandum, quòd ſuæ eſt oblitus: tam ille ad Sirenæ illius palatinæ cantus obſurduit. Quòd autem Iacobus Rex VI. (ne de Eduardo, & Eliſabetha commemorem, quì cum lacte linguam illam vernaculam biberunt) voluerit ſurda reliquos, & ſuos, & Henrici maiores aure præterire, ſatis certè mirari non poſſum. Non venit in mentem Mariæ Matris Religioſiſſimæ, cuius adhuc ſanguis vocem Abelinæ ſimilem emittebat: venit Eliſabethæ, quæ Caini inſtar occiderat. Sed ille crudelis in Matrem Eccleſiam ſæuijt, cùm caput eius præcidit, ſibique arrogauit: doluiſſetque magis Maria mater, ſi viueret, quòd ille caput hoc ſibi aſſumpſiſſet, quàm quòd ipſa proprium amiſiſſet.

Ponderantur exempla Regum Angliæ à Sede Apoſtolica deficientium.

Dulce regnandi malum eſt. Minus Catadupæ Nili aures accolarum obtundunt, quàm adulationes Regum: ſuauiùs hæ ſe inſinuant, & altiùs intrant, occupant animum, & ſopiunt mentem. Ne ſi Cerberus quidem latratu triſauci perſonet, excitabit; nec nos ineptè Cerberi meminimus: nam propè inferos Proh dolor? Heterodoxi habitant: immò pro foribus ſunt, oppugnant ſcilicet Petram de qua Chriſtus. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Quoniam igitur in vicinia ſunt, volo eos excitare tria Cerberi prouocando ora, & tres ex ijs voces eliciendo, vt experiar vtrum ſaltem familiari audito ſonitu euigilent, & expergiſcantur. Sciant ſe vel ab ipſis magiſtris ſuis hac in hæreſi recedere: ijſque omnino contradicere: norint quantus error ſit, quem homines audaciſſimi, & proiectiſſimi vitare voluerunt.

Expoſtulatio cum Heterodoxis Anglis.

Igitur primus latratus Philippi Melancthonis eſto in examin. ordinandor. *Non condant, inquit, dogmata in Eccleſia nec inſtituant cultus, vt fecit Nabuchodonoſor, & recens in ſcripto, cui titulus eſt (interim) poteſtas politica extra metas egreſſa eſt.* Melãn.

Suis authoribus Angli cõfutantur.

Deterret nimirum territus ille Principes, ne ſibi in Sacra poteſtatem arrogent, cùm etiam iuſti vindices eſſe poſſunt: quantò magis deterrere debuiſſet, ne vbi non licet, domi-

q nen-

nentur. Veritatem hanc terror expreſſit, non expreſſurus, ſi impunè errare liceret. At in vſum noſtrum latratum vertimus. Alterum audiamus multiplicem Magdeburgenſium in Præfat. Cent. 7. *Sint ſanè Magiſtratus membra Eccleſiæ, flagrent quoque zelo pietatis; ſed non ſint capita Eccleſiæ, quia ipſis non competit iſte primatus.* Anglos Heterodoxos pungit hæc vox, non à Catholicorum millibus edita, ſed à Centuriatoribus erroribus Anglicanis reddita. Maiori latratu Caluinus tonat. Quem iam diu magiſtrum Anglia habere cœpit is in comment. Amos cap. 7. *Nunc ſentimus quales fructus naſcantur ex illa radice, quòd ſcilicet Principes & quicumque potiuntur Imperio putent ſe, ita ſpirituales eſſe, vt nullum ſit amplius Eccleſiaſticum regimen. Et hoc ſacrilegium apud eos graſſatur, quia non poſſunt metiri ſuum officium certis, & legitimis finibus, ſed non putant poſſe ſe regnare, niſi aboleant omnem Eccleſiæ authoritatem, & ſint ſummi iudices tam in doctrina, quàm in toto ſpirituali regimine.* Affigantur iſta in Londinenſi Foro, ſiue Turri, & in locis, qui multi ſunt in ampliſſima Vrbe inſignibus, & expendantur à ſtantibus, & prætereuntibus; Caluini ſunt, diſcant ex ijs Angli Academici in quo ſtatu ſint. Negent ne an probent Caluini doctrinam? dicant: vtrum dederint, non euadent, vel enim quadruplatores ſunt, vel præuaricatores. Integrum Cerberum audiant, ideſt Lutherum, quem initio oderant, poſtea amarunt. Is ergo in ſcripto contra Louanienſes to. 2. *Non eſt Regum aut Principum etiam veram doctrinam confirmare, ſed ei ſubijci, & ſeruire.* At Reges Angliæ, Parlamenta, Magiſtratus, volunt, & pergunt imperare. Pudeat. Ne Lutherus quidem probat; quæ verecundia eſt vltra Lutherum errare! Itaque cùm iurare cogunt ſuos, qui præſunt Reges, & Magiſtratus Anglicanos capita Eccleſiæ eſſe peierare cogunt, ac ipſi coguntur

Magd. — Caluin. — Caluinus reprehendit Reges Sacra vſurpantes. — Luther.

Nullius iſtorum iurare in verba Magiſtri.

Puriores fuerunt olim Puritani, quibus iuramentum iſtud non placuit, ac eo ſe ſordidari putarunt. Ex quibus vnus, Eliſabetha Regina, Cantuarienſis Pſeudoantiſtes Archiepiſcopus dealbatus iudicio victus ad Eliſabetham, quam Iudicem miniſtri Aulici dabant, adire noluit, nec permiſit ad eandem in lite à ſe de matrimonio præiudicata prouocari: Vir ſanè fuit in Effæminato Regno (nec enim virile eſſe potuit, cuius fæmina caput erat) in quo adhuc vmbra quædam

Memorabile exemplũ heretici in Anglia.

Catholicæ Religionis ac libertatis apparebat.

Itaque quod Anglis cum Abulenſi dedi; Pontificibus veteris Teſtamenti eiuſdem Teſtamenti Reges interdum præfuiſſe, etſi verum eſſe non putem, præterquamquod nihil cauſæ noſtræ offecit, abundè eò, quod ab Anglorum Magiſtris accepi compenſaui.

Verùm tam benè cupio Anglis Academicis, vt quiddam multò adhuc maius ijs concedere velim; quod ne voto quidem præſumere audeant. Et quò maior promiſſi expectatio ſit, illud animaduerto. Omnium Europæ Regum, ac Principum poſt hæreſim Lutheri primos,qui ſibi primatùm Eccleſiæ arrogarunt Anglicanos fuiſſe, immò, & hanc illorum propriam hæreſim eſſe, cuius haud dubiè Authores extiterunt. Quin immò, & vnius Anglicanæ nationis id dogma videtur eſſe: nec ad alias tranſijſſe, quod Stapletonus ſuo tempore teſtatur, timens ne ab Anglis hæreſis illa ad alias gentes emanaret. De quo lib. de Poteſt. Eccleſ. ſubiect. c. 17. ad finem. Hoc animaduerſo dico. Quanquam initio Henrico Octauo Regi non licuerit ius illud ſibi capitis Anglicanæ Eccleſiæ vſurpare, nec id ille ſine enormi peccato fecerit; tamen poſtea hodieque licuiſſe omnino Laicis Regibus ſe capita illius Eccleſiæ conſtituere: nec ijs aut culpæ imputari, aut temeritati aſſignari poſſe. Addo nulli alteri extra Angliam Heterodo Principi id æquè forſitan licitum fore, vt quantum ijs Angliæ dominatus præſtet appareat, & bono animo iubeamus eſſe Stapletonũ,& quemuis alium cum eo verentem ne alijs Principibus iſtud Anglicanum priuilegium communicetur. Proficiet hoc etiam Catholicis Anglis, vt tuta conſcientia deinceps poſſint formulam iuramenti ſibi oblatam accipere, ac reddere, ſeque omni periculo tum animi, tum corporis liberare, modo hanc quam monſtrare pergo viam iurandi,per ironiã ineant. Quibus nec ego maius præſtare, nec quiſquam amplius ſperare opinor, poteſt. Perſpicuè dico. Iurare licet cuicunque Orthodoxo, Heterodoxo, Anglo, Externo, Summos Angliæ Reges, dum Hæreſis viget, Anglicanæ Eccleſiæ capita eſſe. Idque ego iuramentum præeo. Cauſam ne diutius morer,iuſtam, & idoneam affero. Anglicana Eccleſia formam Eccleſiæ prorſus amiſit, & quæ antea erat Eccleſia,nulla Eccleſia eſt. Qui ergo ſe Eccleſiæ illius caput dicit, tem-

Venuſtum ab Ironia argumentũ.

Stapleton.

pora-

poralis tantùm ſtatus, quem nomine Eccleſiæ appellat, non ſpiritualis, quæ nulla eſt, Eccleſię caput dicit. Aſſumptum verum eſt omnino, & ego ſum expertus, dum in Anglia fui: & breuiter neruosèque demonſtro. Vt Eccleſia ſit debet eſſe vna Religio, & Fides, in Anglia ſunt ſexcentę. Debet eſſe ſacrificium, & Sacerdotium, in Anglia nullum eſt. Debent eſſe Sacramenta, Sacrificium, Synaxes, Sacra, Ceremonię: nulla ſunt. Si quid eſt, putà Baptiſmus, nec omnium doctrinarum, nec omnium perſonarum, nec omnium temporum eſt. Pelagianis negantibus originale peccatum, Anabaptiſtis, vel rebaptizantibus, vel ex parte neceſſitatem baptiſmi tollentibus, & infantes ſine baptiſmo Cęlum aperientibus, quorum magna vis hominum eſt. Arę ſordent. Templa lugent. Religiones iacent. Cęremonię exulant: nihil Sancti, nihil iuſti, nihil Sacri remanet, pręter Dominici diei memoriam, hùc tota illa Eccleſia redijt: hęc verò ſolemnitas dimidia tantum eſt, nec vltra veſperum tenditur in Anglia. Ibi vnuſquiſque ſuam ſectam ſequitur, ſuam ſouet hęreſim. Imò nemo ſectam habet, quòd certam non habet; & ſinguli ſecti ſunt, modo enim in hanc, modo in illam ſaltuatim tranſeunt. Ac ſunt, qui nullius ſectæ ſunt, & hos ego minus errare comperi; quòd ſunt ad veram Religionem aptè accipiendam minus inepti. Quanquam magna ſit infelicitas, qui Athei ſunt, eos minus malos eſſe: nec ſe norunt, nec ſe tenent, nec ſe expediunt, omnes ſe tamen tolerant, vnos Catholicos non ferunt. Modò hos oderint, Chriſtiani ſunt. Tota apud eos Religio eſt: *Odiſſe Papam. Odiſſe Eccleſiam Romanam.* Hæc eſt Anglicana Eccleſia, qui eam vti eſt ſibi proponat, ſolum titulum ſine re inueniet. Huius qui caput ſit, Eccleſiæ caput eſſe non poteſt, niſi Anglicanæ, quæ nulla eſt. Doleo quòd in tam pulchro Regno tam monſtroſa Eccleſia ſit: immò ne monſtrum quidem eſſe poteſt, quòd nequit ex tam diſiunctis, tamque diuerſis tamque pugnantibus membris conſtare, cùm tribus vix Chymęra componi potuerit. Cuius certè caput vnum eſſe haud poterit; immò tot oportet ſint capita, quot ſunt Sectæ; has verò nec Briarei brachia complecti queunt: ne dum Hydrę capita ęquare, niſi ſi quòd ſeptenarius numerus ingentem ſignificare ſolet, pro innumeris vſurpentur.

Conuincuntur Hæretici Angli.

Author expertus anno 1653.

Hac ratione fit, vt Stapletoni metus euaneſcat: nam alia

Re-

Regna, non tam longè à forma Eccleſię abſunt. Habent adhuc ſua Sacerdotia, ſua Sacra, quę dum ſeruant, diſcrimen Laicę, & Eccleſiaſticę poteſtatis agnoſcunt, nec tot ſunt Sectarum hęreſumque capacia, nec tam Catholicos, aut oderunt, aut perſequuntur, libertate populi contenti ſunt ſua, aliena ſeruitute non gaudent. Sinunt quemque ſuis legibus viuere; quod certè, miror, vetare Anglos ijs, à quibus leges olim acceperunt, & quos parentes habuerunt. Hoc vnum ſi ab Anglis impetraremus, ne Catholicos vexarent, in ſummi certè beneficij loco poneremus; nec ij non merentur, quibus ego cum Londini eſſem, nullos vidi, aut amantiores patrię, aut pro eo ac debent fideliores. Idque Anglis recipio nullum ex eorum Religione, ac pietate Rempublicam detrimentum capturam fore. Scio illorum animos, cogitationes, in eo eſſe, vt ad pacem, vtilitatemque communem, & priuatam ſalutem omnia ſua, & ſtudia, & officia referant.

Laudes Catholicorum Anglorum.

CAPVT V.

Vtrum in lege gratiæ, ita inter ſe pugnent poteſtas ſpiritualis, & temporalis vt in Pontifice ſimul eſſe non poſſint.

CОnuenit hac in re Anglis, & Scotis Heterodoxis, cum Caluino lib. 4. inſtit. cap. 11. ʃ. 8. & Brentio in Prologom. contr. Petrum à Soto, & Petro Mart. in cap. 13. ad Roman. & Magdeburg. centur. 1. lib. 2. cap. 4. & Sereniſſimo Rege Iacobo VI. vti apparet in ſuis, & Sacellani ſui notis operibus, nulla ratione poſſe in lege gratiæ vllos Pontifices temporalem dominatum gerere. Solerter agunt, dum à veteris legis Pontificibus abſtinent, nam de ijs prorſus liquet vtriuſque compotes poteſtatis fuiſſe. Quamquam Caluinus inſcitè naturà ſuà illos Principatus pugnare inter ſe dixit: atque adeò negat in veteri teſtamento in vnam, & eandem perſonam coijſſe: ita in loco proximè citato. Quòd ſi verum eſſet, nec in Moyſe in quo ille exemplo laborat, nec in Heli, nec in Samuelę, nec in Machabæis iungerentur. Conſtat autem (vt omittam alios de quibus Molina, & Azor, & Bellarminus paulo poſt citandi) hos omnes vtraque præditos poteſtate fuiſſe. Non ergo ſolus Moyſes miraculo, nec

Caluin. Brent. Petr. M. Magd. Iacobus Rex Angliæ.

Affirmāt Heterodoxi.

iure

iure quodam temporario Sacerdos, & Princeps fuit, ſed alij quoque Deo probante, ſæpè ac perpetuò fuerunt. Minus & imprudenter ac temerè, qui hoc in veteri teſtamento licitum fuiſſe concedunt, negant autem in nouo licere, iudicant. Cùm enim multa Chriſtus Dominus, & inſtituerit noua, & vetera abrogarit, nonnulla item correxerit, aliqua perfecerit, quemadmodum in Sacramentis apparet: quorum vti ſex de nouo condidit, vnum ſeptimum correxit, atque ad vnius tantum vxoris vſum contraxit, ita fieri potuit, vt laxam illam, & liberam in vtramque partem dominandi facultatem reſtrinxerit, & ad vnam dumtaxat formam reduxerit. Et quidem ita accidiſſe aiunt, circa Pontificiam dignitatem, quæ ſic eſt ab eo in Euangelio conſtituta, vt ſuis Eccleſiaſticis contenta terminis in temporales non poſſit excurrere. Id cùm exemplo, tum doctrina Chriſtum tradidiſſe affirmant. Exemplo hactenus id nos monſtrauimus, dum Chriſto temporale Regnum, dominatumque negauimus. Cuiuſmodi Pontifices obtinere, & gerere vidimus: nam illud excellens in neminem præter Chriſtum quadrare dicimus: atque adeò ad iſtud confugere non poſſumus. Itaque exemplum nos vrget, qui regnaſſe tantùm ſpiritualiter Chriſtum vſu, ac executione fatemur. Doctrina Euangelica, id ipſum, inquiunt, continet. Nam quid ſibi vult illa Antitheſis Matt. 20. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Niſi vtrunq; diſiungere, & opponere, ne diſcipulis liceret Principum more dominari? Quid? Chriſtum Matrem Filiorum Zebedęi, imò & ipſos eius filios dignitatis temporalis futuri Regni ſpe deceptos reprehendere, & ab illa cupiditate auertere, & ad ſpiritualia mentem cogitationemque traducere, quàm docere, nihil ab ijs temporalis, aut muneris, aut honoris eſſe ſperandum, aut ambiendum? Quorſum illa vox ad Petrum gladio violentius vtentem. *Mitte gladium ſuum in locum ſuum?* Si eò non pertinebat, vt altero è duobus quos obtulerant gladio, ideſt ſpirituali poteſtate vteretur? alterum dimitteret, quòd à ſe minimè pertineret? Quod ipſum iam antea docuerat Luc. 12. cum ad eum qui litis decidendæ cauſa ad ſe acceſſerat. *Quis me*, inquit, *conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos?* Quibus verbis vetuerat, ne quis aut ſe, aut ſuos ad vſum temporalis gladij cogeret, quo poſtea vetuit Petrum vti, cùm diuiſit auremſerui, ac eo vulnere dijudicantis officium

Suadent exẽplis.

Confirmant teſtimonÿs Scripturarũ.

cium ſignificauit. Prohibitum autem eſſe Petrum à Chriſto vſu ſequioris poteſtatis dixit eleganter Bernardus lib. 4. de conſider. ad Eugen. *Quid tu vſurpare gladium tentas, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam?* Dum Pontificem ab educendo illo gladio deterret. Hanc à magiſtro doctrinam Paulus accepit cum 2. ad Timotheum 2. ſcripſit. *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus.* Ecquis autem magis Deo militat, quàm Pontifex? qui non modo arma geſtat, ſed & ſigna bellandi proponit, & copias in aciem contra hoſtes Fidei educit. Quare libera habere brachia debet ad inferenda vulnera, & auertenda: quod ſanè præſtare non poterit, niſi ſæcularibus negotijs prorſus renuntiet, & cum 2. ad Cor. 5. *Quid ad me*, inquit, *de his qui foris ſunt iudicare*. Alienum fatetur eſſe à Pontifice, vel inter alienos iudicium, quod tamen ſæpè neceſſarium eſt ferri, cùm aut nemo eſt, qui congruenter iudicet, aut cùm rogatur, qui eſt alienus, ad controuerſiam derimendam. Iam ſi ad exempla prouocemus videbimus alibi fugientem Regnum Chriſtum, & in montem ne compellatur ad Sceptrum, ſeſe abdentem: alibi negantem ſe Regem eſſe mundanum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, alibi miniſtrum ſe profitentem: *In medio veſtrum ſum tamquam qui miniſtrat*, alibi ſoluentem tributa: alibi Cæſaris Imperium probantem, ſeque illi obnoxium exhibentem: *Quæ ſunt Cæſaris Cęſari*, eiuſque prophanam poteſtatem à ſacra ſeparantem. *Quæ ſunt Dei Deo.* Hæc autem, opinor, docebat Chriſtus Apoſtolos ſuos, quos Eccleſiæ ſuæ Paſtores moderatoreſque deſtinabat.

Bernar.
Corint.
Ioan.
Luc.

Iam verò Petro, quem caput Eccleſiæ inſtituebat, & informabat, nuſquam legitur quicquam temporalis poteſtatis contuliſſe: immò ijs eum verbis initiauit Pontificem, quæ nullo modo temporalis poteſtatis ſignificationem admitterent. Nam Matth. 16. *Cum Claues dedit, Cælorum Regno* addixit: ac vſum illorum ſoluendi ligandique vinculis adſtrinxit. Immò & eum fundamenti loco poſuit, ne vnquam in faſtigium Regiæ dignitatis emergeret. Itaque Petram dixit, non gemmam, Petram quæ iaceret in cæmentis, obrutam ædificio, ne extaret, emineretue. Deinde Ioan. 22. cum Paſtorem inſtituit, tantùm Paſturam commendauit. *Paſce oues, Paſce Agnos.* Quibus verbis curam, & ſolicitudinem, non Imperium regimenque commendauit. Itaque paſcere

Arguunt ex Petro.
Matth.
Ioan.

Pon-

Pontificis proprium eſt ; ire vlterius, aut tondendo, aut agendo, aut tractando Rex poterit: Pontifex certè non poterit. Illud mirabile fuerit, nuſquam in toto, aut Euangelio, aut libro Actuum Apoſtolorum reperiri exemplum huius temporalis in Petro, aut in Apoſtolis poteſtatis: legimus autem vbique eos ſpiritualibus rebus præpoſitos, quo docemur eas poteſtates ſeparatas, immò & oppoſitas inter ſe, nec poſſe in vno Pontifice coire. Quid? quod Paulus cum varios gradus Eccleſiæ numeraret, & officia perſonarum, quæ in ea verſantur, recenſeret, Apoſtolos quidem, & Prophetas, Paſtores, & Doctores, & alios longa ſerie nominauit nulla magiſtratus temporalis commemoratione facta, quem ſi liceret Pontificem gerere, ſaltem per tranſennam, & obiter tetigiſſet. Itaque dicendum prorſus eſt pugnare cum Pontificio munere Regiam, & Politicam poteſtatem. Id verò confir-
Bern. mat authoritate ſua vir Pontificibus addictus Bernardus, quique eos magnopere coluit, & obſeruauit. Is ergo lib. 2. de conſideratione loquens de huiuſmodi dominio temporali à Pontificibus vſurpato. *Eſto: vt alia quacumque ratione hæc tibi* *Vrget authoritate Bernardi.*
vendices, ſed non Apoſtolico iure, nec enim tibi ille dare, quòd non habuit potuit. Quod non acceptum eſt iure Apoſtolico, ab eo qui Apoſtolicam gerit perſonam, & dignitatem illud certè iniuria retinetur, cum iniuſtè ſit vſurpatum. At non ſequitur iure Apoſtolico non habent, ergo iniuſtè habent. Potuerunt enim Apoſtoli iuri ſuo renuntiare, quo ſe ſpoliare non vult Pontifex. Obſtat idem Bernardus: hoc effugio præcluſo. *Interdicitur*, ait, *Apoſtolis dominatus; ergo tu & tibi vſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Forma Apoſtolica hæc eſt interdicitur dominatio, indicitur miniſtratio*. Nullam hæc verba tergiuerſationem patiuntur. Prorſus interdictum eſſe Pontifici aditum ad dominium temporale ſignificant: nec niſi ad illud poſſe, niſi calcato iure Apoſtolico peruenire. Deformari ea ſpecie decora Imperij, Apoſtolicam dignitatam illo ſplendore inani obſcurari, illis inſignibus nitidis inquinari. Hic teſtimonijs conantur Heterodoxi præcipuè Academici Oxonienſes, Cantabrigienſes, & Aberdonienſes probare duas illas formas poteſtatis temporalem, & ſpiritualem in perſonam Pontificis, cuius odio hæc omnes excogitant conuenire. Adijciunt petita ex rationibus argumenta. Primum eſto. Poteſtas Sacra, & Re-

ligioſa non debet cum prophana, Politicaque miſceri: cùm indignum ſit manum vnctam oleo ſacrato, aſſuetam myſterijs, Deo operantem, puram, intaminatam foras emittere, & cęno lutòque negotiorum ſæcularium ſordidare. Illa manus quæ Oliuam Paciferam ad placandum Deum in templo pręrendit, minimè debet gladium rotare, & ciuium ſanguinem poſcere. Itaque Sacerdos qui cruentum Crucis ſacrificium incruentum in Altari reddit cum Sacrario exierit cruorem ſitiet, & effundet, hominesque mactabit, & candidas illas innocuaſque Planetas cruentabit. Secundùm: Pontificalis dignitas virginitati ſimilis eſt, inſtituta vt ſit ſancta corpore, & Spiritu, vt Deo vacet, & cogitet quæ Domini ſunt: domi ſe contineat, ſepta liberali cuſtodia, ibique ſemota à ſtrepitu forenſi, & turba hominum viuat. Igitur non decet eam licentius egredi, nec per circos, & fora ſæcularium rerum vagari, & lucem conſpectúmque hominum quærere, & quodammodo vulgari. Tertium: non minus pugnant inter ſe ſtatus Pontificius, & temporalis, quàm ſtatus virginalis, & coniugalis; ſed hi non poſſunt in vnum coire, cum neceſſe ſit, qui alterum profitetur, eum ab altero cadere: igitur, & quem iuuet Pontificem eſſe, is temporalis Princeps eſſe non poſſit. Quid enim aliud quęſo eſt Principatum accipere, quàm vxorem ducere, & curis ſe, ac negotijs alienis ab illa integritate implicari? Parandæ ſunt opes, arma, diuitiæ. Curanda Reſpubl. pompa quærenda, ſplendor comparandus, maieſtas arceſſenda: ſæpè vis intentanda, cædes inferendæ, hoſtes & habendi, & abigendi. Quòd ſi Paulus dixit. *Qui ſine vxore eſt ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quæ modo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Quanta erit ſolicitudo Pontificis, quem iuuat clamor, galeæque læues, quem iuuant numi, redituſque Regni, quem iuuat ſceptrum grauis, & Corona?* Quàm erit diuiſus ille, qui per tot rerum genera vagus, ne vbi quidem ponat veſtigium certum reperit, quòd in lubrico verſetur. Quartum cum Solem, & Lunam Deus condidit continuò partitus eſt tempora, & iura diuiſit. Suum vtrique in eodem cælo munus aſſignauit. Duas diſtinxit, ſecreuitque poteſtates. Vnam diei, Soli. Alteram noctis, Lunæ aſſignauit. Hac vice ordo temporum retrumque conſiſtit. Aliter omnia, & turbarentur, & ruerent. Ita planè à Deo inſtitutum, vt Pontifex

Quibus vtantur argumentis.

Corint.

Quartum.

Rexque

Rexque crearetur, alter alteri oppoſitus, & ſibi quiſque ſufficiens, locis officijſque diuerſi, vt neuter alteri munus vendicaret, ſuo contentus tempore, & loco, opportunè, apteque conſiſteret. Certè vti cum Sol, & Luna coeunt, Defectus, & Eclipſes exiſtunt, ita cum in vno Pontifice Sacra, & Regia dignitas coaleſcunt, ius legum ſoluitur, lux iuris obſcuratur, & omnis rectè gubernandi ratio perturbatur.

His tanquam Arietibus, & Catapultis Heterodoxi, Angli imprimis, temporale Pontificis Romani dominium oppugnant. Sed firmius illud eſt, quàm vt poſſit conuelli. Et quidem candidè, ſyncerè, accuratèque reſpondeo.

Quem primum propoſuimus locum examinemus. In eo magnam vim eſſe iam olim Caluinus, & hodie Academici

Luc. Angli putant. Igitur Luc. 22. Cęnante Chriſto cum diſcipulis: *Facta eſt & contentio inter eos quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam, qui maior eſt qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum tamquam qui miniſtrat. Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & libatis ſuper menſam meam in Regno meo, & ſedeatis ſuper Thronos iudicantes duodecim Tribus Iſrael.* Ita Chriſtus in cæna. Aliàs ante eandem doctrinam tradiderat Dominus, & quidem loco, me authore, ad obijciendum aptiori: nimirum Matth. 20. & Marc. 10. ad retundendam Filiorum Zebedæi affectatæ dignitatis ambitionem. Nam ibi de Regno agitur, & Magiſtratibus proximis Regiæ dignitati, ac idcircò fortius indè argumentum ſumitur. Itaque Matthæus. *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos.* Marcus verò. *Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & Principes eorum poteſtatem habent ipſorum. Non ita eſt autem in vobis.* Primùm quæro ex Anglis. Velint ne locos huiuſmodi ad litteram prorſus, & exactè vti ſonant capere? Ac, vt aiunt, *in rigore?* Si affirmant. Vereor vt ij cum Libertinis, & Picardis ſentiant: nulli Chriſtiano Regi, aut Principi temporali eſſe licere, quod illi ex his locis deduxerunt. Sed negabunt: quòd Chriſtus de *Re-*

Reſpondetur 1 loco Lucæ.

Matth. Marc.

Quis ſenſus loci.

gibus tantùm gentium loquitur. Non de Chriſtianorum. Verum nemo tum Chriſtianus erat de quo loqui poſſet: immò ne Iudæus quidem. Nam qui præerant Iudæis alienigenæ erant. Quorſum igitur dixit *gentium*? ſi nullus non erat gentium? Dicent? ne videretur Chriſtianos dominatu prohibere. Iam ergo admittunt expoſitionem in gratiam Regum ac Principum ſuorum: nec litteram ſolum attendunt: ſed ſenſum quoque inquirunt. Id volumus. Verùm vrgeo. Si colligunt ex his verbis non licere Pontifici ſæcularibus præeſſe: quòd Chriſtus dicat. *Vos autem non ſic*. Efficiam, vt colligant, ne permitti quidem à Chriſto vt Chriſtiani alij alijs præſint: ſaltem vetare ne miniſter Euangelij alius alio maior ſit; qua certè ratione Luthero, & Caluino non licuit ſuis antecellere. Quod ſi inficientur, iam ratio habenda eſt ſenſus, non nudę tantùm litteræ: non igitur prohibetur pręfectura, aut politica, aut ſpiritualis, ſed vitia errores quæ vetantur. Senſum inquiramus. Mens Chriſti eſt morbis animi mederi, quibus tum illi duo, tum omnis poſtea apud Lucam diſcipuli laborabant. Ambitioni, & cupiditati, ac ex ijs ortæ inuidiæ. Nemo id interpretum antiquorum, mediorum, recentium negat. Ne illi quidem inficiantur. Appetebant primi, authore Lyra, & pluribus interpretibus dignitates, & munia Regni temporalis. Appetebant alij ſpiritualem præfecturam. Omnes vitio ſuperbię & cupiditatis obnoxij erant; vt ei moderetur Chriſtus pudorem affert exemplo Regum, & Principum gentium: quibus eos ſimiles eſſe dicit, dum honores illos ambiunt, vt ſimilitudinis pudeat; deinde vltra pudorem doctrinam adhibet, quàm longè ab eorum vitijs eſſe oporteat docet, vt diſſimiles ijs, quorum vituperarat, mores fore ſe & optarent & curarent. Cum autem gentilium maximè Iudæis deteſtabile, & nomen eſſet, & forma ratioque viuendi, voluit Chriſtus in ijs exempla vitiorum, quibus laborabant diſcipuli ponere, vt fœdiora, & tetriora apparerent. Neſcio enim quo pacto vitia magis ob perſonas, quam perſonas ob vitia odimus: immò & ſæpè vſuuenit, vt amicorum vitia amemus, inimicorum virtutes oderimus. Quare Chriſtus Dominus, cum vellet diſcipulos à ſuperbia, & cupiditate dehortari, ijs ea perſonis ineſſe monſtrauit, quæ inuiſę maximè, ac deteſtabiles Iudæis eſſent. Vnde præcipua vis verborum

Premuntur aduerſarij.

Lyra.

Exponitur apte locus Euangelij.

in

in illa voce *Gentium* ſita. Huc intentio Chriſti, & noſtra conferenda: Nec tam inhærere oportet *Regibus*, quàm *Gentibus* contra quàm hæretici faciunt, quos ſenſus hic latuit. Nam dedita opera Chriſtus *Reges gentium* adduxit, non Hebræorum veteres, cùm tamen multi in Iuda praui, omnes in Iſrael peruerſi, ac reprobi fuiſſent, vt maiorem horrorem ex perſonis incuteret, qui minor multò futurus erat, ſi ea vitia in Hebræis Regibus poſuiſſet. Dixerat: *In viam gentium ne abieritis:* monſtrauit eos illam iniſſe viam, quam vitare debuiſſent. Perinde ſanè erat gentium mores imitari apud Iudæos; ac malè ac peruersè agere: nam Gentiles ij *Peccatores* appellabant, vti ex multis Euangelij locis conſtat, & Luc. 19. num. 7. obſeruat, & Lyra, & Maldonatus ibid. & Lorinus Actor. 11. vbi Petro exprobrant Iudæi, *quod in domos præputium habentium introiuit*. Nulla igitur ratione melius potuit Chriſtus ſuos ab ijs vitijs deterrere, quàm docendo ineſſe gentilibus.

Quam abhorrerent à gentilibus Iudæi.

Luc. Lyra. Mald. Lorin.

Non ergo id agebat, vt aut Reges, aut Regna damnaret, quæ tulit & probauit, aut diſcipulis vetuit regere, & imperare, cum ille non de abrogando Imperio, ſed de vitijs, quæ imperando contingunt emendandis cogitaret. Id verò ſuadeo idonea coniectura. Nam vtroque in loco Chriſtus, & apud Matthæum reprehendendo Zebedæi Filios, & apud Lucam caſtigando diſcipulos eadem ſententia vſus eſt, ceu inter culpas nihil intereſſet. Vnde liquet eum de ſolius vitij, ideſt ſuperbiæ, & cupiditatis remedio, cogitaſſe. Si enim vellet à præfectura eos, & Regno prohibere, & docere non licere ijs regnare, aliter reprehendere debuerat Filios Zebedæi, quã diſcipulos; cùm Filij Zebedæi ex communi ſenſu interpretum de temporali præfectura, diſcipuli in Cæna de Eccleſiaſtica contenderent. Si autem nullatenus liceret Apoſtolis politicas illas dignitatis gerere, quas Zebedæi Filij ambiebant, alio erant modo erant reprehendendi, monendique, ne illicita concupiſcerent; cùm duplex admitterent peccatum, & in exceſſu concupiſcentiæ, & in re quam concupiſcebant. Quod certè in Apoſtolis duplex non fuit, cum minimè appeterent temporalem præfecturam, ſed ſpiritualem tantùm nimis ac præter modum appeterent. Itaque non in re illicita appetenda, ſed in immodicè appetenda peccauerũt. Vnde hi ſimpliciter ſolum reprehendendi, illi dupliciter caſti-

Chriſtus non ſuſtulit Imperio, ſed vitia imperantium.

caſtigandi. Nec debuit Chriſtus omittere, quę ad vitandum peccatum concupiſcendi rem illicitam neceſſaria erat, correctionem, & ſolum adhibere correctionem immoderatæ ambitionis. Quod ipſum argumento eſt, non eſſe illicitum temporales præfaturas moderatè concupiſcere. Idcircò Chriſtus vna & eadem vſus eſt correctione, quæ in nimium affectum caderet, in quo nihil intererat vtrum in temporali, an Eccleſiaſtica dignitate verſaretur. Etſi enim perfectiùs eſſet non appetere temporalia, ſoliſque ſpiritualibus eſſe contentum; non tamen id illicitum erat, atque adeò prohibendum non erat. Quòd igitur in rebus diuerſis ſolius ſuperbię, & cupiditatis Chriſtus rationem habuit, planè ſignificat non rem damnare, ſed affectum erga illas immodicum voluiſſe. Vnde, quod aliàs notauimus Chriſtus non vetuit pręeſſe, ſed modum pręfecturę præſcripſit. Non prohibuit imperare, temperare iuſſit. Rem non abſtulit, modum adhibuit. Dixit. *Vos autem non ſic*. Non dixit, *vos autem non dominemini, ſed non ſic dominemini*, quemadmodum illi *Gentium Reges* dominantur. An non hoc ad modum ſpectat? Certè Latinus quiuis agnorit. Quid eſt autem *non ſic?* non impotenter, non inſolenter, non ſuperbè. Illud eſt. *Dominentur eorum*, caſu proprietatis, ceu *ſeruorum*. Gręca phraſi; vt vis verbi, ea violentia, indicetur. Quemadmodum exponit Origenes. *Non contenti tantum regere ſubditos, ſed violenter eis dominari nituntur*. tract. 12. in Matth. Additur momentum illa alia formula. Orig.
Poteſtatem exercent in eos, quod ad ſuperbiam, & impotentiam referendum cum gloſſa Interlineali. *Per potentiam eos humiliantes*. Ab hoc igitur vitio, quòd ex ambitione, & cupiditate oritur ſuos auertere Chriſtus volebat: nam qui ſuperbè, & auarè imperat, *non tondet gregem, ſed deglubit:* atque adeò exercet tyrannidem. Cuiuſmodi erant Reges gentium, qui tunc regnabant, & qui circa eos magiſtratus gerebant Romę Tiberio imperante, & in Iudęa Herode regnante. Gloſſa Interl.

Id autem nos alibi, opinor, prudenter obſeruauimus: Chriſtum non ſuſtuliſſe primatum, aut pręſtantiam gradus inter ſuos; nam dixit. *Qui maior eſt in vobis*. Porro qui dicit *maior eſt* ſupponit eſſe qui præſit, nec vetat præeſſe, ſed modum ponit in præfectura. *Fiat ſicut minor*, non ait. *Fiat minor*, quod erat loco mouere: & gradum tollere. Sed *fiat*, inquit,

ſicut

ſicut minor, quod ſpectat ad modeſtiam, & demiſſionem animi. Idem innuunt alta verba. *Qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*. Quod autem Chriſtus non ſuſtulerit præfecturam patet in Paulo 1. Timoth. 3. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Quòd modum poſtulauit, liquet ex ſequentibus, vbi Paulus enumerat virtutes ad Epiſcopatum requiſitas, quibus ſi quis abundet, rectè aget, atque adeò laudandus; ſecus ſi careat, ac proinde vituperandus.

Chriſtus commendat humilitatem.

Opponunt: At Chriſtus oppoſuit *Reges diſcipulis*. Non vt *Reges*. Sed vti *Gentium*. Nam bonos certè, ac iuſtos Reges non opponeret: cùm interdum Dauidem imitandum propoſuiſſet. Cuius exemplo diſcipulos vellentes Sabbato ſpicas à calumnia Phariſæorum defendit. Reijcio: quin ex eo quod ſolos *Gentium* nominauit, docuit de ſolis vitijs agere velle: ac ea dumtaxat cum ſua doctrina pugnare. Quod paulo latiùs infra tractandum: nec decebat Reges diſcipulis ſuis opponere, cùm ea dignitas à Deo ſit, & rationi, iuſtitiæque conformis, nec contemnenda Chriſtiano homini, immò colenda, & veneranda. Quod ſi Chriſtus ſuos nec Reges, nec Dominos temporales inſtituit, ſtudio perfectioris inſtituti fecit, non odio dominationis. Ad demiſſionem, ad paupertatem, ad labores, ad Crucem ſuos hortatus eſt. An idcircò cætera vel damnauit, vel prohibuit? Conſilij ea opera ſunt, non præcepti. Sed illi nolunt ſeruare, & nobis imponunt, vti præcepta. At Apoſtolis illa non licebant. Iuſta cur non liceant, non capimus. Iniuſta illicita eſſe concedimus. Dent nobis vouiſſe Apoſtolos eas dignitates, & præfecturas, non habituros. Damus & eas non habuiſſe. At quod Apoſtoli vouerunt, & Pontifices noſtri ſeruare tenentur. Cur ergo ij qui ſucceſſores ſe Apoſtolorum dicunt temporales magiſtratus in Repub. gerunt? Sciant noſtros ea vota Pontifices minimè nuncupare, atque adeò ad ea ſeruanda minimè teneri. Nec enim Monachos illos eſſe, aut Mendicantes dicimus, ne maiori illos odio perſequantur. Eas nos ijs præfecturas tribuimus, vitia ne incurrant optamus. Hæretici contra deſiderant, vt omni prorſus dignitate careant, omnibus vitijs abundent.

Obiecta quædam diluuntur.

Verùm adhuc hærent in veſtigio, & obijciunt. Chriſtum his in locis à temporalibus rebus auocaſſe diſcipulos, & ad

cæ-

cæleſtia mentem cogitationemque tranſtuliſſe. Nam quorſum hoc? niſi eo pertineret, vt ſolum ſpiritualia curarent; ac quemadmodum mentem ab ijs auocabat, ita & rem à ſe ſeparari docebat. Si hęc obiectio vim iuſtam, & integram habet: nihil propius eſt à vero, quàm vt omnium rerum temporalium curam abijciamus, immò ne aut veſtitus quidem, aut victus, quin nec vitæ ipſius rationem habeamus, adeò vt ſolo dumtaxat animo, & ſpiritu conſtemus. Ecce enim præcipit Chriſtus odio habere Patrem, & matrem, & ſorores. *Qui non odit Patrem*, An ideò præcipit ne amentur colanturque? Idque Angli docere pergent, qui Parentibus, & propinquis, ſi qui alij, valdè cupiunt. Ecce iterum Chriſtus Matth. 12. 48. matrem fratreſque repellit, ac tam ſpecie duriter, vt videatur eam & illos prorſus negare. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Omnis conſanguinitatis iure præciſo, & ſolo ſpirituali titulo aſſumpto, & aſſerto. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus, frater, & ſoror, & mater eſt.* Num idcircò cum Marcione, Maneque dicemus. Chriſtum matrem non habuiſſe, nec propinquos carnales, quòd phantaſma eſſet, & de phantaſmate natus? Ac eò magis quòd rurſum Lucæ 11. affirmanti piæ fœminæ. *Beatam eſſe matrem*, quæ illum peperiſſet reſpondit. *Quinimmò Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Iam quod dixit inſtar increpantis Ioann. 1. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Niſi ſenſu molliore, & ad doctrinam apto ſumatur, eo ſanè ad eundem errorem Valentinus, & Montanus abutentur: aut ad alium ſuum negandi Matrem Dei Mariam eſſe, trahet Neſtorius, aut ex illo anſam detrahendi eius Virginitati capiet Heluidius. Id agebat Chriſtus, ait Auguſtinus in hunc locum, & tract. 119. & lib. de Fide & Symb. & lib. 2. de Fide ad Cathec. & Gregor. lib. 8. Regiſt. cap. 42. vt doceret ſe, & tanquam Deum loqui, & operari. Quo planiùs ſenſu Luc. 2. num. 49. dixit. *Quid eſt quod me quærebatis: neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Non ergo quòd mulierem, & quidem ſpecie reprehendentis appellauit, negauit eſſe matrem: ſed ſignificauit, quod poſtulabat miraculum non eius eſſe poteſtatis, quam cum natura humana ab ea acceperat, ſed ab ea quæ illi natura diuina cū Patre communis erat. Quemadmodum cum

Idonei ad perſuadendum loci.

Matth.

Auguſt. Gregor. Luc.

illam

illam, quam proximè adduximus ſententiam, Marcellæ viſus eſt emendaſſe: nihil de beatitate ventris materni detraxit, ſed addidit beatitati mentis: quod etiam Auguſtinus adnotauit. Quo cum minus Angli, quàm cum Caluino ſentire malunt, qui negaſſe Chriſtum Beatum eſſe Mariæ Virginis ventrem inuerecundè affirmat, immemor fortè Eraſmi ſententiæ, qui melius locum, & mentem in eo Chriſti interpretatur. Sexcenti huiuſmodi ſunt in Sacris Euangelijs loci, in quibus verba ſunt accommodanda ſententiæ, quę ex Chriſti mente, conſilioque ſpectanda, & ad illud referenda. Conſulant Magnum Authorem Auguſtinum cùm alibi, tum appoſitè libro de opere Monachorum: docebit is eos, quomodo hæ ſint, & ſimiles accipiendæ ſententiæ, occaſione capta illius Matth. 3. vbi Chriſtus vetat nos eſſe de cibo, & veſtitu ſolicitos. Idque exemplo auium, & liliorum, quam illi Monachi negligentes, & deſides ad otium, & pigritiam detorquebant ea qua Caluinus arte: cui ego nullum maius tormentum volo, quàm affirmare eum cum Monachis ſentire.

Caluin. Eraſm. Auguſt.

Atque vt hoc eum, & ſequaces Anglos loco conuincam, animaduerto: Chriſtum cum diſcipulos ſuos ab illa ambitione cupiditateque reuocare ſtuderet, nullo modo vetuiſſe ne Magiſtratus vnquam ſæculares admitterent, aut gererent, modo eos non ambirent prehenſando, adulando, largiendo, nec gererent, impotenter, & inſolenter dominando. Vitijs tantum obuiam ire voluiſſe. Quæ obrepunt ambitioſis, & auaris. Cæterùm, ſi qui poſtea ijs ſpiritualia munia rectè obeuntibus Magiſtratus temporales offerrentur, non prohibuiſſe ne caperent. Id autem ego ſecundùm Euangelium eſſe probem: vt Caluino & ſequacibus par pari referam, quod mordeat. Retorqueo argumentum. Ex eo quòd Chriſtus, & Filios Zebedæi à cupiditate temporalis Regni, & omnes diſcipulos ab ambitione præfecturæ auocet, & ad celeſtia bona procuranda animique virtutes comparandas traducat, colligunt, ea illis prima, vnde auertit negari: Affirmo ego contra fidenter, ex eo potiùs deduci temporalia ijs permitti, & concedi. Id autem ita probo. Non ſeueriùs hoc loco vetat Chriſtus ne ſæculares dignitates ambiant, quàm Matt. 6. prohibet ne mammonæ ſeruiant; ne cibis, & veſtimentis quærendis inuigilent. Quin & adhibito gentium exemplo

Chriſtus prohibet vitia non Regna.

Matth.

deterret, vt omnia eſſent paria: *Hæc enim*, inquit, *omnia gentes inquirunt*. At qui eo in loco Chriſtus poſtquam eos tanta vi & energia deterruit. Intulit. *Quærite ergo primum Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis*. Promittens ea ipſa quæ viſus erat vetuiſſe, ijs non eſſe defutura, dummodo ea nimia ſolicitudine, & immodica non quærerent, ſed in Deum proijcerent curam, eique imprimis vacarent. Igitur & in his locis quamuis Chriſtus diſcipulos ab honoribus, & munijs politicis magnoperè dehortetur, ſi ij ſpiritualia & diuina curent, honeſtaque ſectentur, inferri poteſt, ac debet honores quoque illos, & Magiſtratus ſæculares ijs eſſe adijciendos, vt in eos etiam quadret illa ipſa ſententia. *Quæririte ergo primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Et quidem impletum hoc vidimus in Romanis Pontificibus, qui cum trecentos fermè annos in Eccleſia, & cum Eccleſia Dei paſſi eſſent, & vix cibum veſtitumque neceſſarium haberent: & totas ſuas in Deum curas, & cogitationes proijcerent, id meruerunt, vt ſucceſſores à Sylueſtro ſui, Regno etiam & Imperio temporali donarentur. Nec verò Sylueſter, aut alij ſanctiſſimè poſt eum Pontifices, quos ſuo loco memorabimus, non primum Regnum Dij, & iuſtitiam quęſierunt, cum ſingulare virtutum omnium ſpecimen præbuerint, immò quia totos ſe Deo dediderunt, & ſpiritualia magnoperè curarunt, temporalia item à Deo obtinuerunt.

Senſus locorum Sacræ Scripturæ eſt attendendus.

Longior hoc in loco refutando fui, quòd is Achilles eſt aduerſariorum. Reliquis, & aliàs olim reſpondimus, & infra reſpondebimus accuratiùs. Nunc breuiter ita occurrimus. Petro quidem vſus gladij prohibetur, in eo euentu, cùm minimè ille decebat: nec enim Chriſtus armis defendendus, qui pati volebat: ac liberari nolebat; niſi fortè quòd Chriſtus noluit vti opera, & defenſione Angelorum, horum tutelam damnauit. Deinde ſi Chriſtus illam poteſtatem auferre volebat, cur gladium ſeruari iubebat. *Mitte gladium tuum in locum ſuum?* Quæ verba ſignificant, vel in Caluini ſententia retentionem, non abiectionem poteſtatis. Præterea ille gladius tunc vindictam agebat: quam Chriſtus vel ijs militibus ſumi vetabat. Data eſt autem poteſtas ad ædificationem, non ad deſtructionem. Igitur abuſus tollebatur, non poteſtas auferebatur. Idque Bernardi verba

Chriſtus dum probibuit Petrum ferire actum vetuit non abſtulit poteſtatem.

Caluin.

Bernar.

verba indicant. *Quid tu vſurpare gladium tentas, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam?* non abijcere, non detrahere, ſed in meliores vſus reponere.

Luc. Tertio ſumpto ex Luca. *Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos?* Facilè reſpondetur. Primùm ineptum eſſe: nam Chriſto non deerat illa facultas, ſi vellet, iudicandi, & diuidendi. Malè igitur argumentantur. Secundùm; alienum tunc eſſe ab inſtituto Chriſti illud munus iudicandi, & diuidendi. Negauit ergo tunc expedire. Aliàs aliter iudicauit, nimirum cùm eiecit vendentes, & ementes de Templo, cùm abſoluit adulteram, cùm Dæmones in porcos immiſit. Varia ſunt momenta temporum, & rerum. Tunc non erat his locus.

Chriſtus exercuit, ſæpè iudicis officium

Quartum ex Paulo ad Timotheum ductum rem non continet. Aliud eſt quippè *implicare ſe negotijs ſæcularibus*, aliud temporali iure vti ad rem Eccleſiaſticam, vel tuendam, vel augendam finis ſpectandus eſt, ad quem opera referuntur. Preterea *implicare* ſignificat vitioſam ſolicitudinem, quæ à diuinis auocat mentem, & ad humana transfert. Tandem multum intereſt inter negotiari, & imperare, ac adminiſtrare bona temporalia ad vtilitatem Eccleſiæ. Illud mercatorum eſt, iſtud Principum, & Paſtorum. Illud Paulus vituperat, hoc non condemnat.

Opera æſtimãtur ex fine.

Corint. Quintum facilè ſoluitur ex 1. Corinth. 5. Vetat Paulus ne quis iudicet præpoſterè, ac ibi ius dicat, vbi non licet. Qui foris ſunt alieni ſunt: extra limites ſunt iuriſdictionis. Quare non poteſt in eos exerceri iudicium. Quid hoc habet cum ſententia noſtra commune? Authores ſumus Pontificem Romanum ſubditos habere, ac inter eos ius dicere. Nolumus vt inter alienos ius dicat. Nimirum eos qui aut extra Eccleſiam ſunt; aut ſi intra Eccleſiam, temporaliter ſubditi non ſunt. Ad eos minimè poteſtas iuriſdicundi Pontificia extenditur: qui ſunt extra Eccleſiam non ſunt ſubditi Pontificis.

Iuriſdictio eſt in ſubditos.

Sexti multam mentionem fecimus. Vno verbo dicimus Chriſtum non negaſſe Regnum ſibi eſſe, ſed mundanum, quale habent Reges, & aleæ, & armorum plenum, purè, vt aiunt, temporale. Id etiam adijcimus Chriſtum de vſu regnandi negaſſe, de iure, & titulo non negaſſe: quemadmodum Vaſquez tom. de Incarnat. diſp. 86. cap. 5. interpreta-

Senſus, quo Chriſtus Regem ſe negauit.

tus;vterque autem ſenſus eſt idoneus, primus Patrum,ſecundus Theologorum.

Humilitas Chriſti & Pôtificis. Coniectura de miniſterio Chriſti aſſerit humilitatem Chriſtianam, non euertit gubernationem politicam. Hac ratione Romanus Pontifex ſæpè ſe demittit ad Pauperum pedes, Sanctos viros reueretur, ſeruum ſe ſeruorum Dei nuncupat.

Septimo haud difficulter occurritur: dicendo Chriſtum diſtinxiſſe poteſtates, non perſonas ſuſtuliſſe: abſtulit confuſionem, non euertit iura. Vbicumque ſint illa duo ſpirituale, & temporale ius, tuenda ſunt, & ſeruanda, vt ſuum locum modumque retineant.

Quod attinet Claues, eæ non claudunt aditum potentiæ, & iuriſdictioni temporali: aperiunt quidem Cælum. An hoc eſt dominium excludere, & in terris prohibere? Sunt qui è Clauibus huiuſmodi poteſtatem deducant, quos citauimus lib. 1. de Clauibus Petri. Plures adducit Bozzius lib. 2. de tempor. Monach. cap. 12. & ſeq. Certè Claues dominij, & poſſeſſionis temporalis inſtrumenta ſunt. Idem ſenſus eſt loci à paſcendo deſumptus. Nam paſcere, & regere ſignificat: id nos prima de Primatu Petri Vindicia probauimus, & Homerus Paſtores Populorum appellauit Reges, qui temporaliter dominantur. Quare ex hoc loco Ioannis deduci vtramque poteſtatem vult Caſſiodorus lib. 1. Ethic. cap. 11. & Concil. Aquiſgran. ſub Ludouico Pio Imperatore c. 123. Bernardus ſuo illo teſtimonio non negat dominatum Pontificium, ſed diſtinguit origenem, non vult vt ab Apoſtolis ſit, ſed aliunde, nec eam poteſtatem temporalem in Apoſtolica dignitate includi inficiatur. Nec enim Chriſtus inſtituit Reges, aut Dynaſtas eos, quos Apoſtolos nominauit: ſed non vetuit, ſi qui poſtea Imperatores, aut Dynaſtæ eos ditare opibus, & donare Regno, aut Principatu ſucceſſores Apoſtolorum vellent, id fieri. Nam ſi vitaret, donare Peccatum eſſet. Conſtat autem Conſtantinum, & cæteros qui donarunt minimè diliquiſſe: cùm bene fecerint, & ob id magnoperè laudentur. De quo infra latè nec, opinor, ineruditè diſputabimus.

Claues Petri quid ſignificent. — *Bozzius.* — *Homer.* — *Caſſiod.* — *Concil. Aquiſg.* — *Quid Apoſtolatus includat.*

VINDI-

VINDICIA SEXTA.

QVANDO, ET QVOMODO ROMANI PONTIFICES TEMPORALE DOMINIVM ACCEPERINT.

CAPVT I.

A quibus Principibus Eccleſia Romana donationes acceperit?

HAEC quæſtio ad factum, vt aiunt, ſpectat. Suppoſito itaque iure, de quo hactenus,ad temporale dominium ſaltem permiſſiuo, quod negari certè non poteſt) ideſt,illud non repugnare cum ſpirituali: ac proinde capaces illius eſſe Pontifices; quæritur quando, & quo titulo dominari in temporalibus cœperint? Et quidem annis trecentis, ac eo amplius vſque ad Imperium Conſtantini Magni nullum eius ſatis expreſſum veſtigium in hiſtorijs videtur extare. Quanuis enim Philippi duo Religionem Chriſtianam, & amplexi, & profeſſi videantur, vti ex Euſebio, &alijs, Nicolaus de Cuſa, Baronius, Ciacconius, alijque Recentiores deducunt, quibus non auſim contradicere, cùm præſertim id ſignificet Berengoſus Abbas lib. 2. de Inuent. & laud. S. Crucis cap. 11. nihil ab his tamen temporalis dominij, vel vtilitatis in Romanam Eccleſiam deriuatum legimus. Nec vllus è triginta tribus, (tot quippè ante Sylueſtrum in Petri Cathedra ſederunt) Pontificibus, ad vſque annum Chriſti 314.tem-

Inquiritur origo donationum.

Bereng.

Ante Sylueſtrum an fuerit Principatus?

314. temporalem geſſiſſe Principum ſcribitur. Sylueſtrum, affirmant plures primum vtramque poteſtatem exercuiſſe. Verùm quoniam ſunt, qui vel negent, vel ambigant de Conſtantino, & alijs antiquis Principibus, eos numerabimus, de quibus nemo dubitet. Pipinus igitur Caroli Martelli Filius, à quo ſecunda Regum Chriſtianiſſimorum Galliæ ſtirps initium cœpit, Exarchatum, & Pentapolim à Longobardorum Rege Aiſtulpho occupata Stephano Papæ III. ſiue II. reſtituit, & tabulas donationis cum ſingularum Clauibus Vrbium in S. Petri Confeſſione poſuit. Eius rei cùm alij, tum Anaſtaſius Bybliothecarius, tum Leo Oſtienſis lib. 1. Hiſtor. Caſſinenſis, & Baronius, ac Spondanus Anno Chriſti 705. & qui vitas Stephani, & Pipini ſcripſerunt authores ſunt. Extat Epiſtola Stephani ad Pipinum Regem, qua petit ab eo, vt ſibi, & Eccleſiæ Romanæ reſtitui curet ablatum iſtud patrimonium, quam infra commodiùs afferemus. De huiuſmodi donatione Addo in Chronicis: *Inſuper*, inquit, *Pipinus Rex Rauennam, totamque Pentapolim Apoſtolis Petro, & Paulo tradidit*. Quanquam id quod ait de tota Pentapoli viuo Aiſtulpho factum non fuerit, ſed poſt eius mortem Rege Deſiderio, qui tres nobiles Vrbes Ferrariam, Caballum, Fauentiam, quas Aiſtulphus retinuerat, Stephano tandem ex fœdere reſtituit: quemadmodum obſeruat Sigonius lib. 3. in Aiſtulpho, & Ciacconius in vita Stephani; immò & ipſe Stephanus in Epiſt. 6. hæc & alia oppida ſibi reſtitui poſtulat. Complectebatur autem Exarchatus Rauennam, Bononiam, Imolam, Fauentiam, Forum Pompilij, Forum Liuij, Cæſenam, Bobium, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Ficolas, Gabellum. Pentapolis verò Ariminum, Piſaurum, Comham, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Numanam, Aeſium, Forum Sempronij, Montem Fereti, Vrbinum, Territorium Balnenſe, Calles, Luceolos, & Eugubium, & his annexa, vti ijdem Anaſtaſius, & Leo Oſtienſis teſtantur. Atque vt exactiùs, quæ à Pipino conceſſa ſunt Eccleſiæ, numeremus, afferamus locum Leonis Oſtienſis, vbi omnia diſtinctè recenſet. *Fecit inclytus Rex Pipinus cum Filijs ſuis conceſſionem Beato Petro eiuſque Vicario de Ciuitatibus Italiæ, ac Territorijs per deſignatos fines. A Lunis cum Inſula Corſica, inde in Suranum, in Montem Bardonem, Vercetam, Parmam, Rhegium, Mantuam, & Montem Silicis, ſimulque vniuerſum.*

Series Principum qui donarunt.

Quid donarit ſeu reſtitueret Pipinus Eccleſiæ.

Numerantur Ciuitates, & oppida.

Anaſtaſ. Bibl. Leo. Oſtienſ. Baron. Spond.

Sigon. Ciacc. Steph. P.

uerſum Exarchatum Rauennæ, ſicut antiquitus fuit, cum Prouincijs Venetiarum, & Iſtriæ, cunctumque Ducatum Spoletanum, ac Anaſtaſ. *Beneuentanum*. Hæc latiùs numerando extendit Anaſtaſius Sigon. in vita Stephani Papæ III. & Sigonius lib. 3. in Aiſtulphi. Hanc donationem Carolus Magnus Filius confirmauit Romę Anno 774. Adriano I. Pontifice: auxitque nouarum Ciuitatum, immò & Prouinciarum acceſſione, etſi non tam illa prior confirmatio fuerit antiqua, quàm noua donatio, cùm Deſiderius Rex Longobardorum, multas ac inſignes Exarchatus Vrbes Eccleſiæ Romanæ per vim abſtuliſſet, & vſurpaſſet, quemadmodum tradit Anaſtaſius in vita Adriani, Sigonius in Deſiderio, Baronius, & Spondanus ad Annum Ciacc. 774. quos Ciacconius ſequitur: immò Seuerinus Binius in Binius. notis ad vitam Adriani I. affirmat occupatum eſſe *à Deſiderio Ducatum Ferrarienſem, & Rauennatem Exarchatum, aliaſque Vrbes ab Regibus Francorum Sedi Apoſtolicæ donatas*, Quod ſi verum eſt, omnia penè Carolus vindicauit armis ab hoſte, ac de nouo Eccleſiæ donauit. Certè non omnia hæc Deſide- Adr. I. rius eripuerat, nec de his omnibus cum eo Adrianus, vti ex eius vita in 3. Conciliorum to. 1. contenta patet, expoſtulauit. Quæ addidit Carolus Magnus, ea deſignat Ciacconius. *Corſicam, Sardiniam, Siciliam, Territorium Sabinenſe, Ducatum Spoletanum, Tuſcumque Longobardorum, vna cum cenſu*, inquit, *qui quotannis pro his Ducatibus Regi Longobardorum ſoluebatur, ſalua tamen ſemper ſuper eoſdem Ducatus Regia ditione*, quæ ver- Sigon. ba mutuatus eſt ex Sigonió lib. 3. ad finem. At Corſicam donarat anteà Pipinus, & Spoletanum Ducatum. Non ergo hæc conceſſit de nouo Carolus, ſed reddidit. Quod autem exceperit iſtos duos Ducatus Tuſcanum, & Spoletanum à dominio directo Pontificis, id videtur conſtare, cum in donatione Ludouici Pij Filij excepti inueniantur, his verbis *Salua ſuper eoſdem Ducatus noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem ſubiectione*. Inſignem hanc donationem Caro- Adrian. li Magni, litteræ Adriani I. quam plurimæ, in quibus eius per partes fit perſpicua mentio, omninò fecerunt: nimirum Synodus VII. 3.5.8.14.17.22.24.25.30. & præcipuè 35. Sed illa maxime illuſtris eſt, quæ habetur in Septima Synodo Actione 2. data ad Conſtantinum, & Irenem Epiſtola in qua ſic. *Sicut*, inquit, *Filius, & ſpiritualis Compater noſter Dominus Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patritius Romanorum noſtris* obtem-

Carolus Magnus confirmat Patris Pipini donationes.

Donata, ſeu reddita à Carolo Magno.

Caroli Magni illuſtris donatio.

obtemperans monitis, atque adimplens in omnibus voluntates, omnes Heſperiæ Occiduæque partis barbaras nationes ſub ſuis proſternens conculcauit pedibus omnipotentatum illum domans, & ſuo ſubijciens Regno adunauit. Vnde per ſua laborioſa certamina eidem Dei Apoſtoli Eccleſiæ ob nimium amorem plura dona obtulit poſſidenda: tam Prouincias, quàm ciuitates, ſeu Caſtra, & cætera Territoria, immò & patrimonia, quæ à perfida Longobardorum gente detinebantur brachio forti eidem Dei Apoſtolo reſtituit, cuius & iure eſſe dignoſcebantur.

Ludouici Pij donationes. Tertiam donationem, ſeu confirmationem donationis fecit Ludouicus Pius Imperator in Concilio, ſiue Conuentu Aquiſgranenſi anno Domini 817. Cuius exemplum ex Vaticanis monumentis extractum repræſentat Baronius tom. 9. Annal. Anno 1. Paſchalis Papæ, & Seuerinus Binius in notis ad Concil. Aquiſgranenſe, & Grethſerus de munificentia Principum cap. 4. & ante hos omnes Sigonius lib. 4. in Ludouico Pio. De qua quòd ampliſſima, & omnia quæ à Pipino auo, & Carolo Patre reddita, & donata Romanæ Eccleſię fuerant, ſtabiliuit, & confirmauit, ſic Leo Oſtienſis lib. 1. cap. 18. *Hic*, ait, ideſt Ludouicus, *pactum Conſtitutionis, & Confirmationis fecit Beato Petro Apoſtolo, eiuſque Vicario Domino Paſchali parentes ſuos Pipinum, & Carolum imitatus, manuſque ſuæ, ac filiorum ſuorum ſubſcriptione corroborans, decem Epiſcopos, octo Abbates, & Comites quindecim, Bibliothecarium, Manſionarium, & Oſtiarium vnum ſubſcribere fecit, & per Legatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Theodorum Nomenclatorem Domino Paſchali Papæ tranſmiſit.* Baron. Binius. Grethſ. Sigon. Leo Oſtienſ.

Adducere hic eam operæ pretium fore non puto, cùm obuia in tot authoribus occurrat. Partem illius Gratianus Decretis inſeruit cap. *Ego Ludouicus*. diſt. 63. Eius meminit S. Antoninus par. 2. tit. 16. Volaterran. lib. 3. Geograph. Anſelm. lib. 4. cap. 35. Iuo par. 5. cap. 51. & Francorum Annales. Paulus Aemylius. Iuo. Author Anonymus. Reſcherſpeng. Annal. in Chron. & Gerolius Præpoſit. Reſcherſpeng. lib. 1. de inueſtigat. Antichriſt. Mauclerus 3. par. de Monarch. Eccleſiaſt. lib. 7. Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. Baron. Spondan. & Annal. Scriptores. Grat. S. Ant. Volat. Anſel. Iuo. Gerol. Maucl. Bellar.

Ottho Magnus. Ottho Magnus ab his tribus Pipino, Carolo, Ludouico ſolemnibus donata formulis ſimili vſus diplomate rata eſſe voluit Rauennæ, authore Sigonio Anno 967. Ioanne XIII. Pontifice.

Regin. Binius. Baron. Grethſ. Volat. tifice. De quo Regino, ac ex eo Seuerinus Binius notis ad Concilium Rauennate anno 967. & Baronius eodem anno, & Grethſerus cap. 5. & prius Volaterranus lib. 3. Geograph. Extat ipſius Othonis iuramentum quo promittit redditurum ſe Papæ. *Quicquid de terra Sancti Petri ad ſuam poteſtatem venerit*. cap. *Tibi Domine*. diſt. 63. De quo item S. Antoninus par. 2. tit. 16. cap. 1. §. 16. in medio, & Anſelm. lib. 1. cap. 90. & lib. 4. cap. 36. & Gloſſa in illud caput. Promiſſam autem fidem poſtea re compleuit. *Quid donauit.* S. Ant. Anſel. Gloſſa.

Henricus Imperator I. Rex II. quo anno Romę à Benedicto VIII. Coronam, & Sceptrum Auguſtale accepit. (Is annus fuit 1014.) aliud donationis inſtrumentum fecit, quod eandem ferme, ac eſt Othoniana, formulam exhibet. Ea producitur à Baronio, & eius Hyperapiſte Grethſero c. 6. & à Seuerino Binio poſt vitam Benedicti VIII. Papæ tom. 3. Concil. par. 2. Narrat hoc Sigonius lib. 8. in Henrico his verbis: *Priuilegia*, inquit, *ciuitatibus Eccleſijſque renouare aggreſſus: imprimis beneficia, ac iura à Pipino, Carolo, Othone Patre, ac Filio Eccleſiæ Romanæ quondam conceſſa firmauit*. Eæ tabulę adhuc leguntur ijſdem penè verbis conceptæ, quibus Lodouici fuerunt, quę ſupra huic intextę hiſtorię ſunt. Pars huiuſce Conſtitutionis inſeritur à Gratiano Decretis cap. *Conſtitutio* diſt. 63. meminitque eiuſdem Anſelmus lib. 5. cap. 17. & lib. 6. cap. 7. & Iuo p. 5. c. 52. Baron. Grethſ. Binius. Sigon. Grat. Anſel. Iuo.

Hæ capitales donationes habentur ſolemnibus conceptæ formulis. Plures ſunt aliæ ab Italiæ Regibus, & Imperatoribus minus quidem celebres, ſed quæ idoneum Principatui Eccleſiæ temporali teſtimonium reddunt. Eas numerare operæ pretium erit. Vido, à Stephano Imperator creatus, authore Sigonio lib. 6. Ann. 891. vt ſe Pontifici gratum præberet priuilegia, ac dona à Pipino Rege, Carolo & Pio Imperatoribus Romanæ Eccleſiæ data probauit. Lambertus eius Filius eadem confirmauit. Anno 898. eodem Sigonio authore. Otho ſecundus, quæ I. Magnus Otho pater donauerat rata diplomate ſuo habuit Anno 973. Idque conſtat ex ipſiſmet Henrici tabulis, quibus hoc inſertum eſt: ac ex geſtis illius apud Sigonium Anno 973. conſtat. Rodulphus Imperator à Gregorio VII. abdicato Henrico Imperator factus ijſdem donationibus ſua authoritate momentum attulit: quemadmodum litteræ Electorum Ioannis, & Adal- *Aliorum donationes.* Sigon.

berti Ducum Saxoniæ, & Ludouici Comitis Palatini Rheni, & Marchionis Brandeburgenſis teſtantur. In quibus Rodulpho ſubſcribunt, eiuſque diploma confirmant; vti narrat Baronius tom. 10. Annal. Anno 1279. ac ex eo Spondanus ad annum 996. vbi item Baronius, & Grethſerus Commentario de munific. Principum cap. 8. Eiuſdem rationis inſtrumentum edidit Albertus Imperator huius Rodulphi Filius anno 1303. Bonifacio Papa, quo ei donata confirmat teſte Baronio, & Spondano ad eum annum, & Grethſero cap. 9. Idem ſanxit ſimili diplomate Fridericus II. ijſdem authoribus. Immò & rurſum per Auream Bullam Honorio Papæ III. miſſam ſexennio poſt renouauit.

Baron. Spond. Grethſ.

Albertus Imperator.

Hos Reges, & Imperatores fœmina, vt ait Sigonius lib. 10. ad annum 1114. *Non ſolum egregia pietate, ac Religione omnium ſui, & Superiorum ſæculorum mulierum præſtantiſſima Mathildis.* Partim anteceſſit, partim ſecuta eſt donato ampliſſimo Lonbardiæ, Tuſciæque patrimonio Eccleſiæ Romanæ, Pontifice Gregorio VII. quem ſæpè opibus ſuis iuuerat, & armis defenderat. Quam donationem Domnizo illius temporis author refert, & Leo Oſtienſis Epiſcopus narrat. Eius meminit Baronius, & Spondanus Anno Chriſti 1077. & Grethſerus cap. 7. honorifica de Mathilde facta mentione, quæ iure inter Imperatores, ac Reges numerari, ac cenſeri debet. Inter quos Pipinus primas vindicauit opinione, & fama. Hinc illud Elogium Rauennæ in exeſo ob vetuſtatem lapide. *Pipinus Primus amplificandæ Eccleſiæ viam aperuit, & Exarchatum Rauennæ*, & cætera, quæ tempus abſoluit.

Sigon.

Inſignis illius donatio.

Domnizo.

Verùm non ille primus donauit. Atque hic greſſum reuocamus, ac ſicut illi qui origines fluminum aſcendendo quærunt, ita nos quoque fontem donationis rurſum eundo inquiramus. Ante Philippum *Aritpertus*, inquit, Paulus Diaconus de geſt. Longobard. lib. 6. cap. 28. Anno 704. *Rex Longobardorum donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quæque quondam ad ius pertinuerant Apoſtolicæ Sedis, ſed à Longobardis multo tempore fuerant ablata reſtituit, & hanc donationem aureis exaratam litteris Romam direxit.* Has cum poſtea Luitprandus, teſte Sigonio lib. 3. cum agro Sabinenſi occupaſſet, anno 716. eodem Paulo Diacono cap. 43. & Sigonio authore reſtituit. Ex his autem donationibus apparet Pontifices dominium temporale ante ea tempora habuiſſe; idque iuſtum, & legi-

Paulus Diac.

Aritpertus Alpes Cottias Eccleſiæ reddit.

Sigon.

& legitimum, cùm ius poſtiminij ad repetendum ijs fuerit, & auferentibus Religio reſtituendi. Qui verò Alpium Cottiarum poſſeſſionem Eccleſiæ primus ademit Rotharis Rex fuit, qui anno 638. (verba ſunt Sigonij) *ad Cottias Alpes cum infeſto exercitu venit, ac primo aduentu Genuam, Albigaunum, & Lunam Oppida capta direptaque incendit. Quo facto non ſolum Prouinciam Imperatori eripuit, ſed etiam Pontificem opulento, quod ibi antiquitus poſſidebat, Patrimonio exuit.* Iam tum Pontifex Romanus temporalis Princeps erat. Inuenimus autem reuocato ad anteriora ſæcula greſſu, impreſſa huiuſce Principatus veſtigia. Nam quo Longobardorum Reges Italiam inuaſerunt tempore, anno circiter 566. longè latèque Eccleſiæ patrimonium per Europam ſe, Africamque diffuderat. Sic enim egregius author Sigonius. *Eccleſia Romana à Petro Apoſtolo Vrbis Epiſcopo inſtituta, atque eiuſdem, & Pauli Apoſtoli Sacroſancto ſanguine irrigata, vt Principatum omnium Eccleſiarum obtinebat, ſic maiores quoque opes, ac facultates habebat, præcipuè à Chriſtianis Imperatoribus ſtudio Religionis initio à Conſtantino facto relictas: nam & pretioſis omnis generis argenteis, aureiſque donarijs, & opimis agrorum fundorumque poſſeſſionibus erat inſtructa; quæ per omnes fermè Europæ, Africæque Prouincias diſperſæ, Romanæ Eccleſiæ, ſiue Sanctorum Apoſtolorum Patrimonia dicebantur. In Italia Patrimonium Alpium Cottiarum, Tuſciæ, Sabinenſe, Brutiæ, & Lucaniæ, Calabriæ, & Siciliæ; eaque per Præfectum Rectorem Patrimonij appellatum, illuc à Pontifice miſſum gubernabantur.* Hæc poſtea paulatim carpendo Longobardi, & alij Principes, dum ad ſe quiſque partes vi trahit, diſcerpſerunt. Quę cùm ad ſuum corpus redirent cum eo coaleſcebant; atque adeò reddi, ac reſtitui dicebantur.

Sigon. — *Rhotaris Rex Eccleſiæ adimit Alpes.* — Sigon. — *Quam fuerit amplum dominium.*

Gotthis imperantibus minor multò Principatus Eccleſiæ fuit, ſed non ideò tamen opibus illa carebat. Legimus in vita S. Gregorij Magni amplum, & multiplex Eccleſiæ Romanæ fuiſſe patrimonium, ac per totam fermè Europam, & Aſiam diſperſum: vti narrat Ioannes Diaconus in eius vita lib. 2. cap. 53. vbi recenſet Patrimonia, & eorum Rectores curandi, & tuendi gratia ad ea miſſos, qui 23. numerantur. De reditibus autem, & expenſis, in beneficium pauperum factis, accuratè ſatis, & exactè idem author cap. 54. Conſtat eundem Pontificem cum ſuis, quæ hæreditate accepit, bonis,

Ioann. Diac. — *Gotthorum tempore quod fuit Eccleſiæ dominium.*

quæ erant opima, mirum in modum rem Eccleſiaſticam auxiſſe. Quanta verò accuratione ea bona adminiſtrarit ex multis eius Epiſtolis apparet inter reliquas Anthemio, Petro Subdiacono, Cypriano, Caſtorio, Libertino: quibus ea commendabat. Placet audire Ioannem Diaconum lib. 2. cap. 54. *Qualiter ſanè Gregorius per Procuratores Eccleſiaſticorum Patrimoniorum, velut Argus quidam luminoſiſſimus per totius mundi latitudinem ſuæ Paſtoralis ſolicitudinis oculos circumtulerit, non abs re forſitan duxerim perſtringendum.* Ingens hæc bonorum vis erat, quæ tam longè latèque patebant, & tot oculis, quot habuit Argus, indigebant. Hæc autem Patrimonia, dicta Eccleſiæ S. Gregorius Epiſt. ad Libertinum Expraetorem. *Res Sancti Petri* appellauit, dum ſic. *De Beati Petri rebus quamuis parua ſunt, quæ offeruntur pro magna benedictione ſuſcipienda ſunt.* Incidit autem Pontificatus Gregorij in annum 590. tenuit vſque ad annum 603. Altius aſcendamus. Extat Agapiti Papę Epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, quæ eſt 6. *De non alienandis bonis Eccleſiaſticis*; ex qua illud tranſcribo. *Reuocant nos Patrum veneranda conſtituta manifeſtiſſima, quibus ſpecialiter prohibemur prædia iuris Eccleſiæ, cui nos omnipotens Deus præeſſe conſtituit, quolibet titulo ad aliena iura transferre.* Poſſidebat igitur iam tum Romanus Pontifex Fundos, & Prædia, quæ alienari nolebat. Floruit autem Anno 533. Quin anno 502. quarta Synodus Romana ſub Symmacho legem Odoacris de prędijs Eccleſiæ non alienandis proponit, & quòd à laico cui nullum in res Sacras ius erat lata fuerat, eam prorſus abrogat, & aliam Symmachi Papæ ſubſtituit: quæ affertur lib. 2. qu. 2. *Non liceat*, inquit, *Papæ à præſenti die Prædium ruſticum quantæcumque fuerit magnitudinis, vel exiguitatis ſub perpetua alienatione, vel commutatione ad cuiuslibet iura transferre.* Ex quo Canone patet Eccleſiam bona temporalia eo Rege, ac Pontifice habuiſſe.

Idem.

Gre. M.

Agapeto Papa Eccleſiæ dominium.

Step. P.

Synodus Roman.

Ampliſſima hæc fuiſſe prædia ex multis, ac inſignibus, quas Symmachus extruxit, Baſilicis, & oratorijs, & ex prętioſis, quæ obtulit donarijs liquidò apparet illius vitam, & geſta legentibus. Quòd autem legem illam paulo poſt Simplicij Papæ obitum Odoacer tulerit, ex eo patet non paucis antea annis Romanam Eccleſiam eiuſmodi bonis abundaſſe, ideſt anno 433. Quæ quanta fuerint Hilaro Papa, illius magnificæ

Symmacus P. ornat Eccleſias.

gnificæ

gnificæ extructiones, & illuſtria dona, quæ admirationem pariunt, probe teſtantur. Anno 438. Valentinianus Auguſtus ſub Sixto Papa III. quæ bona Baſſi ex Familia Aniciensi proſcripſerat ea Romanæ Eccleſiæ donauit; cùm alijs tum imprimis, Ciacconio authore. Innocentij Papæ dona ab eo Eccleſijs collata facultates Pontificias, iam tum idoneas eſſe teſtantur. De Damaſo cuius ſplendidiſſimus Pontificatus fuit infra dicemus. Damaſo Superior Marcus à Conſtantino Fundum Roſatum cum agro capeſtri traditur accepiſſe. Immò & ipſo tempore perſecutionum habuiſſe Romanam Eccleſiam facultates, & opes relictas à fidelibus nobilibus, & copioſis, qui martyrium ſubibant; conſtat ex actis eorum, & apparet ex geſtis S. Laurentij Martyris, qui cùm de theſauris Eccleſiæ mentionem feciſſet, continuò Imperator de opibus intellexit. Et quanquam Laurentius pauperum obiectu opinionem refellerit; vel eo ipſo faſſus eſt non deeſſe Eccleſiæ diuitias, quæ tot Pauperibus alendis ſufficerent. Sed hæc ex priuatorum donationibus, & largitionibus proueniebant; nos autem propriè de Imperatoribus, & Principibus agimus.

Marcus Papa accipit donum à Conſtantino.

Acta S. Lauren.

Compertum igitur eſt Romanos Pontifices, ac Romanam Eccleſiam facultates, & bona temporalia à multis retro hinc ſæculis habuiſſe. Horum nos initium inueſtigamus, quę cum dominio illuſtri, & claro coniuncta fuiſſe comperiuntur. Primus ſanè donationum Imperialium author Conſtantinus fuiſſe dicitur. Quid verò primùm donauerit, de eo iure ambigitur. Sunt qui velint ante donationes Syluestro poſt baptiſmum factas Melchiadi dediſſe Lateranenſe Palatium, ideſt ſuas Imperiales in eo ſedes, anno ſui Imperij I. Melchiadis II. Ac ita ſcribit Baronius ad annum Chriſti 312. tomo 3. & rem omninò certam exiſtimat: eique Spondanus, & alij Compilatores Baronij, ac Seuerinus Binius in notis ad vitam Melchiadis Papę ſubſcribunt. Ego tamen diligenter inſpectis, ac expenſis huius ſententiæ fundamentis nullum firmum quo ea niti queat inuenio. Nam Epiſtola, quæ inſcribitur de primitiua Eccleſia, & munificentia Conſtantini, & Melchiadi tribuitur, parum facit ad cauſam, cùm ſuſpecta, immò & ſuppoſita videatur, eamque hoc nomine Baronius eiuſque Sectatores reijciant. Neque illa, ſi vera foret, de Laterano quicquam loquitur. Tantum ait: Conſtantinum Do-

Conſtantinus an primus donauerit.

Baron. Spond. Binius.

Laterani donatio? an & quādo facta.

naria,

naria, & fabricam Templi primæ Sedis, B. Petri Principis Apoſtolorum, inſtituiſſe, adeò vt Sedem Imperialem relinqueret, & Petro, & Succeſſoribus concederet. Quibus verbis nec exprimitur Lateranum, nec illud hoc nomine poteſt intelligi, ſi Baronij, & communis ſententia de Baptiſmi Conſtantini tempore vera eſt. Conſtat enim poſt Melchiadem Conſtantinum in Laterano habitaſſe. Igitur non reliquit Imperialem Sedem Lateranenſem tempore Melchiadis; atque adeò vel de eo non poteſt intelligi, vel ſi intelligatur, nonniſi de donatione facta Syluestro poſt baptiſmum intelligenda eſt, quando Conſtantinus & Palatio, & Vrbe ceſſit, & Byzantium conceſſit. Sed nulla eſto interim huiuſce Epiſtolæ, qui communis eſt ſenſus, authoritas.

Donatū Melchiad. qui & cur ſentiant. Videamus in quo fundetur Baronius, & ſequaces. Aiunt ſe id à certo, & priſco, & idoneo authore, & cuius fides probata ſit omnibus, accepiſſe. Ita Baronius teſtatur. Eſt autem is Optatus Mileuitanus: cuius teſtimonium adducit ex lib. 1. contra Parmenian. quo item vtitur Binius, & alij. Sed miror homines doctos hoc loco niti voluiſſe; qui rem certè non continet. Eo producto meam libero fidem. Agit Optatus de Concilio in cauſa Donati, & Cæciliani Romæ habito à Melchiade cum decem, & octo Epiſcopis, quod indici petierant à Conſtantino Imperatore per litteras Epiſcopi Donatiſtæ Africani. *Igitur conuenerunt*, inquit Optatus, *in Domum Fauſtæ in Laterano Conſtantino II. & Licinio III. Conſ. 6. Nou. Octobres die ſexta feria. Cum conſediſſent, &c.* Adducto huiuſmodi teſtimonio Baronius ſubiungit. *Collectum fuiſſe in domo Fauſtæ in Laterano; vbi fuiſſe Pontificis Romani Sedem nemo iure poterit dubitare.* Audio. Sed vnde nobis probat Baronius eam domum Melchiadis fuiſſe? Ac rurſum quomodo probat donatam à Conſtantino? Neutrum enim affirmat Optatus. Tantum narrat in domo Fauſtæ celebratum Concilium, eamque domum eſſe in Laterano. Igitur eo loco minimè fulcitur Baronij, & Binij ſententia. At, inquiunt ambo. *Quorſum extra domum Melchiadis Synodus cogeretur, aut cur ampliora ædium ſpatia requirerentur ad exiguum conuentum Epiſcoporum?* Coniecturis ergo agunt, non authoritate Optati, quam afferebant. Inſpiciamus coniecturas. Leues omninò ſunt. Prima etiam improbabilis. Nam ſi Concilium, quod patet, opera Conſtantini ad id à Donatiſtis roga-

Marginal notes: Baron. (beside "Aiunt"); Optatus Mileuit. (beside "Optatus, in"); *Expenditur Optati locus.* / Baron. (beside "bat Baronius"); *Examinatur & confirmatur.* (beside "Leues omninò")

rogati cogebatur, ab eodem videbatur locus aſſignandus. Aptior autem eſſe non poterat, quàm pars illa Palatij ſui, vbi erat domus Fauſtæ. Itaque intra Imperiales ædes celebratum: non quòd domus eſſet Melchiadis, ſed quòd Imperator voluit Epiſcopos domi ſuæ congregare. Eſſe autem Lateranenſe Palatium domum Conſtantini, patet ex eo, quòd ibi Syluestri poſtea Pontificis tempore habitabat, vel ipſomet Baronio teſte ad annum 315. Imò & Fauſtam ibi etiam eo anno, & reliquo vitæ tempore habitaſſe compertum eſt, cum ante necem Criſpi vxor Imperatoris cum viro eſſe deberet. Cædes autem Criſpi longè poſt mortem Melchiadis euenit, ideſt anno 11. Syluestri. XIX. Conſtantini, iuxta ſupputationem Baronij. Quid, quòd ipſa verba Optati Fauſtam ibi habitare ſignificant. Ait quippè: *In domum Fauſtæ:* non, *quæ fuerat Fauſtæ*. Video eſſe coniecturam, ſed in ſtatu coniecturali ſumus, & coniecturas alienas refutamus. Pergo: Si Conſtantinus Lateranenſe Palatium Melchiadi dediſſet, tranſiſſet donatio ad Syluestrum, & hic in eo habitaſſet, ac celebraſſet Concilia. Tenet ratio conſectanei. Sed neutrum eſt ſecutum: corruit igitur & quæ in ea nitebatur coniectura Baronij. Patet autem aſſumptio: nam nec Syluester in Laterano habitauit ante Baptiſmum Conſtantini, authore Baronio, nec in eo vllum habuit Concilium: quemadmodum ex ijs quæ celebrauit apparet, ſi tamen ea ante baptizatum Conſtantinum habita ſunt. Et quidem compertum eſt Conſtantinum coluiſſe Palatium Lateranenſe, tempore quo baptizatus fuit, nec ante donaſſe ædes Imperiales, quàm Baſilicam in ijs condidiſſet: vti in Sacris Lectionibus Diuini Officij recitamus die 9. Nouembris: vbi ſic. *In ſuo Lateranenſi Palatio Eccleſiam Saluatoris dedicauit, & continentem Baſilicam nomine Sancti Ioannis Baptiſtæ condidit, eo loco quo ipſe baptizatus à Syluestro à lepra mundatus eſt, quam idem Pontifex conſecrauit*. Quomodo ergo ædes illæ in poteſtate Melchiadis erant? tantò ante eidem donatæ ab eodem Conſtantino? Et quomodo illud, *ſuo Lateranenſi Concilio*, cum alienatione per donationem facta conſiſtit.

Baron. — *Impugnatur contraria ſententia.* — *Refellitur.* — Breuiar. Rom.

Ex quo deducitur ædes Imperiales cum Palatio non fuiſſe donatas Melchiadi. Si quid donatum fuit, ad ſummum pars Palatij, ideſt ædes Fauſtæ eſſe potuit, quæ aliqua pars erat Laterani, vti verba indicant, *in Laterano*, ideſt in eo loco, ſic

à Do-

à Domino domus appellatò ſita. Verùm ne illa quidem pars donata fuiſſe Melchiadi à quoquam antiquo authore traditur, & ex dictis hactenus apparet.

Coniectura quædam Baronij confutatur. Infirma præterea eſt alia Baronij coniectura: domum fuiſſe Melchiadis, in qua coactum eſt Concilium. Quot enim Concilia in alienis domibus celebrata? Domum iam habebat Syluester, quando illa duo Romana Concilia in Thermis Traiani habuit. Calcedonenſe Concilium in Eccleſia Sanctæ Euphemiæ extra Vrbem in ſuburbijs collocata factum legimus. Quinta, & Sexta Synodi in Palatio eo loco, qui Secretarius dicitur, habitæ ſunt. Immò plerumque Imperatores ſuas ædes Imperiales Concilij Patribus aſſignabant: quemadmodum ex his proximis, & Quiniſexta Synodo apparet, quæ ab eo loco Palatij *Trullana* dicta. Quo noſtra ſententia ſtabilitur, & Baronij infirmatur: nam ideò fortaſſe in domo Fauſtæ coactum Concilium, quòd eam Conſtantinus Melchiadi, & Patribus aſſignauit, à quo cæteri Imperatores didicerunt. Tandem quis non videt infirmum argumentum eſſe? Congregatum eſt Concilium in domo Fauſtæ à Melchiade: ergo illa erat domus Melchiadis. Iam verò alia coniectura illis concepta verbis. *Alia euertatur.* *Quorſum enim quæſo extra domum Melchiadis Synodus cogeretur, & ampliora ædium ſpatia requirerentur ad exiguum conuentum decem tantum, & nouem Epiſcoporum quos idem Optatus numerat:* leuis eſt, ac minimè idonea. Nam magnam ſatis eſſe domum oportuit, quæ decem, & nouem Epiſcopos, cùm ſuis adminus Cubicularis exciperet; qualem certè non exiſtimo id temporis Melchiadem, anguſtis adhuc Eccleſiæ rebus, habuiſſe; quòd ſi neget Baronius eos Epiſcopo, in eam domum ad habitandum, vel manendum eſſe receptos, & affirmet eos dumtaxat ad conſultandum veniſſe, & iterum peracta conſultatione redire domum ſuam ſolitos eſſe: non parua certè debuit eſſe Aula in qua tot Epiſcopi ſedilia haberent, & cum alijs miniſtris Concilij conuenirent. Qualis in priuata habitantis arctè domo vix eſſe potuiſſet. *Baron.* Præterea quid opus eſt ad conditionē domus recurrere? Conſtantinus, qui natura munificus erat, & commeatus, & vehicula Epiſcopis ad Concilium venientibus dare, & poſt conuentum eoſdem dum conſultabant alere ſolebat, voluit eos in partem ſui Palatij accipere, & domum Fauſtæ ijs aſſignare, in qua & habitarent, & conſultarent. Quare iudico il-

Authoris ſententia.

lum

lum vſuram Palatij ad habendum Concilium Epiſcopis conceſſiſſe, non ipſum Palatium Melchiadi donaſſe.

Rem hic magni momenti Lectoribus volo proponere. *Ante Conſtātinū Eccleſia Romana dominiū habuit temporale.* Circa tempus Baptiſmi Conſtantini initium habuiſſe certas donationes à certo authore profectas, ideſt Imperatore, ac Principe. Verùm illud conſtare ante Conſtantinum Eccleſiam Romanam, & prædia, & fundos, & villas, & iura cum dominio directo, vt aiunt, & vtili habuiſſe: atque adeo ante Syluestrum, nimirum tempore Melchiadis ſub Maxentio. Hoc debeo, ei quem ſemper in oculis, & corde habeo Auguſtino. Apud quem in Breuiario Collationem
Auguſt. cum Donatiſtis Collat. 3. dicitur *Melchiadem miſiſſe Diaconos cum litteris Maxentij Imperatoris, & Præfecti Prætorij ad Præfectum Vrbis, vt ea acciperent quæ tempore perſecutionis ablata memoratus Imperator Chriſtianis iuſſerat reddi*. Et rurſum perſpicuè. *Donatiſtæ dixerunt Stratonem Diaconum, quem cum alijs Melchiades ad recipienda loca Eccleſiaſtica miſerat eſſe traditorem, &c. Loca* dicit. Planè, & *Prædia*, & *Villas*, & fortaſſe *Oppida*: nam hoc ſonat vox *Loca*. De quo poſtea redibit ſermo. *Maxentius donauit Eccleſiæ Romanæ.* Nunc illud vendico Romanam Eccleſiam ante Conſtantinum, & Syluestrum rerum temporalium iuſtum, & plenum dominium habuiſſe. Quod ſi reſtituere, ac reddere donare eſt, primum qui Eccleſiæ donauit, quis crederet? Maxentium Imperatorem fuiſſe. Sed de his hactenus. Cætera ad ſequentem diſceptationem reſeruamus, quæ de Baptiſmo Conſtantini inſtituitur, quòd ſit cum donatione connexa.

CAPVT II.

De Baptiſmo Conſtantini. Quando vbi & à quo baptizatus fuerit? Duplex ſententia.

Ratio quæſtionis. NIhil opinor, maius negotium ſcribentibus exhibet, quàm de Baptiſmo, & quæ cum eo nexa eſt donatione Conſtantini hiſtoria. Id ego ſum & legendo, & ſcribendo haud mediocriter exercitatus, magno meo labore expertus. Cuius vt compendium Lectores faciant, quæcunque eos diſperſa, & diſiecta fatigare poterant, collecta, & ordinata pro meo in eos ſtudio, propono.

Sententia. Duæ hactenus feruntur de tempore Baptiſmi Conſtantini ſententiæ. Tertiam nunc inducam à me non excogitatam, ſed inuentam, & poſt inuentionem formatam, & argumentis ſtabilitam: quam ſuſcepto ſtudio ad finem reſeruabo, vt cum duarum difficultates inter proponendum expendero, neceſſitas inueniendi tertiam appareat: ac ea legentibus gratior accidat, qui cum deſiderent modum, & rationem euadendi ex ijs difficultatum, quibus premebantur, anguſtijs, reperire, inſolentiam, in qua erit nouæ ſententiæ inuentione remedij excuſabunt, & ex eo capient voluntatem.

Prima baptizatum fuiſſe paulo ante mortem. Prima igitur ſententia eſt Conſtantinum in fine vitæ ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo in eadem Vrbe baptizatum. Huius præcipuus eſt author Euſebius Cæſarienſis lib. 4. cap. 61. & 62. de vita Conſtantini. Sequitur Hieronymus in Chron. Theodoret. lib. 1. cap. 31. & 32. Caſſiodor. Pompon. Lætus. Seuerus Sulpit. Iſidor. in Chronicis. Aymon. lib. 9. cap. 7. Herman. & Ioan. Camerar. in Catal. Imperat. cap. 1. Cuſpinian. in Caſſiodor. & communiter Græci, & Heterodoxi, & nonnulli è noſtris, quos in curſu diſputationis referemus. *Euſeb. Hieron. Theod. Socrat. Sozom. Caſſiod. Seuer. Iſidor. Aimon. Camer. Criſpin.*

Præter hos authores, qui fidem rei narrando faciunt, ſunt magna momenta duo in ſententia Ambroſij, & in Epiſtola Synodi Ariminenſis ad Conſtantinum Imperatorem. Nam ſic Ambroſius orat. in funere Theodoſij loquens de Conſtantino. *Cui licet Baptiſmi gratia in vltimis conſtituto omnia peccata dimiſerit: tamen quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem Fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* *Ambr.* *Locus Ambroſij.*

rit. Perſpicuè dicit Conſtantinum illum Magnum, qui primus Fidei oſtium Imperatoribus ſibi ſucceſſuris aperuit in fine vitæ, ideſt *in vltimis conſtitutum* baptizatum fuiſſe, eique omnia per baptiſmum peccata dimiſſa, multumque meruiſſe apud Deum, quòd primus Imperatorum baptiſmum ſuſceperit. Id vero in oratione publica affirmat Ambroſius, cui ſit omnino credendum. Epiſtolá verò Synodi quam refert Theodoretus lib. 2. cap. 19. Socrat. lib. 2. cap. 29. Sozomen. lib. 4. cap. 17. ſic. *Cum igitur intelligamus Conſtantinum Principem certè omnium poſterorum memoria poſt mortem celebrandum, diligenter elaboraſſe, vt Fides illa Niceæ litteris prodita accuratiſſimè propoſita, explorataque eſſet, abſurdum ſanè videretur, eò iam poſt acceptum baptiſmum vita functo, & ad tranquillitatem ſibi debitam profecto aliquid in ea nouare.* Quod videtur eſſe inuictum teſtimonium: nec infringitur eo quod dicit Baronius, & Binius, & Margarinus de la Bigne, & alij Baronij Sectatores *Pro Conſtantino, Conſtantem* eſſe legendum, quòd nimirum corrupta ſit ab aliquo impoſtore illa particula. Nam retinendum eſſe nomen *Conſtantinum* tenor epiſtolæ monſtrat. Præcedunt enim hæc verba de Conſtantino. *Abſurdum enim, immò nefas videbatur, quicquam commutare in illis, quæ rectè verèque definita eſſent, quæque fuiſſent ab omnibus in Concilio Niceno tui Patris Conſtantini Imperatoris illuſtriſſimo ſubſidio accuratè exquiſita, excuſſaque: quorum doctrina, &c.* Hæc propoſitio, & explanatio Fidei Nicenæ argumentum erat tractationis in Epiſtola: Ea verò propoſitio, & explanatio ad vnum Conſtantinum, eundemque refertur: hic autem erat Magnus, Pater Conſtantij, & Conſtantis. De hic ergo intelligendum, quod dicitur de Baptiſmo. Deinde illud Elogium. *Certè omnium poſterorum memoria celebrandum*: Minus quadrat in Conſtantem, cùm Conſtantino prorſus conueniat. Prætereà non erat aptum conſtantis fratris exemplum ad perſuadendum Conſtantio, vt Fidem Nicenam ex integro profiteretur, & propalaret. Conſtantini autem Parentis erat aptiſſimum, & propter authoritatem erga Filium, & propter præſentiam in eo Concilio, cuius ille congregandi cum Sylueſtro Pontifice author fuerat. Inſuper modus ipſe loquendi perſpicuè ſignificat, hæc poſteriora ad priora illa eſſe referenda. Narrauerant prius quę Conſtantinus contra Arianos pro Fide Catholica geſſerat, & quę

Synod. Arim. Theod.

Teſtimonium Synodi Ariminenſis.

Baron. Bin. Marg.

Expenditur, & ſuſtinetur

ex ijs è re Catholica erant conſecuta, ex quibus inferendo aiunt: *Cum igitur intelligamus Conſtantinum*: Eundem reuocantes, quem propoſuerant, non alium diuerſum adſciſcentes, in quem non cadebat vox *igitur*, quæ ex iactis concludit id quod propoſuerat in præcedentibus. Adijce quod nulla ratio erat idonea inducendi baptiſmum Conſtantis, cùm nec perſona ad cauſam faceret, nec tempus baptiſmi, & morbi in eum quadraret, nec ille viam aperuerit Chriſtianis Imperatoribus, ſed Pater Conſtantinus. Tandem rem conuincit id quod in fine Epiſtolæ aiunt. *Flagitamus ne quid vel detrahatur veteribus Decretis, vel omnino adijciatur; ſed omnia, tum quòd Patris tui Pietas idem poſtulabat, tum quòd vſque ad hoc tempus obſeruata fuerunt rata firmaque permaneant.* Omnia ad Patrem Conſtantinum in hac Epiſtola referuntur. Illius tantùm ratio habetur. Illius Decreta commemorantur. Nulla Conſtantis fit mentio: nec apud Fratrem Conſtantium, aut debebat fieri, aut decebat, nec huius Conſtantis vlla fuiſſe Decreta legimus, nec vt fuerint, *vetera*, dici debuerunt, ſed noua, & recentia. Itaque coniectura Baronij, & ſequacium refutatur, & Conſtantini nomen retinendum, cum de illo Patres Ariminenſes in Epiſtola, non de Conſtante loquantur. Qui omnino authores ſunt Conſtantinum ſub vitæ finem baptizatum. Accedit ratio idonea, quam addunt Hieronymus in Chronico, & Theodoret. lib. 1. c. 31. differendi ad illud tempus baptiſmum, quòd vellet in Iordane baptizari: cùmque id per bellicas expeditiones, & curat publicas non liceret, producendò occaſionem expectabat, donec morte præuentus Nicomediæ vrgente neceſſitate baptizari coactus eſt. Quę certè coniectura hanc ſententiam reddere probabilem videtur.

De Conſtantino intelligendum eſt teſtimonium.

Hieron. Theod.

Mouerunt hæ, opinor, rationes viros nonnullos noſtræ ętatis doctiſſimos ad ſentiendum contra communem ſenſum Chriſtianæ Reipub. Itaque cenſuerunt Conſtantinum in extremo illo morbo, à quo deceſſit, baptizatum. Inter quos fuit Cardinalis Perronius in Reſponſ. ad Reg. Anglię, & Dionyſ. Petauius in Ration. temporum, dum alterius ſententię nullam ne mentionem quidem facit, & hanc Euſebij ſolam proponit; ac imprimis recens author, nuper mortuus, vir, & pietate, & doctrina eximius Lucas Holſtenius Vaticanæ Bibliothecæ pręfectus, & Sancti Petri Canonicus, qui mihi

Perron. Petau.

Holſt.

hac

hac de re ſtudioſè, & anxiè (ſicut meus mos eſt cum de rebus grauibus diſputo) inquirenti, confirmauit, ſibi perſuaſum eſſe Conſtantinum ſub vitę finem baptiſmo tinctum fuiſſe. De quo & dolui iuxtà, & miratus ſum, quòd nollem tantum virum contra Romanam, & Eccleſiaſticam (ſic ei reſpoſui) traditionem ſentire.

Altera non tam ſententia, quàm traditio eſt: Conſtantinum Romę integra ętate haud longè ab initio Imperij à Syluestro ipſo Summo Pontifice baptizatum. Hanc tenet Eccleſia Romana, & Baſilica Prima Lateranenſis, vel mutam confirmat oſtenſo, & repræſentato baptiſterio, quod ibi quotidie mirè exornatum conſpicimus. Sed nobis Romæ degentibus oculi ſufficiunt; abſentibus authores damus. Hos (quo ſum candore animi) diligenter enumerat Iodocus Coccius tom. 1. in titulo de Hierarch. Eccleſiaſtica art. 9. verbis adductis. Ex Græcis Theophan. Ceram. in Chronogr. Metraph. in vita Sylueſtri. Zonar. in Conſtantino. Georg. Cedren. in eodem. Michael. Glycam pag. 4. Annal. Nicephor. Calliſt. Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 7. cap. 35. Gennad. Scholar. defenſ. Conc. Florent. cap. Menolog. Græcor. E Latinis Concil. Roman. ſub Sylueſtro I. Acta Sylueſtri apud Vincent. Burgund. lib. 13. cap. 47. Damaſum in Syluest. Hier. ſiue Authorem Epiſt. ad Euſtoch. Gelaſium Papam in Decreto de Apocryph. ſcript. dum recipit Acta Sylueſtri. Gregor. Turonenſ. Hiſt. Franc. lib. 2. cap. 31. Aldhelmum de Virgin. cap. 12. Bedam de ſex ætat. mundi in Conſtant. & ſerm. de Inuent. S. Crucis. Adrianum I. Epiſt. ad Conſtant. & Iren. Vvandilbertum Diacon. in Martyrolog. 31. Decembr. Hincmar. in vita S. Remigij. Nicol. I. Epiſt. ad Michaelem Imperat. Anaſtaſ. Bibliothecarium. Adon. Viennenſ. in Chron. Aetat. 6. Hugon. Floriac. in Chron. de Conſtant. Leonem IX. Papam Epiſt. aduerſus præſumpt. Michael. & Leon. Marian. Scot. in Chron. Anno 321. Berengoſ. Abb. de Inuent. & Laude S. Crucis lib. 2. cap. 4. Honorium Auguſtodun. in ſpeculo Eccleſiæ de Inuent. S. Crucis. Hugon. Victorin. Excerpt. prior. lib. 8. cap. 1. Otthon. Friſing. lib. 4. Chron. cap. 1. Godfrid. Viterb. pag. 16. Chron. Helinand. De S. Geryone, & alijs Martyrib. Innocent. III. ſerm. S. Sylueſtr. Conrad. Abbas Vrſpergenſ. in Conſtantino. Guilhelm. Aluern. De Sacrament. in genere cap. 2. S. Thom. Aquinat. par. 3. Summę q. 69. art. 8. de effect. Baptiſ-

Secunda ſententia baptizatum à Sylueſtro ſummo Pontifice.

Coccius

Author. Græci.

Author. Latini.

Series authorum eam tradentium.

Baptiſmi. Iacob Genuenſ. ſerm. de S. Sylueſtro, Nicolaum III. Papam. De Elect.& Electi poteſt. cap. 17. Nicolaum Lyran. Apocal. cap. 7. Martin. Polon. in Syluestr. & in Conſtant. Albert. Patauin. ſerm. 142. Matth. Vveſtmonat. in Chron. anno 310. Gregor. XII. Papa Conſtit. 1. Bernardin. Senenſ. tom. 1. Serm. 1. art. 2. cap. 4. De Chriſtianæ Fidei firmitate Platina in Marco Carol. Sigon. Hiſt. de Occident. Imper. lib. 3. de Baptiſmo Conſtant. Apud quem ſunt verſus quidam Prudentij hoc ſignificantes. Affert præterea duos Græcos authores Ethnicos, qui obſcuriùs loquuntur, ſed hoc ipſum indicant. Ammian. Marcellin. lib. 27. cap. 2. & Zozim. lib. 2. de Conſtantino.

Edicti, & donationis Conſtantini authores.

His accenſendi omnes ij, qui admittunt Edictum Conſtantini de donatione, in eo quippè inſerta eſt Hiſtoria de baptiſmo Romæ à Sylueſtro facto. Eos accuratè recenſet, Franciſcus Burſatus lib. 1. Conſil. conſil. 124. vbi numerat vndecim Summos Pontifices, Sanctos, atque Theologos ſex. Imperatores tres Græcos. Latinos ſex. Hiſtoriographos viginti. Legum, & Canonum Decreta decem. Canoniſtas Doctores viginti duos Legiſtas, quadraginta ſeptem. Ex varijs viginti quatuor, quam ſummam auget ipſemet Burſatus. Ego quos vidi, & recognoui Authores produco. Berengoſium Abbatem de Inuent. Crucis lib. 3. in quo Baptiſmum Conſtantini Romæ, cúm omnibus quæ in Actis Sylueſtri narrantur adiunctis refert. Cardinalem Reginaldum Polum de Baptiſmo Conſtantini, paruo ad finem libelli de Concilio opuſculo Caietan. commentar. in S. Thomam 3. p. q. 69. art. 8. Canum de locis 11. cap. 5. Couarr. practic. cap. 31. num. 2. Lippom. & Surium in vita Sylueſtri. Henriquez lib. 2. de Baptiſmi Sacram. cap. 4. Baronium in Martyrolog. ad vitam Sylueſtri, & in Annal. tomo 3. ad annum 324. & ibi Spondan. & Biſciol. Sabellicum Ennead. 7. Seuerinum Binium in notis ad Concilium Nicenum. Azor. inſt. par. 2. lib. 4. c. 11. Bellarmin. lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 17. & lib. 5. cap. 9. & Cæſarem Raſponum in ſuo recenti, & erudito de Baſilica, & Patriarchio Lateranenſi opere lib. 2. cap. 1. & 2.

Burſat. Bereng. Reginal. Pol. Caietan. Cano. Couar. Lipp. Surius. Henr. Baron. Spond. Sabell. Binius. Raſpon. Azor. Bellar.

Traditione baptiſmus Cōſtantini Romæ ſuſceptus probatur.

Ex hac ſerie authorum deducitur manifeſta traditio, perſpectis enim, qui numerantur à Sylueſtri tempore ad noſtram vſque ætatem Scriptoribus, & ſingulis in ſuos annos coniectis, apparet iſta continuata, quaſi per manus

nus accipientium, & reddentium fides, publicis inſtrumentis ſcriptorum teſtata: quæ nouum, & idoneum genus traditionis eſt, multò maioris, quàm ſit memoriæ, quæ ſilentio premitur, & nullum poſt ſe relinquit impreſſum veſtigium authoritatis. Verùm operæ pretium duco, nonnulla ex his teſtimonijs in argumenti formam redigere.

Concil. Rom. Primum eſt Concilij Romani ſub Syluestro Secundi in Thermis Traiani habiti capite 1. vbi ſic. *Eodem tempore cum multi nobiles gauderent, quòd Conſtantinus baptizatus à Syluestro Epiſcopo Vrbis Romæ, & mundatus fuiſſet à lepra, &c.* Vnde cauſa Concilij, & origo fuit. Huic autem ſubſcribunt Conſtantinus, & Helena Mater. *Ex Concilio Romano ſecundo.*

Acta Sylu. Secundum Actorum Syluestri, quæ probantur à Gelaſio Papa in Concilio Romano, apud Seuerinum Binium tom. 3. Concilior. p. 501. in quibus inuenitur Edictum Conſtantini, quod ſuo item loco aſtruemus. *Ex Actis Syluestri.*

Acta Liber. Henr. Tertium Actuum Liberij, quæ idoneę ſunt authoritatis, & grauiſſimis Scriptoribus probata, cuiuſmodi eſt Henriquez lib. 2. de Baptiſmo cap. 4. in ijs quippè cap. 1. & 46. refertur hæc de Baptiſmo Conſtantini hiſtoria.

Synod. VII. Quartum habetur in litteris Adriani I. ad Conſtantinum, & Irænen Imperatores, quæ ſunt inſertæ Synodo VII. Act. 2. & fidem publicam habent. In ijs author eſt Adrianus eorum quæ in Actis Syluestri, & Liberij narrantur de ſeceſſu Syluestri in Montem Soractem: de viſione Conſtantini: de repræſentatione Imaginum Petri, & Pauli: deque Baptiſmo eiuſdem Conſtantini à Syluestro facto. Quæ item pars de ſpecie illorum Apoſtolorum Conſtantino exhibita refertur in eadem Synodo ad finem: vbi ponitur Epiſtola 3. Adriani ad Carolum Regem, vti videre eſt in exemplo 7. Synodi 1. par. tom. 3. Concil. in collect. Binij fol. 118. & 128. *Ex Actis Liberij.* Adrian. I. Papa. *Ex Epiſtola Adr. P. I.*

Nicol. I. Papa. Quintum ſuppeditat Nicolaus I. qui floruit anno 854. cuius hæc ſunt, Epiſtola 8. ad Michaelem Imperatorem, verba. *Sanctus Syluester, & Magni Conſtantini baptizatur Augusti.* *Ex Nicol. I.*

Leo IX. Sextum ſumitur ex Leone IX. qui vixit anno 1048. qui in litteris ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum ideſt Epiſt. 1. refert totum Edictum Conſtantini, & donationem, & baptiſmum cum omnibus circumſtantijs, ibi commemoratis: & ſeorſim ponit hanc particulam. *Beatiſ-* *Ex Leon. IX*

ſimo,

ſimo, & Apoſtolico Pontifice Syluestro diuinitus decernente ſpiritualique eius Filio Conſtantino.

Ex Bonifacio VIII. Septimum præbet Bonifacius VIII. Anno Chriſti 1296. in cap. *Fundamenta.* §. *Sin autem.* De Elect. in 6. vbi affirmat.

Ex Clem. VI. Octauum eſt Clementis VI. Anno 1342. in extrauag. commun. titulo de Pœnit. & remiſs. cap. *Vnigenitus.* verſiculo *ſtatuentes de fratrum conſilio*: ibi. *Conſtantinus poſtquam per Beatum Syluestrum Apoſtolos cognouit, renatus ſonte baptiſmatis Baſilicas, & Eccleſiam Lateranenſem conſtruxit.*

Ex Gregorio Turon. Nonum ex Gregorio Turonenſi Gregorij Magni coætaneo afferre volo authore ſancto iuxtà & graui. Hic lib. 2. cap. 31. loquens de Baptiſmo Clodouei I. Regis Francorum Chriſtiani: *Procedit*, inquit, *nouus Conſtantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum, ſordenteſque maculas geſtorum antiquorum recenti latice deleturus.* Quamuis enim de Sylueſtro ſileat, nominata lepra ſatis ſignificat cætera, quæ de baptiſmo eius Romæ per Sylueſtrum collato narrantur, probare.

Ex Breuiario Romano. Decimum habetur in Breuiario Romano, quòd ſummæ fidei, & propè Sacræ authoritatis eſt. Nam vltimo Decembris in Lectionibus ſecundi nocturni vitæ S. Sylueſtri Conſtantini baptiſmus refertur, quemadmodum in Actis Sylueſtri ponitur, & ab Adriano I. & Leone IX. in Epiſtolis affertur. Et 10. Nouembris in Anniuerſario die Dedicationis Baſilicæ Saluatoris eadem de Baptiſmo Conſtantini à Sylueſtro, & mundatione per illum à lepra hiſtoria legitur, in ſecundo nocturno, lectione ſecunda. Verbis ſuperſedeo, quòd obuia ſint Sacrum officium recitantibus. Hæc ſecunda ſententia vera eſt, nec de illa, opinor, quis, ſi proximè à nobis adducta argumenta conſideret, poterit prudenter ambigere. Loquor autem de rei veritate, præſcindendo, vt aiunt, à quibuſdam circumſtantijs, comitantibus rem, ſiue tēporis, ſiue loci, ac imprimis lepræ, & huiuſmodi alijs, quas poſtea examinabimus. Igitur illud ſtatuendum Conſtantinum non ſub finem vitę, Nicomedię ab Euſebio, ſed initio ſui Imperij Romę à Sylueſtro baptizatum. Et hoc extra controuerſiam pono, atque adeò veriſſimum iudico, & ſic quæſtioni in hoc capite excitatæ reſpondeo.

CA-

CAPVT III.

Refellitur ſententia Euſebij, & authoribus, & argumentis ex ijs petitis reſpondetur.

SI hæc noſtra de baptiſmo Conſtantini initio Imperij ſententia deſtituta eſſet authoribus, & antiquis, & idoneis, non auderem eam contrariæ præferre. Sed cum tantam nubem illuſtrium adhibeat authorum, quorum altera cum multitudine obruitur, tum luminibus hebetatur, non dubitabo, quin eam & ſequar, & amplectar. Itaque Euſebio, qui alterius author vel fuit, vel exiſtimatur, & paucis, qui aſſentiuntur, tot Pontifices, tot Concilia, tot Hiſtoricos, tot diuerſarum facultatum peritos viros opponere non verebor. Equidem multo maius ineſſe pondus exiſtimo in Romanæ Eccleſiæ authoritate, & communi traditione Reipub. Chriſtianæ, quàm in calculo Euſebij, & Sectatorum. Atque hæc prima reſponſio, vel integra ſtante fide & Euſebij, & aliorum eſto.

Prima reſpõſio à maiori authoritate ſumitur.

Secunda ſit. Infirmando ſingula teſtimonia. Quòd attinet Euſebium, animaduerto cum pluribus, ac imprimis Reginaldo Polo, *eum* ſcripſiſſe illam hiſtoriam Conſtantini, in gratiam Conſtantij, Arianum ipſum, ad alium Arianum. Itaque vt ei palpum obtruderet, & ſuæ hæreſi fidem conciliaret, illud finxit de baptiſmo Conſtantini. Et quanquam ille non dixerit baptizatum fuiſſe ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo Ariano, vti obſeruat Photius, tamen ſatis id ſignificauit, & Hieronymus in Chronico expreſſit.

Regin. Polus.

Secunda eleuat authoritatem Euſebij.

Photius. Hier.

At obijcies videri nimiam audaciam, immò & impudentiam Euſebij illud commentum obtrudentis, quo tempore Romæ recens erat baptiſmi memoria, & ipſa illius monumenta extabant. Verùm qui expendat illius temporis turbationes, bella, & tumultus, & Arianarum partium potentiam, Imperij Græci à Latino diuiſionem, eorumque inter ſe oppoſitionem, & diſtantiam, non mirabitur locum fuiſſe Euſebio illud fingendi. Illa omnia ita occupabant ſenſus, vt aditus omnes ad alia occluderent; quæ ingerebant factiones, & partes, illa inhærebant. Cuius rei illud eſt idoneum argumentum, quòd Ariani auſi ſunt vnum integrum Concilium

Obiectio pro parte Euſebij eliditur.

lium comminiſci, quod Sardicenſi opponerent; & cum Philippopoli à paucis eſſet celebratum, cum illo magno ita confuderunt, vt ſuum Sardicenſe dixerint, & pro alio illo ſuppoſuerint, & multos ea ratione deceperint. Quantò magis hoc eſt mirandum, quàm illud Euſebij paucis lineis in codice exarandum? Finxit illud Euſebius, non modo Arianus, ſed ſignifer, vti eum vocat Hieronymus, Arianorum, aut aliquis Arianus in eius ſcripta inſeruit. Nec ille hoc ſolum commentus eſt, ſed alia multa de quibus iterum recurret ſermo. Equidem, vt nunc obiter dicam, legens authores Ethnicos, tum eos, qui Hiſtoriam de geſtis à Conſtantino ſcripſerunt, tum eos, qui Panegyricos ei dixerunt, non pauca in ijs deſidero eorum, quæ Conſtantino tribuit Euſebius. Cui duo ſcribenti videntur eſſe propoſita: vnum Conſtantino mira è cælo prodigia, & euenta tribuere, vt glorioſa eius initia, & religioſa faceret; alterum eam gloriam, & religionem ad Arianiſmum conferre, vt multos in partes ſuas traduceret. Hactenus de Euſebio. Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Euagrius, Sulpitius, Caſſiodorus, Iſidorus, Aymonius, Euſebium ſunt authorem ſecuti. Quibus mirum non eſt Hæreticos adhæſiſſe more ſuo, pro inſigni in Romanam Eccleſiam odio.

Euſeb.

Euſebij fides infirmatur.

Theod.

Superſunt duo Patres Hieronymus, & Ambroſius, qui certè aliquid negotij faceſſunt. Verùm non cogunt ad ſalebras hærere. De Hieronymo illud dixero. Eum in Chronico ſecutum omnino Euſebium; atque adeò non tam ſuo, quàm alieno ſenſu locutum, quemadmodum etiam fecit Aurel. Caſſiodorus, qui collector potiùs hiſtoriæ fuit, quàm author.

Hieronymo reſpondetur.

Hier.

In Ambroſio maior vis eſt. Verùm animaduerto Ambroſium Cathecumenum, & Laicum Roma exijſſe, atque adeò minus Chriſtianarum rerum peritum. Præterea Græcas litteras & noſſe, & amaſſe, & illorum authorum Lectione, & interpretatione delectatum fuiſſe: quemadmodum apparet ex libris Hexameron, quos fermè ex Baſilio traduxit in Latinum ſermonem. Vnde probabile eſt cum in Euſebij hiſtoriam incidiſſet, illi adhæſiſſe. Tandem obſeruo in illis Ambroſij verbis eſſe difficultatem, itaut locus videatur corruptus. En is. *Cui licet Baptiſmi gratia in vltimis conſtituto omnia peccata deleuerit, tamen quòd primus Imperatorum*

Ad teſtimonium Ambroſij reſponſio.

Ambr.

ratorum

ratorum credidit , & poſt ſe hæreditatem Fidei dereliquit , magni meriti locum reperit . Conſtructio verborum poſtulat , vt prima particula vſque ad *tamen* contineat aliquid oppoſitum parti ſecundæ à ly *tamen* vſque ad finem , quòd per hanc auferatur , vel corrigatur . Nam vox *licet* ſignificat quiddam vitioſum , vel imperfectum in ea Conſtantini actione , & illa vox *tamen* implet , ac ſupplet per aliud , quod deerat in prima actione , vt ſit ſenſus . *Licet in Baptiſmo aliquid interuenerit meritis oppoſitum , id tamen ſuppletum eſt eo , quòd ille primus Chriſtianus Imperator fuerit* . Itaque vox *tamen* emendationem ſecum trahit illius *licet* . Nunc ad rem . Melius curreret ſententia interiecto , *non*, hoc modo . *Cui licet Baptiſmi gratia in vltimis conſtituto , non omnia peccata deleuerit , tamen quòd primus Imperatorum credidit magni meriti locum reperit* . Id eſt quamuis Conſtantinus poſt baptiſmum peccauerit , non eum comitante vſque ad finem vitę gratia baptiſmali, tamen præcedente ſuorum peccatorum pœnitentia , multùm meruit apud Deum , quòd primus ſit conuerſus Imperatorum. Hac ratione verò non ſequitur Conſtantinum fuiſſe baptizatum in fine vitæ , immò multò ante fuiſſe baptizatum. Conſtat enim eum poſt baptiſmum , cùm peccaſſet , tamen pœnitentem cum illa prerogatiua Primatus in baptiſmo ſaluum fuiſſe , & in eò multùm meruiſſe . Vnde ſequitur contraria ſententia , quæ tenet Conſtantinum , vel initio Imperij ſui , vel certè medio , vel ad minus multò ante obitum baptizatum .

Examinatur verba Ambroſij .

Primus ſenſus .

Video nihilominus retineri verba poſſe hoc ſenſu . Licet mortuus fuerit , cùm ſola gratia baptiſmali , & ſine peccato Conſtantinus , quia dilato baptiſmo ad vitę finem multa ſibi merita præcidit : tamen horum meritorum defectum ſupplet illa prærogatiua Primi Chriſtiani Imperatoris. Itaut paruis meritis reſpondeat illud magnum meritum , & vox *licet* , non ſignificat peccata , nec vitia Conſtantini , ſed parua merita ex dilatione baptiſmi .

Secundus ſenſus.

Non me fugit hic ſenſus . Sed vt verum dicam . Non ſatisfacit . Primò: quia ſupponit opera Catechumenorum cũ voto baptiſmi facta non eſſe meritoria ; immò eſſe facta in peccato; quòd neſcio an ſit conforme doctrinæ Conciliorum, & Eccleſiæ, docenti catechumenos in eo ſtatu manentes cum baptiſmi voto ſaluari : & ex hiſtoria S. Martini , & Eme-

rentianæ conſtat operā cathecumenorum Deo eſſe accepta. Quomodo ergo Ambroſius dicit, quaſi diminuens, & auferens merita: Licet baptiſmi gratia in fine vitæ iuſtificauerit Conſtantinum delendo omnia illius peccata? quaſi peccata ſolùm tunc haberet, & idcircò recurrit ad prærogatiuam illam primi Chriſtiani in ſolatium, & ſupplementum paucorum meritorum?

Impugnatur hic ſenſus.

Secundò: quia non cadit bene illa exceptio, *licet:* ſuper illam innocentiam baptiſmalem delentem omnia peccata? quæ enim maior puritas, & fœlicitas eſſe poteſt, quàm mori ſine vllo peccato, & cum innocentia baptiſmali? Quomodo ergo vituperandum erat illud, quaſi imperfectum quiddam, & ſupplendum per aliam virtutem, & Conſtantinus ex eo conſolandus, & erigendus?

Tertiò: quia ſemper manet dura, & incongrua illa ſententia retentis. *Licet*, & *tamen*, hoc modo. *Licet illi omnia peccata ſint dimiſſa, tamen per aliud magnum meritum inuenit.* Certè cui ſunt omnia peccata dimiſſa nō indiget illa voce *tamen*, nec ea opponi congruè debet, aut poteſt remiſſioni omnium peccatorum.

Cùm hæc igitur Lectio videatur inepta, & illa, quam adduximus apta, ſequitur Ambroſium noſtræ aſſentiri ſententiæ, quæ tenet Conſtantinum ante finem vitę ſuſcepiſſe baptiſmum.

Primus probatur.

Tandem aduertimus Ambroſium, ſi cùm Euſebio ſenſit, Hieronymo in eo eſſe contrarium, quòd exiſtimet Conſtantinum baptizatum fuiſſe ab aliquo Epiſcopo Catholico, non verò ab Euſebio Nicomedienſi Ariano. A quo ſi baptiſmum voluntarius, & cum eo communicans, quòd vult Hieronymus, ſuſcepiſſet: committeret peccatum Hæreſeos, & Schiſmatis; atque adeò non eius peccata delerentur; ſed augerentur: nec ſalutem aſſequeretur, cùm extra Eccleſiam ſalus non ſit, quemadmodum poſteà latiùs trademus, cùm narrationem illam Hieronymi expendemus. Maneat ergo Ambroſium, qui dicit Conſtantinum remiſſionem peccatorum omnium accepiſſe, & meritum primi Chriſtiani Imperatoris habuiſſe in communione Catholica baptizatum, & mortuum fuiſſe.

Ambroſius contradicit Hieronymo.

Supereſt reſpondere Epiſtolę Synodi Concilij Ariminenſis ad Conſtantinum. Non nego illam particulam. *Eo iam*

poſt

poſt acceptum baptiſmum vita functo de Conſtantino dici: eaque ſignificari eum in fine vitæ baptizatum. Sed nego id verè dici: cùm illa Synodus Arianorum haud dubiè fuerit: ac proinde mendax: vti etiam mendax eſt in ijs, quæ affirmat de Fide Nicena; quam vult eſſe ſuæ hæreſi conformem, & Conſtantio Ariano conſentaneam. Igitur vtrumque eſt falſum Fidem Arianam in eo Conciliabulo intruſam, & approbatam, eſſe acceptatam, & confirmatam à Conſtantino, & hunc in vitæ ſuæ fine baptizatum: quod perinde eſt, ac facere Conſtantinum hæreticum, & in hæreſi mortuum. Nihil itaque deducitur ex illo loco, niſi mendacium: nec mirum mentiri de baptiſmo Conſtantini Synodum, quæ de Fide Nicena, & Conſtantini mentita fuit. Finxerunt vtrumque in gratiam Conſtantij illi Epiſcopi Ariani. Vtcumque autem ſit de Ariminenſi Concilio, vnum ne, an duplex fuerit? etſi mihi perſuaſum ſit vnum tantùm fuiſſe (quemadmodum in tractatu de Concilijs perſpicuè, opinor, oſtendi) certè hoc de quo loquimur, ſcribente ad Conſtantium, Arianorum fuiſſe, conſtat ex Damaſo in Concilio Romano: ac ex Hilario lib. aduerſus Auxent. & lib. aduerſus Conſtantium, vbi ait. *In eo Catholicos ab Arianis eſſe deceptos*, & ex Baſilio ad Athanaſ. & Ambroſio Epiſt. 32. & ex Ruffino lib. 11. cap. 21. & ex Hieronymo contra Luciferianos, & in Chronico in quo ait. *Sublatum eſt de Symbolo nomen Homouſion*. Patetque omninò apud Auguſtinum lib. 3. contr. Maximinum cap. 14. vbi manifeſtè dicit illud Arianorum fuiſſe: eique opponit Nicenum tamquam contrarium, dicens, ſe non teneri Concilio Ariminenſi, ſed Niceno: ſicuti Maximinus Arianus non tenebatur Niceno, ſed Ariminenſi. Præterea lib. 1. c. 14. Maximinus in replica ad Auguſtinum ait. *In Arimino Patres noſtri dixerunt*. Arianus Epiſcopos Ariminenſes Patres *ſuos* vocat. Tandem lib. 3. cap. 14. ſic ait Auguſtinus. *Hoc eſt illud Homouſion, quod in Niceno Concilio firmatum eſt, quòd poſtea in Concilio Ariminenſi multis paucorum fraude deceptis Hæreticorum impietas ſub hæretico Imperatore Conſtantio labefactare tentauit*. Credat ergo huic Concilio Arianus, non Catholicus: cùm conſtet in illo tradi commenta, & mendacia componi. Ex quo apparet argumentum ex illa ſumptum Epiſtola nullum eſſe, quòd de Fide Nicena, & Conſtantini falſa prorſus, & indigna tradat, quibus ſimile eſt, quòd de il-

lius

Margin notes (left): Concil. Arim. — Damaſ. Hilar. Baſil. Ambr. Ruffin. Hieron. — Auguſt. — Hieron.

Margin notes (right): *Soluitur obiectio ex verbis Concilij Ariminenſis.* — *Veritas baptiſmi Conſtantini Romæ aſſeritur.* — *Concilij illius Ariminenſis authoritas nulla quia hæreticorum fuit.*

lius baptiſmo narrat. Hac ratione ruit tota illa moles oppoſitæ authoritatis.

Coniectura à deſiderio Baptiſmi in Iordane, qua ducuntur nonnulli, futilis eſt. Nam cur ſoli hoc Conſtantino venit in mentem; non alijs Imperatoribus? numquam eam cogitationẽ exquo primũ occurrit, abiecit? Tanti hęc erat, vt propter eam gratiam Chriſti differret, ſeque eam amittendi periculo exponeret? Si Iudæus eſſet Conſtantinus, ſuſpicioni locus eſſet. De homine Britanno, Romanoue, certè ab eo ſanguine alieno id nemo ſanus ſuſpicetur. Certè illud à quocumque ſit votum, ſuperſtitionem redolet. Si tamen illud inerat, & ſtimulabat deſiderium, cur non ante illud expleuit? Potuit ex quo bellauit contra Licinium. Potuit cum Bizantij fuit. Potuit cum eò Sedem Imperij tranſtulit. An non fuit Nicomediæ? Immò illic Licinium debellauit. Nempe ad extremum vitæ actum illud in Iordane lauacrum reſeruabat. Fluxum votum, & frigidum, quòd minimè vrgebat. Gelidius Iordanis aquis, quòd tantas moras tulit. Mirum quod à flumine currere non didicerit. Stetit immotum, lacui, quàm amni ſimilius. Aſphaltite dignum votum: non Iordane. Hæſit in illo bitumine. Quid ſi arſit igni nefario hæreſeos, & ſchiſmatis, cum in Arianum incidit baptizatorem? Quod narrant plerique cum Hieronymo, & Ariminenſibus: eumque fuiſſe Euſebium Nicomedienſem non pauci volunt. Næ illa aqua Iordanis optata occaſionem incendio prębuit. Salutares illæ aquæ non ad ſalutẽ, ſed ad gehennam præpararunt. Acerbas ſanè dilati baptiſmi pœnas luit. Conſumptus eſt incendio cum vndas anhelabat. Præſtaret in lutulento aliquo tingi, quàm tandiu purum illum Iordanis alueum expectare: ſi in eas Ariani Epiſcopi manus erat incidendum. Vanum profecto votum: commentum ſomnium. Addamus hoc Thalmudi portentum. Miſerum Conſtantinum, qui cum maximam vitæ partem in Eccleſia fuerit ſine baptiſmo, ex ea exijt cum baptiſmo, ac per ianuam Eccleſiæ exijt ex Eccleſia. Mirum ſi non ab oſtio, ſed in oſtio aberrauit: fontem quærebat in Iordane, vel in fonte Iordanem, ſed Nicomediæ lacum, in quem ſe exonerat, Aſphaltitem inuenit: & in mari mortuo magis, quàm ille eſt mortuus, ſepultus eſt, & conditus ad gehennam. Huc tandem recidit illa ſpecioſa coniectura: fictæ ſimilis authoritati Euſebianæ.

CA-

CAPVT IV.

Conſtantinum multò ante finem vitæ baptizatum fuiſſe plurimis, & certiſsimis argumentis oſtenditur.

QVibus hic vtar rationibus, eas à ſtudijs partium liberas eſſe volo, & è medio petitas, ita præciſo reſpectu ad priuatam ſententiam, vt nihil ſuſpicionis afferre poſſint. Nihil enim contrahent proprium traditionis Romanæ, nec quicquam aſſument ex ijs, quæ ab Euſebianis negari queant. Proponam primùm minus validas, & quæ coniecturæ potius ſint, quàm argumenta. *Ratio diſputationis.*

Prima ratio à Religione, ac pietate Conſtantini ſumitur, quam vel illis initijs conuerſionis ſuæ tot monumenta teſtantur Legum, Edictorum, Decretorum è Re Chriſtiana, & aduerſus Paganos, Iudæos, Schiſmaticos, & Hæreticos, quorum libri ſunt pleni. Et trophæorum, ædium, templorum, Baſilicarum, quæ abſentium oculis legendo repræſentantur, præſentium videndo occurrunt. Præterea ille ſingularis erga Crucem Chriſti, clauoſque, & Martyrum reliquias animi affectus, & illa Sanctorum tum viuorum, tum mortuorum obſeruantia, cuius teſtis fuit Antonius, illa ſui demiſſio, & abiectio in Concilijs, illa in eos Patres effuſa liberalitas, ille ardor tuendæ & Propagandæ Religionis Catholicæ, illud ſtudium excindendi Schiſmata, fouendi Pacem, firmandi charitatem. Quæ qui attentè conſiderare volet, iudicabit alienum eſſe à tanta pietate, & religione tandiù diſtuliſſe baptiſma, qui quam primum erat ſuſcipiendus. Certè illa mora pugnare cum illo feruore videtur, cùm præſertim tam longa cunctatio contemptum quendam præ ſe ferre videatur. Fingat ſe quiſque Conſtantinum, aliud ſanè ageret: quòd ſi illum de ſuo æſtimare velit ingenio, non dubito quin iudicet eum ſtatim omni mora præciſa baptizatum. Equidem ſi Conſtantinus eſſem, non paterer baptiſma differri. Poſſent hæc exaggeratius dici, ſed oratorem non ago. Reputet ſecum cordatus quiſque quid faceret, idque Conſtantinum feciſſe arbitretur. Neminem qui ſui ſit compos fore exiſtimo, quin mallet citò, quàm ſerò baptizari. *Argumentum à Religione Conſtantini.* *Idonea coniectura.*

Secunda ducitur à præclara Matris Helenæ pietate, quæ

non

non ferret illam Conſtantini Filij ineptam cunctationem, rogeret, ſtimularet, impelleret, adhiberet preces, miſceret lachrymas, vt igniculos deſiderij accenderet, quibus inflammatus Conſtantinus ad ſalutarium fontes aquarum properaret. Precaretur vel viua filium, vt ante mortem matris in Chriſto viueret; vel moritura, ne illo cum dolore mori ſe cogeret. Certè ægerrimè mortem, relicto Filio in poteſtate diaboli toleraret. Quereretur de Cruce ſibi à Filio ea ratione conſtituta, poſt illam glorioſam Crucis inuentionem: tormentum ſe, ac ſupplicium paſſuram, cùm de Crucis gloria cogitabat. Vindicaſſet quippè Grucem à ſitu, & ſitam in Conſtantino Crucem inueniſſet; non puto Sanctæ matris monitis, & precibus non obſecuturum Filium, etſi alijs imperaret. Venit mihi in mentem Monicæ Matris Auguſtini, quæ Filium ad baptiſmum, vel reſtitantem perduxit. At non tanti facienda erat Helena Conſtantino, quanti Monica Auguſtino? Nego. Niſi ſi Imperium peruertit naturam. Video ſanè Conſtantinum Helenæ obſequentiorem, quàm Monicæ Auguſtinum. Quanti matrem faceret illi Imperator narrant hiſtoriæ, Inuentio Crucis confirmat. Concilium I. & II. Romanum ſub Syluestro teſtantur. Certè Berengoſius Abbas in ſuis de Inuentione Crucis libris multa de officio Conſtantini erga Matrem Helenam tradit, ac eam cum Filio conregnantem facit. Iniuriam facit matri, qui negat baptiſmum Filio imperaſſe, quin & Filio, qui negat matri paruiſſe.

Optima ratiocinatio.

Auguſt.

Bereng. Abbas.

Tertia: Ignorat quid interſit inter catechumenum, & Chriſtianum baptizatum, qui affirmat Conſtantinum in fine vitæ, non antea baptizatum. Hoc argumento præciditur via ad elabendum excogitata, quæ vna eſt, & trita reſponſio: dicendo Conſtantinum fuiſſe cathecumenum ab initio, idque ſatis eſſe ad euadendas difficultates. Accuratius poſtea de hoc agendum, ſed nunc quod in rem eſt dicamus. Catechumenus non eſt Chriſtianus: nec Filius Dei adoptiuus, nec iuſtum Eccleſiæ membrum: extra eam eſt, quæ eſt viſibilis, & cum fidelibus non computatur. Igitur tantum differt catechumenus à baptizato, quantum non Chriſtianus à Chriſtiano, non fidelis à fideli, Seruus à Filio Dei adoptiuo: nam illa beneficia Chriſtiani, fidelis, Filij adoptiui per baptiſmum comparantur.

Idoneum argumentum.

In

In quo ſanè character eorum donorum ſignum imprimitur. Vnde catechumeni capaces non erant myſteriorum, ſeu Sacramentorum ſiue ij audientes, ſiue competentes eſſent,(nec enim modo diſtinctius agere volo) poſtea acturus, quemadmodum apparet ex Ambroſio lib. de ijs qui initiantur cap. 1. & Cyrillo Hieroſolymitano præfat. in catecheſ. & catech. 18. Euchariſtiæ omnino experſes erant: cuius loco Panem benedictum accipiebant, vti patet ex Auguſt. lib. 2. de peccat. mer. & remiſs. & tract. 11. in Ioannem, & Concil. Carthag. III. cap. 5. Quare Miſſæ Sacrificium ijs ex opere, quòd aiunt, operato non proderat: quæ communis Theologorum eſt doctrina accepta ex S. Auguſtino lib. 1. de origin. animæ cap. 9. & Chryſoſt. Homil. 69. ad popul. Antiochen. Vnde Concil. Brachar. I. can. 35. negat ſacrificium Miſſæ pro catechumenis offerendum. Idque tradit Vaſquez 3. par. tom. 3. diſp. 227. cap. 3. Et quidem iure; cum ij exorcizandi ſint in baptiſmo, & ab ijs diabolus exſufflandus: quòd neutiquam fieret, niſi forent in poteſtate diaboli. Itaque cum infidelibus potius, quàm cum fidelibus numerantur. Diſtinguunt autem ac excludunt à fidelibus Origen. contra Celſum, & Tertull. de præſcriptionibus, & Auguſt. lib. de fide, & oper. cap. 6. Immò & Azor. tom. 2. lib. 5. cap. 20. q. 5. & Cano de locis lib. 4. & Bellarm. lib. 3. de Eccleſ. cap. 3. eos omnino ab Eccleſia eijciunt. De quo nos aliàs diſputauimus, & mitius aliquanto ſenſimus. Nec deſunt, qui eos, non modo viuos ab Eccleſia, ſed etiam mortuos ab Eccleſiaſtica ſepultura excludant, & putant ita docuiſſe Ambroſium de obit. Valentiniani. Certè ita opinatur Paludan. in 4. diſt. 4. q. 3. art. 1. q. 3. Quòd ſi ſaluantur cathecumeni, qui moriuntur cum voto baptiſmi, quod fatemur cum Eccleſia Catholica, ideò eſt, quia tunc loco baptiſmi, quem ſuſcipere nequeunt, eſt illud votum, quod ſupplet rem, & Sacramentum baptiſmi, per quod fiunt chriſtiani, & fideles, quæ ratio non militat in vita, quando baptizari poſſunt, & minimè baptizantur.

Ambr. *Cyrill.* *Auguſt.* *Concil. Carth.* *Auguſt.* *Chryſ.* *Concil. Brach.* *Vaſqu.* *Origen.* *Tertull.* *Auguſt.* *Azor.* *Bellar.* *Ambr.* *Palud.*

Catechumenorũ ſtatus imperfectus.

Catechumenus non vixit Conſtantinus.

Nunc ad inſtitutum. Qui hæc diligenter conſideret, erubeſcet me authore affirmare Conſtantinum in hoc ſtatu viuere voluiſſe: cùm præſertim ille, ſi ita vixit, in gradu infimo catechumenorum fuerit, quòd erat audientium, nec vnquam ad alium competentium, qui multò perfectior erat peruenerit. Nam cum duo eſſent genera catechumenorum, aliud

audientium, aliud competentium, ſiue imperfectorum, & perfectorum, quemadmodum tradunt Patres. Tertullianus de præſcript. Auguſtin. lib. 9. confeſs. cap. 6. & lib. de cura pro mort. gerend. cap. 12. & Hieron. ad Pammach. de errorib. Ioan. Hieroſolym. & Leo Epiſt. 4. & Rabanus lib. 1. de inſt. cleric. Audientes tantùm addiſcebant, & inſtruebantur, & infimum locum tenebant, qui Acroaſis ab audiendo dicebatur, cùm competentes iam eſſent candidati, & peterent baptiſmum, & nomina darent, quòd proximo tempore baptizandi erant, ideſt Paſchate. Itaque ij primi audientes longè à perfectione, & ſtudio competentium diſtabant: quibus ne ad ſcrutinium quidem & examen veniendi locus erat. Tam procul aberāt ab Eccleſia. In hoc ſtatu ergo conſtituunt Conſtantinum; qui ſine baptiſmo ad vſque finem vitæ eſſe volunt. Quanta Conſtantini iniuria, ex dictis compertum eſt.

Catechumeni Audientes. *Competentes.* Tertull. Auguſt. Hieron. Leo.

Quarta, quæ hinc ſumitur, ſit, & quidem efficax. Conſtantinus egit, ac operatus eſt ea, quæ cathecumeni operari, & agere non poterant: & quæ ſolis Chriſtianis, & baptizatis licita erant. Ergo ille multò ante mortem baptiſmum ſuſcepit. Hoc argumentum verſatur in facto, & procedit more inductionis.

Primum exemplum eſt ductum ab vſu, & conſuetudine intima Conſtantini cum Epiſcopis, & Principibus Eccleſię, tum in Occidente Italiæ, & Galliæ, & Hiſpaniæ in Europa, tum Mauritaniæ, & Numidiæ in Africa: tum in Oriente omnium illarum Prouinciarum: quibus cum familiariſſime egit domi, & quorum cauſas, & negotia foris tractauit, quæ quanquam in catechumenum cadere poſſint, certè non ſolent: atque adeò probabilem admodum coniecturam faciunt Conſtantinum, cui tam arctè adhęrebant eſſe Chriſtianum. Egit ille cum Nicolao, cum Alexandro, cum Athanaſio, cum Marcello, cum alijs Patribus Nicenis in Oriente. Egit cum Melchiade, cum Sylueſtro, cum Iulio, cum Patribus Arelatenſibus, & Africanis in Occidente, eoſque multis, & officijs, & beneficijs eſt proſecutus, quemadmodum patet ex hiſtorijs earum Eccleſiarum, & Conciliorum, eſtque perſpectum, & exploratum hominibus eruditis. Vnde apparet Conſtantinum pluſquam catechumenum fuiſſe, quo cum ſi is eſſet certè pro conditione temporum; tam arcta neceſſitudo Patribus non intercederet.

Argumēto pro baptiſmo Conſtantini.

Secun-

Secundum Conſtantinus ordinauit, & direxit multa, quę ad ſtatum Eccleſiaſticum conducebant: vti cum in Hiſpania diuiſit regiones, & Prouincias, ad deſignandas, conſtituendas, & terminandas Diæceſes Epiſcopales, vti nos in noſtra de Aduentu S. Iacobi Diatr. monſtrauimus. Et in Africa Catholicorum, & Donatiſtarum controuerſias per ſuos præfectos, ſæpè: & in Italia, & Gallia interdum per ſe ipſum compoſuit, & in Oriente furias Arianorum, rabiemque compreſſit, fraudes, & dolos eorundem auertit, Catholicos Epiſcopos ab eorum calumnijs, & armis liberauit, idque litteris, edictis, legibus, mandatis effecit. Hæc ſunt vltra ſtatum catechumeni. Igitur Conſtantinus pluſquam catechumenus erat.

Conſtantinus diuiſit Diæceſes in Hiſpania.

Author in Diatriba.

Tertium. Cauſas, & controuerſias Eccleſiaſticas ad ſe concordiæ ergo delatas Conſtantinus ſuſcepit, & compoſuit, nihil repugnantibus, immò permittentibus Pontificibus, quemadmodum comperimus in Actis Africanis, & narrant Optatus Mileuitanus, & Auguſtinus paſſim in libris contra Donatiſtas, & in titulis ad eos Epiſtolarũ, quæ in ſecundo tomo ſuorum operum continentur, & in 1. tomo Conciliorum habentur, & in Actis & vita Melchiadis enarratur, & quanquam initium confugiendi ad Conſtantinum fuerit à Donatiſtis: non tamen recuſarunt iudicium Catholici, nec illud vel Optatus, vel Auguſtinus infirmant, immò eo Catholicos defendunt, & Donatiſtas conuincunt. Hoc non quadrat niſi in Chriſtianum, vti conſideranti patebit.

Optatus Auguſt.

Conſtantinus cauſis Eccleſiaſticis adhibitus.

Quartum in argumentum formare volo. Statuere ac publicare formam credendi, & intereſſe Concilijs Patrum, ſiue Prouincialibus, ſiue Generalibus, & ibi ſententias audire, & loqui, honorari, & prædicare, & iudicium ſuum proferre non eſt catechumeni, ſed Chriſtiani, & fidelis omnino baptizati. Hæc omnia præſtitit Conſtantinus, ergo non erat catechumenus, ſed Chriſtianus fidelis, & baptizatus. Maior conſtat, quoad primam partem ex Hilario lib. de Synodis, vbi ſic de Arianis, & Conſtantio ad finem. *Homines peruerſi, eò vſque proruperant, vt cum ipſi prædicare publicè non auderent, Imperatorem tamen fallerent ad audiendum. Feſellerunt enim ignorantem Regem vt iſtiuſmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, & credendi formam Eccleſijs nondum regeneratus exponeret.* Perſpicuè negat Imperatori minimè baptizato quamuis cate-

Conſtantinus interfuit Concilijs.

Hilar.

chumeno: id quippè ſignificat *Nondum regenerato*, licere formam vllam Fidei, ne Arianicæ quidem exponere. Et conſtat prima pars maioris. Secunda probatur ex Hiſtoria Eccleſiaſtica iuxtà quam affirmat Baron. ad Ann. 314. moris non eſſe, vt Princeps catechumenus Concilijs intereſſet, & idem obſeruat Seuerinus Binius in not. ad Concil. Mediolanenſe reprobatum, quod ipſe generale Arianorum dicit, vbi ſic. *Inchoato Concilio in abſentia Imperatoris adhuc catechumeni (quippè cui non licebat legitimo intereſse Concilio) conuenerant, &c.* Legimus tamen in ipſa Eccleſiaſtica Hiſtoria Conſtantinum Arelatenſi Concilio in cauſa Catholicorum, & Donatiſtarum interfuiſſe, quemadmodum authore Baronio indicare videntur duo Patres Africani Optatus, & Auguſtinus ille lib. 1. & 2. aduerſ. Parmen. hic in Breu. collat. narratque ipſemet Euſebius his verbis, quæ operæ pretium erit afferre, quòd ijs prorſus idem conuincitur. Igitur de vita Conſtant. lib. 4. c. 37. & 38. ſic: *Eccleſiæ Dei eximiam, & peculiarem curam adhibens, cum quidam in diuerſis locis diſſenſione diſcordarent, tanquam communis Epiſcopus à Deo inſtitutus miniſtrorum Dei coegit Concilium, & in media iſtorum frequentia, & vnà conſidere non eſt dedignatus.* Mox perſpicuè de Arelatenſi Concilio. *In medio conſeſsu quaſi vnus è multis aſsedit.* Quæ verba ſatis ſunt efficacia ad monſtrandum Conſtantinum, tunc fuiſſe baptizatum, & prorſus Chriſtianum. Nam ſi catechumenus ſolùm eſſet, non diceretur de eo *non eſt dedignatus*. Cum potiùs indigeret dignatione Patrum ad locum accipiendum extra morem, ac præter ordinem. Præterea illa vox *Epiſcopus communis à Deo inſtitutus*: aliena omnino eſt ab homine minimè Chriſtiano, & non baptizato. Nec medius ſediſſet, opinor, inter Patres, ſi extra Eccleſiam catechumenus, & auditor tantum fuiſſet. Itaque nolit deinceps nobis perſuadere Euſebius Conſtantinum nonniſi in fine vitę baptiſmum ſuſcepiſſe. Suis quippè eum verbis conuincimus.

Baron. Binius.

Catechumenis interdictum Concilijs intereſſe.

Optatus Auguſt. Euſeb.

Conſtantinus interfuit Concilijs.

Iam verò adfuiſſe Conſtantinum in Concilio Romano, cum Syluestro, ex ipſius titulo, & Actis Concilij apparet. An tunc non erat Chriſtianus, ideſt aqua baptiſmi non tinctus? Quid? quòd in Concilio Niceno habuiſſe locum inter Epiſcopos Conſtantinum luce clariùs eſt. Quì tantùm ei liceret catechumeno? Quo argumento vrget, & quidem iure Baronius, Euſebium: & ego Caluinum, qui cum affirmet Conſtanti-

Baron. Caluin.

ſtantinum in eo præfuiſſe Concilio, negat tunc eſſe baptizatum. Qui in Eccleſijs à cętu fidelium excludebantur, & ad angulos reijciebantur, eorum vnus ad cętum ſummorum (ſic dicti Epiſcopi) Sacerdotum admitteretur? At erat Imperator. Quid? Nonne Imperator erat Theodoſius, & tamen aditu Eccleſię, quòd ſanguine tinctus intrabat, ab Ambroſio eſt prohibitus? Multos ibi, opinor, inueniret Ambroſio ſimiles qui ſibi illoto, ac ſordido templi ingreſſu interdicerent. Erant loca in Eccleſijs, in Concilijs: quò non licebat omnibus etiam Chriſtianis, & baptizatis introire, vt patet ex Athanaſio in Epiſt. ad ſolitarios: dum queritur, quòd tempore Conſtantij Hęretici Ariani, milites quidam ſeditioſi per tumultum auſi fuerant in templorum certos quoſdam, & ſacratiores locos, ad quos fas non erat vulgo fidelium accedere, perrupiſſent. Pro Conſtantino nullum eſſet diſcrimen loci, nulla ſedium differentia? Iret vltra competentes auditor, procederet vltra chriſtianos, & cùm Epiſcopis in Adytis conſiſteret? Hanc certè audaciam ea tempora non ferebant. Tunc quando Nicolaus Purpuratos Imperatoris, & Imperatorem terrebat: tum quando Martinus accepto à Rege poculo primus bibebat, & mox ſuo Presbytero, eo præterito propinabat: tum quando Chryſoſtomus Eudoxiam templo arcebat, & ludos diſturbabat, & Gainam armatum Ducem compeſcebat. Scio hos duos paulò recentiores fuiſſe: ſed eo fortiùs ago, quòd poſt illud aureum tempus adhuc illa conſtantia, integritaſque vigebat. Vt Imperator Conſtantinus eſſet intra catechumenorum terminos teneretur. Vinceret maieſtatem Religio, amplitudinem reuerentia, magnitudinem cultus, dignitatem obſequium; officij, non Imperij ratio haberetur.

Athan. | *Optimum argumentum.*

Quintum eſto. Etſi catechumeni primis illis ſæculis adulti baptiſmum ſuſcipere ſolerent, & diu catechumeni viuerent, quemadmodum narratur de Baſilio, & Nazianzeno, Ambroſio, Martino, Auguſtino, id tamen conſtat, qui iam grandiores ab Ethniciſmo ad fidē veniebant eos ſtatim baptizari, quorum exemplis Acta Martyrum plena ſunt: imò & de alijs natis ex Chriſtianis parentibus conſtat, ſi in periculum vitæ incidiſſent baptiſmo ablui eos, & ſolere, & neceſſe eſſe, vti apparet in Auguſtino lib. 1. confeſs. cap. 11. & in Amico Auguſtini lib. 4. cap. 4. & probat exemplum Nazianzeni catechume-

Catechumenorum baptiſmus. | Auguſt.

chumeni tempeſtate in mari iactati, quem dolebat in eo diſcrimine illotum mori. Vnde ſumitur idoneum contra Euſebium argumentum. Non debuiſſe Conſtantinum tandiu baptiſmum differre, cum probabile ſit eum in toto annorum quos vixit, ſenex quippè eſt mortuus, decurſu aliquādo ęgrotaſſe. Atque vt de lepra minus conſtet, quòd quidam vel noſtrorum ſcriptorum negant, alio cęrtè aliquo morbi genere, quæ mortalium eſt conditio tentari debuit, atque adeò tingi, vt verbo vtar Tertulliani. Quod ſi de ægrotatione non conſtet, compertum eſt eum ſæpè bellaſſe, & non paucas expeditiones periculoſæ plenas aleæ ſuſcepiſſe, quibus præmitti baptiſmus debuit: niſi ſi negamus Conſtantino pietatem, & prudentiam defuiſſe. Feciſſet ille Imperator, quòd quiuis noſtrum priuatus feciſſet.

Catechumeni adulti olim baptizati.

Tertull.

Sexta ſumitur ex verbis Conſtantini, quæ intelligi aliter quàm de baptiſmo iam ſuſcepto non poſſunt. Sic igitur Conſtantinus in ſermone ſuo Prolphonetico habito ante Nicenū Concilium, vbi ter *Iuſtificationis ſuæ* mentionem facit, quæ vox ibi veram luſtrationem, & mundationem animæ videtur ſignificare. Eo præſertim loco vbi. *Ego quidem*, inquit, *exiguo meæ orationis apparatu, plus non audeo dicere, quàm hoc ſolum animam meam iuſtificatam in ſinceritate, ſeu puritate verſari oportere*. Senſus eſt planus: ideò enim oportebat eum in puritate, & ſinceritate deinceps verſari, quia per baptiſmum iuſtificatus fuerat: cum qua iuſtificatione futuræ in poſterum, & pignus, & ſignum puritatis acceperat. Hoc ego teſtimonio ſatis probari baptizatum, tum cum ea dixit, Conſtantinum puto. Verùm eſt aliud irrefragabile, ad quod inuito Lectores, quod inueni apud meum theſaurum, ideſt Auguſtinum, Epiſtola 166. ad Donatiſtas. Produco. *Attendite quid habeant verba Principis. Nam ſi in eis, qui primo initiati ſunt idcirco Religio baptiſmatis iudicatur infirma, quòd ij à quibus accipitur peccatores putentur, toties renouari neceſſe eſt Sacramentum, quoties indignus fuerit inuentus collati baptiſmatis adminiſtrator. Et fides noſtra non ex voluntatis arbitrio, nec ex Diuini muneris gratia, ſed ex meritis Sacerdotum, & clericorum qualitate pendebit*. Hæc initio ſui Imperij cum Donatiſtas in cauſa Cæciliani, & Maiorini ad ſe appellantes damnauit, dixit Conſtantinus, iam tum planè Chriſtianus, ac proinde baptizatus.

Concil. Nicen.

Ex verbis Cōſtantini conſtat eum tempore Melchiadis baptizatum.

Septi-

Septima, & vltima ratio eſt, quia ſi Conſtantinus Nicomediæ in extremo illo morbo baptiſmum ſuſcepit, certè ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo in Eccleſia, & communione Ariana baptizatus eſt: atque adeò extra Eccleſiam Catholicam mortuus eſt. Conſectaneum illud patet ex eo, quòd Ariani in quorum tum erat poteſtate Conſtantinus, & quorum Anteſignanus erat Euſebius non paterentur eum extra ſuam communionem baptizari, nec ille ſatis eſſet, præſertim moriturus, ad cauendas eorum fraudes, & tendiculas. Vnde S. Hieronymo id fuit perſuaſum, qui tanquam rem certam, & indubitatam narrat. Hoc autem admiſſo ſequitur Conſtantinum Arianum, & ſaltem Schiſmaticum deceſſiſſe, nec eſſe ſaluum: quòd eſt omnino à veritate alienum. Aſſumptum patet, quia extra Catholicam Eccleſiam baptizatus, & ſuſceptus eſt ab Hæreticis ſalutē æternam conſequi nequit iuxta doctrinam Auguſtini, quę Catholica eſt lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 5. & lib. 4. cap. 1. & lib. 4. contr. Creſcon. *Baptiſmus*, inquit, *poteſt eſſe extra Eccleſiam, ſed extra Eccleſiam prodeſſe non poteſt*. Hoc docuit apud Auguſtini illa columba Iordanis, quam anhelare aiunt Conſtantinum, tract. 6. in Ioannem. *Super baptizatum Columba deſcendit tamquam dicens. Si baptiſmum habes eſto in Columba, ne non tibi proſit, quòd habes. Veni ergo ad Columbam dicimus: non vt incipias habere, quòd non habes, ſed vt prodeſſe tibi incipiat, quod habes. Foris enim habebas baptiſmum ad perniciem, intus ſi habueris incipit prodeſſe ad ſalutem*. Igitur admiſſus Conſtantinus ad communionem Arianam iuſtus, & pius, & ſanctus eſſe non poterat. At Euſebius illud tradit ex quo iſtud conſequitur. Verùm refutant Euſebium Græca Menologia, quæ cultum Religioſum Conſtantino tribuunt. Nec minus eundem refellunt Diptycha Eccleſiaſtica, in quibus tamquam Sacrum Conſtantini nomen habetur, teſte Nicolao Papa in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Si verum dixit Euſebius, perperam dixit Concilium Chalcedonenſe cùm Marcianum Chriſtianum Imperatorem Optimum Principem: *Nouum Conſtantinum in præconium* Religionis appellauit. Nec minus egrtè perperam Sexta Synodus Act. 8. ad Conſtantinum Poconatum exclamauit. *Conſtantino Magno Imperatori: Orthodoxo Imperatori multos annos, Conſeruatori Orthodoxæ Fidei multos annos. Nouo Magno Conſtantino Imperatori multos annos. Nouo Theo-*

Hieron.

Auguſt.

Conſtantinus in fine vitæ non fuit baptizatus.

Conſtantinus non fuit hæreticus.

Theodoſio, &c. Perperam Octaua Synodus Act. 10. Inter iuſtiſſimos Imperatores Conſtantinum, Theodoſium, Marcianum nominat, ſi primus iniquus, & Arianus extitit. Sed rectè Concilia fecerunt, quòd compererant Conſtantinum in communione Catholica defunctum Catholicum fuiſſe. Audiamus de eo Gallam Placidiam Auguſtam ad Theodoſium Imperatorem Filium inter Acta Concilij Chalcedonenſis in collect. Biniana pag. 24. *Fides cuſtodita eſt à Sacratiſſimo Patre noſtro Conſtãtino, qui primus Imperator extitit Chriſtianus.* Omnem labem remouent hæc verba: & alia eiuſdem ad Pulcheriam pag. 75. *Cognouimus noſtris temporibus Fidem eſſe turbatam, quàm à Diuo Conſtantino noſtri Parentes hactenus ſeruauerunt.* Nullam ſuſpicionis vmbram relinquunt, adijciunt lumina ſanctitatis. Retinuit hæc, immò & magis accendit Theodoſius Imperator Gallæ reſpondens: *Diuæ memoriæ Conſtantinus in Nicea Ciuitate definiuit.* Illuſtre eidem reddit teſtimonium Martianus item Imperator in Concilio Chalcedonenſi. Actione 6. pag. 258. *Nos*, inquit, *ad Fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam exemplo Religioſi Principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus.* Sciebat quippè eum præclarum ibi Catholicæ Fidei ſpecimen præbuiſſe. Sic enim de eo Gelaſ. Cyzicen. lib. 1. init. *Omnium maximè fideliſſimi Imperatoris, qui in Synodo conſederat diuinas, & verè Apoſtolicas ſententias.* Quod oraculum audent infamare Euſebiani Sectatores. Deum immortalem? quomodo cecidit hic Lucifer, qui Solem agebat, & multum à ſuperbo illo ſpiritu diſtabat? qui minimè ſuper aſtra Dei ſolium ſuum exaltabat, ſed Epiſcoporum ſe pedibus aduoluebat? Verùm colligere omnia Sanctitatis Conſtantini argumenta infinita res eſſet. Summa ſit illud teſtimonium, quòd eſt in Epiſtola Adriani, quæ habetur in 7. Synodo 1. par. 3. tomi Concil. pag. 14. apud Binium, alloquitur Conſtantinum, & Irenem: *Vos autem partem habebitis cum eo, qui nunc in Diuina requie quieſcit Conſtantino Imperatore, & Helena eius matre, qui Orthodoxam Fidem illuſtrarunt, & confirmarunt, adeòque Sanctam matrem iuſtam Eccleſiam Catholicam, & ſpiritualem Romanam Eccleſiam exaltarunt, vt planè ſpes ſit eorum piam appellationem in veſtra cognomenta piiſſima, & à Deo data tranſituram, vt per omnem terrarum Orbem nouus Conſtantinus, & noua Helena prædicentur, per quos Sancta, & Apoſtolica Eccleſia renouabitur.*

Octaua Synodo.

Conſtantini Fides.

Theod.

Mart.

Gelaſ. Cyzic.

Adrian. Pap.

Cer-

Certè niſi Conſtantinus Catholicè, & piè, ſanctèque in Catholica communione, & vixiſſet, & deceſſiſſet, non hæc auſus eſſet ſcribere Adrianus, nec vt auderet fingere, illum ſibi imitandum Imperator, & mater eius Irene proponi tuliſſent. Igitur in ea omnes erant ſententia Conſtantinum nulla hæreſeos labe, nec ſchiſmatis aſperſum fuiſſe.

Scio non deeſſe authores, qui Conſtantinum ſuſpectum hæreſeos Arianæ faciunt: vti Ruffinus lib. 1. cap. 17. & Hieronym. in Chron. & Lucifer Caralitan. & alij, quos eruditè refellit Baronius anno 31. Conſtantini. Verum quidem eſt in Concilio Francofordienſi Felicem, & Elipandum ſuam hæreſim exemplo Conſtantini, tueri, & operire quodam quaſi obiectu pallij voluiſſe, quibus ita Imperator Carolus Magnus, reſpondit, vt non neget, cum ad vitæ finem à rectæ vitæ inſtituto deflexiſſe. Cuius rei author producitur Iſidorus. Conſentit Paulus Diaconus lib. 11. vbi affirmat Conſtantinum *ob inſolentiam rerum rerum ſecundarum*, ſic opinor legendum, *aliquantulum ex illa fauorabilis animi docilitate mutatum*. Addit illum. *Primo Imperij tempore optimis Principibus, vltimo medijs comparandum*. Tandem ~~ſic de~~ illo iudicat. *Decem annis præſtantiſſimus: duodecim ſequentibus latro: decem nouiſsimis pupillus ob profuſiones immodicas nominatus*. De hæreſi tacet. Cæterum huiuſmodi Pauli Diaconi iudicium non probo. Superioribus aſſentior, non maioris ſolum fidei, ſed penè ſacræ, cùm ſint Pontifices, & Concilia, authoritatis.

Ruffin. Locif. Baron. Concil. Franc. Iſidor. Paulus Diac.

Conſtantinus nunquam hæreticus.

CAPVT V.

Communis de Baptiſmo Conſtantini Romæ à Syluestro Pontifice collato ſententia proponitur, & examinatur.

Conuicto, opinor, Euſebio, ac eius ſententia de baptiſmo ad mortis vſque viciniam dilato refutata, ſupereſt afferre eam, quæ non recepta modo, ſed etiam peruulgata eſt, & fidem publicam fecit. Nempè Conſtantinum Romæ à Sylueſtro Papa in Lateranenſi Palatio baptizatum. Huius antea nos authores innumeros penè adduximus. Eam ſic concinnat, & tradit Baronius ad annum Chriſti 323. & in notis ad Martyrologium in vita Sylueſtri. Narrat Conſtantinum

Baron.

anno ſui Imperij 18. ad 19. qui erat Syluestri Pontificatus 11. cùm cathecumenus à multis antea annis fuiſſet lepræ morbo laborantem acceptà illa reuelatione celebri à Deo per Petrum, & Paulum, quorum imagines coluit monitum, quæſitum miſiſse Syluestrum in monte Soracte latentem: cùm reperiſſet, re cū eo communicata ab eodem baptiſmum ſuſcepiſſe. Itaque admittit omnes circumſtantias, quæ in actis Syluestri, & Liberij, & in Epiſtola Adriani, & Leonis IX. & Breuiario Romano, & traditione Romanæ Eccleſiæ commemorantur, & in eum annum conijcit.

Sententia Baronij.

Baron.

Acta Sylu.

Verùm quia omnes illæ proximè citatæ narrationes perſpicuam mentionem faciunt de Ethniciſmo, & Idololatria Constantini, quòd ille tunc cum eſt baptizatus gentilis erat, non catechumenus, & minimè Chriſtum Filium Dei nouerat, nec agnouerat Apoſtolos Petrum, & Paulum, atque adeò oportuit de his omnibus à Syluestro edoceri: commendatur ei inſuper vt reiecta ſuperſtitione Idolorum vnum verum Deum adoret, & colat, ex quo perſpicuè conſtat, tunc eſſe Idololatram, & primum ad fidem ab infidelitate venire, hæret Baronius, ac mirè ſe vexat, & torquet: quod videat hęc quæ communi conſenſu traduntur cum illo Constantini anno ſtare non poſſe. Accedit quòd illa fuga in Soracten montem, & latibulum ibi Syluestri cum illis verbis Sanctorum Apoſtolorum ad Constantinum *Perſecutionem tuam fugiens* indicant Constantinum eo tempore quo ſuſcepturus erat baptiſmum perſequi Chriſtianos: id autem eo anno eſt incredibile. Tandem lepra, quam prorſus admittit Baronius, plaga, & ſupplicium perſequentis, & Idololatræ, à fide Chriſtiana videbatur. Hac verò cauſa ſublata lepra ſuſtineri nequibat. Igitur cruciatur mirum in modum Baronius; & nos in viro doctiſſimo turbationem iſtam, & anxietatem cum dolore animaduertimus, & vicem eius anxij quo ſe modo liberaret, attendimus.

Constantinus gentilis erat, quando ad baptiſmum venit.

Baron.

Reſpondet Constantinum: cum diu antea catechumenus eſſet, & Chriſtum agnoſceret, ac Idolis omninò remiſiſſet nuntium: *poſtea tamen auitam ſuperſtitionem ſaltem ex parte reſumpſiſse, cum Aruſpices conſuluerit*. Degeneraſſe à ſe ipſo, & multa immania, & crudelia poſtquam deuicto, & extincto Licinio ſummam ad ſe Imperij tranſtulit, patraſſe: inter quę numerat cædem Criſpi Cæſaris Filij, & Fauſtæ vxoris, & mul-

Baronij baſtantia.

multorum familiarium, quos ab eodem fœdè interfectos narrat Eutropius lib. 10. Multa eiuſmodi ei obijcit Iulianus apoſtata, quæ ab Arthemio non negantur, ſed excuſantur. Adijcit præterea illos verſus Ablauij Conſulis de illorum temporum infelicitate,

Eutrop. Iulian. Apoſt. Ablau.

Vitia obiecta Conſtantino.

Saturni aurea ſecla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, ſed Neroniana.

ceu multo innocentium ſanguine inquinata, gemenda potius quàm gemmea. Propter hæc, inquit, percuſſum eſſe lepra à Deo Conſtantinum veriſimile eſt. A qua vt liberaretur, cùm illud crudele infantium parricidium cogitaret auerſus eſt à Deo, & deinde ad cæleſte baptiſmatis lauacrum conuerſus. Huc poſſet trahi, vt hoc ei addam, quod ſuperius attigimus de diuiſione temporum Imperij Conſtantini, cuius initia laudantur, media, & vltima vituperantur. Quòd verò attinet ad perſecutiones Chriſtianorum factas à Conſtantino, eas prorſus negat Baronius, cùm in prima, & ſecunda Martyrologij editione adſtruxiſſet. Itaque hic in Annalibus palinodiam canit, ſeque remittit ad tertiam, & nouiſſimam editionem Martyrologij, vbi in notis primam illam de Conſtantino Chriſtianos perſequente opinionem antiquat, & de nouo adſtruit negantem perſecutorem vnquam Chriſtianorum fuiſſe ſententiam. Summa eſt. Conſtantinum illo tempore deuiaſſe aliquantum à Religione Chriſtiana, quemadmodum ſcribit Glycas lib. 4. Annalium. *Secundum hæc*, inquit, *denuò per vxorem Fauſtam ad Deaſtrorum cultum exorbitantem Deus per lepram retraxit*. Hoc ſatis eſſe putat ad conciliandas hiſtorias cum illo tempore, & circumſtantijs, & remouendas difficultates, ſoluendas obiectiones, & ſuam ſententiam, quam communem Eccleſiæ putat, ſuſtinendam; quàm ſequuntur Spondanus, & Binius, & qui recens de Lateranenſi Baſilica egregium tomum edidit Cæſar Raſponus, & ferè Burſatus Conſil. 124. niſi quod annum ponit 14. Imperij Conſtantini.

Conſtantinus an ſit perſecutus Eccleſiam.

Glycas.

Baron. Spond. Binius. Raſp.

Verùm hęc ratio ponendi baptiſmum Conſtantini eo anno, & modo quo ponit Baronius, cum ijs quæ in Actis Syluestri, & Liberij, & traditis ab Adriano, & Leone IX. & ſcriptis in Breuiario Romano, & recepta ab Eccleſia traditione continẽtur, conſiſtere nõ poteſt. Neceſſe quippè omnino eſt fateri Conſtantinum cùm baptiſmum ſuſcepit Romę authore

Examinatur vulgaris ſententia.

Syluestro infidelem, & Idolorum cultorem, non catechumenum, tam claris iam editis Christianæ pietatis operibus fuiſſe. Hoc nihil veriùs,ſi ſtandum eſt actis, & quæ proximè citauimus monumentis, comperitur. Primùm inſpiciamus confeſſionem, ſeu Edictum Conſtantini,qua parte idoneum prorſus eſt. *Primum quidem noſtram Fidem, quam à prælibato Patre, & Oratore Syluestro Vniuerſali Pontifice docti ſumus ad inſtruendas omnium noſtrum mentes proferentes, & ita demum Dei miſericordiam ſuper nos diffuſam annuntiantes, noſſe vos volumus, ſicut per anteriorem noſtram pragmaticam iuſſionem ſignificauimus, nos à cultu Idolorum à ſimulacris mutis, & ſurdis manufactis Diabolicis compoſitionibus,atque ab omnibus Satanæ pompis receſſiſſe, & ad integram Chriſtianam fidem, quæ eſt lux vera, & vita perpetua perueniſſe: credentes iuxta id, quod nos idem almificus, & ſummus Pater, & Doctor noſter Syluester Pontifex inſtruxit in Deum Patrem Omnipotentem.* Hæc hominis ſunt, non ab annis iam antea pluribus catechumeni,ac optimè chriſtianis documentis imbuti, ſed infidelis, & omnino rudis chriſtianæ diſciplinæ, & ab Idolorum cultu ad Chriſti Fidem traducti. Hæc totidem verbis refert Leo IX. in ſua Epiſtol.ad Michaelem Patriarcham, quæ noua authoritas eſt. Videamus quid ſcribat Adrianus I. in Epiſt. ad Carolum Magnum, quæ habetur in Septima Synodo Actione 2. relata. *Quemadmodum Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Papa Syluester in principio Chriſtianorum noſtrorum Orthodoxa Fide teſtatur. Cum aliquando felicis recordationis Conſtantinus Imperator per noctem ſomnum caperet.Ecce Beati Apoſtoli Petrus, & Paulus dormienti adſtiterunt dicentes: quandoquidem ſanguinis infantium effuſionem morbi tui gratia fieri iuſſiſti à Chriſto miſſi ſumus, quo ſanitatem tibi afferamus.Audi igitur noſtrum conſilium, & ea, quæ tibi præcipimus fac impleas. Principio Syluestrum Epiſcopum, qui perſecutionis tuæ gratia Roma exulat, & in Soractino monte clam in ſpeluncis cum Clero latitat cura ad te vocari. Is tibi lauacrum pietatis, in quo lauaberis, præparabit: dabiturque tibi non modo à lepra, verum omnium morborum ſanitas. Cumque præclaris iſtis bonis fueris recreatus confeſtim iubeto per omnia loca Romanorum Eccleſias reſtaurari. Te verò ipſum purum abiecto Idolorum cultu declarabis, cultumque debitum ſoli Deo viro adorando exhibeas, iuxta illius voluntatem omnia ſua conſilia diſponens.* Ecquis hæc legens non videat Conſtantinum, non modo non eſſe catechumenum, ſed idolorum culto-

Conſtantinus ab Ethniciſmo ad lauacrum traductus.

Edictus Conſt.

Leo IX.

Patet ex Adriano Papa.

cultorem eſſe, immò & perſecutorem Chriſtianorum tum cum ad Baptiſmum vocabatur fuiſſe, & ab illa infidelitate ad vnius Dei cognitionem, & Chriſti Fidem traductum? Confirmat rem hanc illa quæ hic tangitur Petri, & Pauli apparitio dehortantium à turpi illo ſanguinis lauacro, & exhortantium ad ſalutarem baptiſmum, & iubentium abijci ſuperſtitionem, & cultum Idolorum.

Quæ apparitio ſummæ authoritatis eſt, & narratur in omnibus ijs Actis, & Scripturis quas ſupra citauimus: eaq; probari contra Iconomachos ſolet cultus, & adoratio Imaginũ. Quemadmodum in ſeptima Synodo, ſiue ſecunda Nicena continetur. Narrabo illam verbis partim ex Breuiario Romano, partim ex Epiſtola Adriani I. quæ in VII. Sinodo eſt

Breu. Rom. inſerta de promptis. *Cui Imperatori* (Conſtantino) *cum lepræ curandæ cauſa ſibi ex infantium ſanguine Medicorum conſilio balneum parari iuſſiſſet, Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus in quiete apparuerunt præcipientes, vt ſi ex lepra liberari vellet omiſſa impij balnei immanitate &c.* Hactenus Breuiarium. Cætera Adriani

Quantæ ſit fidei apparitio SS. Petri, & Pauli Conſtantino.

Adr. I. P. litteræ dabunt Actione 2. Synodi 7. *Poſtquam autem finem narrationis feciſſet, quæſiuit Imperator qualeſnam, arbitraretur eſſe Deos Petrum, & Paulum, quos viderat? Reſpondit Pater: nequaquam eſſe Deos Petrum, & Paulum, ſed ſeruos, & diſcipulos Domini Ieſu Chriſti.* Hic locus non ſolum probat Conſtantinum Idola coluiſſe tum, cum erat Baptizandus, ſed etiam ſemper antea idolatram extitiſſe, & non reuerſum ad Fidem quam reliquerat, ſed conuerſum tum primùm ad eam quam nunquam habuiſſet. Id Lector legendo comperiet modò Latina intelligat. Quomodo enim ſi antea credidiſſet interrogaret: *Qui ſunt iſti Dij Petrus, & Paulus?* Sanè idcircò interrogauit, quòd idololatra erat, & Deum non vnum, ſed plures eſſe exiſtimabat. Nec euadit Baronius

Conſtantinus cum ad Baptiſmum venit erat Ethnicus.

Baron. dum ait. *Hæc interrogatio non eo ſenſu accipienda eſt: vt is, qui tot annis erga Chriſtianam Religionem viſus eſt eſſe propenſior, & eius elementis imbutus, quinam eſſent Apoſtolorum Principes ignoraret. Sed licet Apoſtolos optimè ipſe nouerit fuiſſe homines quoſ-*

Synod. 7. *dam tamen ſuperhumanum eo viſu de ijs mente concepit.* Quod

Binius. item placet dicere Binio in notis ad Edictum de donatione Conſtantini. Verùm pace tantorum virorum non poteſt is eſſe ſenſus verborum, ſed ſubterfugium ad vim illorum, quòd præiudicare videbantur opinioni de tempore baptiſ-

Euaſio Baronij, & Binij.

Præcluditur

baptiſmi infringendam quæſitum. Et quidem quæ antecedunt, quæque conſequuntur manifeſtè euincunt hæc dici ab homine Idolorum cultore, quemadmodum ex proximè dictis apparet. Quid? quod reſponſio ipſius Syluestri hoc interpretamentum refutat. Dum ait. *Nequaquam eſse Deos, ſed ſeruos, & diſcipulos Domini Ieſu Chriſti*. Seu vti eſt in edicto donationis. *Non eos Deos verè dici, ſed Apoſtolos Saluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti reſpondet*. Certè à quocunque ſit illa interrogatio, non poteſt eſſe niſi ad Gentilem iſta reſponſio. Lectores hic ego tantum deſidero. Qui enim reſpondet. *Non eſse verè Deos*, ſupponit interrogantem, *An & qui Dij eſsent?* verè Deos eſſe putare. Conſentit Breuiarium Romanum in Feſto S. Syluestri Lectione I. ſecundi nocturni cuius verba ſupra citauimus, his quæ rem cõtinent ſubiunctis. Syluestrum

Annus quem ponit non potuit eſſe baptizati Conſtantini.

in Soracte monte accerſeret, à quo ſalutari lauacro recreatus in omni ditione Romani Imperij Templa Chriſtiano more ædificari imperaret: ſublatiſque inanium Deorum ſimulacris, vero Deo cultum adhiberet. Breu. Rom. Non poſſunt hæc ſtare cum ſententia Baronij; quo enim ille anno ponit baptiſmum Conſtantini, eo certè Sylueſter Romæ ſedebat, & regebat Eccleſiam palam, & in luce, non in cauernis Soractis latitabat Conſtantino familiaris,

Baronius id ſenſit.

& notus: à quo authore Baronio, & donaria, & fundos acceperat, & Templa non pauca ædificata viderat, Eccleſiam defenſam, & Chriſti Fidem protectam, & propagatam. Ex quo apparet pugna huius Baptiſmi cum eo Anno Baronij manifeſta. Eam vidit ipſe circunſpectus, & accuratus Author Baronius, quem in medio curſu narrationis Baptiſmi, hæc difficultas quaſi iniecto freno retardauit, Baron. & horrore quodam percuſſit. Quomodo, inquit, tantus, tamque pius, ac religioſus Imperator ab illa Fide defecerit, & ad idola reuerſus fuerit? & imagines Petri, & Pauli non recognouerit, & Deorum eſſe exiſtimauerit, & quorumnam eſſent dubitauerit, & illud à Sylueſtro reſponſum acceperit? Nutauit ſanè Baronius: verum, vt ſuſceptam ſemel ſententiã retineret, ita rem componit, vt dicat Conſtantinum auitam ſuperſtitionem ex parte reſumpſiſſe, quemadmodum ſuperius diximus. Verum hæc augent potius, quàm auferunt difficultatem. Quis enim credat Conſtantinum tam pium, tam religioſum anteà Imperatorem ad ſuperſtitionem rediſſe? Vt magna, quæ ille recenſet, ac exaggerant huius autho-

thores effugij eſſent peccata Conſtãtini, ea certè idololatram
Optat. Mileu. non efficerent. Vti enim ait Optatus Mileuitanus lib. 3. contra Parmenian. *Si aliquid Chriſtianus (quod abſit) vnuſquiſque deliquerit, peccator dici poterit. Paganus iterum eſse non poteſt.* Non igitur propter illa peccata redijt ad ſuperſtitionẽ priſcã. Sed admittamus redijſſe, non ſatis erat quæcunque ſuperſtitio, ſed quæ eſſet cum idololatria coniuncta, & cum profunda rerum Chriſtianarum ignorantia, quæ omnem prorſus Fidei memoriam aboleret. Delenda eſt Baronio cum Religione Chriſtiana recordatio Chriſti, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, & inducenda obliuio portentoſa rerum Diuinarum; & ipſamet idololatria, cui addictum Conſtantinum Acta teſtantur. Nam illa alia, & delicta, & vitia non extinguunt memoriam Religionis, & cum notitia, imo & Fide Chriſti poſſunt conſiſtere. Igitur vt crudelis, vt profuſus, vt prauus eſſet, non amitteret prorſus memoriam eius, quam antea catechumenus Fidem ſuſceperat. Delenda omnino eſt Baronio, non obtundenda Conſtantini memoria. Si quo modo ad idololatriam reuerteretur Conſtantinus, vel hoc ei Iulianus Apoſtata exprobraſſet, vel eius ſe exemplo, quòd ad
Validæ aduerſus vulgarem ſententiam obiectiones.

Iulian. idola redijſſet, opportunè defenderet. Neutrum fecit: quòd illud Conſtantinus non fecerat. Iam verò lepræ, quicumque eam admittunt authores, occaſionem dediſſe non cædes Criſpi, nec Fauſtæ, nec aliorum Romanorum, ſed ipſum cultum Idolorum, & perſecutionem Chriſtianorum, tradunt. Non vt ob ſæuitiam puniretur, ſed vt ab Idololatria deterreretur, & à perſecutione ceſſaret lepra eſt percuſſus. Acta id, quæ Baronius ſequitur, teſtantur. Si ſua ſcripta recognoſceret Baronius, in quibus ab anno ſeptimo Conſtantini Impe-
Baron. rij tot argumenta eius Fidei, & Religionis commemorat, non auderet, hanc ei obliuionem Chriſti, & Crucis, & Apoſtolorum tribuere. Tam citò illa Crux in cælo viſa euanuit?
Euſeb. Tam illud Trophæum de quo Euſebius lib. 1. cap. 33. poſt debellatum Maxentium ſalutari Crucis ſigno decoratum in media Vrbe erectum, & omnium oculis expoſitum diſparuit? Iam non veniebat in mentem illa de Chriſto Filio Dei ad Romanos prædicatio: & publica de Crucifixo confeſſio? Tam facile de prædicatore Chriſti in idolorum cultorem tranſijt? nec tranſijt ſolùm, ſed nomen cum tranſitu, & memoriam omnem aboleuit? Id non mihi Baronius perſua-
Idonea ratiocinatio.

ſua-

ſuaſerit. Immò ego ei perſuadere volo, ac debeo Conſtantinum eo tempore quo ad Fidem, & Baptiſmum venit recentem ab Idolorum cultu, & perſecutione Chriſtianorum veniſſe. Planè dico: Conſtantinum aliquando Eccleſiam Dei perſecutum; quod ipſe Baronius primum ſenſit, & in notis prioribus ad Martyrologium, ideſt cùm melius ſentiebat ſcripſit: quod ſi in poſterioribus mutauit ſententiam, non id opinor rectè, & ex conſilio fecit. Mouiſſe Chriſtianis perſecutionem Conſtantinum Acta perſpicuè teſtantur, cum de Syluestro ad Conſtantinum Apoſtolos dicentes inducunt, *Syluester perſecutiones tuas fugiens*. Quorſum *perſecutiones tuas*? Vnde illa fuga, & latibula Syluestri in Soracte monte, quò non de nihilo ille conceſſerat? Perſequebatur ergo Eccleſiam Conſtantinus Ethnicus adhuc, & Paganus. Quid mirum: an non eandem initio Saulus vaſtauit? Patet ex Actis Martyrum ac imprimis Timothei Antiocheni, quæ citat Baronius in Martyrologio 22. Auguſti: qui tempore Melchiadis imperante Conſtantino interfectus fuit, ſic enim inſcribitur *ſub perſecutione Conſtantini Imperatoris*. Et quidem in 1. & 2. editione Martyrologij hoc exemplo Baronius probauit Cõſtantinum initio ſui Imperij Eccleſiam vexaſſe: à quo non debuit ſententia recedere: quòd ſi tum vexauit, potuit vlterius vexãdo tendere: & Syluestrum ipſum perſequi; idque apparet ex eo, quòd Syluester eundem Timotheum domi ſuæ exceperat, & aluerat viuum, & mortuum ſepelierat, & coram Melchiade iuſta ei ſoluerat. Atque ob id officium, & quòd illius domus Martyrum commune quoddam hoſpitium erat Syluester iam olim ſemel captus, & in carcerem detruſus, vnde miraculo eductus fuit. Nec tunc imperabat Romæ Maxentius, ſed Conſtantinus. Nam Maxentium conſtat extremis ſui Imperij temporibus deſtitiſſe à perſequendis Chriſtianis, immò Melchiadi benè cupijſſe, & ablata quædam prædia iuſſiſſe reſtitui; quemadmodum & ſupra tetigimus, & poſtea latius dicemus. Nunc ſit ſatis teſtimonium Optati Mileuitani lib. 1. cont. Parmenian. *Tempeſtas*, inquit, *perſecutionis peracta, & definita iubente Deo. Indulgentiam mittente Maxentio Chriſtianis libertas eſt reſtituta*. Quod item fatetur Euſebius lib. 8. cap. 16. Etſi vti obnoxius Conſtantino dicat: ſimulatè, non ex animo id feciſſe. Sed vbi de re conſtat, de animo qui ſoli Deo patet, non oportet inquirere. Habemus in Actis Timothei

Margin notes: Baron. — *Conſtantini perſecutio.* — Acta Syluest. — *Maxentius deſtitit à perſecutione.* — Optat.

thei *Perſecutiones* à Conſtantino. Habemus in Actis Syluestri *Perſecutiones tuas*. Habemus in Epiſtola Adriani poſita in 7. Synodo. *Perſecutionis tuæ cauſa.* Quid ambigimus? Affirmat Beda lib. de ſex Aetatibus. *Conſtantinus de perſecutore Chriſtianus efficitur*. Affirmat Heriueus Rhemorum Archiepiſcopus in opuſculo poſt Hincmari Rhemenſis opera poſito tomo 9. Bibliothecæ 2.p. pag. 254. his verbis inducto Syluestro: *Confitere,* inquit ad Conſtantinum, *per ignorantiam errorem paſſum, vt Chriſtianis perſecutionem indiceres, & pœnitere te multos Sanctos occidiſſe*. Quo quid manifeſtius? Accedit Addo Viennenſis in Chronico. Aetate 6. in eodem tomo pag. 280. vbi ſic. *Conſtantinus Imperator de Perſecutore Chriſtianus factus*. Breui, ſed perſpicuè dixit. Conſentit Actis idoneus author Berengoſius Abbas lib. 3. de Inuent. & laude Crucis cap. 4. *Sapienter Romanum Imperium rexit vbique, excepto, quòd multiplici cultura Idolorum in breui factus eſt perſecutor Chriſtianorum. Proinde ad vlciſcendam in eo culpam perſecutionis nimiæ tradidit illum Deus in paſſiones ignominiæ, quando licet magnæ potētiæ, & maioris eſſet conſtantię, lepra tamen eum percuſſit elephantię*. Latiùs hæc narrat Metaphraſtes in vita Sylueſtri, quem oportet audire. *Inclytus*, inquit, *Conſtantinus modo Imperio potitus, & errori adhuc ſeruiens ipſe quoque ac ij qui eum præceſſerant planè in errore verſabatur gentilium, & Decreta proponebat, vt punirentur Chriſtiani, niſi perſuaderentur libamina offerre ſimulacris. Tunc ergo hic magnus Pater Roma quidem excedit, & in montem abiens, ibi ſe abſcondit. Qui autem ſalutem vnicuique procurat Dominus volens ſedare tempeſtatem, & calamitatem ijs, qui in ipſum credunt, & efficere vt liberè, & confidenter ſe gereret pietas, malo vlcere ferit Imperatorem à pedibus ad caput vſque. Etenim Sacer morbus incubuit, & floruit lepra per vniuerſam carnem*. Omnia complexus eſt Metaphraſtes, quem ſequitur Sanctus Antoninus 3. par. titul. 9. cap. 1. Et quidem iuncta ſunt, & connexa, Idolorum cultus, perſecutio Chriſtianorum, & Sylueſtri: ſupplicium à Deo Conſtantino per lepram inflictum. Hanc ſecutus baptiſmus: quemadmodum tradit Carranza in ſumma Concilior. anno Dom. 315. in Sylueſtro, vbi ſic. *Syluester natione Romanus ſedit annis 23. temporibus Conſtantini. Fuit exul in monte Soracte perſecutiones fugiens Imperatoris, vbi in cauernis petrarum cum ſuis Clericis latebat. Poſtmodum rediens cum gloria baptizauit Conſtantinum, quem Dominus*

[Left margin: Heriu. — Addo Vienn. — Bereng. — Metap. — Caranz.]

[Right margin: *Conſtantinū perſecutum fuiſſe Eccleſiam oſtenditur.* — *Lepra Conſtantini.*]

 cura-

Digitized by Google

curauit in baptiſmo, quoniam fugerat perſecutionem Idolorum, cui conſignationem Sancti Spiritus adhibuit. His noſtra ſententia, rationum, & authorum momentis ſtabilitur, & contraria vulgaris infirmatur, quæ non poteſt ſuis coniecturis rem tam perſpectam, ac exploratam refellere. Optimè de baptiſmo Conſtantini longè ante mortem ſuſcepto ſentit contra Euſebium: ſecus tamen de tempore in quod eum coniecit, à quo ſunt quæ hactenus commemorauimus aliena. Ea cum non ſit auſus inficiari Baronius magnis ſe difficultatibus inuoluit, nec explicari meo iudicio poteſt retento illo anno baptiſmi. Vnde ſi hic retinendus, illa dimittenda: ſi hæc retinenda, ille annus dimittendus fuiſſet. Maneat ergo Conſtantinum recentem ab Idololatria, & perſecutione Chriſtianorum percuſſum à Deo, & lepra affectum, ad ſalutare lauacrum, non veterem catechumenum acceſſiſſe.

Sententia noſtra idonea.

Conſtantinus gentilis baptiſmum ſuſcepit.

CAPVT VI.

Quando, & quomodo baptizatus fuerit Conſtantinus? Tertia inter duas illas Euſebij, & Baronij poſita Authoris ſententia.

ILlud initio monitos Lectores volo, nos re, & tempore ab Euſebio: tempore, non re à Baronio diſcrepare. Statuo. Conſtantinum Romæ in Laterano à Syluestro baptizatum. De tempore, & quæ tempus comitantur circumſtantijs differo. Initio Imperij Ethnicum adhuc, & à Fide Chriſti alienum, minimè anteà catechumenum, baptiſmum ſuſcepiſſe affirmo. Hoc nos, opinor, hactenus perſpicuè oſtendimus.

Summa ſententia authoris.

Supereſt aſſignare tempus baptiſmi: quod videtur eſſe difficillimum. Equidem timeo ne refutanti mihi tempus Baronij, aliæ occurrant graues, & moleſtæ, cùm quibus ſit luctandum, difficultates: ſed non idcirco deterrebor ab inſtituto veritatis inueſtigandæ, cui ſemper ſeruio. Sumam ea, quæ certa ſunt, & proponam incerta, & dubia, ac ita me geram, vt ne quid diſſimulem, quod ſit verum: ne quid definiam, quòd ſit ambiguum: ſuſpendam iudicium meum, & arbitrio me legentium committam. Si qua noua videbuntur, peto ne illa ſtatim reijciantur. Expectanda eſt ratio nouita-

Animaduerſio authoris.

uitatis inductæ, & ſi fuerit idonea non ero inſolentiæ accuſandus.

Primùm ſumo Conſtantinum multò ante hunc annum deſignatum à Baronio, ideſt Imperij ſui 18. vel 19. Syluestri 11. vel 12. Ethnicum, & Paganum non fuiſſe. Iam tum & Chriſtum, & fidem Chriſtianam, & agnouiſſe, & profeſſum fuiſſe. Ac vt proximos omittam annos. Anno 2. Sylueſtri Conſtantini 10. Chriſti 315. iuxta Baronij calculos Conſtantinus adfuit Romano Concilio cum eodem Sylueſtro, & Patribus, quemadmodum eſt in Actis Sylueſtri, & narrat ipſemet Baronius, quem Spondanus ſequitur, & Binius. Aſcendendo altiùs Anno 1. Sylueſtri. Conſtantini IX. Chriſti 314. miſit ijſdem authoribus tractorias litteras Conſtantinus ad conuocandos Epiſcopos ad Concilium Arelatenſe, immò & in eodem cum ijſdem adſuit Epiſcopis Authore Baronio. Ex his apparet eum, quod fatetur Baronius, eſſe ſaltem catechumenum. Retro ad Melchiadis Pontificatum rem trahamus. Conſtat ex Optato & Auguſtino, quorum locos adducit Baronius, eo Pontifice cauſam Cæciliani Epiſcopi à Donatiſtis ad Conſtantinum delatam, & ab eo remiſſam ad Melchiadem, qui cum 18. vel nouemdecim eam Epiſcopis Romæ decidit in Laterano, datis, quemadmodum tradit Baronius, & ſequaces, Melchiadi ædibus Fauſtæ. Patet item ex duabus Epiſtolis 1. & 2. Conſtantini ad Melchiadem, quas paulo poſt citabimus. Præterea lib. 3. de Occidentali Imperio author eſt Sigonius, Conſtantinum multa prædia, ac dona dediſſe Melchiadi: ac inter ea facem præferens Baronio, numerat Auguſtale Palatium in Laterano: quæ teſtimonia Sole clariùs oſtendunt Conſtantinum non modo Paganum, & Idolorum cultorem non fuiſſe, ſed ad minus fuiſſe catechumenum. Vel ipſo teſte Baronio.

Conſtantini Fides, & baptiſmus ante annum à Baronio aſſignatum.

Baron. Spond. Binius.

Exacta Chronologia Conſtantini.

Optatus Auguſt.

Sigon.

Verùm hinc ſequitur, ſi Conſtantinus cum baptiſmum ſuſcepit recens erat à Paganiſmo, & ab Idolorum cultu ad Fidem Chriſti tranſiuit, baptizatum omninò fuiſſe Pontifice Melchiade. Quod ſi admittitur, corruit communis ſententia, & traditio, baptizatum à Sylueſtro Pontifice Conſtantinum. Hanc ingentem eſſe, quam præuidi antea difficultatem, cum qua eſt neceſſario luctandum, prædico. Equidem negare non audeo, nec poſſum Conſtantinum ab Idololatria veniſſe ad Fidem, cùm id meo iudicio ex Actis, & hiſtorijs euicerim:

Difficultas.

rim: nec ante fuiſse diu catechumenum ſine baptiſmo affirmare debeo. Itaque conſequi omnino video, Conſtantinum tempore Melchiadis fuiſſe baptizatum. Quod ſi ponitur, & illud videtur ſequi, non eſſe à Sylueſtro Pontifice baptizatum. Conemur emollire ſententiam. Primùm ego nolo cuiquam perſuadere, quod ſentio. Deinde nec dicere me ita ſentire, vti propono, quod menti inueſtigando occurrit. Id mihi certum, & iuratum eſt quæcunque ſentio, & dico, non obſtinatè, nec pertinaciter ſuſtinere, ſed in medium modeſtè afferre, & cenſuræ me non Eccleſiæ ſolum, quod Catholici eſt, nec Superiorum, quod ſubiecti, ſed doctiorum quoque, quod eſt prudentis, & moderati, ſubmittere. Itaque, quam apud me multò ante, diu ſeriòque formaui ratiocinationem, examinandam, & recognoſcendam produco. Mea ſententia eſt in tres partes diuiſa.

Authoris in ea proponenda candor.

Prima continet Conſtantinum fuiſſe baptizatum tempore Melchiadis. Secunda: baptiſmum non à Melchiade, ſed à Sylueſtro Melchiadis Vicario ſuſcepiſſe. Tertia: hac ratione omnes quas ſupra tetigimus difficultates tolli. Hæc ſi probentur, quæ ex noſtra ſententia emergunt nouæ difficultates, eas ſoluemus.

Sententia authoris in tres partes diuiditur.

Primam hoc capite oſtendo. Primò, quia conſtat eum viuo Melchiade Idolis abiectis Chriſtum, & noſſe, & coluiſſe; non nouit, nec coluit ante baptiſmum: igitur viuo Melchiade baptizatus erat. Maior eſt conſtans, & conceditur à Baronio, & ſequacibus. Minorem ſuperiori capite probauimus. Conſecutio tenet.

Secundò: quæ Conſtantinus donauit tempore Melchiadis erant propria hominis baptizati, ergo baptizatus erat. De quibuſdam donis proximè diximus: ſed ea poſſunt à non baptizato fieri: opus eſt afferre ea quæ ſupponant baptiſmum: Iſidorus antiquus author narrat Conſtantinum Lateranenſe Palatium donaſſe Melchiadi: Sigonius addit donato Palatio habitationem aliò tranſtuliſse. Hoc autem contigit poſt baptiſmum. Nec obijciat aliquis tunc donaſse Palatium, quando Melchiadi dedit domum Fauſtæ ad Concilium: nam vti ſupra diximus: alia fuit iſta donatio ab illa: nam iſta non fuit donatio, ſed tantum vſus pro Concilio; cùm ſit compertum Conſtantinum ibi poſtea habitaſse. Donauit ergo Melchiadi paulò poſt Concilium. Nec enim oportebat, vt ita-

Iſidor. Sigon.

Quid Conſtantinus dederit Melchiadi.

ſtatim poſt baptiſmum donaret, ſed ſatis donaſse poſt baptiſmum, dummodo viuente Melchiade donarit. Omnes conueniunt, quando Palatium ex integro donauit, & aliò ceſſit eſse baptizatum. Hi authores volunt, vt tempore Melchiadis donarit, & domicilium mutarit. Igitur viuò Melchiade erat baptizatus.

Sed negabunt aduerſarij: quòd non eſt idonea horum duorum authoritas. Roboremus eam validiori Epiſtolæ de primitiua Eccleſiæ, & munificentia Conſtantini, quæ Melchiadem authorem habet inſcriptum in 1. tom. Concilior. Collectionis Binij, vbi ſic. *Cum inter turbines, & aduerſa mundi ſuccreſceret Eccleſia, eò vſque peruenit, vt non ſolum gentes, ſed etiam Romani Principes, qui penè totius Orbis monarchiam tenebant ad Chriſti Fidem, & Baptiſmi Sacramenta concurrerent.* Ecce baptiſmus: Pergit. *Ex quibus vir religioſiſſimus Conſtantinus primus Fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per totum Orbem ſub ſuo degentes Imperio non ſolum Chriſtianos eſſe, ſed etiam fabricare Eccleſias, & prædia tribuere poſſe conſtituit. Denique idem præfatus Princeps Donaria immenſa contulit, & fabricam Templi Primæ Sedis B. Petri Principis Apoſtolorum inſtituit, adeò vt Sedem Imperialem, quam Romani Principes habuerant relinqueret, & Beato Petro, ſuiſque Præſulibus, ſiue Succeſſoribus profuturam concederet.* Scio negari à Baronio, & Binio, & alijs Hiſtoricis hanc Epiſtolam eſse Melchiadis, idque manifeſtè probari aiunt, eo quod infra mentionem Niceni Concilij facit, quod longè poſt mortem Melchiadis ſub Sylueſtro celebratum fuiſse conſtat. Video hoc additamentum non poſse eſse Melchiadis. Sed non video: quomodo inde ſequatur illam partem Superiorem Epiſtolæ non eſse Melchiadis? Potuit enim hæc eſse legitima, & particula illa adiungi, & ex vtraque vnam compingi epiſtolam ab eo, qui voluit primam partem infamare. Certè Melchiadem illius eſse authorem affirmant Iſidorus, Burchardus, & Iuo. Ac idcircò eam Gratianus ſuis Decretis inſeruit 1. p. Decreti Can. *Decreuit.* diſt. 88. & 2. par. c. 12. q. 1. nec gloſsa negat: immò dum exponit fatetur eſſe Melchiadis.

Confirmatur donatio.

Epiſtola Melch.

Baron. Binius.

Epiſtola Melchiadis de Primit. ſed. an ſit germana.

Iſidor. Burch. Iuo. Grat.

Verùm non ſit ea Melchiadis: ſit, quod volunt aduerſarij commentum Iſidori. Parum ne eſt, quòd is crediderit eſse Melchiadis? Igitur author eſt nobis Iſidorus illa præſtitiſse Conſtantinum, ac proinde eſse, cùm præſtitit, baptizatum?

Quid?

Quid? quòd non ille ſolus, ſed illi etiam quos modo commemorauimus cum alijs innumeris, qui citatos Canones recipiunt, & commentantur, quos neceſſe eſt nobiſcum ſentire ac dicere Conſtantinum viuo Melchiade baptiſmum ſuſcepiſſe. Quod ſi tam falſum, tamque abſurdum, vti iactant, foret, non lateret id hoſce viros doctiſſimos, quos mirum eſt illud non vidiſſe, & ſi viderunt diſſimulaſſe. Vnde id meo iure vindico: aliquid in hac Epiſtola eſſe Melchiadis, quod certè aliud eſſe non poteſt, niſi prima illa pars, vſque ad aliam ſecundam de Niceno Concilio, idque authore Baronio, qui *Baron.*
Aſſeritur Epiſtola. ait quaſdam particulas non eſſe Melchiadis, cùm in ijs contineatur Canon tertius Concilij Chalcedonenſis, & multa decerpta ex S. Gregorio Papa lib. 1. Epiſtol. Epiſt. 24. Itaque *Gregor. Papa.* ſupereſt illa prima pars, quæ ſpectat ad dona, & geſta Conſtantini, quam oportet attribui Melchiadi, ne tot authoribus idoneis notam vel erroris, vel iniuriæ inuramus. Vtar autem ad hoc perſuadendum argumento Baronij, qui ſæpè in ſuis operibus citat Acta Syluestri, tanquam idonea, cùm tamen ſæpè fateatur eſſe corrupta: nec aliter defendit, quæ citat, niſi hac eadem qua ego ſum ratione vſus, aliqua nimirum fuiſſe adiecta, vel ab impoſtore, qui voluit prudens, & ſciens vitiare ſcripturam, vel ab imperito, qui per ignorantiam rem non intellexit, & menda induxit, aut admiſit. Cur ergo non idem de hac Epiſtola, quod ille de Actis Syluestri
Diluitur obiectio. magna ex parte vitiatis iudicium tulit, non feremus? Afferam verba ipſa, quibus nitor Baronij 3. tomo Annal. ad annũ 312. primo Melchiadis. Conſtantini 6. *Vides*, inquit, *ex ijs Acta Syluestri non in omnibus ſibi conſtare: ſed aliqua ſuperaddita, quibus cætera, licet vera ſint, fide vacillent*. Sumo illa verba. *Cetera licet vera ſint*. Huc faciunt, quæ de Edicto donationis Conſtantini in quod menda irrepſiſse Baronius fatetur, iudicat, tum ipſe, tum alij: nimirum donationem contentam legitimam, & germanam eſse, cùm multa circumſtantia, & adiecta ſint adulterina, & falſa. Omitto quæ nos aliàs diximus de ſcriptis falſatis à Photio, quæ non idcircò fidem in cæteris amiſerunt. Sed de hac Epiſtola Melchiadis hactenus.

Tertiò: Scripta Conſtantini iuſta, & idonea, demonſtrant eum tempore Melchiadis baptizatum. Duæ extant Conſtantini Epiſtolę ſuper cauſa Donatiſtarum: vna ad Melchiadem, altera ad Epiſcopos, qui interſuerant Concilio Roma-

no, in quo præfuit Melchiades. Ex vtraque ſeligo nonnullas ſententias, quæ rem baptiſmi continent. In prima ſic. Concil. Roman. *Viſum eſt mihi vt Cæcilianus, cum decem Epiſcopis, qui illum reum facere videntur, & decem alijs quos ipſe ſuę litis diiudicationi neceſſarios eſſe iudicauerit Romam nauigio traijciat, vt ibi coram vobis, & Rheticio etiam & Materno, & Marino collegis veſtris quos ea de cauſa Romam maturare iuſſimus poſſit audiri, ſicut Sanctiſſima Dei lex (noſtis) poſtulat.* Auderet ne Paganus, vel catechumenus docere Epiſcopos, quid lex Dei poſtularet, idque tam fidenter vt dicat, *Noſtis*, perinde ac noſset ipſe, quid illa iuberet, & quid ipſi Epiſcopi ſcirent. Habet enim emphaſim illa particula: indicat enim ſe non minus ſcire, quid lex Dei poſtularet, quàm ſcirent quorum id proprium erat. *Probatur ex Epiſtolis ipſiꝰ Conſtantini.*

Magis perſpicua eſt altera eiuſdem Epiſtolæ particula. *Minimè*, inquit, *me latet tantam reuerentiam Sanctę, & Catholicę Eccleſię tribuere, vt velim vos nullum generare Schiſma, nullam diſcordiam vllo in loco relinquere. Summa Dei maieſtas vos honoratiſſimi viri multos annos conſeruet.* Non quadrant hæc in hominem minimè Chriſtianum. Tanta in Eccleſiam reuerentia, tantum ſtudium Eccleſiaſticæ pacis, & tanta communis cura concordiæ, eſt vltra gradum, & facultatem catechumeni. Precari Deum pro Papa, & Patribus Concilij, nonniſi, opinor, baptizatus, & Chriſtianus auderet.

Audiamus verba ſecundæ Epiſtolæ, quæ multò maius ad perſuadendum pondus habent. Primum expendo hæc. *Omnipotens in cęlis per ſecula rediens, tribuit quod non merebar. Certè iam neque dici, neque numerari poſſunt ea, quę cęleſti ſua in me famulum ſuum beneuolentia conceſſit, Sanctiſſimi Antiſtes Chriſti Saluatoris: Fratres chariſſimi.* Maiora ſunt hæc quam pro catechumeno: nedum Pagano. Et rurſum. *O verè victrix prouidentia Chriſti Saluatoris? vt etiam his conſuleret, qui iam deſciſcentes à veritate quodammodo aduerſus ipſam arma inducentes gentibus ſe copulauerunt. Quia ſi vel nunc vera Fide noluerint obſequia Sanctiſſimæ legi deferre, intelligere poterunt, quantum ſibi nutu Dei ſit prouiſum. Et hoc quidem Sanctiſſimi Fratres ſperabam illam in eis quibus ingenita eſt maxima durities animi poſſe reprehendi, ſed non potuit apud eos recta diiudicatio, neque in eorum ſenſus ingreſſa eſt Diuinitas propitia.* Ab ore Chriſtiani ſunt iſta, opinor, profecta: non catechumeni Paganiſmum adhuc inhalantis. *Egregia probatio.*

lantis. Pergo. *Si hoc ante oculos habere voluiſſent minimè hoc ipſum interpoſuiſſent. Meum iudicium poſtulant, qui ipſe iudicium Chriſti expecto*. Si non eſset baptizatus melius ſe excuſaret, aut magis miraretur, quòd iudicium catechumeni poſtularent. Qui non excepit Chriſti iudicium, ei Sacramenta non deerant. *Dico enim*, proſequitur, *vt ſe veritas habet Sacerdotum iudicium, ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens iudicaret*. Auderetne qui hæc ſcribit catechumenus inter Sacerdotes iudicare? Addit. *Nihil enim licet his aliud ſentire, vel aliud iudicare, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti*. Et tamen iudicium Conſtantini Sacerdotes nondum Chriſtiani requirerent? & ipſe quod Chriſti proprium eſse ſciebat ſibi à Chriſto adhuc alienus, nec dum liber à poteſtate Diaboli vſurparet? Quàm verò illa ſunt quæ adiungit præclara? quàm Chriſtiani hominis, iam gratia baptiſmali donati, propria? *O rabida furoris audacia? Sicut in cauſis gentium fieri ſolet appellationem interpoſuerunt? Etenim gentes minora interdum iudicia refugientes vbi iuſtitia deprehendendi poteſt: magis ad maiora iudicia authoritate interpoſita ad appellationem ſe conferre ſunt ſolitæ. Quid hic detractores legis, qui renuentes cæleſte iudicium, meum putauerunt poſtulandum, ſic ſenſere de Chriſto Saluatore?* Ecquem iſta non moueant ad credendum Conſtantinum à quo dicuntur Chriſtianum, & baptizatum eſſe? immò & vltra baptiſmum iuſtum, & religioſum Imperatorem? Tandem: *Vos qui Domini Saluatoris ſequimini viam patientiam adhibete, data his adhuc optione, quid putent diligendum, ac ſi eos in ijſdem videritis perſeuerare, protinus cum his, quos Dominus dignos cultu ſuo iudicauit: proficiſcimini, & redite ad proprias ſedes, meique mementote, vt mei Saluator miſereatur*. Nec auderet catechumenus hęc Patribus Concilij dicere, nec ij ferrent Catechumenum dicere. Legat & expendat, qui volet; à Chriſtiano, & Sacris imbuto dicta comperiet.

Conſtantinus ſub Melchiade Chriſtianus. — Conſtantinus.

Quartò geſta in Eccleſia Catholica Pontificatus Melchiadis tempore, oſtendunt Conſtantinum fuiſſe iam tum baptizatū. Narro. Suſcepit cauſam Cæciliani; controuerſiam, quæ inde exiſtebat, ordinationis Epiſcopalis, & Communionis Catholicæ recognouit: iuſſit de eo haberi, vel curauit Romæ à Melchiade Concilium: Iudices, & cognitores nominauit. Acta examinauit: tulit ſententiam contra Donatiſtas Imperialibus litteris munitam: quas Donatiſtæ non potuerunt, vel negando

Ex geſtis Conſtantini tempore Melchiadis baptiſmū ſuſcepiſſe probatur. — Optatus Auguſt.

gando appoſitum fuiſſe nomen Conſulis infirmare. Hæc tradunt Optatus lib. 1. & 2. contra Parmenian. & Auguſtinus: Epiſt. 152. & 162. & 166. & 167. in collatione ſiue Concilio Africano, in quo Catholici Epiſcopi, & alij Partis Donati ſimul interſuerunt. Nemo quidem in Eccleſiaſticis rebus verſatus ſibi perſuaſerit hæc omnia geſtum, vel permiſſum iri homini minimè baptizato. Idque vel aduerſariorum exemplo conuicero. Baronius tomo 3. Annalium. Anno Chriſti 357. Liberij 6. Conſtantij 21. diſputans de cauſa necis Felicis Papæ, quæ haud dubiè fuit damnatio Conſtantij hæretici, & inquirens cauſam damnandi, quam nonnulli exiſtimabant eam eſſe, quòd hic rebaptizatus eſſet ab Euſebio Nicomedienſi Ariano: ac eam reijciens, ſic ait. *Conſtat aſſertione Maiorum Conſtantium his temporibus adhuc perſeueraſſe catechumenum, id præſertim Hilario atteſtante, cum in ipſum inuehitur, quòd nondum regeneratus, vt ait, credendi formam preſcribere auderet Eccleſijs.* Et quidem ita ſcribit Hilarius lib. de Synod. haud procul à fine. *Homines peruerſi eò vſque proruperant, vt cum hoc ipſi prædicare publicè non auderent: Imperatorem tamen fallerent ad audiendum. Feſellerunt enim ignorantem Regem, vt iſtiuſmodi perfidiæ fidem bello occupatus exponeret, & credendi formam Eccleſijs nondum regeneratus exponeret.* Igitur dum ait Baronius Hilarium inuectum fuiſſe in Conſtantium, quia ante baptiſmum catechumenus Fidei formulam proponebat Eccleſijs, quòd non liceret homini non baptizato illud ſibi munus arrogare, negat certè licuiſſe Conſtantino catechumeno Eccleſiæ Africanæ cauſam ſuſcipere, & Fidem Epiſcoporum diſcernere, & Schiſmata tollere, & in re Eccleſiaſtica iudicium ferre. Nec obſtat dicere aliam eſſe materiem Fidei, aliam cauſam Eccleſiaſticam, quòd illa eſt in iure quodammodo, hæc in facto verſatur; quia Conſtantius non exponebat, aut interpretabatur Fidem, nec quid eſſet credendum definiebat: ſed acceptam ab alijs Epiſcopis, & Patribus Concilij formulam fidei proponebat. In quo non authorem, ſed executorem agebat. Qua certè ratione non minus ſacrum munus erat, quod Conſtantinus ſibi arrogabat. Prætereà illud factum Eccleſiæ Africanæ tam erat coniunctum cum iure, vt à re fidei ſeparari non poſſet: diſtinguens quippè Donatiſtas à Catholicis, veram horum eſſe fidem, falſam illorum opinationem, immò hæreſim affirmabat. Et quid eſſet in-

Optatus Auguſt.

Baron.

Hilar.

Eodem Baronij argumento ſtabilitur.

Obiectio refellitur.

ſentiendo verum declarabat, ac veritatem de vnico baptiſmo tradebat. Qui legat libros Optati Mileuitani primum, & ſecundum,& breuiculum collationis Auguſtini,& Epiſtolas proximè citatas ea à Conſtantino in rebus Eccleſiaſticis geſta reperiet illo Pontificatu Melchiadis, quæ nulla ratione poſſunt in catechumenum quadrare. Optatus Mileu.

Indicere Concilium nõ eſt catechumeni. Quintò. Indicere Concilium, eique intereſſe, & in eo ferre de re Eccleſiaſtica ſententiam proprium eſt Chriſtiani, & fidelis, & baptizati. Conſtantinus indixit (non nunc diſputo an ritè, & rectè,ſecus ne fecerit?) Concilium Romanum,Arelatenſe,Mediolanenſe:adſuit,& interdum in ijs tulit ſententiam: igitur non erat tum catechumenus, ſed baptizatus. Aſſumptum patet ex Auguſtino Epiſtol. 152. 162. 166. 167.& ex Optato Mileuit.lib.1.& 2.contr.Parmenian. Idem. Immò ex breuiculo collationis cum Donatiſtis, quod exhibet Auguſtinus in tomo 6. & habetur 1. tomo Conciliorum collect.Binianæ ad finem. Id conſtat de Concilio Romano ſub Melchiade. Quòd autem vel in fine Pontificatus Melchiadis, vel initio Sylueſtri Conſtantinus interfuerit Concilio cum Patribus: de Arelatenſi tradit Baronius: qui perſpicuè affirmat Anno Chriſti 314. Imperij ſui nono Conſtantinum interfuiſſe Concilio Arelatenſi, & ibi cum Patribus ſuper cauſa Cæciliani conſiliantibus conſediſſe. De quo etſi ego ſubdubitem, qui videam Donatiſtas ab eo item Concilio ad Imperatorem rurſum appellaſſe, Auguſtino Epiſtola 162. & 165.& 166.167.& 171. authore, aduerſus Baronium valet argumentum. Et quidem Auguſtinus proximè citatus videtur ſignificare Mediolani tertium coactum fuiſſe Conciliũ, in quo Cæcilianus cum Donatiſtis, & Catholicis Epiſcopis congregati cauſam egerunt coram Imperatore Conſtantino: Sic enim ait. *Præcepit Imperator, vt Mediolanum ſequerentur: Tunc ſe aliqui eorum ſubtrahere cæperunt; fortaſſe indignati, quia non eſt eos imitatus Conſtantinus, vt iam ſtatim atque velociter Cæcilianum damnaret abſentem. Quod vbi cognouit prouidus Imperator reliquos ab officialibus cuſtoditos fecit Mediolanum peruenire. Quò cum etiam Cæcilianus perueniſſet, ipſum quoque ſicut ſcripſit exhibuit, cognitaque cauſa,qua diligentia, qua cautela, qua prouiſione, ſicut eius indicant litteræ, Cæcilianum innocentiſſimum illos improbiſſimus iudicauit?* Et quidem patet ex Epiſtol. 165. Auguſtini,quæ eſt ad Generoſum, Donatiſtas à Patribus Arela- Idem.

Baron. August.

tenſi-

tenſibus ad Conſtantinum appellaſſe, ac proinde Imperatorem non adfuiſſe. Sic enim: *Voluit Conſtantinus alios Epiſcopos apud Arelatum iudicare, vbi iſti & ab ipſorum iudicio ad eundem Imperatorem appellarunt: vbi poſtremò cauſam inter partes ipſe cognouit*. Cognouit autem Mediolani. Siue igitur Baronio authore in Arelatenſi, ſiue Auguſtino in Mediolanenſi Concilio adfuerit Conſtantinus, certè non catechumenus, ſed baptizatus adfuit. Verùm quidem eſt duo obijcere poſſe Baronium. Alterum: ea duo Concilia Arelatenſe, & Mediolanenſe ſub Syluestro, non Melchiade habita fuiſſe: alterum: neutrum in rebus fidei verſatum. Sed reſpondemus primo: vtcumque ſit de tempore: certè initio Pontificatus Syluestri congregata, ac proinde multo ante annum 18. baptizatum Conſtantinum. Præterea iam illa cauſa inchoata erat ſub Melchiade, eique à Conſtantino commendata, & iuxta Melchiadis ſententiam definita, & à Conſtantino litteris Diualibus (ſic vocabant) publicata, quod penè perinde ſe habet, ac intereſſe Concilio cum Patribus.

Baron.

Præterea quemadmodum narrat Baronius, Conſtantinus Anno 1. Syluestri miſit tractorias Epiſtolas ad conuocandos Epiſcopos Arelate ad Conciliũ, quas non mitteret, niſi Chriſtianus. Et quidem ex earum tenore apparet eum, iam tum eſſe baptizatum. Legat qui volet, perſpicua ſigna comperiet. Affert Seuerinus Binius 1. tomo Concilior. pag. 222. Sed vrgeamus aduerſarios ſuo argumento, ſanè inuicto contra Euſebium. Non poterat Conſtantinus intereſſe Concilio Niceno catechumenus. Interfuit antequam Nicomediæ cum Euſebio in extremo vitæ actu, ſicuti vult Euſebius Cæſarienſis, de baptiſmo ageret: igitur iam ante Concilium baptizatus fuerat. Hoc argumentum acceptum ſic retorqueo. Conſtantinus catechumenus non poterat intereſſe Concilio Arelatenſi, vel Mediolanenſi: ſed interfuit, ergo baptizatus erat, quando interfuit. Verùm excipiunt aduerſarij Concilium Nicenum fuiſſe multo ſacratius, & nobilius, & Oecumenicum: ac in eo Patres egiſſe de doctrina fidei, & morum: quibus ego facilè reſpondeo, quò illud Conciliũ erat amplius, & numeroſius, eò faciliùs admittere perſonas externas, & alienas à Sacris debuiſſe: quemadmodũ conſtat ex hiſtoria eiuſdem Concilij; in eo enim gentiles Philoſophi, ac Sophiſtæ fuerunt, & diſputarunt. Vnde nihil efficit argumentum. Reſp. ſecundo: addu-

Retorquetur argumentum.

Seuer. Binius.

adducitur de doctrina fidei, & morum frigidum eſſe: nam ſi non ideò ſunt Ethnici à Niceno excluſi, nec in eo Arelatenſi, aut Mediolanenſi Concilio deerat materia fidei, cum de tollendo ſchiſmate, cum hæreſi Donatiſtarum coniuncto ageretur. Deinde erat cauſa ſecretior, & minus vulgaris, videlicet ordinatio Cæciliani, & Eccleſiæ Africanæ notio, & character, quæ res, quò magis erat occulta, eò minus erat communis, atque adeò catechumenos excludebat, qui maiori iure debebant admitti ad doctrinam fidei, & morum, quam addiſcere ſolebant in Eccleſijs, quàm ad illas quæſtiones Epiſcopales de ordinibus, & Sacramentis.

Vrgetur ſuis rationibus aduerſarys.

Quid? quòd Romano item Concilio vel primo, vel ſecundo, vel vtriq; cum Sylueſtro adfuit Conſtantinus in ſententia aduerſariorum, multò antequam annum 18. ſui Imperij attigiſſet? Video hæc argumenta non probare tempore Papæ Melchiadis Conſtantinum baptizatum: cum iſta Romana Concilia fuerint habita tempore Sylueſtri: verùm idcircò ijs vtor, quia probant, iam tunc eſſe baptizatum: vnde duo colligo. Vnum non fuiſſe baptizatum eo quem deſignant aduerſarij anno, ideſt 18. vel 19. ſed initio Pontificatus Sylueſtri. Alterum cum conſtet ex ijs duobus, vel tribus Concilijs, quibus interfuit, iam tum baptizatum fuiſſe, & illa inciderint in Sylueſtri Pontificis initium, argumento eſt antea baptiſmum ſuſcepiſſe, ideſt ſub Melchiade, ſed à Sylueſtro, quòd infra oſtendemus. Nam cum ſimilia egiſſet ante Pontificatum Sylueſtri, patet iam eo eſſe tempore baptizatum.

Illud imprimis animaduerto, quæ aduerſarij argumenta congerunt ad probandum contra Euſebium, Conſtantinum ante illud extremum vitæ tempus baptiſmum ſuſcepiſſe, ea omnia aduerſus eoſdem procedere. Nolo meis hic vti verbis, ſed nobilis authoris Spondani 1. tomo Anno 324. num. 16. impugnantis Euſebium. *Longè ante fuiſse Conſtantinum baptizatum idem ipſe Euſebius conuincitur affirmare, dum aſſerit eum ſacris intereſſe myſterijs: cum tamen vigente maximè tunc Eccleſiaſtica diſciplina, qua catechumeni, quicumque illi fuiſſent audito Dei verbo, cùm Sacerdos Sacra auſpicaturus eſſet, extra Eccleſiam mitterentur.* Et poſtea. *Quonam modo poſſunt Conſtantino hæc applicari, ſi nondum baptizatus erat? cum conſtet omnem catechumenum eſſe Energumenum, & tantum abeſſe, vt ipſum conculcet Draconem, vt potiùs ei ſubiaceat, donec per baptiſmum, quod eſt mare in quod* Spond.

ſer-

ſerpens demergitur, enecatus ab eius poteſtate liberetur, Quàm hæc in aduerſarios, nominatis ſingulis loco Euſebij, quadrent, Lector agnoſcet.

His argumentis addo momenta quædam hiſtoriarum, & authorum. Primum Zonaras Græcus, & Ethnicus ſcriptor libro 4. ſuæ hiſtoriæ narrat Conſtantinum initio ſui Imperij baptizatum. Immò & ipſe grauiſſimus author Baronius tradit Zonaram queri de Conſtantino, quòd iam tempore Melchiadis eſſet euerſor Idolorum, ac eundem Conſtantinũ *Chriſtianum* appellat, quo nomine non ſolebant ijs temporibus catechumeni appellari.

Zonar. Baron. *Confirmatur noſtra ſententia.*

Idem. Secundùm. Idemmet Baronius anno Chriſti 312. initio Pontificatus Sylueſtri narrat, Hoſium iam tum adeſſe Conſtantino, & apud eundem Eccleſiaſticas res tractare. Vnde deducitur eſſe baptizatum. Conſtat enim eodemmet authore Baronio Hoſium, ei ſuaſiſſe baptiſmum, vt à lepra mundaretur: qua de cauſa Aegyptius, ideſt Magus, Hoſius nuncupatus.

Tertium. Non decuit Conſtantinum Religioſum, ac pium Principem tandiu baptiſmum differre, præſertim tot intercurrentibus bellis grauibus, & periculoſis, cuiuſmodi fuit illud cum Licinio; atque hic adhibenda pars illius argumenti, quo ſuperiùs conuincimus Euſebium referentem ſalutare illud lauacrum ad extremam ætatem Conſtantini. Certè non iam pietas optimi Principis, ſed conſcientia Chriſtiani hominis attendenda eſt.

Idonea argumenta. Euſeb.

Sozom. Quartum facit authoritas Sozomeni, qui initio ſui Imperij, haud dubiè tempore Melchiadis, immò antè, nimirum antèquam vinceret Maximinum (ſic vocat Maxentium) tinctum, vt cum Tertulliano dicam, Conſtantinum affirmat. Quod etſi nimis probet, indicat tamen non multum diſtuliſſe baptiſmum.

Tandem fortiſſimum adducam, me iudice, argumentum, quo res conficitur. Sumptum ex differentijs inter catechumenum, & Chriſtianum: quibus nos ſuperiùs vti ſumus ad probandum Conſtantinum non potuiſſe tandiu eſſe catechumenum, quæ recolenda omnino, & applicanda ſunt. Verum ijs omiſſis affero quæ ſint huius propria loci. Et in ſyllogiſmum confero. Optatus Mileuitanus, & Auguſtinus Conſtantinum tempore Melchiadis Chriſtianum, & fidelem appel-

adducitur de doctrina fidei, & morum frigidum eſſe: nam ſi non ideò ſunt Ethnici à Niceno excluſi, nec in eo Arelatenſi, aut Mediolanenſi Concilio deerat materia fidei, cum de tollendo ſchiſmate, cum hæreſi Donatiſtarum coniuncto ageretur. Deinde erat cauſa ſecretior, & minus vulgaris, videlicet ordinatio Cæciliani, & Eccleſiæ Africanæ notio, & character, quæ res, quò magis erat occulta, eò minus erat communis, atque adeo catechumenos excludebat, qui maiori iure debebant admitti ad doctrinam fidei, & morum, quam addiſcere ſolebant in Eccleſijs, quàm ad illas quæſtiones Epiſcopales de ordinibus, & Sacramentis.

Vrgetur ſuis rationibus aduerſarijs.

Quid? quòd Romano item Concilio vel primo, vel ſecundo, vel vtriq; cum Syluestro adfuit Conſtantinus in ſententia aduerſariorum, multò antequam annum 18. ſui Imperij attigiſſet? Video hæc argumenta non probare tempore Papæ Melchiadis Conſtantinum baptizatum: cum iſta Romana Concilia fuerint habita tempore Syluestri: verùm idcircò ijs vtor, quia probant, iam tunc eſſe baptizatum: vnde duo colligo. Vnum non fuiſſe baptizatum eo quem deſignant aduerſarij anno, ideſt 18. vel 19. ſed initio Pontificatus Syluestri. Alterum cum conſtet ex ijs duobus, vel tribus Concilijs, quibus interfuit, iam tum baptizatum fuiſſe, & illa inciderint in Syluestri Pontificis initium, argumento eſt antea baptiſmum ſuſcepiſſe, ideſt ſub Melchiade, ſed à Syluestro, quòd infra oſtendemus. Nam cum ſimilia egiſſet ante Pontificatum Syluestri, patet iam eo eſſe tempore baptizatum.

Illud imprimis animaduerto, quæ aduerſarij argumenta congerunt ad probandum contra Euſebium, Conſtantinum ante illud extremum vitæ tempus baptiſmum ſuſcepiſſe, ea omnia aduerſus eoſdem procedere. Nolo meis hic vti verbis, ſed nobilis authoris Spondani 1. tomo Anno 324. num. 16. impugnantis Euſebium. *Longè ante fuiſſe Conſtantinum baptizatum idem ipſe Euſebius conuincitur affirmare, dum aſſerit eum ſacris intereſſe myſterijs: cum tamen vigente maximè tunc Eccleſiaſtica diſciplina, qua catechumeni, quicumque illi fuiſſent audito Dei verbo, cùm Sacerdos Sacra auſpicaturus eſſet, extra Eccleſiam mitterentur.* Et poſtea. *Quonam modo poſſunt Conſtantino hæc applicari, ſi nondum baptizatus erat? cum conſtet omnem catechumenum eſſe Energumenum, & tantum abeſſe, vt ipſum conculcet Draconem, vt potiùs ei ſubiaceat, donec per baptiſmum, quod eſt mare in quod* Spond.

ſer-

ſerpens demergitur, enecatus ab eius poteſtate liberetur, Quàm hæc in aduerſarios, nominatis ſingulis loco Euſebij, quadrent, Lector agnoſcet.

His argumentis addo momenta quædam hiſtoriarum, & authorum. Primum Zonaras Græcus, & Ethnicus ſcriptor libro 4. ſuæ hiſtoriæ narrat Conſtantinum initio ſui Imperij baptizatum. Immò & ipſe grauiſſimus author Baronius tradit Zonaram queri de Conſtantino, quòd iam tempore Melchiadis eſſet euerſor Idolorum, ac eundem Conſtantinũ *Chriſtianum* appellat, quo nomine non ſolebant ijs temporibus catechumeni appellari.

Zonar. Baron. *Confirmatur noſtra ſententia.*

Secundùm. Idemmet Baronius anno Chriſti 312. initio Pontificatus Syluestri narrat, Hoſium iam tum adeſſe Conſtantino, & apud eundem Eccleſiaſticas res tractare. Vnde deducitur eſſe baptizatum. Conſtat enim eodemmet authore Baronio Hoſium, ei ſuaſiſſe baptiſmum, vt à lepra mundaretur: qua de cauſa Aegyptius, ideſt Magus, Hoſius nuncupatus.

Idem.

Tertium. Non decuit Conſtantinum Religioſum, ac pium Principem tandiu baptiſmum differre, præſertim tot intercurrentibus bellis grauibus, & periculoſis, cuiuſmodi fuit illud cum Licinio; atque hic adhibenda pars illius argumenti, quo ſuperiùs conuincimus Euſebium referentem ſalutare illud lauacrum ad extremam ætatem Conſtantini. Certè non iam pietas optimi Principis, ſed conſcientia Chriſtiani hominis attendenda eſt.

Euſeb. *Idonea argumenta.*

Quartum facit authoritas Sozomeni, qui initio ſui Imperij, haud dubiè tempore Melchiadis, immò antè, nimirum antèquam vinceret Maximinum (ſic vocat Maxentium) tinctum, vt cum Tertulliano dicam, Conſtantinum affirmat. Quod etſi nimis probet, indicat tamen non multum diſtuliſſe baptiſmum.

Sozom.

Tandem fortiſſimum adducam, me iudice, argumentum, quo res conficitur. Sumptum ex differentijs inter catechumenum, & Chriſtianum: quibus nos ſuperiùs vti ſumus ad probandum Conſtantinum non potuiſſe tandiu eſſe catechumenum, quæ recolenda omnino, & applicanda ſunt. Verum ijs omiſſis affero quæ ſint huius propria loci. Et in ſyllogiſmum confero. Optatus Mileuitanus, & Auguſtinus Conſtantinum tempore Melchiadis Chriſtianum, & fidelem ap-

pel-

pellant; ſed Chriſtianus, & fidelis apud ipſos non eſt, nec dicitur catechumenus, ſed ſolus baptizatus, igitur Optato, & Auguſtino auctoribus tempore Melchiadis Conſtantinus erat baptizatus. Propoſitio patet ex multis locis, quos longum eſſet recenſere. Profero aliquos. Optati duos lib. 2. contra Parmenian. loquens de cauſa Cæciliani, & Donatiſtarum. *Redeat*, inquit, *in memoriam Conſtantinus Imperator Chriſtianus.* Et iterum. *Sub Conſtantino Imperatore Chriſtiano*. Dixerat. *Illo tempore:* hoc eſt, quo agitata eſt cauſa. Auguſtinus duos. Primum Epiſt. 162. *Neque enim eſt auſus Chriſtianus Imperator ſic eorum Donatiſtarum tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, vt de iudicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant ipſe iudicaret.* Agit de audienda appellatione poſt iudicium Melchiadis in Concilio facta ad Conſtantinum, quem vocat *Chriſtianum Imperatorem*. Secundum Epiſtol. 166. vbi de eodem iudicio loquitur, & Conſtantinum Chriſtianum vocat, eumque ſecutos Chriſtianos Imperatores Valentinianum, Theodoſium, Gratianum, quos omnes Chriſtianos appellat, & opponit Iuliano, affirmat; ac perſpicuè. *Si vobis*, inquit, *liceret, non quidem iam Conſtantinum Chriſtianum, quia veritati fauit contra nos appellaretis, ſed Apoſtatam Iulianum ab inferis excitaretis.* An diceret Iulianum *Apoſtatam*, & ſupra *Chriſti deſertorem* vocaret, ſi Conſtantinus Chriſtianus, & baptizatus non eſſet? Alios Auguſtini locos prætermitto in ſequentibus Epiſtolis, in quibus manifeſtè declarat Conſtantinum, cùm eam cauſam ſuſcepit, & commiſit Melchiadi eſſe Chriſtianum. Immò & eo argumento obſtruit os Donatiſtis querentibus de Catholicis, quòd opem Imperatorum aduerſus ipſos implorabant, & opera eorumdem vtebantur; reponit quippè, id ab ipſis prioribus fuiſſe factum, cùm ad Imperatorem Conſtantinum cauſam Cæciliani, & Maiorini detulerunt: quod argumentum nullum eſſet, ſi ad Conſtantinum nondum Chriſtianum, & baptizatum confugiſſent.

Optatus *Auguſt.* *Conſtantinus initio Imperij ſit baptizatus.*

Propoſitione comprobata monſtremus aſſumptionem. Nimirum Chriſtianum opponi catechumeno, qui nec Chriſtianus, nec Fidelis dici poteſt. De eo ſic Optatus Mileuitanus lib. 3. *Quomodo catechumenus mutatur in fidelem?* Et rurſum. *De Pagano catechumenum feci. Ille catechumenum baptizauit.* Diſtinxit inter catechumenum, & Paganum, & inter catechumenum, & baptizatum: ſic intelligit il-

Optatus

lud

illud Pauli. *Ego plantaui Apollo rigauit, vt rigare ſit baptizare.* Clarius Auguſtinus diſtinguit multis in locis. Ille eſt perſpicuus tract. 43. in Ioan. *Interroga hominem, Chriſtianus es? Reſpondet tibi. Non ſum. Adbuc quæris ab eo. Catechumenus? An fidelis? Si reſponderit tibi catechumenus: inunctus eſt, nondum lotus. Sed vnde inunctus? Quære, & reſpondet. Quære ab illo in quem credat? Eo ipſo quo catechumenus eſt dicit in Chriſtum. Ecce modo loquor, & Fidelibus, & catechumenis.* Et lib. 1. de Peccator. mer. & remiſs. cap. 33. *Vbi ponimus paruulos baptizatos? niſi inter fideles? Eos qui baptizati non ſunt? Inter eos qui non crediderunt.* Sunt alij eiuſdemmodi loci Epiſt. 163. & 164. vbi per *Chriſtianos, Baptizatos* intelligit. Nec memini me in Auguſtino inuenire Chriſtianum poſitum pro catechumeno. Quem ne fidelem quidem appellat. Accedit Tertullianus, qui eundem modum loquendi ſeruat, & has notiones nominum diſtinguit. Nam lib. de baptiſmo ſic. *Veniant*, inquit, *fiant Chriſtiani, quum Chriſtum noſſe potuerint.* Et lib. de præſcript. n. 256. apud Pamelium. *Imprimis quis catechumenus, quis fidelis incertum eſt. Pariter adeunt, pariter orant.* Taxat confuſionem catechumenorum cum fidelibus. Deſiderat diſtinctionem, & ordinem, qualem diuerſa exigunt. Et quidem de hoc argumento hactenus. Eo manifeſtè, opinor, oſtenditur Conſtantinum, quo tẽpore Chriſtianus dicitur, eſſe baptizatum: cùm autem dicatur Chriſtianus, tempore Melchiadis, cõſtare eo tempore eſſe baptizatum. Hucuſque ſcripſeram: cùm incidi in locum Nicolai Cuſani lib. 3. de concord. Catholica, quem miratus ſum tantò antè ita ſenſiſſe contra eam, quàm dicit communem ſententiam: ſic enim ibi. *Verum eſt Conſtantinum Imperatorem tempore Melchiadis Papæ fuiſſe, & tunc Chriſtianum: vti per Auguſtinum in multis locis hoc habetur.* Sed de eo loquitur per tranſennam, vt aiunt, nec probat: tantùm iacit, & præterit. Conducit hoc tamen ad minuendam, ſi qua tamen eſſe poteſt in veritate inueſtiganda, aut inuidiam, aut nouitatem.

Auguſt. | *Inter catechumenum, & baptizatũ quid intereſt.*

Tertul. | *Catecumenus non eſt Chriſtianus.*

Nicol. Cuſan. | *Conſtantinũ baptizatum à Syluestro tempore Melchiadis ſenſit Cuſanus Cardinalis.*

CAPVT VII.

Proponitur, & ſoluitur obiectio principalis, & nonnullæ aliæ diluuntur.

SI tempore Melchiadis tinctus eſt Conſtantinus, non videtur fuiſſe tinctus à Syluestro Papa: nec enim ſatis eſt dicere à Syluestro nondum Pontifice baptizatum: cùm qui authores dicunt baptizatum à Syluestro, ij omnes ab eo non priuato, ſed Pontifice baptizatum dicant. Id Acta Syluestri, id Edictum Conſtantini. Id Epiſtola Adriani in 7. Synodo. Id Leo Papa IX. in Epiſt. ad Michaelem. Id Breuiarium Romanum. Id omnes quos ſupra citauimus tum Græci, tum Latini Scriptores narrant. Immo & hæc eſt Eccleſiæ Romanæ traditio. A qua piaculi inſtar eſt diſſentire. Vnde fit, vt baptiſmus Conſtantini à Pontificatu Syluestri nequeat ſeparari. Vrgetur item obiectio ex eo, quòd ſi viuo Melchiade tinctus eſt Conſtantinus, non debuit, niſi ab eo Pontifice tingi, ac proinde omnino Sylueſter excluditur.

An fuerit Conſtantinus baptizatus à Syluestro iam Papa.

Acta Syluestr. Edictum Conſt. Adrian. Leo IX. Breuiar. Romar.

Video difficultatem, & quidem ingentem. Illud tamen me confirmat, quòd nulla eſt alia, quæ me deterreat. Accingar igitur ad luctandum cum ea: quæ ſi me non deijciat, ſto in gradu, & vinco. Expono meam ſententiam, & adhibeo reſponſionem. Potuit Conſtantinus baptizari à Syluestro Vicario, & Chorepiſcopo Melchiadis; quòd ſatis eſt ad explicandos locos, qui eum dicunt Papam: cùm præſertim eo tempore quo tinxit Conſtantinum non eſſet Romæ Melchiades, ſed alibi longè ab vrbe verſaretur: quo ſoluitur pars obiectionis, quæ negat viuo Melchiade ab alio baptizari debuiſſe. Si enim aberat Melchiades non poterat ab eo baptizari, atque adeò à Syluestro potuit, ac debuit. Magna dicet Lector me promittere. Præſtabo ſi volet legere. Rem narro. Maxentius, quemadmodum ſuperius diximus, vltimis Imperij ſui temporibus perſecutionem Eccleſiæ remiſit, etſi ab alijs vitijs non ceſſarit: propter quæ, & veteres ſimultates aduerſus eum mouit Conſtantinus adhuc gentilis. Non eſt auſus eum expectare Maxentius. Roma ceſſit, & aliò conceſſit: cum magna Magiſtratuum parte, in quibus erat Melchiades tum Maxentio carus. Hoc interuallo temporis venit

Sylueſter Vicarius Melchiadis Papæ.

Con-

Conſtantinus, & Romam inijt Paganus, & Idololatra, & Chriſtianis infenſus, quibus viderat pacatum, & amicum Maxentium. Curabat tum loco Melchiadis Romanam in Vrbe Eccleſiam Syluefter, quem ob id comprehendere voluit Conſtantinus. Eius rei conſcius ille, fuga ſibi conſuluit, & Vrbe relicta in Soractem montem clàm ſe proripuit, ibique latuit: donec à Deo punitus Imperator, & lepra percuſſus de remedio balnei cruenti agitauit: monitus interim à Deo, viſis imaginibus Petri, & Pauli, vt quæreret, & acciri iuberet Syluestrum latentem in monte, à quo & imbueretur myſterij fides, & ſalutari lauacro mundaretur. Ita imperata Conſtantinus fecit, & à Sylueſtro tinctus eſt abſente Melchiade: qui paulo poſt deuicto à Conſtantino Maxentio Romam rediens reliquum ibi vitę tempus exegit.

Apta narratio de Melchiadis abſentia, & Sylueſtri eius vice officio.

Fuga Syluestri.

Hæc ſi vera ſunt difficultatem auferunt: ſi veroſimilia emolliunt. Efficiam probando, vt partim ſint vera, partim veriſimilia. Ac primum altiùs incipiendo, accidiſſe non ſemel vt Romani Pontifices eligerent Vicarios, & Chorepiſcopos, qui Romæ eſſent, & vices Pontificum gererent: patet exemplo Lini, & Cleti, & Clementis, qui viuente Petro hæc munia obierunt, quemadmodum nos de Clauibus Petri lib. 1. exemplis accuratè monſtrauimus. Superſunt alia. Lucius Papa eius nominis 1. paſſurus Martyrium Stephanum Archidiaconum, qui ei poſtea ſucceſſit vice ſui in Pontificatu reliquit: authore Damaſo, ſiue qui nomine Damaſi vitam illius ſcripſit his verbis. *Hic omnem poteſtatem Eccleſiæ dedit Archidiacono ſuo Stephano dum ad Paſſionem properaret.* Felix II. à Liberio in Orientem euocato Chorepiſcopus fuit creatus, & Vicarius inſtitutus, vt dũ abeſſet Romanam Eccleſiam gubernaret: quod præter alios narrat Seuerinus Binius 1. tom. Concil. in notis ad vitam Liberij. Immò Clerum Romanum legimus relegato Martino I. elegiſſe vice illius Eugenium I. Baronius id narrat anno 652. & Spondanus ibidem. Illud idoneum eſt exemplum apud Ciacconium in vita Anaſtaſij IV. vbi ſic. *Anaſtaſius Romanus Vicarius Papæ in Vrbe ab Innocentio II. in ſchiſmate Anacleti Papę creatus, eo munere vſque ad Pontificatum Romanum functus eſt*, ideſt tempore trium Pontificum Celeſtini II. Lucij II. Eugenij III. quorum Innocentius, & Eugenius diu Roma abſuerunt. Lucius aliquantum, Conrado (id ei tum nomen) Sabinenſi Epiſcopo Eccleſiam moderan-

Baptiſmus Conſtantini.

Author lib. de Clauib.

Damaſ.

Exempla eorum, qui vices Pontificũ agerunt.

Binius.

 deran-

derante. Potuit ſimiliter Melchiades abſens Vrbe eligere Syluestrum Vicarium, delegata ei Pontificia poteſtate, ac eo tempore Conſtantinum baptizare: quod veriſimile eſſe oſtendamus. Roma abfuiſſe Melchiadem imperante Maxentio conſtat ex narratione Auguſtini in Breuiculo collationis: *Sylueſtrum fuiſſe Vicarium Melchiadis oſtenditur.* nam cum Donatiſtæ imponerent Melchiadi crimen traditionis eo nomine, quòd Stratone Diacono, quem ipſi traditorem vocabant, familiariter vtebatur, ita illum Catholici excuſabant. *Additum*, inquit Auguſtinus, *eſt à Catholicis, etſi demonſtraretur eundem Stratonem Diaconum tradidiſse, quem poſtea Melchiades ad recipienda loca Eccleſiaſtica cum alijs miſerat, non continuo Melchiadem iſto crimine aſpergi, quem potuit perſecutio longè facere abſentem, vt hoc omnino neſciret, cumque innocentem putaret.* August. Ex his fit probabilis abſentia Melchiadis, alioquin non eſſet excuſatio Catholicorum probabilis. Sed rem hanc in qua multum eſt momenti maiori verborum pondere confirmemus. Narrat Auguſtinus in tertiæ diei collat. 3. *Donatiſtas ad accuſandum proditionis Melchiadem protuliſſe Acta, in quibus legebatur Melchiades miſiſſe Diaconos cum litteris Maxentij Imperatoris, & litteris Præfecti Prętorij ad Præfectum Vrbis, vt ea reciperent, quæ tempore perſecutionis ablata memoratus Imperator Chriſtianis iuſſerat reddi.* Idem. Tunc adijcit Auguſtinus, *Donatiſtę dixerunt Stratonem Diaconum, quem cum alijs Melchiades ad recipienda loca Eccleſiaſtica miſerat eſſe traditorem. Et ideò volebant etiam Melchiadem crimine traditionis adſpergere, quòd Diacono illo non degradato vteretur.* Quæ pars Actorum iterum ab Auguſtino libro poſt collationem cap. 13. recitatur. Tria hic obſeruanda. Primùm hanc narrationem, vti veram admiſſam fuiſſe à Catholicis diſceptantibus cum Donatiſtis, & à Cognitore Imperatoris probatam: crimen ſolum fuiſſe depulſum, quòd ex ea narratione minimè ſequeretur. Secundum: Maxentium extremo Imperij ſui tempore deſtitiſſe à perſequendis Chriſtianis, eoſque bene habuiſſe, quandoquidem iubebat reſtitui eis ablata tempore *Maxentius deſtitit à perſecutione.* perſecutionis. Tertium: Melchiadem tunc cum litteras ab eo, & à Præfecto Prætorij accepit abeſſe Vrbe Roma, & eſſe apud Imperatorem Maxentium, qui Roma deceſſerat. Quorſum enim litteris res ageretur, eæque ad Præfectum Vrbis darentur, ſi vterque Melchiades, & Maxentius Romę eſſent? Aut quorſum Præfectus Prætorij, qui Magiſtratus militaris

erat

erat ad Præfectum Vrbis ſcriberet? niſi in caſtris eſſet? Tandem mitti Diaconos à Melchiade Romam pro recuperandis ablatis argumento eſt ipſum extra Vrbem, & in Caſtris, vel propè à Maxentio verſari, atque adeò ei gratioſum eſſe, à quo eiuſmodi fauorabiles litteras impetrabat, cùm præſertim eo tempore Chriſtianis faueret, ijſque vbique indulgeret, nec quenquam eorum opprimi lædique pateretur? Qua de re Optatus Mileuitanus lib. 1. *Tempeſtas perſecutionis peracta, & definita iubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio Chriſtianis eſt reſtituta*, quod item confirmat Euſebius lib. 8. c. 26.

Melchiades Roma abſuit cum in eam venit Conſtantinus.

Optatus

His quæ omnino conſtare videntur poſitis, magnam mihi hiſtoriæ lucem oboriri video. Si enim Melchiades Roma cum Maxentio abſuerat, & perſecutio remiſerat, & Eccleſiæ pax, & bona reddita, ſequebatur Chriſtianos Maxentio caros eſſe, & hunc ab ijs, & amari, & coli: atque adeò Conſtantinum cùm aduerſus Maxentium exercitum duxit, non bene animatum erga eos fuiſſe, & quòd Idolorum cultor erat perſecutionem in eoſdem mouiſſe; quare relictus in Vrbe vice Melchiadis Sylueſter latibulum in Soracte monte quæſiuit: quæ perſecutio tandiu durauit, donec tactus lepra morbo reſipuit, & baptiſmum ſuſcepit eo quo ſuperius tradidimus modo, viuente Melchiade, & alibi ob timorem Conſtantini, & fortè apud Maxentium agente. Quò ſpectauit Auguſtinus cum loco paulo ante à me citato in Breuiculo collationis tertiæ diei Melchiadem *potuit perſecutio longè facere abſentem:* quæ abſentia, quamuis eſſet alia diuerſa ab iſta facta Imperante Conſtantino, ex ea tamen deducitur ſolere Pontifices tempore perſecutionis Vrbe abeſſe, atque adeò potuiſſe Melchiadem remittente furore Maxentij manere in eodem loco, vel ad eum ſe conferre extra Vrbem morantem, & cum Romam poſtea inijt Conſtantinus, aut Roma exire cum Maxentio, aut eo mortuo ad tuta latibula redire, quandoquidem Sylueſter eius in Vrbe Vicarius Conſtantini perſecutionem fugiebat, vt in Actis, & monumentis citatis habetur dictum ad Conſtantinum. *Sylueſter perſecutiones tuas fugiens*, & in Epiſtola Adriani. *Perſecutionis tuę cauſa Roma exulat.*

Auguſt.

Perſecutio Conſtantini.

Nihil in hac narratione, opinor, eſt non veriſimile, non ad rem, quam perſuadere volumus, accommodatum. Addo momentum ex coniectura. Certè illud tempus Pontificatus Melchiadis, & Sylueſtri initio implexum fuit, ac ex vtro-

que quaſi promiſcuè compoſitum, vt quod vnius proprium
Hiſtoria de Pontificatu Melchiadis implexa. erat alteri tribueretur. Colligo ex Hieronymo Epiſtol. 133. Hieron.
qui ait Sylueſtro Pontifice Rheticium in Concilio Romano
vnum fuiſse ex iudicibus in cauſa Donatiſtarum: cùm Mel-
chiades non Syluester, tum Pontificatum gereret: in quo mi-
rum ſit minus vidiſse vigilantiſſimum authorem Hierony-
mum, quem non alia ratione excuſare poſsumus, niſi ſimili-
tudine munerum, quòd Melchiadis Pontifex, Sylueſter il-
lius Vicarius erat: atque hunc pro illo ſcribenti occurriſse.
Alia coniectura eſt ad hoc munus Vicarij adſtruendum. In
vita Sylueſtri, quæ tribuitur Damaſo ſcribitur eum fuiſse Damaſ.
ordinatum Presbyterum à Melchiade, quod falſum eſt, vel
authore Baronio, quod ex Auguſtino contra Petilianum
cap. 16. conſtet eum à Marcellino Papa Presbyterum ordina-
tum, quod Breuiarium Romanum in vita Sylueſtri confir- Breu. Rom.
mat. Vnde deducitur aliquid ei dignitatis, immò & ordi-
nis contuliſse Melchiadem, qui cum Diaconatus, & Presby-
teratus eſse non poſset, Epiſcopatus eſse debuit, pro quo Pres-
Sylueſter à quo presbyter ordinatus. byter in librum obrepſit. Non enim de nihilo Author vitæ
ſcripſit Melchiadem ordinaſse Sylueſtrum. Credendum igi-
tur eſt ordinem ei idoneum contuliſse: ac ita & Auguſtini,
& Damaſi, vel authoris vitæ Melchiadis dicta conſentiunt.
His compertis, & acceptis ſuſtineri poteſt ille modus loquen-
di Conſtantinum baptizatum fuiſse à Sylueſtro Papa, ideſt
Papæ Vicario, & qui ſolus Romæ tunc erat, cùm præſertim
is Melchiadi, cuius breuis Pontificatus fuit ſtatim ſucceſſiſ-
ſet: qua ratione Papa dici potuit. Animaduerto item in
Actis Sylueſtri interdũ appellari *Epiſcopum Vrbis Romæ*, quod
noſtræ fauet coniecturæ: nam ſic appellatum fuiſse legimus
Linum, & Cletum adhuc viuente Petro, qui ſuos Adiuto-
res, & Chorepiſcopos creauerat, quemadmodum in libro 1.
Quomodo dicatur baptizatus Conſtantinus à Sylueſtro Papa. de Clauibus ſcripſimus: dum eos vnà eum Petro Pontifices
fuiſse negauimus. Præterea ſunt quædam teſtimonia, quæ
neutro titulo afficiunt Sylueſtrum, & quaſi priuatum indu-
cunt in baptiſmo. Nicolaus quippè 1. in Epiſt. quæ eſt 8. ad
Imperat. Michaelem ſic ponit. *Sylueſter Magni Conſtantini baptizator Auguſti*.

Sed quoniam alij ſunt loci perſpicui pro Sylueſtri bapti-
zantis Pontificatu, videlicet in Edicto Conſtantini. In Epi-
ſtola Adriani. In Breuiario Romano, oportet ſingulis reſpon-
dere.

dere.

dere. Et quidem Edicto Baronius non multùm credit, immò illud ſuſpectum exiſtimat, & cum eo Binius, vti infra dicemus. Quare his authoribus non paucæ eiuſdem particulæ ferri nequeunt, inter quas iſta poteſt numerari eo iure, quo Baronius, & Binius alias improbant. Facit quod in narratione inſerta in Epiſtola Adriani, tituli *Romanæ Vrbis*, *ſiue huius ciuitatis Epiſcopus*, *& Vniuerſalis Papa*, qui ſunt in Edicto minimè reperiuntur. Vocatur Sylueſter quidem *Epiſcopus* ab Adriano, *Romæ* non dicitur. Sic enim Adrianus: *Syluestrum Epiſcopum, qui perſecutionis tuæ gratia Romæ exulat.* Itaque & ex fluxa fide ſecundum Baronium Edicti, & ex diuerſitate narrationum colligitur illas particulas haud multùm eſse curandas: & parum nobis obſtare. Semel tantùm inuenio dixiſse Adrianum. *Sanctus Sylueſter Papa, & Conſtantinus Imperator Chriſtianiſſimus venerati ſunt Sacras Imagines:* Sed hi duo tituli *Papa*, *& Chriſtianiſſimus*, non poſſunt aptè referri ad tempus baptiſmi, ſed ad tempus conſequens: nec enim Chriſtianiſſimus dici poterat tum, ſed poſtea Conſtantinus, vnde colligitur vocem *Papa* ad aliud item tempus ſpectare.

Baron. Binius.

Adr. I.

Reſponſio ad locos obiectos.

Hinc patet ad alios locos Epiſtolæ Adriani in 7. Synodo lectæ reſponſio. Nempè in ea verbis ijs abſtineri, quæ Acta Syluestri vſurpant: adeò vt nulla ibi ſit vox, quæ ſignificet Syluestrum Summum eſſe Pontificem: quod non temerè vel ab eo factum, vel à me obſeruatum exiſtimo. Nam viſus eſt Adrianus ab ijs abſtinendo verbis ſignificaſſe, nolle ſe intelligi de Sylueſtro tunc Pontifice, quòd non ille tunc, ſed Melchiades Pontifex eſſet. Iam vero quod in Concilio Romano dicitur. *Præſidens Papa Sylueſter*, & ſignificatur Conſtantinum recens baptizatum, propter illa verba. *In ipſis exordijs Chriſtianorum cum conuerteretur ad Fidem Imperator Conſtantinus*: eo quidem probatur, tunc & Sylueſtrum eſſe Papam, & baptizatum Conſtantinum, ſed hinc non ſequitur cum baptizatus fuit, tunc eſſe Papam Sylueſtrum, nec id perſuadet illud *in exordijs Chriſtianorum*. Nam exordia poſſunt extendi ad vnum vel duos annos. In quo certè biennio potuit Conſtantinus tempore Melchiadis Pontificis baptizari. Sanè illa phraſis *Exordia* latitudinem ſignificandi habet: atque adeò ſenſum minimè reſtringit ad dies baptiſmi.

Concil. Roman.

Exponuntur.

Supereſt vnum Breuiarij Romani teſtimonium, quòd ſic ha-

bet. *Syluester Romanus Presbyter Sanctæ Romanę Eccleſię à Marcellino Pontifice creatur: quo in munere cum omni laude Clericis alijs antecelleret in Melchiadis poſtea locum ſucceſſit Imperatore Conſtantino. Cui Imperatori cum lepræ curandæ cauſa, ſibi ex infantium ſanguine, &c.* Prius ponitur Syluester creatus Papa, quàm baptizatus Conſtantinus. Verùm hæc coniectura eſt, non ratio, vel authoritas; ſumitur vero ex ordine narrandi, qui ſæpè in hiſtorijs peruertitur. Nec enim qui vitas, & geſta narrat Annales texit. Potuit ergo ſcriptor prius narrare, quod poſterius contigit. Præterea vt vt ſit, locus non perſuadet, immò ſi ſequentia cum antecedentibus conferantur, iuuat potius quam nocet. Sequitur enim. *Hoc Pontifice habita ſunt duo Concilia* in 2. lectione, abſoluta narratione baptiſmi. Cur hic tam ponit expreſsè. *Hoc Pontifice*? non illic, vbi narrat baptiſmum? niſi quia illa duo Concilia Nicenum, & Romanum conſtat eo Pontifice celebrata? quod de baptiſmo minime conſtabat. Narratio baptiſmi occaſione nominati Imperatoris ſuſcipitur, ad eumque refertur, atque adeò ſequitur mentionem Conſtantini, non tempus, & Pontificatum Syluestri. Patet ex connexione verborum. *Imperatore Conſtantino. Cui Imperatori*, nomen Imperatoris deflexit eò hiſtoriam baptiſmi nomen ſecutam, non tempus. Quòd autem Breuiarium Romanum nō ſeruet ſemper ordinem temporum, cùm aliàs, tum in vita Leonis Magni apparet, vbi primum omnium ponitur occurſus eius ad confluentes Mincij, & Padi Attilæ Hunno, cum tamen hoc multò poſt alia geſta Leonis acciderit. Verùm affero locum geminum ex vita Sancti Bernardi, vbi capta occaſione Eugenij Abbatis, ad eum digreditur, & Innocentium ſecundum, qui eum anteceſſit ad poſteriorem locum remittit: nam de electione Eugenij in 1. lectione agit, de electione Innocentij in 2. ordine præpoſtero, ſed minimè neceſſario, non igitur oportet ſeriem rerum in narrando ſequi, tanquam filum ab initio per temporum ordinem ductum.

Locus Breuiarij Romani expenditur.

Breuiar. Roman.

Nequid tamen ſcrupuli ſuperſit in his, & alijs, quæ reperiuntur apud varios ſcriptores, quæ Syluestrum Papam vocant teſtimonijs, vnam & communem omnibus reſponſionem adhibeo: quam puto idoneam. Mos certè, & conſuetudo eſt quæ geſta ab hominibus in ſuprema dignitate conſtitutis, antequam illud culmen aſcenderent patrata ſunt, ijs

attri-

attribui, vt non priuatæ perſonæ nomine, ſed publicæ honeſtatis titulo decorentur; nec tam ad tempus, in quod inciderunt, quàm fortunam, & dignitatem, quam perſona obtinuit, ſequantur. Hac ratione dicimus feciſſe Apoſtolos ea quę ante Apoſtolatum fecerunt. Euangeliſtis quæ extra Euangelium ſunt, & prius Euangelio egerunt, tribuimus, vt cum quis dicit Ioannem Euangeliſtam,& Matthæum Euangeliſtam ſecutos Chriſtum relictis retibus, & telonio, cùm eo tempore non dum eſſent Euangeliſtæ. Hac dicimus Laurentium Martyrem, quæ ante martyrium geſſit geſſiſſe: atque vt familiaribus vtamur exemplis,inſcribi videmus opera omnia Ambroſij, Auguſtini, & ſimilium:opera Ambroſij Epiſcopi,Auguſtini Epiſcopi,quorum multa ante Epiſcopatum ſunt ſcripta. Hoc in Leone, hoc in Gelaſio, hoc in Gregorio, hoc in Innocentio, hoc in Bonifacio, & alijs Romanis Pontificibus cùm titulos, & inſcriptiones, & Catalogos eorum, quæ ſcripſerunt opera legimus,fieri videmus. Ita ergo cum ſcriptum reperimus apud authores Syluestrum Papam baptizaſſe Conſtantinum, non neceſſe eſt intelligere nonniſi Papam, ideſt cum eſſet Papa eum baptizaſſe: ſed illum qui Papa dicitur baptizaſſe, etiamſi ante Pontificatum baptizaſſet. Tribuendo actionem perſonæ in dignitate conſtitutæ,non ſpectato tempore, ſed attenta honeſtate. Atque hac ratione omnes,quæ è nomine iſto ſumuntur obiectiones euaneſcunt. *Idonea ad omnes obiectiones reſponſio.*

Sunt quædam obiecta leuiora, non tamen prætereunda ex hiſtoria petita, quæ ſic habent. Si narratio à nobis propoſita ſit vera,multa, quæ Euſebius, & Scriptores penè omnes tradunt, & vulgus credit, & traditio perſuadet, corruere: nempè apparitionem Crucis in cælo, & illius virtute partam de Maxentio tyranno Victoriam, Trophæum Cruce inſigne poſt eam Romæ erectum: Senatorum, & nobilium, & magnæ populi partis ad Fidem Chriſti conuerſionem: quæ non Euſebius ſolus, & Græci, ſed Prudentius, & Latini memorant. Quod enim Euſebius lib. 1. cap. 34. narrat his verbis. *Plus igitur Imperator iſta Crucis victricis confeſſione nobilitatus, cum magna dicendi libertate Filium Dei ipſis Romanis prædicare cœpit;* id canit his verſibus Prudentius. *Noua obiectio.* Euſeb. Pruden.

Tunc

Tunc ille Senatus
Militiæ vltricis titulum, Chriſtique verendum
Numen adorauit, quod collucebat in armis.

Quæ certè cum narratione, quam inſtituimus, & ſtatuimus, non poſſunt conſiſtere.

Haud eſt tamen his difficile reſpondere. Rem narrando, & quemadmodum geri potuit, & nos geſtam exiſtimamus. Maxentius comperto malè ergà ſe animatum populum Romanum ob ſæuitiam, & libidinem, & Conſtantinum aduerſus ſe cum copijs venturum, Roma exijt, & in ijs ſe tenuit locis quæ tuta eſſent, & in quibus cum eo fuiſſe ſupradiximus Melchiadem. Inijt poſtea Vrbem cum exercitu Conſtantinus, Rempublicam ſuſcepit, ordinauit, reſcidit Acta Maxentij, Perſecutionem mouit in Chriſtianos, donec admonitus à Deo, baptiſmũ ea qua proximè diximus ratione de manu Syluestri ſuſcepit. Interim parauit ſe ad bellum, & collegit milites Maxentius: quòd cum Conſtantinus audiſſet aduerſus eum copias eduxit, & Roma exijt, quò iterum conuerſo itinere redire potuit Maxentius, vbi ſuarum partium nonnullos habebat, quorum auxilio Vrbem in ſuam redigere poteſtatem non deſperabat. Sed eò cum exercitu reuerſus Conſtantinus coegit Maxentium relicta Vrbe ad Pontem Miluium dimicare. Redeunti Conſtantino iam Chriſtiano Crux apparuit, & Victoria contigit: ac poſt eam, quæ narrat Euſebius, & Prudentius, & ad Crucis, & Chriſti gloriam pertinent, ſunt conſecuta. Quid horum quæſo non eſt veriſimile, non eſt probabile? Certè nihil eſt, quod nequeat cum rerum geſtarum veritate, & authorum fide conſiſtere. Cùm igitur contraria ſententia, quæ baptiſmum Conſtantini ad 18. annum Imperij ſui, & Syluestri XI. vti ſuperius oſtendimus, tot argumentis impetatur, tot Patrum teſtimonijs repugnet, tot exemplis infirmetur, tam malè cum veritate conſiſtat, vt ipſimet eius authores ſecum pugnare cogantur, non videtur huic noſtræ, in quo vera ſunt multa, quędam veroſimilia, nihil improbabile, præferenda.

Reſponſio.

Apta geſtorũ narratio.

Difficultas Chronologiæ Baronij in baptiſmo Conſtãtini.

Quòd ſi durum cuiquam verſato in hiſtorijs videatur dicere, Conſtantinum fuiſſe Romę ante quàm Maxentium vinceret, quod ſentiat eum Romæ morantem cùm nouus Romam veniret, ad pontem Miluium ſuperaſſe, quemadmodum tradunt Scriptores, tum Ethnici, tum Chriſtiani, ita rem emol-

emollio, vt primum dicam Conſtantinum bis pugnaſſe cum Maxentio, & ante ingreſſum Romam adhuc Paganum, & iterum poſt ingreſſum iam Chriſtianum; in illo primo prælio Crucem non vidiſſe, vidiſſe in ſecundo. Et quidem partam à Conſtantino adhuc Pagano victoriam de Maxentio, ſatis ſignificat Nazarius in Panegyrico, nec id latuit Baronium: ſic enim deſcribit pugnam, & pugnantis habitum Conſtantini, vt ne vmbram quidem catechumeni colligat, immò maniſeſtè ſeipſum Ethnicum oſtendat, & de Conſtantino, vti Ethnico loquatur: quòd elegantem eius Panegyricum legenti planè conſtabit. Vnde cum is nec Crucem agnorit, nec agnouiſſe Conſtantinum vlla ratione ſignificet, neceſſe eſt, vt in alio prælio ei apparuerit. Secundum; vnum tantùm prælium ſub ipſum Vrbis ingreſſum fuiſſe Conſtantino; eoque Maxentium debellaſſe antequam Crucem, & Chriſtum agnouiſſet; verumtamen ei tunc Crucem apparuiſſe, & è cælo vocem animos ad pugnandum feciſſe, ſed ignoraſſe cuiuſmodi illud ſignum eſset, & quorſum ſibi eſset exhibitum, nec intellexiſse, quò & Crux & vox ſpectaret, ſed quiddam cæleſte ac diuinum illis ineſse ſuſpicatum, & vtrumque veneratum fuiſse, timore potius, & Religione tacita motum, quàm intelligentia, & fide rerum: polliceri ſibi aliquid eo oſtento vidit, ſed quale id eſset oſtentum ignorauit, quod poſtea ſuſſcepto baptiſmo, & percepta Fide agnouit. In qua, opinor, coniectura nihil eſt, quod improbari poſſit. Cum præſertim videam inſcriptionem Arcus Triumphalis à Senatu populoq; Romano poſt victoriam erecti, qui haud dubiè tum erat Idololatra, ſignificare aliquid ei diuinum apparuiſse, nec tamen quid illud eſset expreſſiſse, quòd minus intellexiſset. Eſt autem huiuſmodi Inſcriptio.

Nazar. — *Nouæ, aptæ, ſolidæ reſponſionis.* — *Trophæum Conſtantini.*

Imp. Cæſ. Fl. Conſtantino Maximo P.F. Auguſto
S. P. Q. R.

Quod inſtinctu Diuinitatis Mentis magnitudine cum exercitu ſuo, tam de Tyranno, quàm de omni eius factione vno tempore iuſtis Rempublicam vltus eſt armis, arcum triumphis inſignem dicauit.
Liberatori Vrbis
Fundatori quietis.

En mentio Diuinitatis, ſed occultæ; nec quicquam de

Cruce exprimitur, & quanquam exprimeretur, nihil inde deducitur,quod ad Fidem Chriſti, Cruciſque reuelationem pertineat.Itaque id ſolum colligitur perculſas eo oſtento fuiſſe mẽtes, & religione tactos animos aliquid maius,quàm pro humano habitu ijs ineſse intellexiſse. Ac ne quid ſine authore dicam,huius meæ coniecturæ authorem habeo D.Antoninum qui 2.p.tit.9.c.1. ait Conſtantinum quando ei ſignum Crucis apparuit Idololatram extitiſse. Hac ratione obiecta illa duo ſoluuntur, & noſtra explicatur à difficultatibus ſententia,quæ à me (vt verum dicam)ingenuè candidèque proponitur, & in medio relinquitur, vt liberum ſit cuiquam, aut amplecti, aut deſerere,aut impugnare.Id confirmo multùm me operæ, & olei in ea, & inueſtiganda, & aſtruenda, & explicanda,& probanda poſuiſſe,nec deſpero fore,quibus aut ea placeat, aut ſi minus placuerit, non ſit contemptui. Tandem recipio, qui legere volet, eum lectionis minimè pœniturum.Sed iam ad Edictum,& donationem Conſtantini properemus.

D. Antoninus.

Authoris modeſtia.

VINDI-

VINDICIA SEPTIMA.

DE DONATIONE, ET EDICTO CONSTANTINI ANTILOQVIVM.

Hæreticorum Edictum negantium refutatio.

NIHIL fermè ex Eccleſiaſtica Hiſtoria obſtinatiùs negant Heterodoxi, quàm Edictum Conſtantini: commentum illud, & fabulam appellantes: quòd exiſtiment eo ſublato ruere donationem Syluestro, & Pontificibus eiuſdem ſucceſſoribus factam: perinde ac ſit Edictum nullum eſſe, & donationem nullam fore. Quod minimè certè eſt conſectaneum. Potuit quippè aliter Conſtantinus, quàm per Edictum donare: & ſine vllo Edicto donatio conſiſtere. Itaque non tam eſt nexum, vti putant, Edictum cum donatione, vt perinde ſit vnum afferre, & alterum ponere; vnum auferre, & alterum tollere. Vt ijs largiamur quod aſſumunt: Fabuloſum eſſe Edictum: non ſequitur fabulas eſſe donationes. Non in eo poſitæ ſunt fortunæ Eccleſiæ (vt dictum Demoſthenis à Tullio laudatum reſpiciam) vt ſi Edictum, aut nullum ſit, aut ſuſpectum ſit eo ipſo bona Eccleſiæ ruant. Præterea non fuit primus author donandi Conſtantinus, nec primus cui donatum eſt Syluester. Ante Conſtantinum donauit Maxentius Melchiadi. Et ipſemet Conſtantinus prius huic, quàm Syluestro donauit. Imò & ante vtrunque Imperatorē Romana Eccleſia poſſidebat & bona & loca, quę ablata tempore perſecutionis opera Diaconi ſui Stratonis à Maxentio reciperauit, quemadmodum ſupra ex Auguſtino probaui-

Ante Conſtantinum fuerūt bona in Eccleſia Romana.

Auguſt.

mus.Qui quoniam longiùs poſitus eſt locus,huc eum inde re-uocabimus. In Breuiculo Collat.cum Donatiſtis in collat.3. diei ſic. *Legebatur Melchiades miſiſſe Diaconos cum litteris Maxentij ad Præfectum Vrbis, vt ea reciperent quæ tempore perſecutionis ablata numeratus Imperator iuſſerat reddi*. Et paulo poſt. *Dixerunt Donatiſtæ Stratonem Diaconum, quem cum alijs Melchiades ad recipienda loca Eccleſiaſtica miſerat*. Ex quo apparet antiquiora fuiſſe bona temporalia Eccleſiæ, quàm vel Edictum Conſtantini, vel dona ipſius, immo & quàm Maxentij vel largitiones, vel reſtitutiones: quandoquidem quæ reſtituuntur, iure poſtliminij repetuntur, & poſſidentur. Igitur ab initio Eccleſia poſſidebat. Nihilque proficiunt Heterodoxi negando Edictum Conſtantini ad conſecutionem, quam deducunt. Verùm quoniam hìc nobis agendum eſt de Principatu Pontificis Romani Romæ, & in Italia deriuato ab Imperatore Conſtantino cedente Vrbe, & Byzantium reuerentia Petri concedente, quæ Catholicæ Eccleſiæ traditio quædam eſt, quanquam huius & donatio, & poſſeſſio ſine illo quod vulgò circumfertur Edicto ſtare omnino poſſit, ac debeat, nihilominus cum tam illud celebre, ac decantatum ſit,operæ pretium fuerit quæſtionem de eo inſtituere, & quid de eodem ſtatuendum ſit afferre.

Maxentius Eccleſiæ donauit.

CAPVT I.

Qui, & quibus Argumentis Edictum Conſtantini Authores negent.

HEterodoxi fermè omnes conſtanter negant. Ac imprimis Lutherus aduerſus Catharinum.Philippus Melancthon diſp.de iure Imper. Magdeburgenſ.Centur.4. ca.7. Mornæus apud Leonard.Cocquæum in Antidot. Progreſs. 4. & aliàs. Carolus Molinæus ad Edict. Henr. Reg. cont. paru. dat. num.133. qui acriter illud impugnat: citatque pro ſua ſententia Alciat. Petrarch. Baptiſtam Egnat. addit Baptiſtam Mantuanum, quo iure viderit. Qui ſunt Catholici Nec enim deſunt aliqui ex noſtris, quibus hoc Edictum non probatur. Nicolaus Cuſa Cardinalis de Concordia Cathol.lib.3. vbi multis argumentis probare contendit eſſe ſubiectum, & nullius fidei. Aeneas Sylu.in Dialog.char.21.

Luther. Melan. Magd. Morn. Carolus Molin. Alciat. Baptiſt. Egnat. Nicola Cuſa. Aeneas Sylu.

Ex hæreticis, & Catholicis.

Hie-

Hieronym.in pract.Cancell.Franciſc.Balduin.de legib.Conſtantini in princ.lib.1. Dionyſ.Pontan.in conſuetud.Bleſenſi rit.3. art.1. Georg. Merula de Vicecomitib. & Pariſienſ. in commentar. ad Henric. II. Gloſs. 14. num. 11. & 123. ſuper Senat.conſult.Pariſior. contra Benedict.13.& eius Quæſtores. Alciatus Parerg.lib.7. cap.19. cum quibus ſentire maluit. Fr. Petrus à S.Romualdo in 2.p. Theſauri.

Hieron. Baldu. Pontan. Merula.

Nemo tamen author, uel ex Heterodoxis, & Orthodoxis hoc Edictum acrius, & vehementius impugnauit, quàm Laurentius Valla ſcripto in eam integro libro, in quo multa congerit rationum, & coniecturum momenta, quę eò fermè redeunt, vnde ſua Cuſanus Cardinalis deſumpſit, quæ nos hic modo breuiter eorum nomine proponemus. nos quippè latiùs infra ſuis locis ſingulas difficultates examinabimus, & ſoluemus.

Laurent. Valla. Nicol. Cuſan.

Primum. Nullus vel Patrum, vel ſcriptorum æqualis, aut vicinus illorum temporum ea de re mentionem facit, quòd accuratè oſtendit eos percurrendo Cuſanus, & Valla: cùm plerique multa de Conſtantino, eaque minuta narrauerint. Non eſt autem veriſimile ab ijs prætermiſſum iri tam inſignem donationem in tam illuſtri Edicto contentam, & confirmatam.

Idem.

Primum argumentum contra Edictũ à defectu authoritatis.

Secundum. Multi eorum tradunt quæ huic Edicto,& donationi aduerſantur, vti Euſebius, Hieronymus, & Ambroſius, qui dum aiunt baptizatum in fine vitæ Nicomediæ ab Euſebio,euertunt fundamentum Edicti,& donationis: ſublato quippè baptiſmo Romæ à Syluestro collato, corruit vtraque & donatio, & Edictum.

Secundum à Patrum negãtium teſtimonÿs.

Tertium. Hoc Edictum caret authore, & tempore certo, nec hactenus potuit inueniri. Sunt qui putent confictum,& conſarcinatum à Theodoro Balſamone Anno 1295.qui illud in Latium inuexit,vt ſpecioſo illo ſpectro mentes Latinorum alliceret, & deluderet. Hos autem illud auidè arripuiſſe. Quòd autem inueniatur in Actis Sylueſtri, ea eſſe apocrypha, & inania,docent emunctioris naris authores.

Theod. Balſam.

Tertium à ſuſpicione falſitatis.

Quartum. Hoc Edictum nocet magis quàm fauet Eccleſiæ Romanæ, quemadmodum animaduertit Baronius,& Binius, & alij Romanæ vindices dignitatis, quia Conſtantinus in eo decernit vt Romanus Pontifex Primatum habeat ſuper om-

Baron. Binius.

Quartum à damno, quod infert Eccleſiæ Romanæ.

omnes alios Patriarchas,& iubet ita in poſterum fieri, perinde ac ſummus Pontifex eum non habeat de iure diuino, ſed de humano; immò & Imperatorio, quo argumento ſuſpectum iudicauit Baronius.

Quintum ab erroribus, & mendis contracti.

Quintum. Illa Edicti formula, prout Latinè concepta eſt ſcatet mendis, & erroribus, & abſurda multa, & inlegentia, & inepta continet, vt quiuis mediocriter doctus deprehendet; eorum nos catalogum infra, quibus ſtylus, & phraſis minimè placet exhibebimus. Certè indignum eſt illud Edictum Conſtantino: cuius extant apta, & idonea decreta,& concinnæ,ac elegantes Epiſtolæ.

Sextũ ex varijs rationibus conſtatum.

Sextum contra ſcriptionem, & donationem pariter militat, & hanc contendit euertere. Sic autem illud Cuſa, & Valla compingunt. Primum. Illa donatio iniuſta erat,quòd priuabat ſucceſſores hæreditario Imperio; & enormis,quia tot & tanta largiebatur; & inepta,quia homini ſacro ad Imperium adminiſtrandum minimè apto donabat. Secundum, quia pugnabat cum ſanctitate, ac modeſtia Syluestri, & aliena erat ab Eccleſiaſtica paupertate, id præſertim temporis, quo Papæ ſaluti animarum potius,quàm pompæ, & ſplendori vacabant. Tertium, quia poſt hoc quod obtruditur Edictum, & Vrbs Roma, & Italia in poteſtate Imperatorum fuit: idque multis oſtendit Cuſanus, quæ nos poſtea adducemus. Satis nunc erit dicere ipſoſmet Pontifices Syluestro vicinos nullum eius potentiæ ſpecimen præbuiſſe: immò ſeſe Imperatorum potentiæ, ac Imperio ſubditos oſtendiſſe. Romam, Rauennam, Marchiam cum reliquis locis adiectis Imperatores rexiſſe conſtat ex cap. *Bene quidam.* diſt. 96. & cap. *Cum ad verum*, ibi & ſimilibus, & cap. *Agatho.* diſt. 63. Bonifacius ad Honorium ſcribens fatetur Eccleſiæ Romanæ eſſe Sacerdotium, Imperatorum Imperium, & Vrbem appellat propriam Honorij, quæ habentur in cap. *Eccleſiæ.* diſt. 91. Agatho Papa Epiſtola ad Conſtantinum, quæ inſerta eſt Sextę Synodo ſubditum ſe Imperatoris dicit,& Romam ſeruilem Vrbem vocare non erubeſcit. Canon. Sacri.

Septimum à ſilentio quod nemo facit mentionem Edicti.

Septimum: Ipſi Imperatores, & Reges, quos donaſſe Romanis Pontificibus Principatus, & dominia conſtat, vti Pipinus, & Carolus Magnus, & Ludouicus Pius nullam de Conſtantino mentionem fecerunt cùm donarunt, & quidem

dem cùm per Edictum, & diploma donaſſent. Quid autem in rem magis accommodatum, quàm Conſtantini exemplum afferre, eoque largitiones ſuas confirmare?

Grat. Tandem donatio hæc Conſtantini à Gratiano compilatore Canonum inter *Paleas* tanquam ſtraminea reponitur: vti apparet ex cap. *Conſtantinus*. 96. diſtin. quæ non Canon, aut Textus, ſed *Palea* inſcribitur: quòd argumento eſt illam nullo ſolido niti fundamento, cùm Gratianus, cui acceptam retuliſſet, Patrem, Doctorem ve antiquum neminem authorem habuerit: omnino producturus ſi haberet. Quòd ſi quis opponat in Actis Syluestri eam donationis formulam cum ſuo Edicto contineri, vel in alio eiuſmodi exemplo, quod ſe vidiſſe teſtatur Cuſanus, præterquam quod hic reſpondet ea nullius authoritatis monumenta eſſe, ipſemet Gratianus videtur illa infirmaſſe, & Apocrypha cenſuiſſe, quippè cum id ſciret, voluit caput illud eò ferre, vbi nihil ſolidi eſſe comperiſſet. Quare neque Baronius, neque Binius multum huiuſmodi Edicto fidunt, & nouiſſimè Leo Allatius lib. 1. de Oriental. Eccleſ. conſenſ. cap. 14. cum illud in vtramque partem diligenter verſaſſet, & accuratà diſputatione, quodammodo excuſſiſſet, nihil de eo ſtatuere voluit. In medio relinquit, & aliorum arbitrio committit: tum eius examen, tum iudicium Authorum vetat inquiri, quòd putet, qui id conetur eum operam, & oleum perditurum. Hæc ſint pro hac ſententia ſatis. In qua referenda breuitati ſtudui, vt ſub vnum conſpectum, quæ copioſius ſunt dicenda, Lectoribus contracta proponerem.

Vltimum à fluxa fide.

Nicol. Cuſan.

Baron. Binius. Leo. Allat.

CAPVT II.

Edictum Conſtantini authoritate probatur.

Diuina prouidentia factum puto, vt quemadmodum in Baſileenſi ſuſpecto Concilio fuit vnus Nicolaus Cuſanus huius Edicti acer impugnator, ita poſtea in legitimo vniuerſali Concilio Tridentino eſſet alius Franciſcus Burſatus, qui eiuſdem iuſtus, & vehemens aſſertor exiſteret. Hic igitur de mandatu Cardinalis Herculis Gonzagæ Legati in eodem Concilio huiuſmodi Edicti Conſtantiniani defenſionem ſuſcepit, inſtituta bene de eo longa diſputatione, eſtque in

Animaduerſio i. oncd.

Burſat.

in libro Conſiliorum I. conſil. vltimum num. 123. quemadmodum idemmet Author refert in præfatione ad eundem Cardinalem. Hic ergo ſua diligentia, & ſtudio effecit, vt quem ſubire in peruolutandis libris, & citandis authoribus laborem debebāt, cuius in meis lucubrationibus, opinor, ſigna extant, eo maximam partē abſtinerem: tam ille eos accuratè conquiſiuit, & fideliter retulit, & aptè diſpoſuit. Quare quos citat, eorum hic ego ſummam faciam, nec nominatim proferam, quòd apud eundem videri poſſunt, ſed tantum imbo numerum, & indicabo lectori: quoſdam examinabo, de quibus ſubeſſe poſſit dubitatio. Tum alios qui vel eum latuerunt, vel poſt eum ſcripſerunt ſigillatim producam.

Authores affirmantes Edictum. Igitur in Claſſes Burſatus partitur authores. Prima eſt Pontificum quos numerat 11. Secunda Sanctorum, atque Theologorum numero ſex. Tertia Imperatorum: quæ continet Orientales tres. Occidentales ſex. Quarta Hiſtoriographos comprehendit viginti. Quinta exhibet Canones Pontificias & leges Imperatorias, quæ mentionem faciunt Edicti plus minus duodecim. Sexta Authores Canoniſtas, ſic vocat, viginti tres producit. Septima iuris ciuilis prudentes ſeptuaginta recenſet. Illud primùm obſeruo potuiſſe eum Cardinalium claſſem inſtituere ex ijs quos adducit, authoribus, Oſtienſi, Zabarella, Turrecremata, Petro Paulo Pariſio, Hieronymo Albano, Iacobatio, Reginaldo Polo. Secundum in Pontificibus deeſſe Leonem IX. in Epiſtola ad Michaelem Patriarcham, quem primum ex Latinis illius exemplum in lucem edidiſſe nonnulli authores ſunt. Is certè integrum ponit, eoque tanquam indubitato vtitur aduerſus Græcos teſtimonio. Tertium inter Pontifices aſſerentes Edictum numerare Damaſum, & Gelaſium de quibus haud conſtat illius mentionem feciſſe. *Damaſ. Gelaſ.* Et quidem Damaſus in vita Syluestri, ſi tamen is author eius eſt habendus, donationis non meminit, nedum Edicti. Gelaſius aliquo modo videtur adſtruere, dum probat Acta Syluestri in quibus Edictum continetur. Potuit maiori iure nominare Clementem Papam VI. qui Extrauag. *Vnigenitus* titulo de Pœnit. & remiſſione Conſtantini baptiſmum à Syluestro ſuſceptum, & dona poſt illum data cum Baſilica, & Eccleſia Lateranenſi commemorat. Quartum Imperatores donationem quidem ſignificaſſe: Edicto abſtinuiſſe: immò ne ſignificaſſe quidem, ſed ſolum

lum occaſionem, ſiue ſuſpicionem feciſſe donationis antiquioris, dum ſe dicunt reſtituere Eccleſiæ Romanæ: non donare; quòd indicat illa, quæ reddunt, antea fuiſſe ab alio alijs ve donata, qui vel quorum vnus fuit Conſtantinus:
Maucl. quemadmodum nonnulli, ac inter eos Mauclerus, quem poſtea citabimus, obſeruat. Quod attinet illos tres Græcos *Examinātur teſtimonia Imperatorum circa Edictū.*
Zeno. Zenonem, Iuſtinianum, & Conſtantinum Irenes filium, Zeno id tantùm habet in l. D. Conſtantini C. de natur. liber. *Diui Conſtantini, qui veneranda Chriſtianorum Fide Chriſtianorum minuit Imperium.* Ex quo donatio apparet, ſed non de quo agimus Edictum: quanquam ſi Conſtantinus donauit veriſimile eſt non ſolo facto, ſed ſcripto quoque donationem
Iuſtin. inſtituiſſe. Iuſtinianus in authent. de reb. Eccl. non alien. in princ. *Qui poſt Conſtantinum*, inquit, *piæ memoriæ inter Imperatores principatum auxit, & conſtituit ſacrarum Eccleſiarum honorem, & diſciplinam.* Quod teſtimonium videtur illi Zenonis opponi, vbi ponitur *Minui* cum hic ponatur *Auxit*. Sed obſeruandum *Minui* attribui Imperio, vt augeatur Principatus Eccleſiæ: quare *Auxit* apud Iuſtinianum cum *Principatu* coniungitur, non cum *Imperio*; perinde ac idem ſit apud Zenonem *Imperium minui*, vt Principatus Eccleſiæ augeatur: ac augere hunc Principatum minuendo Imperium: niſi ſi illud *Principatum auxit* referendum ſit ad Imperium Conſtantinopolitanum, quod fundauit, & adiecit Romano Conſtantinus, & in quo Eccleſiam amplificauit, & ornauit, qui tamen ſenſus rem Edicti non continet. Iam verò de Con-
Conſt. & Irene. ſtantino Irenes filio non inuenio, quid Edicto contulerit, vel authoritatis, vel fidei, niſi quod accepit, & aſſenſit litteris Adriani I. Papæ in quibus Acta Syluestri magnam partem & citantur, & probantur: quæ cum Edictum quoque contineant, qui cætera recipit, & hoc recipere neceſſe eſt. Tandem animaduerto Burſatum pro eodem videri accipere Iſi- *Iſidori duo diſtinguuntur.*
Iſidor. Hiſpal. dorum Hiſpalenſem Epiſcopum Hiſpanum, & Iſidorum Mercatorem, qui compilauit Concilia: cùm duo, ac diuerſi authores ſint, ille Senior, iſte Iunior apud doctos appellatus, qui ambo hoc Edictum agnoſcunt, & approbant. Ille in Chron. quem citat Nauclerus Generat. 13. hic in Collect. Canon. & Concilior. apud Munſterum lib. 1. 3. par. & Mauclerus p. 3. de Monarch. Chriſt. lib. 6. Ita ut duo ſint grauium ſcriptorum pro Edicto teſtimonia.

Digitized by Google

Nunc adijcere quos ego met vidi, & legi authores volo, vt augeam numerum à Burſato adductum: non quòd non plurimos ex adductis ab ipſo non legerim, ſed quòd nolim actū ab eo agere. Non ſequor temporum ordinem. Vti legenti mihi occurrerunt, cito. Rupertus commentar. in cap. 3. Ionæ. Hugo à S. Victore lib. 8. cap. 1. Excerpt. prior. S. Thom. 3. par. q. 97. art. 4. Bruchard. lib. 2. ſui Decretal. cap. 5. Nicol. de Lyra ad cap. 7. Apocal. Ekbert. Presbyter. ſerm. 3. aduerſ. Catharos Addo in Chron. ætat. 6. Hugo Floriacenſ. in Chron. ann. 335. Ioan. Saliſber. lib. 4. Polit. cap. 6. Leopold. Bebenburg. lib. de iurib. Regn. cap. 13. Ioan. Capiſtranus lib. de Papæ, & Concil. author. Iacob. Genuenſ. in Hiſtor. Lombard. Auguſt. Triumph. de poteſt. Eccleſ. q. 44. art. 1. & 2. Ioannes Oinotomus in Proœmio Inſtit. Iuſtinian. Godefrid. Viterbienſ. in Chron. Baptiſta Mantuan. lib. 10. Faſtor. M. Anton. Sabellic. Ennead. 7. Iacob. Philipp. Bergom. lib. 9. in Conſtant. Petrus à Natalib. in Sylueſtro. Sanderus de viſibil. Monarch. lib. 7. num. 90. Sigon. de Occident. Imper. lib. 3. in Conſtantino. Azor. 2. par. inſtit. lib. 4. cap. 11. Bellarm. lib. 2. de Roman. Pont. cap. 17. & lib. 1. de Tranſlat. Imper. cap. 3. & lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 9. Vvaldenſ. contra Vvicleff. tom. 3. lib. 4. art. 3. & 4. Iodocus Coccius dum Authores Catholicos multos pro Edicto, & donatione citat, & Hæreticis opponit. Bzouius de Roman. Pont. cap. 41. Matamorus in Epiſt. Dedicat. tract. de Academijs. Auguſtinus Eugub. qui librum aduerſus Vallam ſcripſit teſte Leonardo Cocquæo in Antid. contr. Mornęum. progreſs. 4. Seorſim numerare volo Scriptores Gallos, quibus multū bebet hoc Edictum, fortè quia Gallicæ gentis Imperatores, ac Reges Patrimonium Eccleſiæ Romanæ aſſeruerunt, reſtituerunt, conſeruarunt, & ſuis Edictis Conſtantiniano ſimillimis confirmarunt. Princeps eſto antiquus Author. Hincmarus Rhemenſis Epiſt. 3. ad quoſdam Epiſcopos Franciæ perſpicuè affirmat, & donationem, & Edictum: his verbis: *Apocriſiarium, id eſt Reſponſalem negotiorum, cuius miniſterium ex eo tempore ſumpſit exordium, quando Conſtantinus Magnus Imperator Chriſtianus effectus propter amorem, & honorem Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quorum doctrina, ac miniſterio ad Chriſti gratiam baptiſmatis Sacramenti peruenit locum, & ſedem ſuam Vrbem ſcilicet Romanam Papę Sylueſtro Edicto Priuilegij tradidit, & Sedem ſuam, quę antea Byzantium vocabatur nominis ſui Ciuitatem*

Elenchus authorum particularium.

Gallorum authorum Catalogus.

tatem ampliando ædificauit. Cuius teſtimonij quantum ſit pondus norit, qui ętatem, & genium, & dignitatem ſcribentis, ac imprimis eius erga Romanos Pontifices indomitum animum cognorit. Diſcant hinc, qui dicunt hoc Edictum nouum eſſe commentum, & qui ante Theodorum Balſamonem ad ſummum ante Leonem IX. editum negant, multò fuiſſe antiquius, & iam Caroli Magni tempore celebratum. Nominauimus ſupra Addonem, & Hugones duos: Victorinum, & Floriacenſem. Adijcimus virum grauiſſimum, & doctiſſimum Genebrardum Archiepiſcopum Aquenſem, *Antiquitas Edicti.*

Geneb. qui eiuſdem eſt aſſertor Edicti, ac vt verè dicam: nullum ego authorem vidi (vidi autem per multos) qui illud vel ſolidius probarit, vel acrius defenderit, vel vehementius aſſeruerit. Sequitur Leonardus Coquęus in ſuo Antimornęo con-

Coqu. tra inſcription.lib.tit.2. Ex vulgaribus Scipio Dupleix, qui

Dupl. non multum indulgere ſolet Romanis in ſua memoria de Gaules lib.7.cap.4. duas Edicti formulas adducit, & neutram excludit. Rem fatetur. Quin, & Dominus Du Chaiſne

DuChaiſne. quæſtione in vtramque partem diſputata negare Edictum non audet. Quo magis miror auſum fuiſſe Fr.Petrum à Sancto Romualdo virum Religioſum, tam illud facilè reſpuere: Sed ego qui Pariſijs fui, deprehendi eum, & alium eiuſdem inſtituti hominem alieno, & nutu, & ſenſu ſcribere ſolere. Sed vix vllus poſt Genebrardum alius validiùs pro Edicto Conſtantini pugnat, quàm Mauclerus in ſua Monarchia Chriſtiana, præſertim lib.7. in 3. par. vbi ponit Pipini, Caroli Magni, & Ludouici Pij donationes, qnos ait vindicaſſe armis ſuis, & reſtituiſſe Eccleſiæ, quæ antea donauerat Conſtantinus. *Duo Scriptores Galli taxantur.*

Nec deſiderantur Græci quanquam minus erga Romanos propenſi. Primus, quod conſtet, Photius Pontificij nomi-

Photius Balſ. nis inimiciſſimus anno fermè 860.exemplum Conſtantiniani huius Edicti in ſuum Nomocanonem inſeruit. Inde eduxit Theodorus Balſamon anno fermè 1195. & peruulgauit. Rem illo contentam affirmat Zozimus lib.2. *Ceſſit*, inquit, *Græci authores pro Edicto.*

Zozim. *Conſtantinus Roma, & Conſtantinopolim maieſtatem tranſtulit, quod ſe Romanis ſciret eſſe inuiſum ob mutatam religionem*. Cum Zozimo ſentiunt, Teophanes, Cedrenus, Zonaras, Nicephorus, quos adducit Iodocus Coccius 1. par. tit. 7. Addo Lao-

Cocc. Chalc. nicum Calchondylam lib. 1. de geſtis Turcar.& Emmanue-

lem Callecam lib. 4. contr. Græc. & Gennadium Scholariu m Patriarcham Conſtantinopolitanum in defenſione quinque capitum Concilij Florentini cap. 5. ſect. 3. vbi aſſerit Edictum, & maximam illius partem adducit, & ſect. 4. rationes affert cur Conſtantinus tot, & tanta donauerit. Quàm vellẽ ſuum his authoribus calculum adijceret vir doctiſſimus Leo Allatius. Sed maluit ille abſtinere, & manum retrahere, & nos ſui iudicij expectatione torquere.

Rabbini aſtruunt Edictum.

Quis crederet Hebræos, vel nolentes huic noſtræ ſententiæ pondus allaturos? Fatentur donationem, ac Edictum tres Rabbini inſignes. Duos adducunt Genebrardus, & Coccius: ſunt vero Rabbi Abraham Leuita in Zekron Dibee Romi. Rabbi Aben Ezra in cap. 11. Danielis: admiſſa re, quanquam improbata, & deteſtata ipſis donatione. Tertium reperi apud Bzouium (nil mihi ob candorem animi arrogo) is eſt Rabbi Gedelia in Catena.

Ex Hæreticis Vvicleff. quo minus miremur Hebræos, donationem, ac ex conſequenti Edictum admiſit, cùm iniuria factum dixit. De ſolo enim iure dubitauit. De facto conſenſit. Nam ſeſs. 8. Concilij Conſtantienſis inter alias eius proportiones damnatas etiam iſta damnatur. *Sylueſter Papa, & Conſtantinus errauerunt dotando Eccleſiam.* Dum ergo taxat errorem, ius negat, factum concedit. Immò & amplius obtinemus, quia Concilium damnando propoſitionem Vvicleffi videtur aſſerere ius, & confirmare factum donationis. Iuuant per incogitantiam Fidem donationis, & Edicti Magdeburgenſes, dum aiunt Centur. 4. cap. 7. Damaſum de eo mentionem feciſſe, vt quod ego ſupra dubitaui, ipſi affirment. Multum autem ſecum trahere momenti ſuffragium Damaſi conſtare puto. Quod attinet ad teſtimonium Aeneę Syluij, qui in Dialogis negauit Edictum, animaduerto eum quemadmodum cum erat priuatus, & Concilio Baſileenſi addictus male de poteſtate, & authoritate Romani Pontificis iudicauit, ita & de donatione, ac Edicto perperam ſenſiſſe, ac vti poſtea mentem, & conſilium in melius retulit, & contrà quàm priùs ſenſerat de Pontificis poteſtate, & authoritate ſcripſit, ita de Edicto, & donatione rectiùs, ac veriùs ſcripſiſſe; quod item contigit Alciato viro doctiſſimo, qui in lib. Parerg. 7. cap. 16. videtur negare, cum in l. *Omni innouatione*, verb. Romæ. C. de Sacroſ. Eccleſ. affirmet. Obſeruo item

Concil. Baſil.

Hæretici idem aſſerunt.

Magd.

Aeneas Sylu.

Ma-

Machiauellum de hac re ambiguè ſentire, ne ſe videretur, vti erat aſtutus, prodere, verùm qui attentè legat duo comperiet primum ab eo ius donationis, & effectum negari. Secundum factum in dubium vocari. Quòd ſi Laurentius Valla homo Romanus, & Lateranenſis Eccleſiæ Canonicus, tam vehementer impugnauit Edictum, & donationem, dandum, ideſt præcipiti, & præfracto eius ingenio, & virulentę linguæ vitio, quæ eò tandem prorupit, vt cum poſt innumera contra grauiſſimos quoſque authores maledicta, Pontificiam etiam poteſtatem, & authoritatem canino dente arroderet, loco ſit motus, & dignitate priuatus, & in exilium pulſus: vti narrat Author Faſciculi rer. expet. Non defuerunt tamen, qui eius ſcripta refellerent. Inter quos fuit Auguſtinus Steuchus Romanus Bibliothecarius edito libello contra declamationem Vallæ de falſa donatione Conſtantini. Illud magnoperè mirandum, tam varias, ac diuerſas de hoc Edicto, & donatione authorum eſſe ſententias, vt quidam (de Catholicis loquor) dicant rem commentitiam, & fabuloſam eſſe, videlicet Valla, & Modernus Pariſienſis cum alijs, de quibus queritur Burſatus, alij contrà rem eſſe proximam Fidei, & qui negent ſuſpectos eſſe hæreſeos, nimirum Albanus, & Pariſius Cardinales Abbas, Roſell. & Reſtaurus, & alij plerique apud eundem Burſatum.

Machiauellum. *Contrarij authores refelluntur.* *Valla.* *Faſcic. tempor.* *Auguſt. Steuch.* *Moder. Pariſ.*

Supereſt videre quæ ſit huius donationis Edicto illo conceptæ origo: qua de re magna eſt, fuitque ſemper inter ſcriptores quæſtio: quam officij mei eſſe duco hic proponere, ac decidere. Sunt qui putent Theodorum Balſamonem fuiſſe huius Edicti, vel repertorem, vel authorem. Id conſtat eſſe falſum: cùm illud integrum reperiatur in Epiſtola Leonis IX. eo haud dubiè antiquioris: Floruit enim Leo anno 1150. cùm Balſamon 50. poſt annos ideſt 1195. fuerit. Ait quidem Leo Allatius eum primum Græcorum Edictum in lucem protuliſſe, cùm anteà Latinis notum eſſet, noſtram fortaſſe innuens ſententiam Leonem prius IX. protuliſſe. Huiuſmodi Edictum, quod obiter dicendum, è Græco tranſtulit in Latinum Barthol. Picerut. de mont. ard. Iulio II. Pontifice. Ante Leonem IX. annis fermè 60. Edictum huiuſmodi in lucem edidiſſe fertur Ioannes Diaconus celeberrimus cognomine ſuo Muteus, ſeu Mutilus, ſiue Digitorum, tempore Othonis II. Imperatoris, qui ſuſcepit Imperium anno 973.

Varię de origine Edicti opiniones. *Ioann. Diac.*

Digitized by Google

ac idcirco Author Edicti appellari ſolet, de quo Ioanne fit mentio in quodam inſtrumento Otthonis III. inuento Aſſiſij tempore Benedicti Papæ XII. anno 1191. Verum illud inſtrumentum Otthonis apocryphum eſſe demonſtrat ad eum annum Baronius, & Spondanus ad Edictum Conſtantini. Anno 324. & Grethſerus in Apolog.cap.21. Sed non idcircò Edicti Conſtantiniani à Ioanne Sedigito facta translatio eſt apocrypha cum ea abundè conſtet. Itaque iam illo anno 913. Edictum Conſtantini celebrabatur. Etenim Epiſtola Adriani I. in Synodo Nicena ſecunda, ideſt ſeptima Generali inſerta partem Edicti adducit. Ex quo apparet tempore Caroli Magni illud extitiſſe, & ex illo quo proximè citauimus Hincmari teſtimonio apparet. Eiuſdem fermè temporis eſt Photius, quem in ſuo Nomocanone Edictum producere ſuperius monſtrauimus, vt non videatur Balſamon primus illud Græcorum extuliſſe. Creatus verò eſt Pontifex Adrianus anno 772. Concilium autem celebratum anno 781. Nec huius Edicti antiquius videtur extare monumentum, niſi quod narrat Thomas Diplouat. Additionarius ad Alexandr. in rubr.ff.de verb.obligat.n.2. Venetijs vidiſſe ſe librum manuſcriptum tempore Iuſtiniani Imperatoris, in quo Edictum iſtius donationis ſcriptum erat: quòd certè antiquiſſimum eſt nempe anno Domini 525. Sed vlterius adhuc tendendum. Conſtat quippè Gelaſio Papa Acta Sylueſtri legi, & probari à Catholicis: Edictum hoc autem pars eſt Actorum, quę cum à Gelaſio recipiantur. quemadmodum Superiori Vindicia diximus, dicemuſque inferius, recipitur etiam, & probatur Edictum. Itaque origo eſt in Sylueſtro. Cuius Acta & ſemper extiterunt, & extant. Quare longè opinione falluntur, qui putant nouitium id opus & nouum inuentum eſſe. Hæc ex communi ſententia dicta ſunt. Nunc argumenta breuiter ſoluentur. Poſtea quid ego ſentiam explicatiùs dicam.

Baròn. Spond. Grethſ. Adrian. Photius Balſam. Thom. Dipl. Gelaſ. Origo in Sylueſtro.

C A-

CAPVT III.

Oppoſita in capite primo argumenta ſoluuntur.

PRimum à defectu authoritatis ſatis ſuperque ſolutum, non ſolum obiecto numero ſcriptorum, quo longè noſtra hæc ſententia ſuperat aliam: ſed pondere; quòd autem antiquitas deſideratur, id ſumma ſit iniuria; cum Acta Syluestri fontes ſint Edicti, in quibus illud eſt ortum, & vnde ad exempla manauit. Patet ex ijs, quos inueſtigando principium citauimus, authoribus, quadam veluti traditione ad noſtram vſque ætatem tranſmiſſum. Equidem lecta Epiſtola Leonis IX. cui Edictum ex integro eſt inſertum, negare illud non auſim: cùm præſertim illo tanquam inuicto argumento vtatur aduerſus Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Leonem Acridanum: dicatque admodum ſeriò: *Non enim doctas fabulas ſecuti notam facimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Et nos vobis inculcare non tam relatu quolibet, quàm quæ ipſo viſu & tactu comperta ſunt, recognoſcite.* Et producta ea parte Edicti in qua continetur donatio ſic. *Tot ergo*, inquit, *& talibus, alijſque quam plurimis teſtimonijs ſubnixa non erubeſcit veritas, ſed confutatur impudens varietas.* Quì hæc diceret Leo tantus vir, tantus Pontifex, niſi vera ſe afferre putaret? Aut quomodo hæc ferrent Michael Conſtantinopolitanus, & Leo Acridanus? Refutarent certè Edictum, & irriderent intrudentem Leonem, ſi falſum, ambiguum ve ducerent. Sed inerat ijs, & conſcientia, & reuerentia Edicti à Syluestri ætate per manus accepti, & à Photio conſeruati. Tenet me item ſumma ſeueri, & integri authoris, & in ſentiendo, & dicendo maximè liberi S. Petri Damiani fides, à quo huiuſmodi Edictum recipitur, & profertur in diſputationibus Synodalibus inter Regium Aduocatum, & Romanæ Eccleſiæ defenſorem. Sic enim ait. *Lege Conſtantini Imperatoris Edictum*, & ex eo partem de dominio temporali excerpit, & producit. Equidem lectioni Petri Damiani aſſuetus, qui noui, quàm ſeuerè, & interdum acerbè taxare ſoleat opes, & mores Romanos, videns hoc Edictum admittere, vndè magna pars eius, quam ille inſectatur pompæ, & poten-

Antiquitas Edicti.

Leo IX.

Probatur ex Leone IX.

Petrus Dam.

Probatur ex Petri Dam.

potentiæ Romanæ prouenit, mihi prorſus perſuadeo veriſſimum illud eſſe, nec vllo modo dubitari poſſe, de quo ille noluit ambigere. Quid? quòd Hincmarus Rhemenſis, vel apud ipſum Adhalardus Abbas Corbeienſis in libello de ordine Palatij, id quod ſupra diximus admittit: non admodum credulus eſt Hincmarus ijs quæ Romano Pontifici ornamento, & gloriæ ſunt, nec facilè crederet Adhalardo de Edicto tam honorifico Sedis Romanę. Et quidem Adhalardo habenda fides, cùm ſit author idoneus, & qui teſte Goldaſto in Prologem. ad 3. tomum Conſtitut. Imperial. ſeptem Imperatorum Conſiliarius fuerit. Præthereà Edictum eſt eiuſdem cum Actis Sylueſtri antiquitatis, ac ijs inſertum: Acta verò probantur à Gelaſio, citantur ab Adriano I. ab Innocentio III. & alijs, quos adduximus. Partem Edicti citat Beda in Chronico anno mundi 42.88. & Gregorius Turonenſis eo antiquior lib. 2. de geſtis Reg. Francor. & Rupertus ad cap. 3. Ionæ & S. Thomas 3. par. q. 97. art. 4. Exempla multa, & priſca inueniuntur. In Vaticana Bibliotheca litteris antiquiſſimis. In Arce S. Angeli teſte Pierio Valeriano lib. 34. Hierogl. qui ſe illud ibi vidiſſe teſtatur. At ſunt Romæ obijcies, ideòque ſuſpecta. Verum ſuſpicione caret illud quod reperitur in Abbatia Nonantulæ in Agro Mutinenſi, cuius ſcriptor ait ſe illud ex Codice Græco Euſebij Cæſarienſis excepiſſe: Vnde fortaſſe decerpſit Photius, ac ex eo Theodorus Balſamon: quos attulimus. Extat illud Ioannis Diaconi Mutili tempore Otthonis, de quo & iam diximus, & iterum dicemus. Venetijs aliud inuentum authore Thoma Diplouat. exſcriptum Iuſtiniano 1. Imperante. De quo Mauclerus commemorat de Monarch. Chriſtiana lib. 1. Qui addit aliud exemplum extare Coloniæ. Nec opus eſt plura congerere, cùm hæc ſint ſatis ad faciendam fidem Edicto, illudque omnino ſuſtinendum. Certè qui fabulam, & commentum dicunt digni ſunt nota ſeueriore quàm ea, quam inurunt credentibus. Nolumus tamen nos eos, tam grauiter taxare, ac ij qui negantes ſuſpectos Fidei vocant. Hactenus de primo argumento.

Ex Hincmaro Rhem. — Hincm. Adhal. — Gold. — Beda. Gregor. Turon. Rupert. S. Tho. Pier Valerio. — *Authoritas Edicti.* — Photius Balſam. — Maucl.

Secundo ſatis reſponſum: Vindicia proxima de Baptiſmo Conſtantini, qua reſponſione argumentum retorquetur; Si enim tam eſt certum Edictum Conſtantini, quàm eius Romę à Sylueſtro baptiſmus, nihil eo certius eſſe poteſt, cum in traditionem tranſierit.

Baptiſmus Conſtantini ſtabilit Edictum.

Ter-

Tertium parum diſtat à primo. Inde accerſenda ſolutio. Tempus certum eſt. Aetas Conſtantini, & Syluestri, ſiue Melchiadis nobis authoribus: de quo tamen poſtea latiùs. Author eſt indubitatus ipſe Conſtantinus. Origo, & fons in Decret. Actis Syluestri: ſigna in cap. *Conſtantinus*. 1. par. Decreti 96. diſt. Et cap. *Fundamenta*. de elect. lib. 6. & cap. *Vnigenitus*. de Pænit. & remiſs. in quibus aſſeritur. & cap. *Ego Ludouicus*. vbi ſupponitur. Illud eſt prorſus falſum quod aſſumit argumentum, Balſamonem primum eius fuiſſe, vel authorem, vel fictorem, vel inuentorem, vel repertorem: cùm ſuperius palam fecerimus, multo ante ipſum diuerſa illius, & idonea fuiſſe, & edita, & vulgata exemplaria: quo refutantur duo illi Agylæus, & Cuiacius apud Grethſerum in libello de Greth. munificent. Princip. Append. 2. fol. 108. qui ab eo ad Latinos manaſſe ſcribunt. Quod attinet Acta Syluestri, quæ improbat argumentum, ea idonea eſſe ſatis ſuperque oſtendimus, & ſupra cap. proximo, & hic in reſponſione ad primum.

Balſamon non fuit author Edicti.

Ad quartum fatemur Baronium, Spondanum, & Binium Azor. metuere ne quid noceat Maieſtati, & authoritati Romanæ Sedis, ſed vanos eorum eſſe metus capite 5. monſtrabimus. Nunc breuiter dicimus cum Azorio. Inſtit. par. 2. cap. 11. neque Conſtantinum in ſuo Edicto, neque Phocam in ſua Conſtitutione ſancientes, ac decernentes vt Romana Sedes Primatum habeat, quicquam nocere iuri diuino quo ille Primatus nititur: non enim ij contulerunt ius, ſed declararunt, & voluerunt ſuſtinere, ac conſeruare. Quod autem Conſtantinus vtatur verbo. *Sancimus, vt Principatum teneat*, & Phocas verbo *ſtatuimus*, nihil detrahit iuri diuino, ſed addit etiam etiam ciuile propter lites, quas mouere poterant alij Patriarchæ ex ambitionis ſtudio ortas, quas vt præciderent, & reprimerent leges ſuas in foro, vt aiunt, contentioſo iuſſerunt, & promulgarunt. Certè in eodem Edicto alia verba ſunt, quæ ius diuinum declarant. Quod agnouit Imperator Iuſtinianus in C. tit. de ſumm. Trinit. & in Authentic. collat. 2. tit. 4. vbi fatetur Primatum Eccleſiæ Romanæ à Chriſto eſſe collatum, cui nihil officit, quòd dixit collat. 9. tit. 6. *Sancimus ſecundum quatuor Synodorum definitiones ſanctiſſimum Senioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum*, quaſi à Concilijs illum habuiſſet. Itaque metus ille Baronij ex amore, ac ſtudio erga Sedem Romanam oritur, nimius quippè amor ſuſ-

Edictum Cõſtantini, & Conſtitutio Phocæ non derogant Primatui.

picax eſt, & vmbras etiam mali timere ſolet, & hac quidem parte non minus eſt cæcus, quàm amor;vterque ſibi ſomnia fingit,ſemper matres de liberis ſolicitæ anguntur, & pericula fingunt inter quæ verſentur, non tamen idcircò periclitantur, quia periclitari creduntur.

Ad quintum infra copioſè, & accuratè reſpondebimus, ſed ne quis ſolutionem hoc in loco deſideret, animaduertimus non opus eſſe integrum cum omnibus ſuis, quibus modo conſtat partibus Edictum probare: nec quod vna, & altéra particula diſſonet, idcircò totum corpus eſſe abſurdum. Potuit aliquid irrepere, quòd non ſit ingenitum, ſed non id adulterinum reddere totum exemplar. In ſano ſæpè corpore ſunt puſtulæ, ſunt cicatrices, & in pulchro næui, & gelaſini, nec id tamen euertit, aut valetudinem, aut pulchritudinem. Exeſæ chartæ, non ideò authoritatem amittunt, quòd ſunt iniuria temporis edacis corroſæ, dummodò ſenſus conſtet, & fides.

Ex vno defectu non fit monſtrum.

Sexto neceſſe eſt lentiùs, & ſtudioſiùs ſatisfieri: quemadmodum nos ſuſcepto ſtudio faciemus: proximis capitibus, vbi omnia, & ſingula hic obiecta proponemus, ſoluemuſque.

Septimo concedimus,quod aſſumit: negamus tamen quod infert:ex taciturnitate quippè ſilentium ſequitur, non negatio. Tritum prouerbium eſt argumentis taciturnis, nihil probari. Alioqui quæ vnus Euangeliſta tacet, negat, & quę Ioannes ſilentio prætermiſit, iuit inficias. Imperatores, tunc non cogitabant de Conſtantino, ſed de rebus, quas donabant: donationum authores eſſe, & videri volebant, non veniebat in mentem imitationis, ſed donationis,ius non exemplum quærebant. Sponte ſe donare, non alieno exemplo ſignificare voluerunt: ſi Conſtantini meminiſſent, indigere ſe ſtimulis ad donandum viderentur. Non tamen omnes vel donantes Imperatores, vel accipientes Pontifices Conſtantini ſunt obliti, quemadmodum inferius dicemus.

Argumentũ ex idemptio non valet.

Vltimò hic accuratè reſpondendum. Ponit ex Cuſano ſtramineam eſſe donationem, quòd cap. *Conſtantinus.96.*diſt. *Palea* dicitur; quaſi textus qui *Palea* inſcribuntur ſint reiectanei, & minimi momenti. Miror id placuiſſe Cuſano, & alijs doctis. Mihi Theologo, ſed iuris amanti illud eſt, & perſpectum, & compertum. Textus illos, quibus inſcribitur

tur *Palea* eſſe grauiſſimos, & eiuſdem cum cæteris pretij, & momenti. Inſpiciat eos quiuis ſtudioſus, ac eorum argumenta, & ſenſa expendat, & mihi fidem habebit. Res eſt prolixa. Breui me expedio productis exemplis. Diſt. 5. q. 5. cap. 1. Palea dicitur textus ex D. Gregorio depromptus. Diſt. 9. ca. 5. Palea eſt teſtimonium D. Auguſtini diſt. 23. cap. 3. Palea conſtat ex Decretis Concilij Bracharenſis, Toletani, & Hiſpalenſis. Diſt. 32. cap. 2. in Palea ponitur authoritas S. Gregorij Magni. Quid? quòd cap. 1. diſt. 31. Paleam implet D. Paulus Apoſtolus. An Paleæ ſunt Stramineæ, ſunt leues, ſunt inanes? Hinc liquet non eo ſenſu *Paleas* ſumi. Sed quo Ioannes Andreas in addit. ad ſpecul. & de diſput. & allegat. propè finem, & Imola, & Alexander, & Iaſon. apud Gloſſam inſignem in cap. *Conſtantinus*; ſumunt, ideſt *Paleas* additamenta eſſe, quæ textibus ſunt adieƈta in quibus deerant, quæ ineſſe debebant, & apparet ex cap. 13. diſt. 23. vbi *Palea* conſtat ex ratione: cum dicat *Nam*: quod item videre eſt in cap. 5. diſt. 31. ex D. Paulo, vbi rurſum ponitur idem *Nam*. Quare hæc notio vocis *Palea* videtur eſſe germana: quanquam Pater Gabriel Vaſquez vir profundè, ac copioſè eruditus *Paleam*, nomen cuiuſdam Cardinalis *Paleæ* nuncupati eſſe malit, qui author eorum capitum fuerit. In quo ille ſecutus eſt Iaſonem qui Paleam Perſonam, & Cardinalem inducit, quem tamen *Brotopaleam* vocat. Verum pace amborum aliena videtur hęc etymologia à loco, & ſenſu, & hic Cardinalis nuſquam in Faſtis purpureis inuenitur. Nec in Lexico, vel Caluini, vel aliorum legitur hęc Paleæ ſignificatio: quam verò affert Gloſſa ex Græco detortam à nomine *Palea* antiqua, vel aduerbio *Palin rurſum* minus mihi arridet, quia nec in his textibus antiqua ponuntur, nec diƈta repetuntur, cùm præſertim iſtæ additiones in libris antiquis non eſſent, & de nouo ſint adieƈtæ Gratiano. Vnde apparet additamenta eſſe, quæ idcircò me authore *Paleæ* nuncupantur, quia tanquam ex Faſce, vel manipulo ceciderunt, & colleƈtæ ſunt à poſteris, ſpecilegij more, & iterum in faſcem, ſiue manipulum conieƈtæ, & in hanc notionem quadrat vox *Palin. rurſum*; quòd iterum in locum vnde ceciderant, reponuntur. Hac ratione corruit argumentum Nicolai Cuſani, & aliorum, qui cum eo ſentiunt & capitis *Conſtantinus* authoritatem eleuant. Aƈta Syluestri idonea eſſe, & alias oſtendimus, & inferius monſtrabimus,

[Margin notes: *Palea quid ſit in iure.* — D. Greg. D. Aug. — D. Paul. — Ioannes Andr. Iaſon. — Vaſqu. — Gloſſa. — *Palea non eſt textus inutilis. Sed additamentum.*]

nec Baronius, & Binius apocrypha exiſtimant. Sed nonnulla in ijs apocrypha contineri, aiunt; quæ nos poſtea expendemus. De ſententia Baronij, & Binij, & Leonis Allatij, nunc opus non eſt diſputare. Vno verbo: ij non negant Edictum, neque inficiantur donationem; dubitant ex nimio, quod proximè dixi, in ſedem Romanam ſtudio, & amore, ne quid vel authores, vel translatores Edicti ſpecie donandi moliti ſint contra eandem, quàm ſimulabant, & ditare, & ornare, Sedem, quòd Græci maiorem partem ſint. Ecquis enim non illud norit.

Timeo Danaos, & dona ferentes?

CAPVT IV.

Propria explanatè, ac dilucidè proponitur authoris de huiuſmodi Edicto ſententia.

CVm propoſitum nobis ſit accuratiſſimè de veritate huiuſce tum Edicti, tum donationis diſputare, & de iure acquiſito à Romanis Pontificibus certum aliquid ſtatuere, oportet illius, vti conceptum, & exiſtimatur, & circumfertur, quanquam longius ſit, exemplum producere, & omnia eiuſdem verba, & ſenſa examinare, vt nihil non exactè diſcuſſum, & maturè expenſum remaneat. Igitur huiuſmodi eſt.

Edictum Domini Conſtantini Imperatoris.

In nomine ſanctæ, & indiuiduę Trinitatis, patris ſcilicet & filij & Spiritus Sancti, Imperator Cæſar Flauius Conſtantinus, in Chriſto Ieſu, vno ex eadem Trinitate Sancta, Saluatore Domino Deo noſtro, fidelis, manſuetus, beneficus, Alemanicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britanicus, Hunicus, pius, felix, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, Sanctiſſimo, ac beatiſſimo Patri Patrum Syluestro, Vrbis Romanæ Epiſcopo & Papę, atque omnibus eius ſucceſſoribus, qui in Sede Beati Petri vſque in finem ſæculi ſeſſuri ſunt Pontificibus, nec non & omnibus reuerentiſſimis, & Deo amabilibus Catholicis Epiſcopis, eidem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ per hanc noſtram Imperialem Conſtitutionem ſubiectis in vniuerſo orbe terrarum, nunc & in poſterum cunctis retrò temporibus,

con-

conſtitutis, gratia, pax, charitas, gaudium, longanimitas, miſericordia à Deo Patre omnipotente, & Ieſu Chriſto Filio eius, & Spiritu Sancto, cum omnibus vobis. Ea quæ Saluator & Redemptor noſter, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, altiſſimi Patris filius, per ſuos Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum, interueniente Patre noſtro Sylueſtro, Summo Pontifice, & vniuerſali Papa, mirabiliter dignatus eſt operari, liquida enarratione per huius noſtræ Imperialis inſtitutionis paginam, ad cognitionem omnium populorum in vniuerſo orbe terrarum ſtuduit propalare noſtra manſuetiſſima ſerenitas. Primum quidem noſtram fidem, quam à prælibato beatiſſimo Patre, & oratore noſtro Sylueſtro vniuerſali Pontifice docti ſumus, intima cordis confeſſione ad inſtruendas omnium veſtrum mentes proferentes, & ita demum Dei miſericordiam ſuper nos diffuſam annunciantes, noſſe vos volumus, ſicut per anteriorem noſtram ſacram pragmaticam iuſſionem ſignificauimus, nos à culturis idolorum, ſimulacris mutis & ſurdis, manufactis, diabolicis compoſitionibus, atque ab omnibus ſatanæ pompis receſſiſſe, & ad integram Chriſtianorum fidem, quæ eſt vera lux & vita perpetua, perueniſſe, credentes iuxta id, quod nos idem almificus, & ſummus Pater & Doctor noſter Sylueſter Pontifex inſtruxit, in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnigenitum, Dominum noſtrum, per quem creata ſunt omnia. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & viuificatorem vniuerſæ creaturæ. Hos, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confitemur, ita vt in Trinitate perfecta & plenitudo ſit diuinitatis, & vnitas poteſtatis. Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & tres vnum ſunt in Ieſu Chriſto. Tres itaque formæ, ſed vna poteſtas. Nam ſapiens retrò ſemper Deus edidit ex ſe, per quod ſemper erant gignenda ſæcula, verbum. Et quando, eodem ſolo ſuæ ſapientiæ verbo vniuerſam ex nihilo formauit creaturam, cum eo erat, cuncta ſuo arcano componens myſterio. Igitur perfectis cælorum virtutibus, & vniuerſis terræ materijs, pio ſapientiæ ſuæ nutu, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, primum de limo terræ fingens hominem hunc in Paradiſo poſuit voluptatis. Quem antiquus ſerpens, & hoſtis inuidens diabolus per amariſſimum ligni vetiti guſtum, exulem ab

eiſdem

eiſdem fecit gaudijs: eoque expulſo, non deſiuit ſua venenoſa multis modis protelare iacula, vt à via veritatis humanum abſtrahens genus, Idolorum culturæ, videlicet creaturæ, non creatori deſeruire ſuadeat: quatenus per hoc eos, quos ſuis valuerit irretire inſidijs, ſecum eterno efficiat concremandos ſupplìcio. Sed Deus noſter miſertus plaſmatis ſui, dirigens ſanctos ſuos prophetas, per hos lumen futuræ vitæ, aduentum videlicet Filij ſui Domini Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti annuncians, miſit eundem vnigenitum filium ſuum & ſapientiæ verbum. Qui deſcendens de cœlis propter noſtram ſalutem, natus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Non amiſit, quòd fuerat: ſed cœpit eſſe, quod non erat. Deum perfectum, & hominem perfectum, vt Deus mirabilia perficiens, & vt homo humanas paſſiones ſuſtinens, ita verbum hominem, & verbum Deum, prædicante patre noſtro Syluestro Summo Pontifice, intelligimus, vt verum Deum, verum hominem fuiſſe, nullo modo ambigamus. Electiſque duodecim Apoſtolis, miraculis coram eis, & innumerabilis populi multitudine coruſcauit. Confitemur eundem Dominum Ieſum Chriſtum adimpleſſe legem, & prophetas, paſſum, crucifixum ſecundum ſcripturas, tertia die à mortuis reſurrexiſſe, aſſumptum in cœlos, atque ſedentem ad dexteram Patris, inde venturum iudicare viuos, & mortuos, cuius Imperij non erit finis. Hęc eſt enim fides noſtra Catholica Orthodoxa, à Beatiſſimo Patre noſtro Syluestro Summo Pontifice nobis prolata. Exhortamur idcircò omnem populum, & diuerſas gentium nationes, hanc fidem tenere, colere, & prædicare, & in Sanctæ Trinitatis nomine baptiſmi gratiam conſequi, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto per infinita ſæcula viuit & regnat, quem Sylueſter beatiſſimus Pater noſter vniuerſalis prędicat Pontifex, corde deuoto adorare. Ipſe enim Dominus noſter, miſertus mihi peccatori, miſit Sanctos ſuos Apoſtolos ad viſitandum nos, & lumen ſui ſplendoris infulſit nobis, vt abſtractum à tenebris ad veram lucem & agnitionem veritatis, me veniſſe gratularemini. Nam dum valida ſqualoris lepra totam mei corporis inuaſiſſet carnem, & multorum medicorum conuenientium cura adhiberetur, nec vllius quidem cura promeruiſ-

ruiſſemus ſalutem, ad hoc venerunt Sacerdotes Capitolij, dicentes mihi debere fieri fontem in Capitolio, & compleri hunc innocentium ſanguine, & eo calente lotũ me poſſe mũdari. Et ſecundum eorum dicta, aggregatis plurimis Innocentibus infantibus, dum vellent ſacrilegi paganorum Sacerdotes eos mactare, & ex eorum ſanguine fontem repleri, cernens ſerenitas noſtra lachrymas matrum eorum, illicò exhorrui facinus: miſeratuſque eas proprios illis reſtitui pręcepimus filios ſuos, datiſque vehiculis & donis conceſſis, gaudentes ad propria relaxauimus. Eadem igitur tranſacta die, nocturno nobis facto ſilentio, dum ſomni tempus adueniſſet, aſſunt Apoſtoli Sanctus Petrus & Paulus, dicentes mihi. Quoniam flagitijs poſuiſti terminum, & effuſionem ſanguinis innocentis horruiſti, miſſi ſumus à Chriſto Domino Deo noſtro, dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium. Audi ergò monita noſtra, & fac quodcunque indicamus tibi. Sylueſter Epiſcopus huius ciuitatis ad montem Soracte perſequutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum ſuis clericis latebram fouet. Hunc ad te cum adduxeris, ipſe tibi piſcinam pietatis oſtendet, in qua dum tertiò te merſerit, omnis te valetudo iſta deleret lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc viciſſitudinem tuo Saluatori compenſa, vt omnes iuſſu tuo, per totum orbem reſtaurentur Eccleſiæ. Te autem ipſum in hac parte purifica, vt relicta omni ſuperſtitione Idolorum, Deum viuum & verum qui ſolus eſt & verus, adores & excolas, vt ad eius voluntatem attingas. Exurgens igitur à ſomno, protinus iuxta id, quod à Sanctis Apoſtolis admonitus ſum, peregi: aduocatoque eodem præcipuo, & magnifico Patre, & illuminatore noſtro Syluestro, vniuerſali Papa, omnia à ſanctis Apoſtolis mihi præcepta dixi verba: percontatique ſumus ab eo, qui iſti dij eſſent Petrus, & Paulus? Ille verò non eos Deos verè dici, ſed Apoſtolos Saluatoris noſtri Domini Dei Ieſu Chriſti, reſpondit. Et rurſum interrogare cœpimus eundem beatiſſimum Papam, vtrum iſtorum Apoſtolorum imagines expreſſas haberet, vt ex pictura diſceremus hos eſſe, quos reuelatio docuerat. Tunc idem venerabilis Pater imagines eorundem Apoſtolorum per diaconem ſuum exhiberi præcepit, quas dum adſpicerem, & eorum quos in ſomno videram, figuratos in ipſis imaginibus cognouiſſem vultus, ingenti clamore coram omnibus ſatrapis meis confeſſus

feſſus ſum eos eſſe, quos in ſomno videram. Ad hæc beatiſſimus idem Syluester Pater noſter, Vrbis Romæ Epiſcopus, indixit nobis pœnitentiæ tempus intra Palatium noſtrum Lateranenſe, in vno cilicio, vt de omnibus, quæ à nobis impiè peracta, atque iniuſtè diſpoſita fuerant, vigilijs, ieiunijs, atque lachrymis & orationibus, apud Dominum Deum noſtrum Ieſum Chriſtum Saluatorem, veniam impetraremus. Deinde per manus impoſitionem Clericorum, vſque ad ipſum præſulem veni. Ibique renuncians ſatanæ pompis, & operibus eius, vel vniuerſis Idolis manufactis, credere me in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, ſpontanea voluntate coram omni populo profeſſus ſum; Benedictóque fonte, illic me trina merſione vnda ſalutis purificauit. Poſitoque me in fontis gremio, manum de cælo me contingentem proprijs oculis vidi. De qua mundus exurgens ab omni me lepræ ſqualore mundatum agnoui: leuatoque me de venerabili fonte, induto veſtibus candidis, ſeptiformis gratiæ Sancti Spiritus conſignationem adhibuit beati chriſmatis vnctione, & vexillum Sanctæ Crucis in mea fronte liniuit, dicens: Signet te Deus ſigillo fidei ſuę, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, in conſignatione fidei. Cunctuſque clerus reſpondit, Amen. Et adiecit præſul, Pax tibi. Prima itaque die poſt perceptum Sacri baptiſmatis myſteriū & poſt curationem corporis mei à lepræ ſqualore, agnoui non eſſe alium Deum, niſi Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, quem Beatus Syluester Papa prędicat, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate. Nam omnes dij gentium quos vſque hactenus colui, dæmonia opera hominum manufacta, comprobantur. Etenim quantam poteſtatem idem Saluator noſter ſuo Apoſtolo Beato Petro contulerit in cœlo, ac terra lucidiſſimè nobis idem venerabilis Pater edixit, & dum fidelem eum in ſua interrogatione inueniens, ait: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Aduertite potentes, & aure cordis intendite, quid bonus Magiſter, & Dominus ſuo diſcipulo adiunxit, inquiens: Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Mirum eſt

hoc

hoc valdè, & glorioſum in terra ligare, & ſoluere, & in cælo ligatum & ſolutum eſſe. Et dum hęc prædicante Beato Syluestro agnoſcerem, & beneficijs ipſius Beati Petri, integerrimè ſanitati me comperi reſtitutum, vtile iudicauimus, vna cum omnibus noſtris Satrapis, & vniuerſo Senatu optimatibuſque meis, etiam & cuncto populo Romani gloriæ Imperij ſubiacenti, vt ſicut in terris Sanctus Petrus Vicarius Filij Dei eſſe videtur conſtitutus, etiam & Pontifices, qui ſucceſſores ſunt ipſius Principis Apoſtolorum Principatus poteſtatem amplius quàm terrena Imperialis noſtrę ſerenitatis manſuetudo habere videtur, conceſſam à nobis noſtroque Imperio obtineant eligentes nobis ipſum Principem Apoſtolorum, & eius ſucceſſores firmos apud Deum eſſe patronos. Et ſicut noſtram terrenam Imperialem potentiam, ſic eius Sacroſanctam Romanam Eccleſiam decreuimus venerantor honorari, & amplius quàm noſtrum Imperium, & terrenum thronum Sedem Sacratiſſimam Beati Petri glorioſè exaltari, tribuentes ei poteſtatem, & gloriæ dignitatem, atque vigorem, & honor rificentiam Imperialem, atque decernentes facimus, vt Principatum teneat, tam ſuper quatuor præcipuas Sedes Antiochenam, Alexandrinam, Hieroſolylymitanam, & Conſtantinopolitanam, quamque etiam ſuper omnes in vniuerſo Orbe terrarum Dei Eccleſias. Et Pontifex qui pro tempore ipſius Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ extiterit celſior, & Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi exiſtat, & eius iudicio quæque ad cultum Dei, vel fidei Chriſtianorum ſtabilitatem procuranda fuerint diſponantur. Iuſtum quippè eſt vt ibi lex Sancta caput teneat Principatus, vbi ſanctarum legum inſtitutor Saluator noſter Beatum Petrum Apoſtolatus obtinere præcepit Cathedram, vbi & Crucis patibulum ſuſtinens Beatæ mortis ſumpſit poculum, ſuique Magiſtri, & Domini imitator apparuit. Et ibi gentes pro Chriſti nominis confeſſione colla ſua flectant, vbi eorum Doctor Beatus Paulus Apoſtolus pro Chriſto extenſo collo martyrio coronatus eſt. Illic vſque in finem quęrant Doctorem, vbi Sanctum Doctoris quieſcit corpus, & ibi proni, ac humiliati cæleſtis Regis Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti famulentur officio, vbi ſuperbi terreni Regis ſeruiebant Imperio. Interea noſſe volumus omnem populum vniuerſarum gentium, ac nationum per totum Orbem

Fff ter-

terrarum conſtruxiſſe nos intra Palatium Lateranenſe eidem Saluatori Noſtro Domino Deo Ieſu Chriſto Eccleſiam à fundamentis cum baptiſterio, & duodecim nos ſciatis de eius fundamentis ſecundum numerum duodecim Apoſtolorum cophinos terrę onuſtatos proprijs adſportaſſe humeris, quam Sacroſanctam Eccleſiam, caput & verticem omnium Eccleſiarum in vniuerſo orbe terrarum dici, coli venerari, ac prædicari ſancimus, ſicut per alia noſtra Imperialia Decreta conſtituimus. Conſtruximus quoque Eccleſias BB. Petri, & Pauli primorum Apoſtolorum, quas auro, & argento locupletauimus, vbi & ſacratiſſima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipſorum ex electro (cui nulla fortitudo præualet elementorum) conſtruximus, & Crucem ex auro puriſſimo, & gemmis pretioſiſſimis, per ſingulas eorum thecas poſuimus, & clauis aureis confiximus. Quibus Eccleſijs pro concinnatione luminariorum poſſeſſionum prædia contulimus, & rebus diuerſis eas ditauimus, & per noſtram Imperialem iuſſionem ſacram, tam in Oriente, quam in Occidente, vel etiam ſeptentrionali, & Meridiana plaga, videlicet in Iudæa, Græcia, Aſia, Thracia, Aphrica, & Italia, vel diuerſis inſulis noſtra largitate eis libertatem conceſſimus, ea prorſus ratione vt per manus Beatiſſimi Patris noſtri Syluestri Pontificis, ſucceſſorumque eius omnia diſponantur. Gaudeat ergo vna nobiſcum omnis populus, & gentium nationes in vniuerſo Orbe terrarum: & exhortantes monemus omnes, vt Deo noſtro, & Saluatori Ieſu Chriſto, immenſas vnà nobiſcum referant gratias, quoniam ipſe Deus in cælis deſuper, & in terra deorſum nos per ſuos Sanctos Apoſtolos viſitans, ſanctum baptiſmatis Sacramentum percipere, & corporis ſanitatem dignos effecit, pro quo concedimus ipſis Sanctis Apoſtolis, Dominis meis Beatiſſimis Petro, & Paulo; & per eos etiam Beato Syluestro Patri noſtro, Summo Pontifici, & vniuerſali Vrbis Romæ Papæ, & omnibus eius ſucceſſoribus Pontificibus, qui vſque in finem mundi in Sede Beati Petri erunt ſeſſuri, atque de præſenti contradimus Palatium Imperij noſtri Lateranenſe, quod omnibus in toto Orbe terrarum præfertur, atque præcellit Palatijs: deinde diadema, videlicet coronam capitis noſtri, ſimulque phrygium, ideſt mitram, nec non & ſuperhumerale, videlicet lorum, quòd Imperiale circumdare aſsolet

col-

collum: verum etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumenta, ſed & dignitatem Imperialium præſidentium equitum, conferentes etiam & Imperialia ſceptra, ſimulque & cuncta ſigna, atque banta, vel banda, etiam & diuerſa ornamenta Imperialia, & omnem proceſſionem Imperialis culminis, & gloriam poteſtatis noſtræ. Viris autem Reuerendiſſimis Clericis in diuerſis ordinibus eidem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientibus, illud culmen ſingularitate, potentia, & præcellentia habere ſancimus, cuius ampliſſimus noſter Senatus videtur gloria adornari, ideſt Patricios, atque Conſules effici, necnon & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari. Et ſicut Imperialis militia ornatur, ita & Clerum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ornari decernimus. Et quemadmodum Imperialis potentia officijs diuerſis, cubiculariorum nempè, & oſtiariorum, atque omnium excubitorum ornatur, ita & Sanctam Romanam Eccleſiam decorari volumus. Et vt ampliſſimè Pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc, Clericorum eiuſdem Sanctæ Romanæ manipulis, & linteaminibus, ideſt, candidiſſimo colore decorari equos, & ita equitare. Et ſicut noſter Senatus calceamentis vtitur, cum vdonibus, ideſt, candido linteamine illuſtratis, ſic vtantur & Clerici, & ſic cæleſtia, ſicut terrena ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus ipſi Sanctiſſimo Patri noſtro Sylueſtro, Vrbis Romæ Epiſcopo, & Papæ, & omnibus qui poſt eum in ſucceſſum, & perpetuis temporibus aduenerint, Beatiſſimis Pontificibus, pro honore, & gloria Chriſti Dei noſtri, in eadem Dei magna Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, ex noſtro indicto; vt quem placatus proprio conſilio Clericali voluerit, & in numero Religioſorum Clericorum connumerare, nullum ex omnibus præſumentem ſuperbè agere. Decreuimus itaque & hoc, vt idem venerabilis Pater noſter Sylueſter Summus Pontifex, & omnes eius ſucceſſores Pontifices diademate (videlicet corona, quàm ex capite noſtro illi conceſſimus) ex auro puriſſimo, & gemmis precioſis vti debeant, & in capite ad laudem Dei, & pro honore Beati Petri geſtare. Ipſe verò Beatiſſimus Papa, quia ſuper coronam Clericatus, quam gerit ad gloriam Beati Petri, omninò ipſa ex auro non eſt paſſus vti corona, nos phrygium quoque candidi nitoris,

Digitized by Google

ſplendidam Reſurrectionem Dominicam deſignans, eius ſacratiſſimo vertici manibus noſtris impoſuimus, & tenentes frenum equi illius, pro reuerentia Beati Petri, ſtratoris officium illi exhibuimus, ſtatuentes, eodem phrygio omnes eius ſucceſſores ſingulariter vti in proceſſionibus, ad imitationem Imperij noſtri. Vnde vt Pontificalis apex non vileſcat, ſed amplius etiam quàm terreni Imperij dignitas, & gloriæ potentia decoretur, ecce tam Palatium noſtrum, vt prædictum eſt, quamque Vrbem Romam, & omnes totius Italiæ, & Occidentalium Regionum Prouincias loca, & ciuitates præfato Beatiſſimo Pontifici noſtro Syluestro, vniuerſali Papæ concedimus, atque relinquimus, & ſucceſſorum ipſius Pontificum poteſtati, & ditioni, firma Imperiali cenſura, per hanc diualem noſtram, & pragmaticum conſtitutum, decernimus diſponendum, atque iuri Sanctæ Romanę Eccleſiæ concedimus permanſurum. Vnde congruum proſpeximus, noſtrum Imperium, & Regni poteſtatem, in Orientalibus transferri, ac tranſmutari Regionibus, & in Byzantiæ Prouinciæ optimo loco, nomini noſtro ciuitatem ædificari, & noſtrum illic conſtitui Imperium: quoniam vbi Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ Religionis caput ab Imperatore cęleſti conſtitutum, conſtitui iuſtum non eſt. Hæc vero omnia, & per alia diualia decreta ſtatuimus, atque conſtituimus vſque in finem mundi illibata, & inconcuſſa permanere decernimus. Vnde coram Deo viuo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili eius iudicio obteſtamur, per hoc noſtrum Imperiale conſtitutum, omnes noſtros ſucceſſores Imperatores, vel cunctos optimates, Satrapas, etiam ampliſſimum Senatum, & vniuerſum populum, in toto orbe terrarum, nunc & in poſterum, cunctis retrò temporibus Imperio noſtro ſubiacentem, nulli eorum quoquomodo licere, hæc quæ à nobis Imperiali ſanctione Sacroſanctæ Romanę Eccleſiæ, vel eius omnibus Pontificibus conceſſa ſunt, refragari, aut confringere, vel in quoquam conuellere. Si quis autem (quòd non credimus) in hoc temerator, aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus ſubiaceat innodatus, & Sanctos Dei Principes Apoſtolorum Petrum, & Paulum, ſibi in præſenti, & futura vita ſentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus, cum Diabolo, & omnibus deficiat impijs. Huius verò Imperialis decreti noſtri

pagi-

paginam proprijs manibus roborantes, ſuper venerandum corpus Beati Petri Principis Apoſtolorum poſuimus, ibi eidem Dei Apoſtolo ſpondentes, nos cuncta inuiolabiliter conſeruare, & noſtris ſucceſſoribus Imperatoribus conſeruanda in mandatis relinquere, ac Beato Patri noſtro Syluestro Summo Pontifici, & vniuerſali Papæ, eiuſque cunctis ſucceſſoribus Pontificibus, Domino Deo, & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto annuente, tradimus perenniter, atque feliciter poſſidenda. Et ſubſcriptio Imperialis: Diuinitas vos conſeruet per multos annos Sanctiſſimi, ac Beatiſſimi Patres. Datum Romæ, ſub tertio die Kalendarum Aprilium, Domino noſtro *Flauio Conſtantino Auguſto quater & Gallicano viris clariſs. conſulibus*.

Equidem inſpecto ſtylo, & tenore ſcriptionis, & explorata phraſi, & dictione, comperio nonnulla quæ mihi ſuſpicionem mouent vel corruptionis, vel mutationis à prima, & pura compoſitione, & editione Conſtantiniani Edicti. Styli in eo candor, & phraſis proprietas, & dictionis elegantia deſideratur. Decerpo pauca. Quid ſibi vult illa particula in titulo. *Nunc & in poſterum cunctis retro temporibus conſtitutis*. De futuro ſermo eſt. Ecquis autem *Retro* niſi de præteritis dicat? *Pragmaticam iuſſionem* ea ætate, & multa poſt ſecula, opinor, non legitur. Recentius eſt vocabulum. *Culturis idolorum* vix ferendum. Scio in Actis Sylueſtri eſſe *Culturam* eodem ſenſu, ſed diſplicet in numero plurali. *Protelare iacula* pro *emittere* improprium, & impurum puto. Et illa eſt infelix phraſis, *Omnis te valetudo iſta deſeret lepræ*. Iam vero *Satrapas* vocari Conſtantini intimos ſiue conſiliarios, ſiue miniſtros, ſiue Senatores quæ aures Latinę ferent? Diſtingui eos à Senatu, eique præponi, vt dicat Conſtantinus. *Cum omnibus noſtris Satrapis, & vniuerſo Senatu*, ne à Dario quidem aut Xerxe dici potuiſſe exiſtimo. *Cophinos terrę onuſtatos geſtaſſe humeris* ſolus myxobarbarus efferret. *Banta*, vel *Banda* illius temporis voces non ſunt. *Proceſſiones* pro Sacris pomparum, ſiue ſupplicationum ſolemnijs poni illo æuo non credam: nouitia vox & vulgaris eſt. Quid? quod illa. *Congruum proſpeximus noſtrum Imperium, & Regni poteſtatē in Orientalibus transferri, ac tranſmutari regionibus* apertum ſolęciſmum continent, cui ſequentia verba alium addunt ſocium turpiorem, vt alia emittam. Hæc in exemplari à Seuerino Bin. 1.to.Concil.

addu-

adducto inuenimus, quorum tamen nonnulla in alijs correctiora reperimus. Vti in eo quod affert Franciſcus Burſatus videre eſt: quanqnam alia in hoc pro illis menda irrepſerint: vt non multum inter vtrunque interſit. Habet enim illud Burſati *permanenda, pro permanſura*, & alia eiuſdemmodi. Tandem duplicem errorem in Chronologia Conſulum, qua terminatur Epiſtola prodit Seuerinus Binius in notis ad eandem. Hæc quæ ſingillatim ſumpta leuia videbuntur, coniuncta tamen me aliquantum mouerunt ad ſuſpicandum huiuſce Edicti formulam fuiſſe ex parte vitiatam: ſiue illa ſint menda illapſa per incuriam, ſiue immiſſa per inuidiam, ſiue per iniuriam temporis exeſa ſcriptione amanuenſes ea ſuo arbitrio mutauerint, ne lacunæ apparerent. Hactenus de dictione. Sunt alia quæ ad ſenſum pertinent, eumque corruptum monſtrant, & minus Conſtantini menti congruentem.

Ac primùm in ipſamet inſcriptione (ſequor Binium) illa particula. *Omnibus reuerendiſſimis, & Deo amabilibus Catholicis Epiſcopis; eidem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ per hanc noſtram Imperialem Conſtitutionem in vniuerſo orbe terrarum ſubiectis*. Inepta quidem videtur, quòd ſignificat ſubiectionem cæterorum Epiſcoporum, non eſſe iuris diuini, ſed humani, & Imperialis, quę emanet à conſtitutione, non ab Euangelio: in quo eſt fons & origo illius, & in Romano Pontifice Primatus, & in Epiſcopis ſubiectionis: *Paſce*, inquit, Chriſtus Ioan. vlt. *Oues meas*. Iunctis alijs quæ alibi protulimus teſtimonijs. Eſt alia multò durior particula ad medium Edicti, quæ maximè, vti ſuperiùs diximus, mouit Baronium ad illud improbandum, nimirum illa quæ ſupremam dignitatem, & poteſtatem Sedis Apoſtolicæ à Chriſto donatã Petro, & ſucceſſoribus fuiſſe beneficium, & donum Conſtantini eſſe ſignificat: itaut hic ſibi arroget ius illud diuinum, quo Papæ capita, & Principes Eccleſiæ ſunt. Eſt autem hiſce verbis compoſita ſententia. *Vtile iudicauimus vna cum omnibus noſtris Satrapis, &c. vt ſicut in terris Sanctus Petrus Vicarius Dei eſſe videtur conſtitutus, etiam & Pontifices, qui ſucceſſores ſunt ipſius Principis Apoſtolorum Principatus poteſtatem amplius, quàm terrena Imperialis noſtræ Serenitatis manſuetudo habere videtur conceſſam à nobis, noſtroque Imperio obtineant*. Et infra. *Atque decernentes ſancimus, vt Principatum teneat tam ſuper quatuor* Binius.

tuor præcipuas Sedes Antiochenam, Alexandrinam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam; quamque etiam ſuper omnes in vniuerſo Orbe terrarum Dei Eccleſias. Et Pontifex ex quo tempore ipſius Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ extiterit, celſior & Princeps cunctis Sacerdotibus mundi exiſtat, & eius iudicio quæque ad cultum Dei, vel Fidei Chriſtianorum ſtabilitatem procuranda fuerint diſponantur. Hæc ſunt quæ Baronio ſuſpicionem falſitatis Edicti mouerunt. Primatus enim Romani Pontificis à Deo eſt, non ab homine, à Chriſto non à Conſtantino. Græcum commentum videtur. Voluere nimirum propinare hoc venenum inaurato poculo donationis, vt nos Romanos homines inescaret donatio, & hac in os hians ob expectationem accepta hamum deglutiremus. Præterea numerus ſedium eſt mendoſus. Conſtantinopolitana quippè ſedes nondum, immò ne ipſa Conſtantinopolis quidem Vrbs erat. Quid? quòd Hieroſolymitana Eccleſia, tum Patriarchali dignitate carebat, & Cæſareæ Paleſtinæ ſubiecta erat? quemadmodum apparet ex Niceno Concilio Can. 7. Tandem ordo numerandi eſt præpoſterus. Præcedit quippè Antiochia Alexandriam, quam ſubſequi debebat.

Baron.

Alia obiectio à numero Sedium Patriarcharum.

Grauia ſunt hæc: ſed illud multò grauius. In confeſſione Fidei ſic habetur. *Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & tres vnum ſunt in Chriſto Ieſu*. Haud ſanè ad veram Theologiam congruenter. Vnum ſunt in natura diuina: non in Chriſto Ieſu, qui eſt vna perſona ex duabus compoſita naturis. Niſi ſi fortè in Chriſto Ieſu affirmandi vim habet, *hoc eſt in nomine Chriſti Ieſu, ſeu atteſtante Chriſto Ieſu.* Deinde aliud: *Tres itaque formæ, ſed vna poteſtas* duriuſculum eſt: nec enim, opinor, ſubſiſtentię, ſiue hypoſtaſes *Formæ* propriè appellantur, quòd *Forma* potius ſi ita dicẽdum eſſet *Eſſentiæ*, ſiue naturę conuenit. Quod autem ait Conſtantinus iubere ſe Clericos: *Patricios & Conſules effici, & cæteris dignitatibus Imperialibus decorari*. Id certè ineptum videtur: nec vnquam Romæ vſurpatum. Tandem illa clauſula Edicti continens Anathema ſimile Eccleſiaſticæ Cenſuræ, non videtur in Laicum Principem quadrare. Hæc enim formula. *Si quis autem quod non credimus in hoc temerator, aut contemptor extiterit æternis condemnationibus ſubiaceat innodatus, & Sanctos Dei Principes Apoſtolorum Petrum, & Paulum ſibi in præſenti & futura vita ſentiat contrarios, atque in Inferno inferiori concrematus*

Tertia à prauo modo loquendi in re Theologica.

tus cum Diabolo, & omnibus deficiat impijs. Eccleſiaſticum iudicium ſapit, non Imperatorium Tribunal, Sylueſter loqui videtur, non Conſtantinus: vir ſanè modeſtiſſimus, qui non auderet Pontificis munus vſurpare. Hactenus de ijs quæ mihi ſuſpectum Edictum faciunt.

Quod attinet donationem, remque Edicto contentam: ſunt quę ſcrupulum mouent. Primum donata eſſe enormia, & quæ modum, & fidem excedant. Quis enim credat donatum à Conſtantino totum Imperium Occidentale? nulla ſibi, vel ſucceſſoribus parte reſeruata? Secundum: donationem contra ius faſque eſſe, quandoquidem priuabat Filios Imperio hæreditario, quod ad illos morte Patris veniebat: nec ij cedere iure ſuo viſi ſunt, nec ſubiecti populi conſenſiſſe. Tertium pugnare donationem cum euentu, nec enim vſpiam legitur Conſtantini Filios, eorumque ſucceſſores, vſque ad inuaſionem Barbarorum, ideſt Gotthorum, & Longobardorum Imperio caruiſſe. Imò tradunt omnes Hiſtoriæ, Conſtantinum Imperium ita inter Filios diuiſiſſe, vt cum Conſtantio Orientale tribuiſſet, Occidentale, quod tum latiſſimè patebat inter alios duos Conſtantinum, & Conſtantem, quaſi ex æquo fuiſſe partitum. Qua de re paulò poſt dicemus. Quartum non conuenire eam donationem Sylueſtro, neque Pontificibus Romanis, moderatis, & ſanctis hominibus, & ab illa pompa, & faſtu maximè alienis. Ob has cauſas nonnulli ex noſtris Authoribus exiſtimant: Donationem licet facta eſſet, validam eſſe non potuiſſe. Inter quos ſunt Petrus de Bellaper. in rubric. iuſt. num. 10. & Signorol. Conſil. 26. Omiſſo Laurentio Valla qui eam *Fabulam* dicit, & alijs quos ſupra citauimus. Addo Caſtrum Concil. 70. vbi ait magnam de eo eſſe quæſtionem, quamuis ipſe teneat valuiſſe.

Sexta cummunis Edicto, & donationi ab inepto & inique deducta.

Petr. de Bella. Signor. Valla. Caſtro.

Nihilominus cenſeo, & Edictum, & donationem eſse omnino ſuſtinenda, & quæ oppoſui non obſtare, quominus vtrumque conſiſtat. Idque paulo fuſiùs oſtendo. Solutis quæ contra ſunt adducta argumentis. Et primum de Edicto duo ſtatuo. Alterum: etſi in eo ſint particulæ illæ quas notaui ſuſpectæ: non idcircò Edictum tollendum. Poteſt enim aliqua ſcriptura ex parte vitiari, itaut particulæ ſint mendoſæ, cum tamen corpus ſcripturæ integrum, & ſanum maneat, quemadmodum multis nos exemplis oſtendimus in controuerſia

de

de Honorio tomo de Scholis Theologiæ Poſitiuæ, & in eo altero, quem de Cõcilijs adornamus, accuratiſſimè probabimus. Quare non idcirco quòd illæ ſunt particulæ vel caſu, vel dolo additæ, vel deprauatę, Fides Edicto eſt abroganda. Sanè vel Baronio teſte, qui illius fidem conatur eleuare, Acta Syl-

Baron. ueſtri nonnullis ſunt locis corrupta, quos ille accuratè recenſet, & cum eo Spondanus, & Binius, nec eorum tamen ideò

Binius. fides abrogatur. In vitas item Pontificium multa irrepſerunt à veritate aliena, ſicut ijdem teſtantur authores adductis exẽplis vitarum Clementis, Anacleti, Alexandri, Marcelli, Syluestri, Liberij, Felicis, & Honorij, & aliorum, quæ tamen non officiunt reliquę narrationi. In Concilijs ſunt etiam non pauca, tum in hiſtoria, tum in Canonibus ſuſpecta, & corrupta, quæ cætera non vitiant, quemadmodum nos obſeruauimus in manuſcriptis de Concilio propediem edendis. Numero pauca: Sinueſſanum, Syrmienſe, Elibertinum, Arelatenſe I. imò & in Conſtantinopolitanum Oecumenicum irrepſit Canon 3. de Primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui non eſt legitimus, & à Damaſo, & Romana Eccleſia receptus non fuit, quemadmodum nec illud Decretum, quòd in eandem ſententiam factum dicitur in Concilio Chalcedonenſi, cui Leonis Magni Legati obſtiterunt. Quin & de Synodo Sexta Oecumenica Chalcedonenſi ſcribit Magnus Gregorius eam non vno in loco ab Eccleſia Conſtantinopoli-

Scripta depra uata, ſed non vltimo apocryphi.

Gregor. Magnus ta eſſe falſatam lib. 5. Epiſtol. epiſt. 14. indict. 14. Addo Canones Synodi Quiniſextæ, quorum plures nothi, & adulterini habentur, integra & inuiolata manente cæterorum authoritate. Ita corpus Edicti retinendum: membra illa, & particula reſecandæ. Alterum quæ particulæ à nobis ſunt taxatæ eas poſſe, aut ſanari, aut ſuſtineri; & quidem illæ quæ ad proprietatem, & conſtructionem Latinæ dictionis ſpectant excuſantur barbarie illius temporis, infuſa iàm in Vrbem, quod Cicero ante præuiderat, peregrinitate loquendi, & hac ratione ſatis obiecto à turpi, & inquinata phraſi argumento factum eſſet. Verùm ea melior reſpondendi via. Hæc vitia locutionis non eſſe in alijs exemplaribus: nam illud quod affert Burſatus ijs penè omnibus caret, & nitidum ac purum eſt, non habet illam particulam *retro conſtitutis*, nec illam *Culturis Idolorum*, nec aliam *protelare iacula*. Abeſt & illa infelix phraſis *valetudo iſta te deſeret lepræ*, & illa *Cophinos terræ* onu-

onuſtatos. Nec reperitur illud Solæcon *Orientalis Regionibus*: Quæ verò in Burſati exemplari, quod multo eſt correctiùs menda irrepſerunt, ea non habet exemplar Seuerini Binij. Itaque non admodum detrahit Fidei Edicti corrupta Latinitas. Quod attinet chronologiam Conſulum, ſi quoties ea vitiata eſt, toties de geſtis, quibus ſubſcribitur, dubitare debemus, multa incerta habebimus, quemadmodum in noſtro manuſcripto de Concilijs opere monſtramus, & ipſemet Baronius interdū & Binius, qui hoc fatentur corrigentes chronologiam, & geſta ſeruantes, vt apparet in vitis Pontificum, quas afferunt, & probant. Præterea ratio chronologica ſuas patitur difficultates; neque ſtatim vni authori credendum. Scio quippè Baronium ſæpè Panuinium refellere: vter autem melius ſenſerit haud facile eſt iudicare.

Soluitur obiectio ſumpta ex derogatione Primatus

Veniamus ad ea quæ videntur errores continere. Hæc item non obſtant Edicti Fidei. Prima illa particula, quæ ait *Epiſcopis per noſtram Imperialem conſtitutionem ſubiectis*. Sanum habet ſenſum. Ideſt declarando eſſe ſubiectos. Declarabat quippè Conſtantinus, quod verum erat, Epiſcopos ſubditos eſſe Romano Pontifici: non eos de nouo ſubdebat, quemadmodum ante expoſuimus de Primatu Romanæ Eccleſiæ non collato à Conſtantino, & Phoca, ſed declarato, & vindicato vti proximè dicemus. Ne quid ergo molirentur aduerſus hunc Primatum aliqui Patriarchę, ſuis legibus obſtabant Imperatores, & hac ratione acceptam à Chriſto dignitatem tuebantur. Idem eſt ſenſus alterius particulæ *conceſſam à nobis*, quàm ſic nonnulli intelligi volunt, quaſi illa ſuprema Romani Pontificis poteſtas à Conſtantino, non à Chriſto tributa eſſet, cum is eius germanus ſenſus eſſe non poſſit: pugnaret enim cum antecedentibus. *Sicut B. Petrus Vicarius Dei videtur eſſe conſtitutus; etiam & Pontifices qui ſucceſſores ſunt ipſius Principis Apoſtolorum poteſtatem amplius quàm terrena Imperialis habere videntur*. Quæ verba manifeſtè ſignificant, & Petrum, & Papas ſucceſſores ipſius diuino Chriſti iure poteſtatem habere. Itaque illa vox *conceſſam à nobis* cadit ſuper excellentiam poteſtatis, & iuriſdictionis temporalis, quam Conſtantinus addidit ſupremæ illi ſpirituali, quæ à Chriſto erat Petro, & ſucceſſoribus illius collata. Loquebatur igitur Conſtantinus de hac temporali poteſtate, quam ipſe Romanis Pontificibus adijciebat: non de prima ſpirituali, quam

Conſt.

no-

norat, & fatebatur à Chriſto, Petro, & ſucceſſoribus fuiſſe donatam. Cui ſi addebat mandatum ſiue diploma Imperiale, quo ratum Primatum eſſe iubebat, non erat ille author nouę poteſtatis, ſed veteris confirmator, quemadmodum poſtea, ad exemplum fortaſſe Conſtantini, factum legimus à Phoca, qui tempore Bonifacij III. Primatum Romanæ Eccleſiæ edicto ſanxit, & titulum Oecumenici Conſtantinopolitano Patriarcæ abrogauit. Beda lib. de tempor. rat. & Paulo Diacono lib. 4. cap. 21. & lib. 18. hiſtoriæ Romanæ Eutropio adiunctæ authoribus. Ita manet euulſus ſcrupulus, & metus Baronio, omniſque ſuſpicio adempta, metuenti, ne quid hę Particulæ Edicti noceant Iuri Cathedræ Romanæ. Cui ego illud occinerem. *Peior eſt bello timor ipſe belli. Peior eſt damno timor ipſe damni.*

Beda. Paulus Diacon. Eutrop.

Illud haud dubiè mendum eſt, quòd Conſtantinopolitana Sedes inter Patriarchales numeratur; immiſſum ab aliquo impoſtore, qui ſuſpectum Edictum facere voluit, vel additum ab aliquo Scriba imperito, qui cum putaret deeſſe illam Sedem, nec temporis rationem habere ſciret, eam adiecit. Itaque non oportet laborare in ea particula ſuſtinenda. Illud negandum, ex eo ſequi edictum eſſe adulterinum propter vnam illam particulam per fraudem, vel iniuriam adiectam. Ordo numerandi præpoſterus arguit ſolum hunc locum eſſe vitiatum: non ideò tamen cæteræ partes labaſcunt: nec ſimilis eſt peſtilentiæ illa corruptio: ſtat intra illas lineas, nec tendit vlterius. Idem de Hieroſolymitana Sede dictum accipito.

Obiectio de Sedibus Patriarchalibus diluitur.

Quoad confeſſionem Fidei: non ea erroris obiecta ſpecie terremur. Nam illud: *Tres ſunt in Chriſto Ieſu*. Vti ſignificauimus, non ad vnitatem intrinſecam in Chriſto, quaſi vnum cum eo natura ſint, ſed ad Fidem, & charitatem, qua per Chriſtum, & credimus, & diligimus Deum referendum eſt: vt ſit ſenſus in nomine Chriſti, in fide, & charitate Chriſti, qui nos docuit, & confirmauit ad credendum myſterium Trinitatis, cuius doctrinæ Chriſtus proprius author fuit in lege gratiæ.

Alia ducta ex peruerſo modo loquendi depellitur.

Fatemur item illud. *Tres formæ, & vna poteſtas* duriuſculum eſſe, non ideò tamen non concoquendum. Nam perſonalitates diuinæ, ſiue ſubſiſtentię, cum ſint ipſęmet relationes habent ſpeciem quandam formarum, quę videntur

quodammodo naturam diuinam afficere, atque adeò formę inſtar naturę aduenian tnoſtro concipiendi modo. Cęterum propriè neque eſſentia, neque relatio forma dici poteſt. Verum ſi vni ea vox accommodanda eſt, multò certè pręſtat relationem, quàm eſſentiam, *Formam*, appellare. Adde Conſtantinum, eo pręſertim tempore recentem ab Ethniciſmo minus peritum harum locutionum fuiſſe: atque adeò ſi quid non ex intima Theologia dixit, ei condonandum.

Ductũ ab inſolentia rerũ argumentum diſſoluitur.

Nec officit pars illa quę continet participationem illarum honeſtatum laicarum à Conſtantino factam Clero Romano. Potuit ęa fieri; neceſt in Eccleſia inſolens, cum videamus Epiſcopos temporales, & Duces, & Comites eſſe, ac temporali Principatu frui. Pares Francię, & Germanię Electores appello. Mutua vice, & Laici interdum Eccleſiaſticos, & Eccleſiaſtici laicos, diuerſa tamen ratione honores gerunt. Vnus Rex Gallię ſatis eſt exemplo, qui multis, & dignitatibus, & priuilegijs Eccleſiaſticis fruitur, & perſonam vltra Regiam, Sacram agit Summorum Pontificum facultate. De quibus nos latè, & accuratè in noſtro Propugnaculo p. 2. quò Lectores remittimus. De hac verò Conſtantini donatione infra dicemus. Difficultas quam ſpecies illa anathematis objicit facilè tollitur duobus modis. Primò dicendo illud non eſſe anathema Eccleſiaſticum, ſed execrationem ad eas quas Diras Latinè dicimus reuocandam, qua etiam dęmones omnino incapaces anathematis deteſtamur. Secundò concedendo anathema eſſe à Syluestro ſumpta poteſtate dictum, non propria Conſtantini, ſed participata à Pontifice authoritate, qua ratione quicquid in eo ſpiritualis, aut iuris eſt, aut virtutis id omne ad ſpirituale dominium reducitur. Scrupuli circa donationem, & Edictum, in ſequenti capite auferentur, & de his hactenus.

Autor in Propag.

Edictum confirmatur idoneis teſtimonijs.

Nulla igitur ſupereſt dubitandi de formula Edicti ratio, nec à communi Doctorum ſententia recedendi: cum præſertim eius bonam partem afferat Adrianus I. in Epiſtola lecta, & approbata in Septima Synodo, & Innocentius III. ſermone de S. Syluestro rem illius afferat, & ſua authoritate confirmet, & de Priuilegijs Romanæ Eccleſiæ Nicolaus I. Epiſtola ad Michaelem Imperatorem haud dubiè hoc in Edicto contentis meminerit, & Leo IX. totius Edicti formulam in litteris ad Michaelem Patriarcham, & Leonem Acri-

Adrian. Innoc.

danum

danum incluſerit. Ex quibus audiamus Innocentium III. in ſermone proximè citato. *Conſtantinus*, inquit, *egregius Imperator ex reuelatione diuina per beatum Syluestrum fuit à lepra in baptiſmo mundatus vrbem pariter & Senatum cum honoribus, & dignitatibus ſuis, & omne Regnum Occidentis ei tradidit, & dimiſit ſecedens & ipſe Byzantium; & Regnum ſibi retinens Orientis:* & vtramque poteſtatem deinceps in Syluestro fuiſſe Eccleſiaſticam, & Laicam fuiſſe affirmat. *Ex authoritate*, inquit, *Pontificali conſtituit Patriarchas, Primates, Metropolitanos, Præſules. Ex poteſtate verò regali Senatores, Præfectos, Iudices, & Tabelliones inſtituit*. Et concludit. *Romanus itaque Pontifex in ſignum Imperij vtitur Regno, & in ſignum Pontificis vtitur mitra*. Hæc ex Edicto deprompta eſſe conſtat. Nec oportet

Luitpr. ſupra dicta repetere. Adijcio teſtimonium Luitprandi, in quod incidi, quod minus eſt tritum, & rem continet. Is in Legatione ad Phocam Imperatorem, ſic *Conſtantini*, ait *Priuilegia apud nos ſunt*. Quæ ſanè verba ad Edictum referenda. Accedit authoritas Iuonis, Anſelmi, Deus dedit, Aubry

Iuo. Anſel. Deuſd. Aubry. Blaſt. Doubl. Doſee titulo de officio Præfecti vrb. qui integrum Edicti exemplum portat. Blaſtar ſummam illius affert in ſua Synopſi. Iacobus Dublet. aliud exemplar ex tabulario Dionyſiano Pariſino producit. Itaque illud retinendum cenſeo, ſiue integrum, ſiue aliqua ex parte, leuiter tamen vitiatum, quod non officiat corpori ſcripturæ.

Verum vtcumque ſit de Edicto, negari certè poſſe non puto rem Edicti, ideſt donationem à Conſtantino factam, cuicuimodi ea demum fuerit. Et quanquam traditio eam aſſerat, & communis ſenſus Authorum ſtabiliat, volo eam trium, quos ſuperius nominaui, Rabbinorum teſtimonijs con-

Rabbi. Abrah. firmare. Rabbi Abraham Leuita libro de traditione rerum geſtarum ſic. *Conſtantinus Cæſar legem Nazaræorum confirmauit, & ad eorum cultum, & legem tranſiuit, annis tercentum poſt Ieſum. Iuxta eorumdem computationem. Ceſſit deinde Roma, eamque Sacerdotibus Idumæorum ad hanc vſque diem dedit Conſtantinopoli* *Stabilitur Edictum teſtimonijs Rabbinorum.*

Rabb. Aben. Ezra. *ædificata*. Rabbi Aben Ezra in cap. 11. Danielis ita: *Conſtantinus*, inquit, *dedecorauit locum Romæ, quæ erat Sedes eius, & reliquit eam iniquitati, qui eſt Petrus*. Loquitur more hæreticorum. Sciant hi cum deſipiunt ſapere Iudæos. *Iniquitatem* hic vocat Petrum Iudaica rabie, ac Hæretico furore: non negat tamen, quòd Hæretici inficiantur Conſtantini donationem.

Rabbi

Digitized by Google

Rabbi Gedalia Iachia in Catena traditionum. *Anno*, inquit, *à creatione mundi* 4050. *Romæ Conſtantinus Cæſar Chriſtianæ Fidei adhæſit, & Syluestro Papæ, quod in Italia habebat domo dedit, Byzantium abijt, & Conſtantinopolim iterum condidit, ſuoque nomine eam appellauit. Salutem ex inimicis noſtris* diuinus vates eliceret, nos ex ijs veritatem elicimus. Pudeat Chriſtianos, immò & Hæreticos negare, quòd fateri Hebræi non erubeſcunt. Præſtaret lapicidam Romæ eſſe, quàm Oxonij, aut Cantabrigiæ Doctorem, vt veritas huiuſce rei teneretur, quam lapides integri, ſecti, puri, inciſi oſtendunt, & muti Cathedras, & Pulpita Academiarum illarum refutant. Melius hic loquuntur lapides, quàm illic homines. Atque hic quorundam ex noſtris dubitationi occurrere volo: quæ in argumentum idoneum aduerſus hanc donationem vertitur. Cur huiuſce donationis nulla fiat mentio in inſtrumentis donationũ aliorum Principum, qui poſt Conſtantinum donarunt: qui vti poſterius donationes faciebant, ita eorum qui priores fuerant meminerant? Carolus Magnus Pipini: Ludouicus Pius Caroli Magni. Ottho I. Pipinum, & Carolum Magnum nominat. Henricus Pipini, Caroli, Ludouici, & Otthonis Magni Patris, & Otthonis II. Filij nomina vſurpat, & alij horum mentionem faciunt. At Conſtantini, aiunt, meminit nemo. Hoc autem argumento eſt, nihil Conſtantinum donaſſe. Et quidem ſimilis ratio mouit Baronium, & Binium, & Grethſerum ſummos in omni litteratura viros ad affirmãdum: non multum fidei habendum eſſe huic Edicto, ſeu donationi Conſtantini, quòd eius exemplo vſi non fuerint ſummi Pontifices præſertim Gregorius VII. & Alexander III. qui duo magnificentiæ, & amplitudinis Romanæ Eccleſiæ fuerunt præcipui aſſertores, & laudatores. Primùm occurro dicendo argumentum iſtud ſumi à ſilentio, quod fluxum eſſe, ac debile ſolet, quemadmodum ſæpè animaduertimus. Aduerſus hoc tamen ſilentium tot voces, tamque perſpicuas protulimus Pontificum, Canonum, Conciliorum, Authorum. Deinde, nego aſſumptum, & aio, vt ab hoc incipiam è duobus Romanis Pontificibus, quos opponunt, Gregorium VII. Conſtantinianæ donationis mentionem feciſſe. Nam in formula iuramenti, quam præſcripſit Henrico IV. Imperatori quæ eſt in lib. 9. Epiſtol. Epiſt. 3. ſic ait. *De ordinatione verò Eccleſiarum, & de terris, vel cenſu quæ Conſtantinus*

Impe-

Rabbi Gedal.

Punguntur Hæretici.

Quæſtio incidens ſoluitur.

Baron. Binius.

Gregor. P. VII.

Imperator, vel Carolus Sancto Petro dederunt. Ecce ſuo nomine Conſtantinus à Gregorio appellatur, & primus ponitur, tanquam Princeps, & author, & fons donationum. Loco Alexandri III. veniat Clemens V. cuius extat cap. *Romani*. Clement. de Iure iur. formula iurandi oblata Henrico VII. cum perſpicua mentione Conſtantini, quę cum vna ſit, vtranque obiectionis partem refutat, tum illam quæ negabat in formulis donationum, quæ ab Imperatoribus factę ſunt Conſtantinianæ mentionem vllam haberi, tum quæ inficiabatur Pontifices eius meminiſſe. Quare cum iſta communis ſit Papæ Clementis V. offerentis, & Henrici VII. acceptantis formula, hic eam volo producere. *Ipſe*, inquit, *omnia, & ſpecialiter, & præcipuè per claræ memoriæ Conſtantinum, Carolum, Henricum, Otthonem IV. Fridericum II. atque Rodulphum prædeceſſores ipſius ſuper conceſſione recognitione, aduocatione, annotatione, quittatione, & libera dimiſſione terrarum, & Prouinciarum Romanæ Eccleſiæ vbilibet poſitorum, &c. Sedi Apoſtolicæ Romaniſque Pontificibus conceſſa recognouit confirmauit, & ex certa ſcientia innouauit*. En Conſtantini exemplum proponit Papa Clemens, & admittit Henricus. Non ergo nullus Imperator de illo donante mentionem fecit. Etſi enim Henricus non proprio Marte iuſiurandum illud conciperet, ſed conceptum à Papa acciperet, & præſtaret, tamen eo ipſo quod accepit, & præſtitit, probauit, & verum ac legitimum eſſe teſtatus eſt. Prӕterea Innocentius III. in ſermone illo, quem ſupra citauimus haud dubiè approbat Edictum commemoratũ, & producens priuilegia in eo contenta. Demum Benedictus XII. inuentum ſuo tempore Aſſiſij in Conuentu noſtro Otthonis III. Diploma editum aduerſus Pontifices dilapidantes bona Eccleſiæ Romanæ, quo Edictum Conſtantini falſitatis arguebatur, antiquauit, eoque Edicto Conſtantini fidem conciliauit. Quòd attinet Baronium ſcio cum ſæpè nutare, ſed ei fidenter, ac fortiter oppono Bellarminum hoc Edictum, & admittentem, & vindicantem, tum lib. 2. de Rom. Pont. cap. 17. tum lib. 1. de translat. Imperij Romani cap. 3. citato loco Decreti cap. *Conſtantinus*. 96. diſt. tum lib. 5. de Roman. Pontific. cap. 9. vbi inter Imperatores, qui Eccleſiæ Romanę Principatus temporales donàrunt primo loco ponit *Conſtantinum*. Deinde *Pipinum*: poſtea *Carolum Magnum*. Cuius viri iudicium tanti facere ſoleo, vt non dubitem cum eum autho-

An aliqui Imperatorum mentionem, fecerit Conſtantini donantis.

Cle. V.

Henric. VII.

Inn. III.

Bened. XI.

Bellar.

authorem habeo, quidquam vel difficile amplecti. Ex his conſtat rem Edicti, ideſt donationē Conſtantini veram omnino eſſe, ſiue Edictum interuenerit, ſiue non, quanuis & illud certum fuiſſe exiſtimemus. Nouæ tamen, & integræ ſuperſunt quæſtiones circa donationem, quæ neceſſario explicandę ſunt, ac decidendæ, vt nihil maneat dubium, vel obſcurum. Eæ verò quatuor eſſe videntur. Prima. Quid donarit Conſtantinus? Secunda quo tempore donarit? Tertia quo iure donarit? Quarta, an & quomodo donata Pontifices acceperint, & habuerint?

CAPVT VLT.

De donatis à Conſtantino.

SECTIO I.

Quid propriè ac diſtinctè Conſtantinus donauerit?

EX nullo melius aut inſtrumento, aut monumento, aut teſtimonio apparet, quàm ex ipſomet Edicto Conſtantini hactenus tanta mole authoritatis probato. *Vt Pontificalis*, inquit, *Apex non vileſcat, ſed amplius etiam quàm terreni Imperij dignitas, & gloriæ potentia decoretur, ecce tam Palatium noſtrum, vt prædictum eſt, quàm Vrbem Romam, & omnes totius Italiæ, & Occidentalium Regionum Prouincias, loca, & ciuitates præfato Beatiſſimo Patri noſtro Sylueſtro vniuerſali Papæ concedimus, atque relinquimus, & ſucceſſorum ipſius Pontificum poteſtati, & ditioni firma Imperiali cenſura per hanc Diualem noſtram, & pragmaticum conſtitutum decernimus diſponendum, atque iuri Sanctę Eccleſię Romanæ concedimus permanſurum. Vnde congruum proſpeximus noſtrum Imperium, & Regni poteſtatem in Orientales transferri regiones, & in Byzantij Prouincia optimo loco nomine noſtro ciuitatem ædificari, & noſtrum illuc conſtitui Imperium: quoniam vbi Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ Religionis caput ab Imperatore cæleſti conſtitutum eſt, iuſtum non eſt vt illic Imperator terrenus habeat poteſtatem. Hæc vero omnia, &c.* Sunt igitur tria *Palatium, Vrbs Roma, Occidentale Imperium.* Eadem donaſſe Conſtantinum affirmat Innocentius III. in ſermone 1. de S.Sylueſtro. *Vrbem*, inquit, *pariter & Senatum cum homi-*

Conſt.

Innoc. III.

hominibus, & dignitatibus ſuis, & omne Regnum Occidentis, ei ideſt Syluestro tradidit. Palatij non meminit, ſed illud in Vrbe includitur. Excluditur autem manifeſtè Byzantium, & Regnum Orientis. *Addit quippè: Secedens & ipſe Byzantium, & Regnum ſibi retinens Orientis.* Hoc ipſum confirmat ſolum Imperium Occidentis donaſſe. Sic habetur cap. *Conſtantinus. 96.* diſt. & libellus de Primit. Eccleſia, & munificent. Conſtantini, & cap. Fundamenta de Elect. in 6. Leonis Papæ IX. eadem ſententia eſt, ac eorum omnium, qui Edictum probant. Inter quos cenſetur Petrus Damianus. Verum quidem eſt Hincmarum vel Adhalardum apud ipſum Epiſtol. 3. ad Epiſc. quoſdam Franciæ cap. 13. dixiſſe. *Locum, & Sedem ſuam, Vrbem, & Eccleſiam Romanam Papæ Syluestro Edicto Priuilegio tradidit,* nulla Imperij mentione facta facta. Et Addonem Viennenſem in Chron. Aetate 6. pag. 280. tomo 9. Biblioth. par. 2. ſcripſiſſe. *Caput totius Imperij Romani Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo ſub teſtamento tradidit.* Sed dum vocat eam caput Imperij videtur ſignificare cum capite corpus item donaſſe Imperij. Omiſſis alijs, vti volo teſtimonio viri noſtræ ætatis eruditiſſimi, & integerrimi Cardinalis Bellarmini, qui lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 17. & lib. 1. de Translat. Imperij Romani, admiſſo, & recognito Conſtantini Edicto iuxta Decretum c. Conſtantinus 96. diſt. ſic ait hoc vltimo loco. *Porrò illa donatio non ſolum Vrbem Romam, atque Italiam, ſed etiam omnes Occidentalis Imperij Prouincias complectebatur.* Et quidem de Palatio, & Vrbe indubitata eſſe res videtur. Omnes enim ij tres quorum ſuperius verba protulimus, Rabbini nominatim Romam exprimunt, quam Sedem Imperij dicunt. Idemque fatetur Calcondylas in commentario de geſtis Turcarum. De Imperio minus perſpicuè loquuntur, ſed ſatis ſignificant cum capite, ac Sede translatum.

Conſtantinus donauit Romam Vrbem Syluestro.

Decret.

Hincm.

Addo Vienn.

Bellar.

Chalcondylas.

Donauit Italiam, & Occidentalis Imperij partem.

An verò donauerit ex Orientali Imperio partem aliquam Conſtantinus? digna ſcitu quæſtio eſt. Tacent de eo communiter ſcriptores: ſed ego puto donaſſe: maior enim Conſtantini pietas, & munificentia fuit, quàm vt Occidentis limitibus coerceretur. Id me docuit Luitprandus in legatione ad Photium, cuius hæc ſunt verba. *Conſtantinus Imperator Auguſtus, qui hanc ex ſuo nomine condidit ciuitatem Sanctæ Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, vt erat Coſmocrator, multa donaria contulit,*

Luitpr.

ſit, non in Italia ſolum, ſed in omnibus penè Occidentalibus Regnis, nec non de Orientalibus, atque Meridianis Græcia, ſcilicet Iudæa, Perſide, Meſopotamia, Babylonia, Aegypto, Libya, vt ipſius teſtantur priuilegia, quæ apud nos ſunt. Hæc conſentiunt cum ijs quæ Anaſtaſius Bibliothecarius de donationibus Conſtantini ſcribit. Sed quæ, & quot oppida, fundoſue donauerit, de eo conſtare non video. De Occidentalibus videtur conſtare, quæ ſe dicunt reſtituere Romanæ Eccleſiæ Pipinus, & Carolus, ea omnia beneficia eſſe Conſtantini, quemadmodum ſuperius diximus. Itaque tot ſunt huius donationis argumenta, quot Regum ſequentia inſtrumenta. Hæc in Italia. In Gallia habuiſſe Romanam Eccleſiam proprium, & amplum patrimonium, vnde reditus accipiebat annuos, patet ex Epiſtolis Gregorij Magni. Nam lib. 2. Epiſt. Epiſt. 72. ad Dynamium Patricium Galliarum. *Suſcepimus*, inquit, *per Hilarium Filium veſtrum de præfatis Eccleſiæ noſtræ redditibus Gallicanos ſolidos quadringentos*. Manifeſtius hoc ipſum patet ex lib. 5. Epiſtol. in quo multæ ſunt Epiſtolæ commendatitiæ ad Reginam Brunechildem: ad Reges Theodoricum, & Theobertum, & Childebertum, & alios pro tutela patrimonij Eccleſiæ Romanæ, illic conſtituto, ad quod procurandum, & adminiſtrandum mitti à ſe teſtatur Candidum presbyterum, quem eiſdem litteris vehementer commendat. Epiſtolæ autem præcipuè ſunt 105. 159. in quibus Brunechildæ ſcribit, *vt Candidum presbyterum præſentium portitorem; vna cum Patrimoniolo ad cuius cum gubernationem tranſmittit patrocinio ſuo foueat*. Et Epiſtola 106. in qua Regis Childeberti; & 158. in qua Theodorico, & Theoberto Regibus Candidum ad idem illud Patrimonium curandum, & tuendum miſſum his verbis commendat. *Dilectiſſimum Filium noſtrum Candidum presbyterum, & patrimoniolum Eccleſiæ noſtræ, quod in iſtis Partibus eſt conſtitutum, vt commendatum excellentia veſtra habere debeat poſtulamus*. Præter alias ad eundemmet Candidum, Virgilium Arelatenſem, Metropolitanum, Protaſium Epiſcopum de Aquis, & Arigium Patricium datas, quæ totidem huius in Gallia Romanæ Eccleſiæ Patrimonij conſtituti, teſtimonia ſunt. Quæ res vel ſunt donatę à Conſtantino, vel certè ab ijs qui Conſtantini ſunt exemplum ſecuti. Fortè Clodoueus Rex ante Gregorium donauit, quem video imitatorem egregium Conſtantini fuiſſe, tum genere, & forma baptiſmi,

Reddita à Pipino, & Carolo donata ſunt à Conſtantino.

Alia Conſtantini dona.

Idem.

Clodoueus imitator Conſtantini.

tum dono coronæ, ſiue Regni ad Hormiſdam miſſæ, tum Fidei propagatione, ac defenſione. Vtcunque ſit conſtat Eccleſiam Romanam etiam in Gallia ante Carolum Magnum patrimonium habuiſſe.

Quod attinet dominium Romanæ Vrbis obſcura videtur res eſſe: quoniam Conſtantinus aliquandiu in ea poſt baptiſmum fuit, ſiue diu in noſtra, ſiue breui in Baroniana ſententia. Fuit autem cum Imperio. Illo vero diſcedente Byzantium; Præfecti Vrbem gubernabant. Mortuo Conſtantino, qui ſucceſſerunt Imperatores Romæ Sedem Imperij habuerunt, quod exiſtimo negari haud poſſe. Quì ergo potuit Vrbs Roma donari Sylueſtro, & ſucceſſoribus ſi ei minimè præfuerunt? Hac in re ſic cenſeo. Certum eſſe Conſtantinum donaſſe Romam Sylueſtro, & cæteris poſt eum futuris Pontificibus, atque idcirco ceſſiſſe Vrbe, & Byzantium conceſſiſſe. Hoc enim ratio, & traditio, & authoritas confirmat. Nam cur ille Romam reliquit, & Byzantium Imperij Sedem tranſtulit? Certè niſi Religionis alia cauſa eſſe non potuit. Traditio, quoniam omnium ſæculorum ab eo tempore memoria id tradit. Authoritas, quia hoc non modo authores noſtri, ſed etiam externi, vt in Rabbinis, & Græcis proximè vidimus teſtantur. Quomodo autem Romę Domini Pontifices fuerint, id quidem probatu video eſſe difficile. Neque enim inficiari poſſum Imperatores Romę plurimos Sedem Imperij habuiſſe, eamque Vrbem per ſuos Pręfectos adminiſtraſſe, quemadmodum hiſtorias eorum legenti compertum eſt. Verùm ita exiſtimo Sylueſtrum, & non paucos ſequentes Pontifices partim ex modeſtia noluiſſe, partim ob tumultus, & turbas, & inuaſiones tum Hæreticorum, tum barbarorum non potuiſſe illo Principatu frui: contentos iuris titulo à Conſtantino ſibi & ſucceſſoribus donato. Id ego mihi de Sylueſtro haud difficile perſuaſerim, qui certè ob ſingularum animi moderationem noluit corona Regia, ſeu Regno à Conſtantino oblato vti, quemadmodum ſcribit Innocentius III. ſerm. 1. de S. Sylueſtro in fine. *Sed ipſe*, inquit, *reuerentia Clericalis Coronæ, vel humilitatis cauſa noluit eam præſtare, verum pro diademate vſus eſt Auriphrygio circulari.* Quare ſicut renunciauit coronæ, ita & Imperio annexo quoad vſum renunciauit. Quatuor qui Sylueſtro ſucceſſerunt Pontifices Marcus, Iulius, Liberius, Felix in turbulentiſſima incide-

De donatione Vrbis Romæ.

Obiecta ſoluuntur.

Inn. III.

 runt

runt tempora, ægrèque inter Arianorum ſeditiones, & Conſtantij perſecutiones clauum ſpiritualis regiminis tenere potuerunt: nec ijs licuit de adminiſtratione Imperij cogitare. Non tamen idcirco iure illo directi dominij caruerunt: alio vtili Imperatoribus relicto, quos mirum non eſt vtrumque ſibi arrogare voluiſſe, cum & haud multum illud Pontifices curarent, nec vires ad idem tuendum eſſent, ſinerentque Principes Conſtantini ſucceſſores in partem venire illius Imperij, quod niſi ab eo Eccleſiæ donatum eſſet, ad ipſos erat iure quodam peruenturum. Ita ingredientibus Imperatoribus cedere malebant Pontifices, quàm obſiſtere, cùm præſertim Eccleſiaſtica Reſpubl. tot procellis hæreſum, & ventis Schiſmatum agitata fluctuaret. Damaſus primus eſt, in quo vtriuſque dignitatis, & poteſtatis inſignia coniuncta conſpicimus. Et quidem ille vtpotè Luſitanus genio gentis, qua nulla religioſior, & in ſacris peragendis accuratior, ornandiſque templis ſplendidior, & diuini cultus obſeruantior reperitur, Pontificio muneri, decus regale adiunxit, & Eccleſiaſtica officia nitore gloriæ veſtiuit: adeò vt Ethnicis inuidiam mouerit, qui concepto ex illo Chriſtianæ Religionis incrementò dolore in conuitia proruperunt, & re in deterius accepta luxum Damaſo faſtumque obiecerunt: quemadmodum videre eſt in Ammiano Marcellino eius temporis Ethnico ſcriptore, à quo Damaſus ob diuitias, & opes Eccleſiaſticas, & ſplendorem, & elegantiam cultus, pompam grauitatemque inceſſus taxatur, perinde ac maieſtatem Regiam præ ſe ferret. Sed hoc ille calumnię genere ad id profecit, vt documentum poſteris daret, Sacerdotium iam tum clarum, & ſplendidum, & glorioſum fuiſſe, ac verè Regale, vaticinante id Petro, eſſe cæpiſſe. Cuius illa in Damaſo illuſtris ſpecies extitit. Vnde Prætextatus vir Conſularis apud Hieronymum dicere per iocum Damaſo ſolitus erat: *Facite me Romanæ Vrbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.* Quo indicabat vltrà prætextam, & laticlauium Pontificiam dignitatem ire, ac breui faſces, & ſecures, immò & ſceptrum anteceſſuram. Data opera dixi, in Damaſo nos hanc Eccleſiæ dignitatem, tanquam in illuſtri loco poſitam conſpexiſſe, vt ſignificaremus ea iam tum eſſe ornamenta, & opes Romanæ Sedis, vt qui vellet ijs vti ad magnum ſpecimen maieſtatis perueniret: nam quì hoc prębere poſſet Pontifex, niſi

Damaſus primus author maieſtatis, & ſplendoris Pótificis.

Amian.

Prętextati dictum.

Hieron.

Ponti-

Pontificatui ille ſplendor, & opulentia, & dignitas ineſſet.
Ammia. Teſtatus hoc ipſum eſt idem, quem proximè citauimus Ammianus lib. 27. Scribens enim de ſchiſmate Vrſicini aduerſus Damaſum, ſic ait, *ſe non mirari, ſi homines tanto ſtudio contendunt pro Romano Pontificatu, cum tantæ ſint eius opes, & amplitudo.* Quæ tanta fuit, vt iam tum videretur ad eam in qua nunc eſt dignitatem perueniſſe: ac vti hodie eam carpunt, & taxant ex inuidia, & maleuolentia heretici, ita & tunc Ethnicos iiſdem de cauſis ſugillaſse. Sic enim Ammianus. Eo veniunt, *vt ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpecti, veſtiti, epulas curantes profuſas, vt eorum conuiuia regales ſuperent menſas.* Quæ ad totum Eccleſiaſticum ordinem videntur pertinere: qui in ſuo capite maiora ornamenta, & decora exigebat. Vnde illa, niſi à Conſtantino, ac cæteris qui Conſtantini exemplum ſecuti Romanam Eccleſiam locupletarunt, ac exornarunt? Norint Heterodoxi Eccleſiam noſtram eandem cum veteri eſſe, atque eandem quam hodie præfert formam initio habuiſſe; ſequendum noſtrorum Pontificum, & Cardinalium, & Epiſcoporum, ac Sacerdotum ſplendorem, ac ornatum, & opes taxant, ſimiles Ethnicis, & hoſtibus Eccleſiæ eſse. Rumpantur inuidia, & crepent. Salua eſt res Eccleſiaſtica. Pontificatus viget, ac triumphat.

Summa dignitas Romani Pontificis.

Poſt Damaſum Innocentius I. multum ſanè ſplendoris, & habuit, & attulit Eccleſiæ. Qui enim legat, quæ & quanta accepit, & donauit, haud dubia ſigna magnificentiæ, & opulentiæ regalis inueniet. Leo I. tantum maieſtatis præ ſe tulit, tantum Sedi Romani ſplendoris adiecit, vt Caluinus eum gloriæ auidum, & omnino ambitioſum dixerit: idque Seuerinus Binius in notis ad vitam Leonis obſeruauit. Tam malè cedunt hoſtibus Fidei odia in eam ſua, vt quem in noſtris ſeculis Pontificibus morem reprehendunt, eius antiquos illos Pontifices viros ſanctiſſimos authores fuiſse prodant. Pręterea niſi Romanæ Vrbis cura ad Leonem Papam ſaltem ex parte ſpectaſset, non ille tanto ſuo cum diſcrimine Attilæ armato occurreret, eumque in medio ardentem curſu Roma quò properabat auerteret. Agapeti I. Papæ quanta fuerit Romę authoritas, patet ex eo quòd publicas ſcholas ſuis expenſis erigere cogitauit, eaſque prorſus erigeret, niſi bellici exorti tumultus eum ab incepto reuocarent. Iam verò Gregorius

Innocentius I. auxit ſplendorem.
Leo Magn.
Agapet.

Ma-

Magnus ſummam in Vrbe authoritatem, cum præclara magnificentia coniunctam obtinuit, ac illius in domeſticis malis, & in externis bellis curam maternæ ſimilem geſſit, eoque ſtudio ſe, & parentem, & dominum Vrbis eſſe prodidit. Nec minus id templa, & ſacræ ab eodem Aedes ædificatæ, ac ornatæ teſtantur. Hinc illa ſolicitudo in remedio peſtilentiæ, Fami, bello quærendo, in tuendo Petri per totam penè Europam diſperſo Patrimonio, in conſeruanda immunitate ciuium, in defendenda Eccleſia libertate, in compeſcenda Imperatoris Mauritij audacia, & Patriarchæ Conſtantinopolitani temeritate. Certè niſi ad ſe exiſtimaſſet officium, & Patris, & Domini pertinere, non tot ille labores pro Romana Ciuitate ſuſcepiſſet. Suſtinuit ille egregiam, & ſplendidam, quoad eius ijs temporibus fieri potuit Pontificis, & Principis perſonam: quamque à Conſtantino acceperat eam, & conſeruauit, & auxit maieſtatem. Procedente die, cum Eccleſia ſit aurora conſurgens, & indies creſcat patere haud dubiè cæpit Romam Vrbem in poteſtate Romani Pontificis eſſe. Ego vno contentus ero teſtimonio Ioannis VIII. Epiſtol. 85. ad Berengarium Comitem in qua de Lamberto arma Eccleſiæ inferente queſtus: ſic ait. *Tantam ciuitatem inuaſam retinuit: ita ſanè vt nobis apud Beatum Petrum conſiſtentibus nullam Vrbis Romæ partem à pijs Imperatoribus Petro Principi Apoſtolorum, eiuſq; Vicarios traditam ciues haberemus.*

Greg. Magn. | Ioannes VIII.

SECTIO II.

Iure ne an iniuria Conſtantinus donarit?

NIcolaus III. cap. 17. *Fundamenta* lib. 1. tit. 6. donationem Conſtantini proponit. Gloſſa ibi ſic in rem noſtram. *Accurſius*, inquit, *tenet, quòd donatio non valuit in authentica. Quomodo oportet Epiſcop. poſt princip. col. 11. Sed Ioannes contra qui hor. non: ſexageſima tertia diſt. Ego Ludouicus quod valuerit, & quod ſit irreuocabilis probat hæc littera, & ſupra de Elect. Fundamenta §. Ne autem lib. 6. & facit q. not. Hoſtienſis in ſumma, de Immunit. Eccleſiaſtica §. Sic ad fin.*

Accurſ. | Qui negent. | Qui affirment.

CumAccurſio pauci quidam ex Catholicis admiſſa donatione ſentiunt, quos ſupra numerauimus: nam de ijs qui donationem negant hic non agimus. Paucos dixi, quia vix quen-

Signor. Petr. de Bellap. quenquam præter Signorolum, & Petrum de Bellaper. inuenias, qui contra ius Edictum fuiſſe affirment. Et quidem duo ſunt argumenta valida, quæ probant inualidam donationem. Primum quia Imperium veniebat iure hęreditario ad Filios Conſtantini, qui tres erant, omnes Patri ſuperſtites: Conſtantinus, Conſtantius, Conſtans: cum præſertim illud Conſtantinus à Patre Conſtantio Chloro acceptum haberet. Hoc ergo iure quomodo priuare poterat Filios? Secundum, quia de facto conſtat Filios Conſtantini ſucceſſiſſe Patri ex teſtamento, diuiſo inter ſe Imperio. Itaque Conſtantinus natu maior obtinuit Tranſalpinas regiones ampliſſimas, ac in ijs Hiſpanias, Gallias, Germanias, Angliam. Conſtantius natu ſecundus Aſiam, quæ tum erat, totam, & partem Africæ, ideſt Aegyptum, vno verbo Imperium Orientale. Conſtans vero natu minimus Ciſalpinas Prouincias Italiam, Siciliam, & Illyricum, & Græciam, & Thraciam. Quorum caput Roma fuit. Idque diſtinctè ſcribit Euſebius, Ruffinus, & alij tum Græci, tum Latini authores) & teſtatur Baronius & Spondanus ad annum 337. Igitur vel Conſtantinus agnouit iniuſtam fuiſſe donationem antea factam: vel ipſimet Filij iniuſtam putarunt, dum poſtliminio Imperium vindicarunt. Præterea non eſt credendum ſolum Imperium Orientis manſiſſe indonatum: eoque donatum Conſtantium ex integro imperaſse, alios duos fratres nihil habuiſse, nec enim quicquam ex Orientali Imperio ad eos redijt. Quare ſi donauerat Occidentale Conſtantinus Sylueſtro, & Romanis Pontificibus ſucceſsoribus, nihil reliquis duobus Filijs reliquum erat. Hoc autem erat contra ius. Itaque vel donatio nulla fuit, vel reſciſsa deinceps fuit propter iniuriam Filijs factam. Difficilia videntur hęc duo. Nam tertium, quod mouit Laurentium Vallam ad negandum ius donationis, nimirum eam enormem, ac prodigioſam fuiſse, non admodum curo, & miror homini in hiſtorijs prophanis verſato non occurriſse quæ & quanta Artoxerxes, Alexander, Pompeius, & Cæſar, Antonius, & Cleopatra, vel Regibus, vel Ducibus, vel priuatis hominibus donarint. Certè Auguſtus, quòd bene obſeruat Baronius, & ex eo Spondanus, multas Senatui Prouincias donauit, quas numerat Dio lib. 53. qui omnino dono eas dediſse affirmat, quanquam Xiphilinus neſcio qua fide promiſiſse eas Auguſtum dicat, ſed poſtea retinuiſse, in

Diuiſio Imperij inter filios Conſtantini.

Euſeb. Ruffin. Baron. Spond.

Improbatur ius donationis.

Dio. Xiliphil.

Valla taxatur.

quo

quo ille Dionem corrupit, qui donaſse ſcribit, eoq; imprimis Valla cõfutatur. Accedit Conſtantinum pietatis, ac religionis ergò Eccleſię donaſse, quę cauſa non modo donationis magnitudinem excuſat, ſed etiam commendat. At Valla cum Romę eſset, & ſacra in religioſiſſima domo obiret minus pietatis ſenſu tangebatur. Itaque hoc argumento abſtineo. Et quidem Vallam huius in Edictum, & donationem Conſtantini petulantiæ pœnas dediſse in eodem, quod de falſa donatione Conſtantini ſcripſit opuſculo, enormi errore admiſso video. Ait quippè miſellus *Celeſtinum Papam infectum fuiſſe hæreſi Neſtorij*, cum is præcipuus eius hoſtis, & euerſor fuerit, idque totius Concilij Acta teſtentur. Sed ille Grammaticus inſigni Eccleſiaſticarum rerum iniuria Celeſtinum Papam cum Celeſtio Pelagij diſcipulo confudit: ac Celeſtij errorem Celeſtino affinxit, & toto hic cælo aberrauit, & Theologus tamen videri voluit, eodem iure quo ſuperiori ſęculo, & noſtro Nouatores veteres Grammatici Theologos ſe iactant, & Cenſores Theologorum profitentur, qua ratione illorum mulieres Theologiam docere poſsunt.

Remouetur obiectio.

Aſſeritur ius donationis.

Ad illa reliqua duo ordine reſpondeo. Quod primum attinet. Sunt qui donationem ex eo principio probent, ac tueãtur, quòd ſumitur ex lib. I. apud Iulianum ff. vlt. *Imperatorem poſſe alienare res Imperij.* Aliud eſt *res Imperij*. Aliud *totum Imperium*. Quare ruit illud principium. Rurſum alij ſunt, qui ex illo alio probatam donationem velint. *Solam immenſitatem eſſe menſuram rerum donatarum in Eccleſia*. Quod quanquam ſit, & per ſe verum, & pietatis plenum, de ijs tantum rebus debet intelligi, quę liberę ſunt, & aptę ad donandum. Non videbatur autem liberum eſse, & aptum ad donandum Imperium, quod Filijs hęreditario iure debebatur, quemadmodum argumentum aſsumit. Itaque ex alio capite cenſeo. Conſtantinum potuiſse totum Imperium Occidentale, ſaltem quicquid armis occupauerat, & Maxentio abſtulerat, dono dare: qua etiam ratione potuit donare Orientale, quod armis obtinuerat deuicto, & extincto Licinio. Sẽd quia hoc ſibi retinere voluit, de illo mihi non eſt agendum. Venio ad Occidentale. Cuius cum duæ partes fuerint: Ciſalpina, & Tranſalpina: hanc, quòd fuit à Patre Conſtantio Chloro accepta, non parta de nouo à Conſtantino, alienari haud potuiſſe puto, cùm in hęreditatem tranſiſset: Ciſalpinam, quam

manu

manu & armis parauerat, & Maxentio eripuerat donare potuiſſe exiſtimo. Quod enim quiſque proprio labore, ac induſtria comparat, (cuiuſmodi ſunt bona Caſtrenſia) poteſt liberè cui velit dono dare. Præſertim cum hoc Imperium Conſtantino diuina ope, auxilioque obuenerit ſaltem integrum; & ſtabilitum, & amplificatum: nam principio vti ſuperius diximus, Ethnicus adhuc contra Maxentium dimicauit, etiam ſi iam tum ei Deus Imperium deſtinaret. An verò Ciſalpinam partem ex integro donauerit Conſtantinus Syluestro, ego certè ambigam: quamuis teſtimonia proximè à me citata, nihil videantur excipere. Dicam quod verò propius puto. Cum illud ex Italia, & Inſulis adiacentibus Italiæ, Magna Græcia, Illyrico, Thracia, & bona Africæ parte componeretur, ſolam Italiam exiſtimo donaſſe Conſtantinum. Immò ne totam quidem, ſed eas regiones, quas Pipinus, & Carolus Magnus in ſuis diplomatibus aiunt ſe Romanæ Eccleſiæ reſtituere. Cætera ſeruauit ſibi, & Conſtanti natu minimo legauit. Habuerunt ergo ij, qui dixerunt Occidentale Imperium donatum Syluestro rationem partis principalis, ideſt Romæ, & Italiæ, cuius quaſi appendices reliquæ Prouinciæ erant. Confirmo autem hanc meam opinionem idonea coniectura. Si Conſtantinus in partitione Imperij in tres illud partes, nulla excepta portione iuſtas, & veluti æquales diuiſiſſet, relinqueret ſanè Primogenito Conſtantino Ciſalpinum, non Tranſalpinum Imperium. Ecquis enim dubitet, quin ſit melius, & nobilius Ciſalpinum, vbi Roma caput mundi erat, & quæ circa id caput membra ſunt, & vnde in alias regiones deriuatum eſt, & propagatum Imperium? Dum ergo Conſtanti natu minimo Ciſalpinum reliquit Imperium ſatis nos docuit, non ex integro reliquiſſe, ſed mutilatum magna ei parte, ac nobiliore detracta, ideſt Roma, & coniuncta Romę Italia: qua ratione præſtabat in Tranſalpinis partibus, quàm in Ciſalpinis imperare, ac idcircò nulla facta eſt iniuria Conſtantino primogenito, nec eſt ei natu minimus Conſtans antelatus. Mallet quippè Conſtantinus Imperium Tranſalpinum ex integro habere, quàm Ciſalpinum imminutum, & laceratum. Itaque primum argumentum ſolutum manet, concedendo Conſtantinum Imperium Filijs teſtamento reliquiſſe, & hos hæreditario iure in partes Imperij ſucceſſiſſe citra vllam in-

Idonea ratio ex iure petita.

Optima coniectura.

iuriam, aut querelam, & cum hac ſucceſſione ſtare optimè poſſe donationem Romanæ Vrbis, & illarum Prouinciarum Italiæ Sylueſtro, & ſucceſſoribus factam, quæ nullo cum iure pugnaret, ac extra iniuriam eſſet.

Iure donatũ concluditur.

Quoad ſecundum animaduerto. Nihil eſſe laborandum de Imperio Orientali, nec de Occidentali Tranſalpino, quò ſe minimè Imperium Romani Pontificis extendebat. Nec de Illyrico, & Africa, alijque Prouincijs, quæ erant propriæ Conſtantis. Eò vergit quæſtio vbi Roma, & Italia ſitę ſunt. Anne ibi habuerint dominium Pontifices Romani? Videntur enim non habuiſſe. Conſtat quippè Conſtantinum, dum Romę fuit, antequam concederet Byzantium Vrbi cum Imperio præfuiſſe; quòd ſi quando aberat Præfectum ſui iure relinquere ſolitum eſſe. Ibi Conſulatum inibat. Eò redibat confectis expeditionibus, vti cum Illyrico conſtituto Romam reuertit: quò cum iterum contendiſset Vittium Ruffinum præfecit Vrbi, & inde reuerſus Romam repetijt. Ea cum tertiùm in Illyricum turbis ob incurſantes hoſtes obnoxium abſcederet, Baſsum reliquit Præfectum. Et quoties exibat, totiès Præfecti vice Imperatoris, non Papæ Rempub. gerebant. Immò & dum aderat, ij eam adminiſtrabant: vti Prætextatus, & Ouinius Gallicanus. Quin & deuicto Licinio Romam ad triumphum redijt, & victoriæ de Maxentio memoriam renouauit. Poſtquam verò Byzantium cõceſſit, & Conſtantinopolim eam appellauit, ac Sedem ibi Imperij poſuit, Vrbs Roma eandem politicæ adminiſtrationis formam habuit. Præfectis, & Conſulibus Rempub. gerentibus. Itaque quo anno mutaſse Romam Byzantio dicitur, Anicium Paulinum Vrbi præfecit: cui alij ſubinde ſucceſserunt. Hęc alijs imperantibus forma tenuit. Quid? quòd ipſimet Imperatores, ſiue hæreditario iure ſuccederent, vti Conſtans, & Valentinianus II. & Honorius, & Valentinianus III. ſiue populi, ac militum electione crearentur, ſiue armorum ſe vi intruderent, vti Valentinianus I. Maiorianus, Anthemius, & alij vſque ad Auguſtulum Romam inibant, & ibi Sedem locare Imperij conabantur. Et quanquam Reges Gotthi, & Longobardi extra Romam ſępè Regni ſolium ponerent, ſemper tamen Romam ſpectabant: quam quia Duces Imperatòrum Orientalium armis tuebantur, nec ibi ſinebant morari barbaros, incolere nequibant. Sed hoc ipſum argumento eſt,

Contra Romana Vrbis donationem arguitur.

eſt. Romam non eſse Pontificiæ ditionis, quòd ea defendebatur armis Imperatorijs. Quoties enim Roma obſeſsa, & vaſtata fuit ab Hunnis, Gotthis, ac Longobardis toties defenſa fuit à Ducibus, & copijs Imperatorum. Id in Aëtio, Beliſario, Narſete, & alijs videre eſt, qui pro aſserenda, & tuenda Vrbe ſtrenuè dimicarunt. Ita vt ne vmbra quidem Principatus Romæ Pontificum appareret.

Reſpondetur admiſſis, quæ argumentum affert, ac ego excogitaui narrationibus, Pontifices Romanos habuiſse quidem dominium, & ius directum donatum ſibi à Conſtantino, & hoc retinuiſse: Imperatoribus relicto dominio vtili, & vſufructu, quo partim per modeſtiam noluerunt, partim per iniuriam temporum non potuerunt vti. Nam vt poſsent ex integro vtrumque habere dominium, certè non decebat Conſtantini Filios, eorumque ſucceſsores omnino excludere, & totum ſibi retinere; deinde vt vellent vtroque ſimul frui, non licebat per hæreſum, & bellorum vbique exiſtentium turbines donatum ſibi Imperium poſſidere. Itaque & voluntate, & neceſſitate cedebant Imperatoribus, & ipſi ſeſe ſponte ingerebant, nullo tamen iuri dominio ve Pontificum illato damno. Poſtquam barbari in Italiam irruperunt ſemper arma ijs ſua Imperatores oppoſuerunt, & ab eorum vi Pontifices, & Vrbem defenderunt. Idque Aetij, Beliſarij, & Narſetis pugnæ, ac victorię teſtantur. Quòd autem Romam, & annexa Romę oppida, & loca iuris Pontificii, & eſſe crederent, & ſinerent, liquet ex eo, quòd qui ab Oriente mittebantur Exarchi non Romę, ſed Rauennæ morari iubebantur, ne quid detraherent iuriſdictioni, & dominio Pontificio, quod timendum erat, ſi Romæ manerent. Et quidem eo decurſu temporis multa Pontifices acquirebant Eccleſię, quę in dominium vtile, & poſseſſionem tranſibant, quemadmodum ſupra Vindicia VI. cap. 1. diximus. Donec tandem Gregorius II. anno fermè 726. totam Italiam omnino recepit, & Leoni III. Imperatori quicquid in ea, vel iuris, vel vtilitatis habebat ob hęreſim, & ſchiſma, quod Iconoclaſta ab Eccleſia fecerat, iuſtiſſimè ademit. Nec deinceps dubium fuit, quin Romanus Pontifex vtroque tum directo, tum vtili dominio in Italia potiretur: nam quicumque hoſtes aliquam partem vſurparunt, vti Rotharis, Aiſtulphus, Luitprandus, Deſiderius, & alij coacti ſunt ablata Eccleſię

Reſponſio ad obiectai.

Sigon.

Quo tempore Papæ dominium temporale ex integro habere cœperunt.

reſtituere: quòd ea illius patrimonij eſſent. Idque perſpicuè demonſtrant donationes illę Regum, & Imperatorum, quas ſuperius, & commemorauimus, & adduximus. Et quidem hoc ius Conſtantinianæ donationis aſſeruit Clerus Romanus tempore Schiſmatis ſub Alexandro Tertio, & Friderico I. Imperatore: vt apparet ex lib. 4. Chron. Otthonis Friſing. cap. 3. & ex lib. 1. Gerohi, ſiue Gerochi Præpoſiti Reicherpergenſ. de Antichriſti inueſtigatione. Et de titulo, ac iure hactenus. Illa eſto idonea appendix. Huius Pontificij temporalis dominij illuſtre teſtimonium reddidit clariſſimus Vrſinę Familię Princeps Nicolaus Comes, Clemente V. Pontifice, Henrico VII. Lucemburgenſi Imperatori, cum in Italiam venit, & ingreſſus Romam coronari voluit. Cum enim Clemens Gallus Pontifex creatus Sedem primus Auenione poſuiſſet, & Italiæ Prouincias per Legatos adminiſtrare inciperet, ac Roma Vrbs in fide Roberti Neapolitani Regis tanquam Vicarij eſſet, eiuſque Præfecturam ex Vrſina fermè gente Principes gererent, occaſione vſus Henricus Imperium Vrbis, & Italiæ vſurpare conatus eſt: cumque tentata vi, arma moueret, ab Vrſinis ſtrenuè ſe opponentibus repulſus deſtitit ab incępto, ſed non depoſuit mentem. Igitur ad artes conuerſus rem dolo, ac fraude obtinere ſtatuit. Inuitatis ad conuiuium viris primarijs Romanis, inter epulas, & pocula conſilium ijs ſuum aperuit, orauitque vt ſibi Imperatori Romanum Imperium reddi paterentur, quod Imperatores olim condiderant, quodque nullo iure ad Pontifices tranſierat: neglectum hoc à Clemente iacere pro derelicto habendum, ad ſe poſtliminio redijſſe: ſuæ illud poteſtatis, ſi permitterent, eſse facturum, Et cum quidam annuerent, alij nutarent, ſurgens in media concione Comes Vrſinus Imperatori hac voce reſtitit. *Non paſſurum ſe alterum præter Summum Pontificem Dominum, quem ſciret ipſe verè ac iure ſucceſsiſse Imperatoribus, eumque ſibi ac ſuis eſſe retinendum.* Fidem re præſtitit dictis: nam quamuis tum ab Henrico comprehenſus, & in vincula coniectus fuerit, paulò poſt ijs exemptus vna cum Gentili Vrſino, & alijs Romanis Principibus coniunctus Henrico bellum intulit, eumque multis prælijs fractum Roma exire, & conſilium mutare coegit, etſi ad exiguum ſolatium, ne fruſtra veniſse videretur, in Laterano prius fuerit à duobus Cardinalibus Legatis Pontificis ſolemni more coronatus.

Ottho. Friſing.

Nicolaus Princeps Vrſinus ius Pontificium defendit.

Sanſou.

S E-

SECTIO III.

Qua tempore Conſtantinus donarit.

AVthor ſum paulatim & per gradus quoſdam donando proceſſiſſe, donec tandem Vrbe Roma ceſſit, & in Thraciam, Byzantium conceſſit. Igitur quo anno baptizatus fuit noſtra ſententia, Imperij ſui ſeptimo: Melchiadis ſecundo: Chriſti trecẽteſimo duodecimo iuxta ſupputationem Pauli Diaconi, Sigonij, & Baronij donare cæpit. Verbis dicam Sigonij. *Melchiadi*, inquit, *cum prædia, & dona multa, tum imprimis Auguſtale Palatium in Laterano impertijt.* Et mox: *Quin etiam Saluatori continentem Palatio Baſilicam inchoauit, quæ poſtea Baſilicæ Saluatoris, ac Lateranenſis nomen inuenit.* Quod ipſum tradit Baronius ad eum annum 311. Conſtantini Septimi Melchiadis ſecundi. Eo tamen ab ijs diſſentio, quod non exiſtimem ſtatim à baptiſmo donaſse Palatium, ſed tantum locum baptiſterij conſecrari, & Eccleſiam Saluatoris ædificari iuſſiſse, reliquum Palatii retinuiſse, & in eo poſtea habitaſse quouſque Roma exceſſit: quemadmodum Vindicia VI. cap. 1. diximus. Nec verò conſtat inter authores vulgaris de baptiſmo ſententiæ donationem Palatij factã viuo Melchiade, vti obſeruat Cæſar Raſponus lib. 4. cap. 1. ſed Sylueſtro poſt mortem Melchiadis. Quare nos haud temerè affirmamus Palatium, non tum donatum, cùm baptizatus eſt Conſtantinus, ſed multò poſtea. Baptiſterium, & ſacratum, & ornatum ſtatim fuiſſe, & Eccleſiam ædificatam certè conſtare puto: retento tamen Palatio ad habitandum: idque mihi videor inueniſſe in ſcriptura tabulæ marmoreæ, quæ viſitur in Lateranenſi templo ante ingreſſum illius, quam vocant Tribunã, ad Cornu Euangelij, quæ eſt Gregorij XI. vbi ſic: *Percepimus quod de Eccleſia Lateranenſi, quàm claræ memoriæ Conſtantinus Fideliſſimus Imperator in Lateranenſi Palatio ſuo, vbi miraculosè mundatus à lepra, & ſacri baptiſmatis fonte renatus conſtruxit ſub vocabulo Saluatoris ſtatuit, &c.* Perſpicuè ait. *Eccleſiam in ſuo Lateranenſi Palatio conſtruxit:* Non autem ait. *Dediſſe Palatium:* quod certè manſit apud Conſtantinum. Itaque cæpit donare reditus pro miniſtris Eccleſiæ, & baptiſterij, quorum catalogum ex Anaſtaſio texit Raſpo-

Margin notes: *Viuo Melchiade cæpit donare.* — Sigon. — Baron. — Cæſar Raſpon. — *Palatium Lateranenſe nonniſi poſt baptiſmum à Conſtantino donatum.* — Anaſtaſ.

Digitized by Google

Raſponus lib. 3. cap. 3. deducta ex Onuphrio ſumma. Dedit deinceps procedente tempore alia, tum donaria, tum prædia Conſtantinus, quemadmodum ſignificat Adrianus 1. Epiſtola 35. quorum ait exempla eſſe in Scrinio Lateranenſi. Nempè defuncto poſt annum, vel ſeſqui annum Melchiade, & ſurrogato Patre Conſtantini in Chriſto Syluestro, in cuius gratiam plura, & maiora donauit, in quibus veroſimile eſt fuiſſe illos fundos, & prædia, quę nos ſuperius ex Diuo Gregorio memorauimus, quæ ad patrimonium Perri pertinebãt. Adiecit Conſtantinus alias Baſilicas, & Eccleſias, quæ ſunt notiſſimæ, ijſque reditus ampliſſimos aſſignauit, vti tradit Paulus Diaconus lib. 11. Hiſtor. *Conſtantinus*, inquit, *Monocrator effectus omnem curam tranſtulit ad Diuina, Eccleſias erigens, & liberaliter has ex ratione publici ditans*. Quæ donauit mira ſunt tum ob copiam, tum ob pretium. Habentur in libello de munificentia Conſtantini, quem Anaſtaſius Bibliothecarius ex tabularijs Romanæ Eccleſiæ in lucem edidit, quemadmodum animaduertit Baronius Anno Chriſti 324. & ibi Spondanus. Numerat ſigillatim hęc tum templa, tum donaria, tum reditus, & expendit accuratiſſimè Ciacconus in vita Sylueſtri, ad quem Lectores remittimus. Donec tandem pacato prorſus Occidente, & poſt necem Licinij Oriente ſubiecto cum Romam onuſtus ſpolijs reuertiſſet, ibique more maiorum triumphaſset, rebus in ea publicis ordinatis, & conſtitutis, Sedem inde in Thraciam, & ſolium Byzantium tranſtulit, & Sylueſtro ac ſucceſſoribus Vrbem cum Occidentalis parte Imperij, vti ſuperius diximus, pro ſua pietate datis ad id ſolemnibus tabulis reliquit.

Quæ & quãta Sedi Apoſtolicæ donauerit Conſtãtinus.

Paulus Diac.

Anaſtaſ. Bibl.

Quo vero anno Roma ceſserit, conceſseritque Byzantium, non admodum conſtare video. Baronius affirmat fuiſse annum Chriſti 324. hoc eſt eundem quo baptizatus eſt annum, ſed quod videat Conſtantinum Romæ poſtea habitaſse, vt ſuam ſuſtineat ſententiam affirmat eum ſæpè ex Oriente, in Occidentem veniſse; quod vt verum eſse poſſit, antequam Sedem Byzantii poneret, de reditu poſt translationem Imperij verum eſse nequit, cum inter omnes ferè authores conueniat, Conſtantinum Conſtantinopoli fundata, & ibi ſolio collocato, minimè Romam reuerſum fuiſse. Itaque optimè Sigonius lib. 4. de Occident. Imper. ſic ad annum 327. *Roma*, inquit, *nunquam poſtea reuerſurus exceſſit*, narratque ſta-

Baron.

Quo anno Cõſtantinus Roma ceſſerit.

Sigon.

ſtatim conceſſiſse Nicomediam : inde Byzantium contendiſse, eamque Vrbem auctam, & ornatam Conſtantinopolim dixiſse, & ſolium in ea perpetuum collocaſse. Hoc accepto quod pauci negant, non potuit Conſtantinus eo anno Chriſti 324. Conſtantini 19. Conſtantinopolim condere, & incolere. Sed poſtea. Vnde conſtat in vtraque ſententia tum communi, tum noſtra, quo anno ſuſcepit baptiſmum, eo Romam non reliquiſse, nec Sedem cum Imperio Conſtantinopolim traduxiſse. Non poſsumus tamen deſignare annum, quòd ſit res dubia maximè, ac controuerſa. Satis eſt dicere non potuiſse eo anno baptiſmi Sedem Imperij Cõſtantinopolim transferre; quod itẽ liquet ex eo, quòd non poterat Cõſtantinus eo vno anno tot Baſilicas ædificare, quot ab eo ædificatas eſse compertum eſt, tot in locis, tantis ſumptibus, tanto apparatu, vt omittam alia, quę ad conſtituendam Rempub. pertinebant, quibus minimè ſufficiebat illius anni circulus pro tanta mole rerum anguſtus.

Duo ſunt tamen contra noſtram ſententiam argumenta. *Duo argumẽta proponuntur.* Acta Syluest. Primum ex facto ducitur. Acta Sylueſtri narrant Conſtantinum die quarto poſt baptiſmum donationem illam Vrbis feciſse Sylueſtro, & Occidentale ei Imperium legaſse contra quam nos ſtatuimus. Secundum coniectura nititur. Conſtantinus ardebat deſiderio remunerandi Sylueſtrum, & Romanam Eccleſiam. Non debuit is ardor reſtingui. Maior erat ille, quàm vt tantas annorum moras pateretur. Itaque hoc ſtimulante eò confeſtim Sedem tranſtulit, quò impellebatur.

His argumentis conuictus Baronius affirmat eodem bap- Baron. tiſmi anno Conſtantinopolim migraſse: quem ſequitur Se- Binius. uerinus Binius in notis ad Edictum Conſtantini his verbis: *Conſtantinus paulo poſt baptiſmum nouam Romam omnis Idololatriæ expertem ædificare propoſuit, ideoque anno 324. Chriſti nati ab Ilij reſtauratione Diuino numine prohibitus Byzantium profectus eam vrbem mirificè exornauit, ſuoque nomine, & Imperiali Sede condecorauit.* Idem repetit in notis ad Concil. Conſtantinopolit. 1. ſub Damaſo. Obſcurius loquitur Spondanus, ceu difficultatem præuideret: non tamen deſerit Baronium, atque adeò tacitè illius probat ſententiam. Verum ea non *Conſtantinopolis natales qui & quando.* Spond. poteſt cum recepta temporum ratione, ideſt recta chronologia conſiſtere. Quanquam enim, vt proximè dixi, varia

ſit,

ſit, & ambigua ſupputatio alijs alium Conſtantinopoli initio Chronologis aſſignantibus annum, in eo fermè omnes conueniunt, quòd eo anno Conſtantinopolis nata non fuerit, ſed poſtea: ſiue anno 328. quod vult Sigonius, Philoſtorgius, & author Theatri: ſiue 331. quod tradit Caſſiodorus: ſiue 333. vti habet Hiſtoriæ Tripartitæ Auctor in marginali nota: ſiue 338. apud Gauricum: licet quo longius ab anno 330. recedunt, eo magis à vero diſtant. Itaque annum certum ſtatuo 330. quem video probari Onuphrio Panuinio in libro 2. Faſtor. & latius in commentar. ad eundem, & Dionyſio Petauio in Ration. par. 1. lib. 2. iuxta ſupputationem Marcellini Comitis, & Hieronymi in Chronico, & Idacii in Faſtis. Baronii ergo chronologia hac in re minus placet. Nec ille non vidit difficultatem dum poſuit dedicationem Vrbis eo anno 330. quam vult diſtinctam illo ſexennio interpoſito ab inſtauratione. Quod apparet excogitatum ad ſuſtinendam ſuam opinionem, nec enim Conſtantinopolis condita de nouo fuit, vt tantum intereſſe deberet temporis inter natales, & dedicationem, ſed ſtatim habitari, & appellari de nomine Imperatoris cępit, & quo anno coli cæpta, & dedicata: nec video authores hæc duo diſtinguere, ſed ita loqui, vt perinde habeant tempus habitationis, & dedicationis. Maneat igitur Conſtantinum quocumque demum anno fuit baptizatus, eo anno in Orientem non migraſſe.

Sigon. Philoſt. Caſſiod. Gauric. Panuin. Petau. Marcel. Hieron. Idac.

Primum argum. ſoluitur

Ad argumenta facilis eſt reſponſio. Primum ſoluitur dicendo Conſtantinum, (ſi vera ſunt tamen quæ de præparatione illa ad baptiſmum, & in dies diſtributa poſt baptiſmũ officioſa religione narrantur) quarta illa die legaſſe Imperium promittendo ſuo tempore donaturum, non ſtatim reliquiſſe, & donaſſe. Immò ne hoc quidem tam citò fieri poterat, cum magnæ molis res eſset, & conſtet ab eodem illas, quas ſuperius commemorauimus Baſilicas ædificatas, quæ certè non potuerunt tam breui abſolui. Quare neceſse eſt fateri Conſtantinum promiſiſse tum, quòd poſtea opportuno tempore re impleret.

Secundum diluitur.

Secundum facilius diluitur dicendo deſiderium Conſtantini fuiſse prudens, atque adeò rationi temporis, & circumſtantijs rerum accommodandum. Quare non potuit, nec debuit præcipitari, ſed intra officium, contineri: cum præſertim rerum curſus, & occupationum difficultates moram po-

ſtula-

ſtularent. Fecit quod potuit Conſtantinus, promiſit, legauit, donationem inſtituit, quod erat ſtudij, & voluntatis: præſtare tamen donationem, eamque re ipſa repræſentare, ac exequi, tunc non potuit, quia ſuæ non erat poteſtatis. Cum primùm fuit, omnino præſtitit, ac effecit. Excuſabit Conſtantinum, qui norit quantum interſit inter voluntatem, & facultatem. Et quidem de his hactenus

Verùm paucis antequã lectorem dimittam hic eum volo. De baptiſmo, & donatione Conſtantini operosè, & anxiè diſputaui, quę alij ante me dixerunt, candidè, & fideliter adduxi, quæ de meo penu adieci ea in ipſiſmet fontibus hauſi. In proponendis ſententijs aliorũ ex ſcriptor potius, quàm interpres fui. In iudicandis, non cenſorem, ſed cognitorem egi: in refutandis, quę minus probabã, veritatis rationem habui: quę mihi à vero videbãtur aliena, ijs aduerſatus ſum: quę vera, & propria vero exiſtimaui, ijs adhęſi. In mea tũ afferenda, tum probanda ſententia candorem, modeſtiam, & diligentiã, opinor, exhibui. Nihil ſine authore, & quidem veteri dixi. Noua non induxi. Si qua videantur noua, legentibus attentè vetera apparebunt. Nolo mea intrudere, ſed afferre: nolo præiudicata haberi, ſed iudicanda ſumi. Liberum de me cuique eſto iudiciũ; dummodo qui iudicat, liber ſit, & affectui non ſeruiat. Profiteor quicquid ſenſi, quicquid ſcripſi, id omne à ſtudio veritatis profectum. Nec de iure contentio eſt, ſed de facto. In re verſamur, intra hiſtoriæ terminos continemur. Atque vt perſpicuè loquar. De Edicto, & donatione Conſtantini à communi ſcriptorum ſenſu non diſcrepo: à nonnullis parum diſſentio: in ijs videlicet, quæ ſtare cum antiqua traditione non poſſunt. Baptiſmum Conſtantini Romæ admitto, impugno eos qui negant. Syluestrum retineo. De re omni, cum Baronio conuenio. De vno tempore diſcrepo, impulſus argumentis meo iudicio inuictis. Quæ vel inuitum ab eruditiſſimo, & quem maximè veneror, & admiror, viro auulſerunt. Quod ſi quis me reprehendat cauſam afferam: me non iuraſſe in verba cuiuſquam. Scire cum Auguſtino diſtinguere inter Authores Canonicos, & non Canonicos. Ijs prorſus, his minus eſſe credendum: atque adeo licere interdum, & eorum examinare, & deſerere ſententias. Mihi hæc ſcripturo venit in mentem, Hæreticos contra quos ſcribo homines eſſe doctos, & peritos hiſtoriæ Eccleſiaſticæ,

Authoris profeſſio.

Fides.

Studium.

Integritas.

Auguſt.

ac imprimis Forbeſium, qui Theologiam quæcumque illa demum ſit ſuam, cum Hiſtoria coniunxit, eoſque baptiſmum Conſtantini Romæ factum negare, quòd in tempus illud Baronij incidere non potuit, ob eas, quas adduxi ex difficultate Chronologiæ ſumptas rationes. Curaui ergo diligenter ijs expenſis, & compertis inuenire modum, quo baptizatum eſſe Romæ Conſtantinum ijs perſuaderem; is eſt autem quem hactenus expoſui, & ab ijs, quibus Baronianus laborat difficultatibus liberare. Eas verò ſi primus ipſe obieci non ſum idcircò reprehendendus, immò laudandus, quòd quæ hæretici obijcere poſſent, occupaui, monſtrauique nos ipſos Catholicos non ſolere, aut occultare argumenta, aut diſſimulare, vt noſtra tueamur, nec eos nobis eſſe, aut doctiores, aut liberiores: & videmus omnia, quæ poſſunt opponi, & obijcimus; nec quicquam in ſentiendo, aut gratiæ, aut dignitati damus: non timemus noſtrum liberè ferre pro veritate ſuffragium. Eo ab ipſos differimus, quòd iudicium noſtrum Sanctæ Matris Eccleſiæ doctrinæ ſubijcimus, eiuſque cenſuræ, & correctioni omnia noſtra ſenſa committimus: parati, ſi probet ſequi, ſi improbet reijcere. Quod ego me in hac vel tenenda, vel deſerenda profiteor eſſe facturum ſententia.

Obſeruantia Sedis Apoſtolicæ.

Hactenus diſceptationem produxeram, & penè abſoluerã, cũ incidi in opus doctiſſimi viri P. Io: Morini Gallicè ſcriptũ cui titulus eſt *Hiſtoire de la Deliurance de l'Egliſe Chreſtienne par l'Empereur Conſtantin*. Quod cum accuratè legiſſem comperi eum de baptiſmo, & Edicto, & donatione Conſtantini eruditiſſimè diſputare. Ac primum de baptiſmo nimium mihi viſus eſt in ſententiam Euſebij inclinare, ſic enim eam, & proponit, & confirmat, vt appareat ſtudium, & affectus ſcribentis. Verùm non audet à Baronij ſententia recedere propter authoritatem plurium Græcorum cum Latinis hac in re ſentientium. Itaque ſuſtinet iudicium, ac rem in medio relinquit. *C'eſt pour quoy il ſera plus vtile de laiſſer cette queſtion particuliere, & de traiter la theſe generale.* Itaque diſputationem eò confert, vt monſtrare pergat baptiſmi differendi ad vltima vitæ tempora morem; idque multis Imperatorum exempl is confirmat. Quod certè mihi perſuaſit voluiſſe eum primæ Euſebij ſententiæ maiorem, quàm Baronii, & communi fidem facere. Quorſum enim, quæſo, tam eſt multus, & eruditus in ea Eccleſię pro ſua differendi baptiſma con-

Ioannes Morin.

Digreſſio ad opus Morini.

Huius de baptiſmo Conſtantini ambigua ſententia.

conſuetudine confirmanda? cùm præſertim leui brachio Latinorum ſententiam probet? Sanè illam theſim vniuerſalem ideò tam accuratè probare voluit, quòd ad illam hypotheſim de dilato ad mortem vſque baptiſmo Conſtantini pertinebat. Mouebat opinor hominem Perronii Cardinalis, quem adducit, authoritas, iis quæ nos propoſuimus aucta ar-argumentis, cui omnino aſſenſurus eſſet, niſi eum Romanæ Eccleſiæ traditio ex aduerſo, quaſi iniecto reuerentiæ freno retardaret. Illud obſeruo nihil ab eo productum, vel contra communem, vel pro Euſebiana ſententia, quòd à me fuerit prætermiſſum. Cæterum difficultatem ſententiæ à Baronio concinnatę viſus eſt non vidiſſe. Itaque totam mihi reliquit, & intactam quæſtionem: nec meam vlla ex parte inueſtigationem libauit.

Dicta, & obiecta à Morino omnia ab authore occupata.

Quod attinet ad Edictum, & donationem, tam acriter vtrunque impugnat, vt ne Vallę quidem cedat, quo nihil dicere exaggeratius poſſum. Equidem legens Morini diſputationem mirabar hominis vehemens impugnandi ſtudium in quo apparebat contentio animi ab Edicto auerſi cum faſtidio quodam donationem reſpuentis. Cauſam indaganti ipſemet prodidit, palam profeſſus pati ſe nō poſſe gloriam debitam Gallię Regibus, quos donationum Pontificiarum eſſe volebat authores, Conſtantino attribui. Hoc comperto minus laboraui excuſans amorem Patriæ, & ſtudium gentis quo maximè Galli ducuntur, ac imprimis erga Reges, quorum obſeruantiſſimi ſunt, adeò vt de iis Iouius ſcite dixerit alibi coli Reges, in Gallia adorari. Apud alios, Reges in ſummo quidem loco, ſed infra ſuperos tamen: apud Gallos vltra homines, propè Deum collocari. Igitur & deſij mirari; & cœpi de fide Morini ambigere, vt potè qui præiudicato affectu de Conſtantini Edicto, & donatione diſceptaret. Non enim Edictum tantummodo, quod ferri vtcumque poterat, ſed donationem quoque prorſus ſuſtulit. Argumenta multa congeſſit præter authoritatem; ſed ea nos omnia obiiciendo occupauimus, & ſoluimus: addidimus vero non pauca tum rationum, tum teſtimoniorum momenta, quæ ſunt ab eo prętermiſſa, vt amor nos indagandę veritatis longius adhuc ire inueſtigando compulerit, quàm illę patrię ſtudio ſit indagando progreſſus. Quare in ſoluendis quę affert nullum erit operę pretium, cùm iam abundè ſoluta ſint. Laudo in-

Amor & ſtudium Gallicæ gentis in Reges ſuos.

Sententia Morini.

Morino amorem Patrię, ſed non probo nimium illum affe-ctum, quo ductus detrahere Conſtantino contendit, vt au-geat Regum ſuorum gloriam, quos non comites, & imita-tores, ſed duces & authores donationum facit. Primos & ſolos vult fuiſſe. *Les Roys*, inquit, *de France les premiers, e les ſeuls ont donnè authoritè e puiſſance e ſouuerainitè temporelle aux Papes*. Et paulo poſt. *Pepine e Charle Magne ont eu ce glorieux aduan-tage ſur Conſtantin*. Quare donationem Conſtantini impo-ſturam vocat: eamque ignominioſam Galliæ Regibus, ac iniurioſam eſſe affirmat. Hoc eſt argumentum capitis 1. par-tis 3. Iam vero à cap. 6. eiuſdem partis, quæ ſanè plena eſt eru-ditionis ad Gallicam munificentiam facientis, incipit oſten-dere authorem Edicti hoſtem Gallici nominis eſſe, eiuſque mentem fuiſſe adimere Gallicanis Regibus primam donan-di gloriam, eamque Conſtantino tribuere, quem ideò appel-lat impoſtorem: ſic in titulo præfixo cap. 6. *Pour quoy le deſſein de l'Autheur de cette donation à eſtè de ſauoriſer les Allemans con-tro les Francois*. Et iterum ad finem capitis. *C'eſt ce que nous ſirons rappreſenter a fin de deſcourir les raiſons quauoit noſtre Impo-ſteur de nuire aux Francois, e de contenterles Allemans. Sus les quels il viuoit*. Ex his apparet hanc controuerſiam à Morino ſtu-dio partium ſuſceptã eſſe, & tractatam, atque adeò minus ve-rè, ac ſyncerè deciſam, non quòd perinde ſit amore, & affe-ctu duci, & officio, ac fidei deeſſe, nam non hæc tam inter ſe ſunt connexa, vt vnum alterum trahat, & qui nimis amet veritati detrahat: ſed quòd plerumque affectus rationem torqueat, eamque occupando mentem à ſuo ſtatu deijciat, & quo vergit trudat. Itaque hoc nomine ſuſpecta efficitur to-ta illa Morini ratiocinatio, ac proinde non facile probanda: ſed altiùs pendenda, & accuratiùs examinanda, quemadmo-dum nos fecimus. Illud autem obſeruandum nullum exco-gitatum eſſe à Morino argumentum, quod antea non eſſet à me repertum, & productum. Itaque vti proximè in quæ-ſtione de baptiſmo egimus, id in hac de Edicto controuerſia præſtamus; nimirum ad ea quæ ſupradicta ſunt Lectores re-ducere, & omnia ſoluta monſtrare. Addo: licet Morino lar-giamur, quod poſtulat, Conſtantinum terras, & regiones minimè donaſſe, non propterea euincere Gallos Reges pri-mos authores eiuſmodi donationis extitiſſe: cùm multo an-te Pipinum Alpes Cottias Romanus Pontifex poſſediſſet, quem-

An ſit idonea? *Quem faciat authorem Edicti.* *Quam mereatur fidem.* *Duobus argumentis conuincitur.*

Morin. Idem. Author ſupra.

quemadmodum cap. 1. Superioris Vindiciæ oſtendimus, quæ vt à Conſtantino donatæ non ſint ab alio certè ante Pipinum donatas fuiſſe conſtat. Quid? quòd ipſimet Pontifices, qui à Pipino, & Gallis ſucceſſoribus donata acceperunt, & auctores id narrantes, immò & plerique eorum, qui donabant, vtuntur verbo *Reſtituere*, quaſi iam poſſeſſa redderent, non noua tribuerent: quæ duo argumenta Morini ſententiam tanta mole authoritatis, & eruditionis confirmatam labeſactant, & euertunt. Non eò hæc dico, quòd Regibus Galliæ, quicquam detractum velim, quos ſcio & fuiſſe, & eſse Romanæ Eccleſiæ propugnatores, & aſsertores, quemadmodum aliàs, & voce ſum, & ſcripto teſtatus, nec affectu, ac ſtudio erga eoſdem Morino, aut cuiquam alij Gallorum concedò, eiuſque rei teſtem idoneum habeo librum meum Propugnaculum Pariſijs aduerſus Chiffletium, & alios Gallorum Regum obtrectatores ſcriptum: ſed malo veritatis, quàm ſtudij rationem habere: cum præſertim nihil officiat munificentiæ Regiæ Gallicanæ exemplum Conſtantini, qui vti tempore præceſſit, ita potuit donis prçceſſiſse, præoccupato, non ablato donandi loco. Itaque ſi Conſtantinus eripuit Pipino, *ne eſſet primus, hic illi eripuit ne eſſet ſolus*: quòd ſatis ad gloriam Pipini fore exiſtimo. Quòd verò attinet authoritatem Morini, habeo quos illi opponam ex Gallis vt ſupra animaduerti præſertim Genebrardum, & Mauclerum, qui Edictum, & donationem vindicant idoneos certè, ac nobiles authores. Cæterum ne quis cum Morino exiſtimet donationem Conſtantini inuentum eſse recens ab aliquo, vel in gratiam Sedis Apoſtolicæ, vel ad inuidiam Gallici nominis excogitatum, afferre volo antiqui, & barbari ſcriptoris teſtimonium, ab omni fuco, & ſuſpicione alienum. Is eſt Raſis Arabs, qui Maurorum in Hiſpania geſta memoriç prodidit: cuius hoc eſt apud Ioannem Marianam lib. 6. cap. 16. teſtimonium. Loquens de diuiſione Diæceſeon facta in Hiſpania ab Imperatore Conſtantino: ſic ait. *Quò maior eſſet authoritas, Religionique ſuum caput conſtaret, imperandique poteſtas: ipſe quidem Conſtantinopolim conceſſit, ſeque vt prius Romæ, eius Vrbis Regem dixit. Sanciens præterea, vt Romæ domino cæteri Chriſti cultores obtemperarent, quem ipſi dominum Chriſtianorum eorum, qui è ſummo ordine erant, & ſanctum vocare ſoliti erant ob acceptam à Petro Apoſtolo poteſtatem, quam illi Chriſtus crediderat.* Docuit

Nihil detrahitur Regibus Galliæ donatione Conſtantini.

Raſis. Arabs. Marian.

Nouus & idoneus Author pro donatione Conſtantini.

cuit nos Catholicos Arabs ſeceſsum Roma Conſtantinopolim Conſtantini, cauſam illius, Præfecturam Romæ Syluestri, & ſucceſsorum, dominium Romani Pontificis in omnes Chriſtianos à Sancto Petro Chriſti Vicario deriuatum. Pudebit, opinor, deinceps Catholicum quenquam, quod barbarus Arabs concedit temerè inficiari.

SECTIO VLTIMA.

Catalogus Imperatorum, ac Regum qui Romanæ Eccleſiæ donationes fecerunt.

Conſtantin. Magnus. PRimus Conſtantinus donauit Palatium Lateranenſe, & multa prædia, & oppida in varijs Imperij ſui tum Occidentalis, tum Orientalis regionibus paulatim vſque ad annum Chriſti 330. ſui Imperij 25. Syluestri 17. quo anno Romam Vrbem cum magna Imperij Ciſalpini parte donauit. Id nos hactenus accuratè monſtrauimus.

Valentinianus III. Valentinianus III. Imperator Sixto Papę III. Bona Baſſi è familia Anicana, quę proſcripſerat dono dedit. Anno Chriſti 433. Imperij ſui 9. Sixti II. Anaſtaſius Bibl. in vita Sixti III. Baron. ad annum 433. Ciaccon. in vita Sixti *III.* *Aritpertus.* Aritpertus Rex Longobardorum Alpes Cottias, à maioribus ſuis iniuſtè occupatas Apoſtolicæ Sedi reſtituit *Ioanne VII.* Papa. Anno Chriſti 704. & hoc inſtrumentum donationis aureis exaratum litteris Romam miſit. Paulus Diac. lib. 6. de geſt. Longobard. cap. 28. & lib. 6. cap. 43. Anaſtaſ. Bibliothecar. in vita Ioan. 7.

Anaſtaſ. Biblioт. Baron. Ciacc. Paulus Diacon. Anaſtaſ.

Luitprand. Luitprandus Rex Longobardorum Zacharię Pontifici, quocum fædus Vicennale percuſſit, Sabinenſe, Narnienſe, Anconitanum, Auximate Patrimonium cum Valle Agri Sutrini, & triginta Oppidis Etruriæ, quæ fuerant à maioribus ſuis Eccleſiæ erepta reddidit. Anno Chriſti 742. Baron. ibid. Ciaccon. in Zaccharia.

Pipinus. Pipinus Rex Francorum Exarchatum, & Pentapolim Romanæ Eccleſiæ reſtituit iure poſtliminij recuperata, Chriſti 755. Stephano Papa *III.* iiſdem & Sigonio authoribus.

Carolus Magnus. Carolus Magnus confirmata Patris Pipini donatione addidit Corſicam, Sardiniam, Siciliam, Ducatum Spoletanum, Tuſcumque Longobardorum cum cenſu, qui Regibus ſolui

ſoli-

ſolitus erat inſigni piæ liberalitatis exemplo Hadriano I. Pō-tifice anno Domini 774. Baron. ibi Ciacc. in vita Hadriani.

Ludouicus Pius Filius eandem donationem ſingulari diplomate ſanxit anno 817. Paſchali Papa Primo. Habetur cap. *Ego Ludouicus.* 63. diſt. Leo Oſtienſis lib. 1. cap. 18. Baron. Ciaccon. De omnibus his Sigonius de Regno Italiæ lib. 4. Volaterran. lib. 3. Geograph. *Ludouicus Pius.* Baron. Ciacc. Leo Oſtienſis. Sigon.

Vido creatus Imperator annò 891. donationes Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pij ratas habuit Pontifice Stephano VI. dicto 5. Sigon. lib. 6. de Regno Italiæ, Baronius, Spondanus, Victorellus ad Ciacconium. Patrem imitatus Lambertus. *Vido. Lambertus.* Idem. Ijdem.

Ottho I. ſiue Magnus Ioanne Papa XII. ſiue 13. eandem donationem ſtabiliuit anno Chriſti 962. S. Antonin. p. 2. tit. 16. cap. 1. §. 16. Regino, Volaterran. lib. 3. Geograph. Anſelm. lib. 5. cap. 90. Baronius eodem anno. Grethſerus cap. 5. Hanc donationem nc prolixiores ſimus notando annos, & Romanos Pontifices, renouarunt Ottho II. Henricus I. Fridericus II. Fridericus III. Guilielmus, Adolphus, Albertus, Carolus Quartus, Vvenceslaus, Robertus, Sigiſmundus, Maximilianus I. & II. Carolus V. Ferdinandus I. & reliqui Auſtriaci ſanguinis Imperatores. Quos inter nobilem locum meretur Mathildis nulli ſecunda, quæ ampliſſima Longobardiæ, ac Tuſciæ patrimonia Eccleſiæ Romanæ dedit. De qua nos c. 1. honorificè commemorauimus. *Ottho I.* S. Ant. Regino Volat. Anſel. Baron. Grethſ. *Ottho II. Henricus. Friderici. Guilielmi. Adolphus. Albertus. Carolus IV. Vinceslaus. Robertus. Sigiſmundus Maximil. Carolus V. Ferdinand.*

Numeremus Reges, ac Principes, qui Regna, & Principatus ſuos vel ex integro, vel ex parte, aut ſponte ſua obnoxia Sedi Apoſtolicæ fecerunt, aut nexa iam & obligata cum accepiſſent, ea deinceps vectigalia facta retinuerunt. Idque temporum, & Pontificum, quoad eius fieri poterit, ordine ſeruato.

Huius pij, & religioſi officij poſt Conſtantinum auctores, Reges duo Angliæ (quis credat?) fuerunt. Ina primus Rex Occidentalium Saxonum, & Offa Rex Orientalium, ſiue Merciorum; quorum ille primus anno 740. ſingulis Regni ſui domibus ſingulos denarios Sacri tributi nomine annuatim S. Petro ſoluendos impoſuit: hic ſecundus anno 775. Romam Adriano Pontifice cum veniſſet, Regnum ei ſuum, cum eodem cenſu vectigale fecit. Magna certè Anglicæ gentis gloria, qua nulla olim Sedis Apoſtolicæ obſeruantior fuit, ad quam religionem ſperamus, Deo dante, citò redituram. Nar- *Ina. Offa. Reges Angli.*

rat id Vveſtmonaſter. ad eos annos, & Polydorus Virgilius in ſua hiſtoria. Hi quidem, Ina ſaltem, primi tempore: ſed claritate nominis, & amplitudine Imperij celebrior Carolus Magnus, eius in Romanã Sedem obſeruãtiæ Princeps extitit. Vveſt. Polyd. Virgil.

Hic enim mille ducentas libras Romanæ Eccleſiæ quotannis cenſus inſtar ſoluere conſueuit, quemadmodum refert Gregorius VII. Papa Epiſtol. lib.8. Epiſt. vlt. Vnde in Gallias manauit illa ſancta conſuetudo ſoluendi vnum per ſingulos annos viritim denarium B. Petro Romę: eodem Gregorio Papa proximè adducto authore. *Dicendum*, inquit, *eſt omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, vt vnaquæque domus ſaltem vnum denarium annuatim ſoluant B. Petro, ſi eum recognoſcunt Patrem, & Paſtorem more antiquo. Nam Carolus Imperator, ſicut legitur in tomo eius, qui in Archiuio B. Petri Eccleſiæ habetur in tribus locis annuatim colligebat mille ducentas libras ad ſeruitium Apoſtolicæ Sedis, ideſt Aquiſgrani apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægydium, excepto hoc quod vnuſquiſque propria deuotione offerebat.* Quo anno id Carolus inſtituerit difficile inueſtigatu fuit. Gregor. VII.

Illud conſtat exceptionem Gregorij de voluntario dono, ius vectigalis denarij confirmare; qui enim dicit *excepto quod vnuſquiſque propria deuotione offerebat* manifeſtè ſignificat illud aliud quod pendi ſolitum lege impoſita, atque adeò iure deberi.

Ab eodem Carolo Magno Saxonia Apoſtolicæ Sedi facta tributi nomine onere impoſito vectigalis, eodem in eadem Epiſtola authore Gregorio. Idem.

Etheluulphus, ſiue Ataulphus partem Regni à Patre Egberto armis adiectam, & ſibi relictam Leoni IV. quem conuenerat Romæ addixit. Et hic Anglus maiores Angliæ Reges imitatus. Annus 841. is fuit: authores ijdem Matthæus, & Polydorus. Vveſt. Polyd.

Bagaoriam, ſiue Baioriã (ea eſt Bauaria) olim Romanæ fuiſſe obnoxiam Sedi conſtat ex Epiſt. 63. Papæ Io. VIII. ad Carolommanum Ludouici Pij nepotem, Caroli pronepotem, à quo ea fortaſſe, nam nihil certiùs inuenire potui, addicta. Vbi ſic. *Theotmaro committo ea quæ apud Bagoariam B. Petrus Apoſtolus habet.* Et Epiſt. 14. ad eundem Theotmarum. *Ea*, inquit, *quæ B. Petrus Apoſtolus apud Bagoariorum terram iure proprietatis poſſidet tuæ induſtriæ commendo.* Ioannes VIII.

Ste-

Stephanus, qui vt ſanctus colitur, Pannoniæ, ſiue Hungariæ Dux cũ eſſet à Syluestro II. Rex inauguratus anno 1000. & Poloniæ inſuper inſtitutus Regnum Eccleſiæ mancipauit authore Cartuitio in eius vita apud Surium Auguſti 20. Oblati ſponte tributi teſtis eſt Gregorius VII. Epiſt. ad Regem Salomonem, quæ eſt 13. lib. 1. & alia ad Geuſam Regem, quæ eſt 63. nec non in 70. de eo commemorat. Quin & Regnum Poloniæ vectigale Eccleſiæ eſſe narrat Petrus Damiani in vita Sancti Romualdi c. 32. & 34. eodem anno 1000. Cenſum confirmat Boleslaus, dum apud Ditmarum lib. 6. fatetur ſe non eſſe ſoluendo Papę Benedicto VIII. anno 1013. & multò magis Caſimirus ſoluendo Papæ Gregorio VI. anno 1045. Calabriam, Apuliam, Siciliam, Robertus Guiſcardus à Nicolao *II.* in feudum cum penſione accepit. Anno 1059. Narrat Leo Oſtienſis lib. 3. cap. 15. Eum rebellantem, & victum, ad fidem, & ſolutionem compulit Gregorius VII. anno 1074. & 1080. Baronio authore. Rogerius poſtea vtriuſque Siciliæ, quam iniuſtè occuparat, & retinuerat ab Innocentio II. Rex creatus vectigale ei Regnum fecit, obſtricta fide, & oblata ſexcentorum ſchifatorum penſione iuxta Chronicon. Beneuentanum, & Baronium anno 1139.

Stephan. Rex Hungariæ. — *Gregor. VII.* — *Boleslaus Rex Poloniæ.* — *Petrus Dam.* — *Ditmar.* — *Robertus Guiſcardus.* — *Leo Oſtienſis.* — *Baron.* — *Rogerius Rex vtriuſque Siciliæ.*

Vratislaus Dux Bohemiæ nuncupato voto Principatum Romanæ Sedi addixit. Eo nomine debitum exegit ab eo Gregorius *VII.* lib. 1. Epiſt. 53. & recepiſſe, ait lib. 2. Epiſtola 7. vbi ſumma ponitur. Marcharum auri centum. Anno 1073.

Vratislaus Dux Bohem. — *Gregor. VII.*

Eodem anno idem Pontifex à Landulpho Principe Beneuentano, & à Richardo Principe Capuano iuramentum fidelitatis exegit: patet illud ex Epiſt. 18. lib. 1. hoc ex Epiſt. 21. eiuſdem libri. Eiuſdem anni eſt Epiſtola 10. lib. 8. quo monet Orzodium Principem Iudicum Sardinię de ſua in D. Petrum fide, cui ille Principatus eſſet addictus.

Landulphus Beneuentan. — *Idem.*

Demetrius Rex Ruſſiæ Regnum ſuum obnoxium Sedi Apoſtolicæ fecit anno 1075. Gregorio VII. Pontifice: nec tributum ſignum pietatis defuit. Teſtatur id Gregorius lib. 2. Ep. Epiſtol. 74.

Demetrius Rex Ruſſiæ. — *Idem.*

Anno proximo alter Demetrius dictus Suinmur acceptam Croatiæ, & Dalmatiæ Coronam Summo Pontifici Gregorio VII. ſubiecit, ac 200. Byzantiorum penſione onerauit. Anno 1076. idem Pontifex author eſt lib. 7. Epiſtol. Epi-

Demetrius Suinmur Rex Croatiæ, & Dalmatiæ. — *Idem.*

ſtolarum 4. & inſuper Baronius, ac Spondanus.

Berengarius Barcinon. Berengarius Comes Barcinonenſis Barcinonem Vrbem, & Comitatum ſuum Barcinonenſem Romanæ Eccleſiæ vectigalem eſſe voluit. Anno 1090. De quo fit mentio in Bulla Vrbani VII. Baron. Spond. Bulla Vrbani VII.

Alphonſus Henric Portugalliæ. Alfonſus Henricus Portugalliæ Rex à militibus Anno 1139. ſalutatus Principatum ſuum Lucio II. Papæ obnoxium cum cenſu quatuor vnciarum auri reddidit Innocentio Papa III. Epiſtolar. lib. 1. Epiſt. 142. 151. 152. 200. authore. Regnum vero ab Alexandro III. confirmatum eidem Pontifici obligatum addixit, duabus auri marchis tributi nomine deinceps ſoluendis. Hæc conſtant ex ijs quæ ſcripſimus nomine Anonymi, in eo, quem Pariſijs in lucem edidimus tomo de Iure ſuccedendi in Regnum Luſitaniæ, qui latinum exemplum exhibet Apologiæ pro iure Sereniſſimæ Principis Catharinæ Duciſſę Brigantinę Luſitanicè ſcriptæ, vbi illi viri doctiſſimi Academię Conimbricenſis Doctores nullum alium ante Alexandrum *III.* Alphonſini Regni confirmationem cognoſcunt: quibus Baronius, & Spondanus, & Ciaconius, & alij Romani ſcriptores citato Regio Turris à Tombo Cartophylacio conſentiunt. Scio alios aliter ex noſtris, cum quibus ego aliquando ſenſi, authores ſentire, qui *I*nnocentium Secundum confirmaſſe Regnum Alphonſo volunt, quibus per me liberum eſto ſic opinari. Author Anon. Baron. Spond. Ciacc.

Regna Sueciæ, & Noruegiæ. Regna Suecię, & Noruegiæ, quę pro vno, ac eodem haberi ſolent, obnoxia Sedi Apoſtolicę onere ſoluendi cenſum ſuſcepto, ſcribit Auguſtinus Steuchus contra Vallam. Quo anno haud ſatis conſtat. Auguſt. Steuch.

Regnum Aragon. Aragoniæ Regnum Petrus Rex eius nominis Primus anno 1204. Innocentio III. addixit, ſeque ac ſuos ſucceſſores ad ſoluendum ducentarum auri vnciarum nobile iuxta, ac pium tributum obligauit. Bernardo illius tempore authore id aſſerente. Extat in Codice Priuilegiorum Romanæ Eccleſiæ exemplum Diplomatis Regij, quod citat Baronius anno 1097. Baron.

Regnum Angliæ. Angliæ Regnum Stephanus Rex cum accepiſſet faſſus eſt poſtea in iuramenti formula confirmationem ab Innocentio *II.* Pontifice obtinuiſſe, argumento illud Eccleſiæ obnoxium fuiſſe, quòd obſeruat Baronius eo anno. Hoc ipſum conſtat teſtimonio Henrici ſecundi apud Petrum Bleſenſem Baron.

Epiſt.

Epiſt. 136. Sed de Angliæ Regum erga Sedem Apoſtolicam obſeruantia plura idoneo loco dicemus.

Regnum Hiberniæ.

Hiberniam iuris fuiſſe Pontificij iam inde à conuerſione gentis patet ex diplomate Adriani VI. ad Henricum Angliæ Regem, cui eam concedit ſaluo Eccleſiaſtico iure, & ſub conditione annuæ in ſingulas domos penſionis D. Petro ſol-

Polidor. Virgil.

uendæ: Anno 1159. Idque narrat Polydorus, Virgilius lib. 17.

Regnum Scotiæ.

De Scotia, dum Angliæ non fuit commiſſa, obſcura res eſt: verum conſtat cùm Eduardus eam primus obtinuit Feudi Pontificij nomine conceſſam à Bonifacio VIII. acerrimo Eccleſiaſticæ immunitatis vindice, qui aliter tranſire non ſineret, & ſic produnt Polydorus, & Matthæus Vveſtmonaſter. Anno 1301.

Matth. Vveſt.

Conſultò duos Reges Hiſpaniæ, & Galliæ huc reſeruaui, vt de ijs ſeorſim agerem. Et quidem in Hiſpania Luſitaniæ, & Aragoniæ Regna, & Barcinonis Comiatum contineri cùm conſtet, illud compertum eſt hos Reges, & Comitem, Sedi Apoſtolicæ fuiſſe obnoxios. De Regibus autem qui toti Hiſpaniæ vni imperarunt, vel alijs Hiſpaniæ Regnis ſeparatim, dubitari vehementer video. Equidem non inuenio in Annalibus Reges integræ, vel maioris partis Hiſpaniæ, vectigales Romanæ Eccleſiæ extitiſſe: neque de Caſtellæ, ac Legionis, Nauarræue Regibus eidem cenſum ſoluiſſe, legere me memini. Illud tamen comperio in Epiſtolis Gregorij Papæ VII. Reges priſcos Gotthicæ gentis ante Saracenorum inuaſionem Sedi Apoſtolicæ obſtrictos, & obligatos fuiſſe, & vectigal ei ſacrum ex ſtudio Religionis pependiſſe. Eoque exemplo Gregorium omnes Hiſpaniæ, quotquot in ea tum diuiſi imperabant Principes exhortari ad reddendum obſequium, & cenſum qui ob Maurorum irruptionem & tyrannidem fuerat interruptus. Verba Gregorij volo afferre, quæ huiuſmodi ſunt in Epiſtola 28. libri 6. cuius eſt hæc inſcriptio. *Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Regibus, Comitibus, cæteriſque Principibus Hiſpaniæ. Præterea notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem tacere non eſt liberum, vobis autem non ſolum ad futuram, ſed etiam ad præſentem gloriam valdè neceſſarium, videlicet Regnum Hiſpaniæ ex antiquis Conſtitutionibus B. Petro, & S. R. E. in ius, & proprietatem eſſe traditum: Quod nimirum hactenus & præteritorum temporum in-*

Regnum Hiſpaniæ.

Gregor. VII.

commoda, & aliqua anteceſſorum noſtrorum occultauit negligentia. Nam poſtquam Regnum illud à Saracenis, & Paganis peruaſum eſt, & ſeruitium, quod B. Petro inde ſolebat fieri, propter infidelitatem eorum, & tyrannidem detentum ab vſu noſtrorum tot annis interceptum eſt: pariter etiam rerum, & proprietatis memoria dilabi cæpit. Verum quia diuina clementia conceſſa victoria terram in manus veſtras tradidit, vlterius vos cauſam hanc ignorare noluimus, ne quod ſupernus arbiter, & legum, ac iuſtitiæ conditor de recuperanda, & reſtituenda iuſtitia, & honore S. Petri eiuſque ſanctæ, & Apoſtolicæ Sedis, veſtræ gloriæ ad benemerendum contulit, aut nobis ex taciturnitate in negligentiæ culpam, aut vobis ex ignorantia, quod abſit, ad detrimentum propoſitæ, & diuinitus oblatę retributionis obueniat. Conſtat verò miſſum ab eodem cum litteris Cardinalem Hugonem Candidum, qui tributum illud cùm exigeret, tum reciperet. Cuius quidem iuris ad cenſum argumentum eſt, quòd qui Principes, ac Dynaſtæ vellent occupatas à Mauris Prouincias aſſerere, armiſq; vendicare, ijs hac lege licitum eſſe dixit, ſi Apoſtolicæ Sedi obnoxias redderent, & annuum pro ijs canonem penderent. *Quippè quod*, ait, *Regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprij iuris S. Petri fuiſſet*. Et quidem eſt apud Gregorium lib. 1. Epiſt. 6. & 7. & 8. & 18. illuſtris commemoratio Eboli de Rocero Comitis Galli, qui expeditione in Hiſpaniam ſuſcepta cum Alexandro II. primùm, deinde cum eodem Gregorio pactus fuerat, vt quicquid armis acquireret, id omne Sedi Apoſtolicę vectigale faceret. Regnabant tunc in Hiſpania Sancius, & Alphonſus, ad quos item datæ à Gregorio litteræ extant, quibus ipſorum erga Romanam Eccleſiam obſeruantiam laudat. Fortaſſe quòd cenſum debitum pependiſſent. Ac non his ſolis tota Hiſpania parebat. Alię alijs Ducibus, prout quiſque Mauros debellabat, ac expellebat partes parebant. Verum eſt tamen Hiſpanos ſcriptores, nihil de his commemorare, quod magnopere ſoleo mirari. Sed conſecuta poſtea Regum Aragoniæ, & Luſitaniæ, & Comitis Barcinonenſis, qui Principatus ſuos Romanæ Sedi obligarunt exempla, Gregorij ſcripta confirmant.

Regnum Hiſpaniæ quomodo Romanæ Sedi obnoxiũ poſt inuaſionẽ Maurorum.

Quid tributi ſoluerit.

Quibus Pontificibus ſoluerit.

Quòd attinet Gallias: vti libera ſunt hominum ingenia, ita & Regna libera fuiſſe comperio. Vnis Regibus, ſuis addicti populi iuris alieni, ideſt Pontificij eſſe noluerunt. Reges, contenti eo quod armis vindicarant ab inuaſoribus, ar-

mis

mis vindicatum Romanę Eccleſię donarunt, de proprio nihil largiri voluerunt. Immò & eorum, quæ hoſti eripuerant partem ſibi retinuerunt. Cuiuſmodi fuit Longobardia Regnum, quòd minimè Pontifici donarunt, ſibique ac ſuis ſucceſſoribus ſepoſuerunt, quemadmodum ſuperius diximus. Tantùm legimus Clodoueum primum Regum Gallię Chriſtianum coronam auream, diſtinctam gemmis Hormiſdę Pontifici dono miſiſſe: idque inter omnes penè tum Gallos, tum externos authores conſtare video, quos accuratè in meo propugnaculo citaui: paucis exceptis qui metu ne quid libertati Gallicę eo munere decederet negare maluerũt, quos ego & recenſui tum, & commonefeci de iniuria pietati Remigij, & Clodouei cum gemitu Religionis illata, & omnem exemi ſcrupulum fictæ ab ijs ſubiectionis, & monui excogitatę ambitionis. Verùm quid illud donum ſignificauerit ambigua res eſt. Caro ſtetit Spondano interpretatio Baronij qui oppigneraſſe Clodoueum Regnum ſuum in Romanę Eccleſiæ præſidium Deoque dicaſſe, atque in Petro Petra ſtabilire voluiſſe affirmat, quam ſecutus Spondanus in inuidiam à quibuſdam Gallis Scriptoribus apud ſuę gentis Principes eſt adductus: perinde ac vellet eo nomine Regiæ maieſtati detrahere. Quam ille tamen purgat ſuſpicionem accuratè, & ſolidè in additione ad Baronium anno 514. Mihi illud videtur Clodoueum eo animo miſiſſe coronã, vt Religionis, & obſeruantię ſuæ monumentum eſſet, & poſteris ſuis documẽtum reliquiſſe, quo pacto ſe geſturi eſſent erga Sedem Apoſtolicam, quam colere, ac venerari deberent, ſicut filij, & oues ſpiritualis parentis, & paſtoris: nihil tamen interim cogitaſſe de Regno ſubijciendo, vel addicendo, nec eo quicquam dono Regiæ maieſtati detraxiſſe: ſed pietati, ac Religioni addidiſſe, quemadmodum nos eo loco propugnaculi ſcripſimus, & duabus coniecturis firmauimus: altera quòd illa corona, non propria Gallici Regni erat, ſed dono data ab Anaſtaſio Imperatore, altera quòd Clodoueus non ante, ſed extremo anno ſui Imperij ideſt 514. eam ad Hormiſdam recens creatum Pontificem miſit. Itaque nihil ex hac donatione decedit Regię libertati Gallicę, quemadmodum nec ex alia donatione coronę à Carolo Magno Leoni *III.* Pontifice oblatę teſte Anaſtaſio in eiuſdem vita, ſequitur, quod tunc auſpicijs accipiebat Imperium illud obnoxium, & ad-

Clodouei pietas.

Gallica libertas.

dictum

Romano deinceps Pontifici fore, cum tamen propiùs cenſui eſſet Imperium translatum ad Carolum, quàm Regnum Clodouei hæreditarium, & ſine vllo beneficij alieni reſpectu poſſeſſum, in fine præſertim vitę, non initio Imperij, importuno certè ad addicendum tempore. Sanè qui Reges Regna ſua deuouerunt Sedi Apoſtolicę, apertè ij & formula donandi, & mentione cenſus mentem ſuam declararunt, quemadmodum ex proxima ſerie apparet. Igitur de Clodoueo, & ſucceſſoribus Gallię Regibus, quorum nulla extant eiuſmodi ſubiectionis veſtigia, nulla ſuſpicio eſſe poteſt addicere eos Regna ſua Eccleſię voluiſſe. Quare laudanda eſt pietas, & religio Clodouei, citra vllum timorem officiendi luminibus Gallicanę Coronę: eoque nos iam tum, cum propugnaculum Pariſijs ſcripſimus, nonnullos minutos ſcriptores liberauimus, & nunc eos rurſum liberamus.

Gallia immunis a tributo.

APPENDIX.

De lepra Conſtantini, & cauſa, & curatione per baptiſmum illius.

NE quid indiſcuſſum indeciſumque in hac celebri diſceptatione de baptiſmo, & quæ cum eo nexa eſt, donatione maneat, placet de lepra Conſtantini inſtituere quęſtionem, quòd multum in ea operæ pretium nonnulli eſſe putant, perinde ac illius veritas ad baptiſmi veritatem pertineat: contineatque cauſam illius ſalutaris lauacri, quòd ad lepram corporis, & ſordes animi eluendas ordinatus fuerit, adeò vt qui baptizatum Romæ Conſtantinum negant, eorum quoſdam mouerit ea hiſtoria, quam fabulam exiſtimant & quoſdam ex noſtris ea narratio conturbet, & minus firmos, & conſtantes in ſuſtinendo baptiſmate efficiat, quòd videant eam narrationi baptiſmatis interiectam. Vtcunque ſit, euellendus hic ſcrupulus eſt, ac de eo ſui ab amicis monitus, qui hoc ipſum deſiderabant; ne quid aut ambiguum aut imperfectum remaneret.

Cur quæſtio mota.

Heterodoxi lepram Conſtantini fabulam dicunt. Horrent illas ſordes homines delicati, & in tanto Principe abhorrent, quem nitidum prorſus, & ab illa fœditate alienum volunt. Angl præſertim Conſtantino ciui ſuo nimis indulgentes, & natu-

Qui lepram negent?

naturà concinni, & terſi, Seplaſiæ cultores, & munditiarum, & deliciarum amatores. Indignum putant eo Imperatore morbum, Romæ præſertim commorante, quæ vrbs ei malo annos fermè ſexcentos obnoxia non fuit: quem ſi extremis Reipublicæ temporibus Pompeio, ſcilicet dominante contraxit, certè ille ad paucos pertinuit, & ad Orientem vnde cum fortunis, & gaza Regum deuictorum venit redijſſe viſa eſt: diuerſorium Romæ experta, non domicilium. *Hæretici.*

Ex noſtris authoribus nonnulli moroſiores, & faſtidiſiores lepræ hiſtoriam improbant, quòd inſolens videatur, & inepta: putidam appellant, & nulla certa authoritate nixam, ſed vulgi opinione temerè conceptam, & euulgatam. Homines qui ad ingenium ſuum narrationes accommodare volunt, & iudicio ſuo euentus rerum metiri. Non eos doctos, & graues eſſe negem: ſed eſt vbi fides, & candor pluſquam doctrina, & grauitas valeat: nimirum in audendis, & credendis hiſtorijs, quæ ex euentuum, ac temporum momentis pendent, nec rationibus noſtris attemperantur, nec præceptis obediunt, nec arbitrio legentium ſeruiunt. Inter hos numerantur Cano de locis lib. 11. cap. 5. ad 14. Caietan. in D. Thom. 3. par. q. 69. art. 8. ad 4. Platina in vita Marci Papæ. Alciat. 7. Parerg. cap. 19. Viues de corrupt. diſciplin. Homines quantum ego coniectura aſſequi poſſum, vno excepto Caietano, moroſi, ac difficiles, quique exiliter calculos ponunt, & ſeueri haberi volunt, vt quæ ſentiunt, & ſcribunt ijs eo nomine fidem faciāt. Nec vllo alio firmiori fundamento eam fulciunt ſententiam: niſi quòd ex ingenio, ac indole ſua fingunt. Non deſunt tamen leues quædam ſuſpiciones, quæ paulo momento mentes inclinare ad incredulitatem potuerunt. *Catholici.*

Prima ſilentium Euſebij, & priſcorum de eo morbo authorum.

Secunda morbi Romæ, & in Italia inſolentia: ſerò inuectus, breui eiectus, authore Plinio lib. 25. cap. 1. Auſtralis ille eſt Aegyptijs olim, & Iudæis familiaris: morbus item Arabum dictus, quin etiam Punicus appellatus. *Cur negent?*

Tertia Conſtantini conſtitutio, quam longè diuerſam fuiſſe ab ea, quæ lepram gignit, admittit ve ex hiſtorijs patet. Nam lepra, vaſta, & malè compacta corpora in quibus atra bilis domicilium habet ſequitur. At Conſtantino iuſtum, &

vege-

Romano deinceps Pontifici fore, cum tamen propiùs cenſui eſſet Imperium translatum ad Carolum, quàm Regnum Clodouei hæreditarium, & ſine vllo beneficij alieni reſpectu poſſeſſum, in fine præſertim vitę, non initio Imperij, importuno certè ad addicendum tempore. Sanè qui Reges Regna ſua deuouerunt Sedi Apoſtolicę, apertè ij & formula donandi, & mentione cenſus mentem ſuam declararunt, quemadmodum ex proxima ſerie apparet. Igitur de Clodoueo, & ſucceſſoribus Gallię Regibus, quorum nulla extant eiuſmodi ſubiectionis veſtigia, nulla ſuſpicio eſſe poteſt addicere eos Regna ſua Eccleſię voluiſſe. Quare laudanda eſt pietas, & religio Clodouei, citra vllum timorem officiendi luminibus Gallicanę Coronę: eoque nos iam tum, cùm propugnaculum Pariſijs ſcripſimus, nonnullos minutos ſcriptores liberauimus, & nunc eos rurſum liberamus.

Gallia immunes a tributo.

APPENDIX.

De lepra Conſtantini, & cauſa, & curatione per baptiſmum illius.

NE quid indiſcuſſum indeciſumque in hac celebri diſceptatione de baptiſmo, & quæ cum eo nexa eſt, donatione maneat, placet de lepra Conſtantini inſtituere quęſtionem, quòd multum in ea operæ pretium nonnulli eſſe putant, perinde ac illius veritas ad baptiſmi veritatem pertineat: contineatque cauſam illius ſalutaris lauacri, quòd ad lepram corporis, & ſordes animi eluendas ordinatus fuerit, adeò vt qui baptizatum Romæ Conſtantinum negant, eorum quoſdam mouerit ea hiſtoria, quam fabulam exiſtimant & quoſdam ex noſtris ea narratio conturbet, & minus firmos, & conſtantes in ſuſtinendo baptiſmate efficiat, quòd videant eam narrationi baptiſmatis interiectam. Vtcunque ſit, euellendus hic ſcrupulus eſt, ac de eo fui ab amicis monitus, qui hoc ipſum deſiderabant; ne quid aut ambiguum, aut imperfectum remaneret.

Cur quæſtio mota.

Heterodoxi lepram Conſtantini fabulam dicunt. Horrent illas ſordes homines delicati, & in tanto Principe abhorrent, quem nitidum prorſus, & ab illa fœditate alienum volunt. Angl præſertim Conſtantino ciui ſuo nimis indulgentes, & natu-

Qui lepram negent?

naturà concinni, & terſi, Seplaſiæ cultores, & munditiarum, & deliciarum amatores. Indignum putant eo Imperatore morbum, Romæ præſertim commorante, quæ vrbs ei malo annos fermè ſexcentos obnoxia non fuit: quem ſi extremis Reipublicæ temporibus Pompeio, ſcilicet dominante contraxit, certè ille ad paucos pertinuit, & ad Orientem vnde cum fortunis, & gaza Regum deuictorum venit rediјſſe viſa eſt: diuerſorium Romæ experta, non domicilium. *Hæretici.*

Ex noſtris authoribus nonnulli moroſiores, & faſtidiſiores lepræ hiſtoriam improbant, quòd inſolens videatur, & inepta: putidam appellant, & nulla certa authoritate nixam, ſed vulgi opinione temerè conceptam, & euulgatam. Homines qui ad ingenium ſuum narrationes accommodare volunt, & iudicio ſuo euentus rerum metiri. Non eos doctos, & graues eſſe negem: ſed eſt vbi fides, & candor pluſquam doctrina, & grauitas valeat: nimirum in audendis, & credendis hiſtorijs, quæ ex euentuum, ac temporum momentis pendent, nec rationibus noſtris attemperantur, nec præceptis obediunt, nec arbitrio legentium ſeruiunt. Inter hos numerantur Cano de locis lib. 11. cap. 5. ad 14. Caietan. in D. Thom. 3. par. q. 69. art. 8. ad 4. Platina in vita Marci Papæ. Alciat. 7. Parerg. cap. 19. Viues de corrupt. diſciplin. Homines quantum ego coniectura aſſequi poſſum, vno excepto Caietano, moroſi, ac difficiles, quique exiliter calculos ponunt, & ſeueri haberi volunt, vt quæ ſentiunt, & ſcribunt ijs eo nomine fidem faciãt. Nec vllo alio firmiori fundamento eam fulciunt ſententiam: niſi quòd ex ingenio, ac indole ſua fingunt. Non deſunt tamen leues quædam ſuſpiciones, quæ paulo momento mentes inclinare ad incredulitatem potuerunt. *Catholici.*

Prima ſilentium Euſebij, & priſcorum de eo morbo authorum.

Secunda morbi Romæ, & in Italia inſolentia: ſerò inuectus, breui eiectus, authore Plinio lib. 25. cap. 1. Auſtralis ille eſt Aegyptijs olim, & Iudæis familiaris: morbus item Arabum dictus, quin etiam Punicus appellatus. *Cur negent?*

Tertia Conſtantini conſtitutio, quam longè diuerſam fuiſſe ab ea, quæ lepram gignit, admittit ve ex hiſtorijs patet. Nam lepra, vaſta, & malè compacta corpora in quibus atra bilis domicilium habet ſequitur. At Conſtantino iuſtum, &

vege-

vegetum, & teres corpus flaua bile abundans contigit.

Quarta horror ipſe morbi à tam ſuaui, & miti hominis ingenio, & temperamento alienus. Nolunt infici hac peſte potuiſſe Conſtantinum, quæ infectis ariebat conſpectu, & vſu hominum, & a viuis diſcretos ad mortuos amandabat: Hæc ſunt non tam mentis diſſentientis, quàm faſtidientis ſtomachi argumenta, quibus potius eſt medendum, quàm reſpondendum.

Igitur vt eos duriores authores molliamus, & horrorem, quem ex lepra concipiunt minuamus iucundo, ac erudito diuerticulo vtamur, quo allecti, & mitigati exhilarentur, & molleſcant ad hiſtoriam admittendam.

Species lepræ Lepræ quatuor eſſe formas inſignis Hiſpanicæ gentis medius Franciſcus Valleſius lib. de Sacra Philoſophia cap. 19. tradit, eaſque Leuitici cap. 13. notari animaduertit. Prima eſt impetigo, vel lepra volatilis, quæ Burras ab Arabibus dicitur, quæ ſerpit, peruaditque membra, donec in corpus graſſetur, & vniuerſum occupet. Gignitur ex ſalſa pituita, admiſta melancolelia. Eius ſignum ſacræ litteræ produnt: *ſi pili in album colorem mutentur, & ipſa lepra cutè reliqua ſit humilior*. Ita cap. 13. Leuit. n. 3.

Secunda eſt, quę ex hac prima relinquitur, & recurrens appellari poteſt, quòd poſt curationem redeat, quanquam mitior, & leuior. Huic autem obnoxium eſt corpus ad vitium propenſum, humore altius ſe inſinuante, & tenaciùs hęrente, quem indicant maculæ in ſumma certè erumpentes. Hanc continet verſus 7. eiuſdem capitis.

Tertia grauior vltra cutem ad viuam carnem deſcendit, & profundiùs penetrat, quæ inolita dicitur. Exedit carnem, & exeſam decolorat, & albam reddit, cum vehementius depaſcitur, & in Elephantiaſim degenerat, quæ verſu 10. inſinuatur.

Quarta leuius, & mitius afficit membra, citra ſcabiem, & ſordes, nulla putredine, nullo vitio, nullo contagio: atque adeo *mundiſſima* verſu 12. appellatur: per totum corpus diſcurrit ocyſſimè, extat in ſumma cutè ſine horrore, ac purgatio quædam potius eſt vitij, quàm vitium: niſi cum vnam in partem vergit, ac coit, & morbum efficit.

Qualis ſit morbus. Vagus, & vulgaris eſt morbus: ſerpit, & graſſatur more peſtilentiæ, ſcriptura teſtis eſt, vbi ſæpè lepra, & leproſi, ingenio

genio gentis, & ſoli, ac interdum vitio: cuius ſupplicium fuit, vti lepra illa niuea Mariæ ſororis Moyſi, & Oziæ florida: cum illa tamen Naamani innocens, & naturalis fuerit. Hinc aduerſus illam & remedia, & leges, quæ in Leuitico habentur, & ab interpretibus præſertim Heſychio explicantur. Mors ciuilis dicta, quòd ſeparatione opus erat leproſi à corpore Reipub. Interdictum ei hominum commercio, ac ſocietate. Exules neceſſarij. Penè vmbrę, quòd prope mortuos. Apud Perſas rei violati ſolis in tenebras compulſi. Herodoto lib. 1. authore.

Heſych.

Herod.

Abyſſinos tamen lepram ferre, & admittere tradit Aluarez Luſitanus, qui eam regionem vel primus, vel cum primis peragrauit; nemo ea infectus excluditur, nec vitatur. Ciuilis eſt morbus, & vrbanus; ſed apud Aethiopas ille, quòd colorem atrum immutat, in pretio eſt. Miſer populus, vbi quæ degenerant in vitium meliora ſunt. Verum, quæ ſeparatio à barbaris ſupplicio deputabitur, cum ipſa cum barbaris habitatio ſupplicium ſit?

Vbi frequens ſit?

Aluar.

Apud Mauritanos Leone Afro teſte, tot leproſi ſunt, vt neceſſe ſit nouas vrbes condi, quas colant. Itaque noui populi exiſtunt, nouæ Reſpublicæ, & quod malum extinguere debebat ſocietates, id eas ſuſcitat, & humanam ſobolem propagat.

Leo Afro.

In Italiam ſerò veniſſe non eſt mirandum: cum ante Pompeij tempora minus eſſet Aſia, & Africa, qua parte lepræ obnoxia, peragrata. Ita vel infuſa peregrina gente, vel contracto ab ijs morbo lepra Romam deducta. Quid quòd vitio temporis vel potius hominũ nouę peſtes exiſtunt antea non viſę, quemadmodum in lue venerea apparet, quæ morbus Gallicus iure ne an iniuria? appellatur. Nec inficiamur declinante ad finem mundo, & tempora, & naturas hominum in deterius ruere, & ex communis mortis vicinia labes, & ſordes oriri.

Illud mirum. Ex terræ motu hanc peſtem exiſtere, ceu ex intimis terrę cauernis noxij humores effundantur, ſiue aer ibi detentus, & diuturnitate corruptus cum foras exit cęlum inficiat, & temperiem auferat, ſiue Erebo in pœnam hoc contagium erumpat. Phoca Imperatore, Deus dedit Pontifice cum terra vehementer mouiſſet, ſcabies lepræ ſubito extitit, & populos inuaſit, longèque, & latè graſſata eſt. Conſtat anno ſalutis DCXV. menſe Auguſto terram ingenti

Vnde exiſtat?

motu concuſſam fuiſſe,& motum luem Elephantias,ſimilem nempè lepram ſecutam Italiam funeſtaſſe: quo tempore Bonifacius IV.Papa cum leproſo obuiam veniſſet,ei oſculum obtulit,& lepram ademit.Rem narrat Sigonius lib.2.Rerum Italicarum. Sigon.

Nec illud aliud prętermittendum.Rege Philippo Pulchro Galliarum in Prouincia Narbonenſi lepræ morbum ſæuijſſe, & quoſdam eo correptos, cæteros inficere voluiſſe: ad idque manantem è corporibus ſaniem in fontes, ac puteos iniecisſe, vt per hauſtum aquę ad bibentes lepra tranſiret: qui tandem deprehenſi crimen in aquis commiſſum per ignem viui ſuis quiſque in domibus combuſti expiarunt. Iudæos eius pernicies authores fuiſſe ferunt authores. Id memoriæ Baptiſta Fulgoſus lib.9.cap.12. tradidit.

Leproſi inſignes. His præmiſſis operæ pretium erit,ſcire qui viri illuſtres lepra fuerint correpti, vt hac ratione aditus fiat ad credendum Conſtantinum quoque infici potuiſſe. Ac vt omittam; Namanum, Mariam, & Oziam in Sacra Hiſtoria. Hircanus Rex Aethiopum lepra diuinitus eſt percuſſus: & in rabiem ob id adductus ſeipſum interemit. Balduinus Hieroſolymorum Rex lepra coopertus fuiſſe legitur, nec tamen à Regni adminiſtratione ceſſauit. Froyla II. Alphonſi Magni Hiſpaniarum Regis Filius, Ordonij frater, cùm Aſturum in ſe Principatum tranſtuliſſet poſt ſeſquiannum fermè lepram contraxit, eaque conſumptus interijt. Ataulphus iuuenis nobilis in ea parte Italiæ, quę Adriatico mari alluitur lepra infectus cum eſſet,à S.Marco curatus eſt. S. Genoueſa Virgo inſignis Vrbis Lutetię Pariſiorum tutelaris Diua innocẽtis leprę morbo laborauit: in quem fertur propter nimiam abſtinentiam, & inuſitatam corporis macerationem incidiſſe. De Conſtantia Conſtantini Imperatoris filia narrant Acta ipſius, & Sanctæ Agnetis, & Ioannis, & Pauli, & Liberij morbo vlceroſo, & fœdo, aut lepra, aut leprę ſimili affectam diu iacuiſſe, donec Agnete per ſpeciem viſa,cum baptiſmum vouiſſet,ſanitati reddita fuit, cui miraculo Breuiarium Romanum fidem facit.

Hæc exempla Regum, & Principum, Virginum præſertim, & horrorem morbi minuunt, & viam ad fidem hiſtoriæ de lepra Conſtantini adſtruendam muniunt. Adijcio Conſtantinum morbum illum non natura, vel vitio naturæ

con-

contraxiſſe, ſed in pœnam impietatis pertuliſſe: atque adeò percuſſum à Deo illo genere morbi fuiſſe: quæ autem impietas illa fuerit, ſuperius diximus, non aliam, quàm idololatriam, & perſecutionem in Chriſtianos motam eſſe potuiſſe. Huius expetijt ab eo pœnas Deus, quas euaſit ob pietatem erga infantes, quorum ſanguini pepercit, & ob ſuſceptum baptiſmi propoſitum: non tamen omnino liberatus, donec ſalutari lauacro animi prius maculas eluit: vnde eſt ſanitas corporis conſecuta. Hac ratiône omnis illa ex nobili conſtitutione corporis Conſtantini, & regiæ indolis dignitate profecta argumentatio corruit, cum ille morbus aliunde immiſſus fuerit, non naturaliter contractus. Cætera ad faſtidientis animi horrorem, delicatique ſtomachi mollitiem pertinentia facilè concoquuntur; adductis exemplis, & humanæ naturæ conſideratione, quæ nullis non miſerijs obnoxia eſt: à quibus Reges, & Principes immunes eſſe non poſſunt, cum eiuſdem naturæ ſint, & interdum ob mollitiem, & delicias facilius ægritudinis, & morbos concipiant, cum quibus eos per ſepè videmus miſerrimè conflictari in quam rem Plinius lib. 25. cap. 1. *Gigni*, ait, *aliqua vitia terrarum, tanquam malo eligente, hæc in paruos graſſari, illa in adultos, hæc proceres ſentire, illa pauperes.* Certè nemo illorum authorum longius ab iſtis ſordibus, & terroribus abſuit, quàm ego, quem nunquam in tam longa vita, ſum quippè propè ſeptuagenarius, vel leuis febricula tentauit: nec à morbis tantum immunis ſum, ſed à remedijs etiam alienus, nec idcircò tamen, aut horreo, aut miror huiuſmodi infirmitates, & miſerias, nec quòd eas non ſum expertus in alijs nego reperiri: mirari ſoleo magis cur eas ego non patiar. Homo enim ſum, nihil humani à me alienum puto: & interdum mei me pudet, quòd illa non experiar, quæ omni hominum generi accidunt, & doleo cum ſciendi ſim cupidiſſimus, quid ſit morbus, & ęgritudo ignorare. Quod ego igitur in Conſtantino fuiſſe genus morbi credo, de eo ij dubitare nolint.

Conſtantini lepra ſupplicium à Deo inflictum.

Plin.

Author perſuadet leproſum fuiſſe Conſtantinũ.

Verum ſunt, qui de remedio etiam vehementer ambigũt. Deteſtantur illam immanitatem cruenti ſanguine infantium balnei; proponunt ſibi lachrymas, & gemitus matrum, ferociam, & ſæuitiam militum, fulgurantes in manibus gladios imminentes inſontium capitibus ictus, pallidos, & exangues timore paruulorum vultus, ſimile Herodiano ſpectaculum

dicunt, nec ſibi temperare poſſunt, quin diris, & iubentes medicos, & obſequentes miniſtros, & ferentem Conſtantinum inſectentur, accuſent, damnent. Vanos metus præ ſe ferunt. Nihil horum re præſtitum. Omnia diuina prouidentia ſuſtulit. Salui infantes, liberę matres, Conſtantinus ſine vulnere vllo ſanatus, vtraque ei ſalus, & corporis, & animi conſtituta. Quòd attinet lepræ remedia, multa quidem, & præſentia commemorant authores medici, quę videri poſſunt apud Plinium, Auicennam, Paulum Aeginetam, & Valleſium de Sacra Philoſophia cap. 19. & 20. Sed ea leuioribus lepræ formis conueniunt. Grauiſſimæ fortiſſimum erat adhibendum, nempè illud balnei ebullienti ſanguine feruentis. Quo vſos Aegypti Reges tradit Plinius lib. 25. cap. 1. *Ægypti*, inquit, *peculiare hoc malum, & cum in Reges incidiſſet, populis funebre. Quippè in balneis ſolia temperabantur humano ſanguine ad medicinam eorum*. Non erat inſolens remediũ, licet crudele. Quid mirum ſi Conſtantino à medicis propoſitum? Quòd autem ab eo ſit reiectum, id amorem erga eum gratiamquè conciliat. Ne turbentur. Procul hinc Herodiana feritas: faceſſat ille luctus, ille eiulatus, illa laniena. In tuto ſunt infantes. Alio cæleſti lauacro mundatus citra ſanguinem Conſtantinus. Prudenter Abbas Berengoſius Conſtantinum cum Herode componens, huius impietatem, & ſæuitiam, illius pietate, ac manſuetudine refutauit lib. 3. de Cruce cap. 5. Quod in hoc euentu non pium, non religioſum, non amabile? non ex vero, ac iuſto compoſitum? Ethnicus erat Conſtantinus, idola colebat, meditabatur cędes Chriſtianorum, ipſos inſectabatur, & ſupplicijs afficiebat. Reuocatus à Deo fuit per inflictam lepram, ea deterritus ſenſit quale crimen admitteret. Subſtitit ambiguus, dum pendebat remedium ad curandum morbum idoneum, ac præſens excogitatum, quòd cum præparatum videret, & immanitatem eius conſideraret, horruit magis remedium, quàm morbum. Motus pietate cæde abſtinuit, ſeque periculo graſſantis lepræ permiſit. Meruit eo vt Deus Optimus Maximus iram auerteret, lauacrum cæleſte inſtitueret, quod ad vitam vtramquè proficeret. Ita noſtri authores narrant, & huiuſmodi euenta expendunt. Acta Sylueſtri, Adrianus I. Leo IX. Metaphraſtes, S. Antoninus, Vincentius, Nicephorus, Zonaras, Petrus à Natalibus, Lippomanus, Surius, & alij

Lepræ remedia.

Plinius. Auicen. Paulus Aegin. Valles.

Plinius.

Berenḡ.

Conſtantini pietas.

Bron. alij, quos ſuperius cum Baronio in Martyrologio 1.& 2.editione citauimus. Hanc lepræ cauſam fuiſſe diſertè omnes tradunt: nec hi ſoli, ſed plerique alij, quos Vindicia VI.c.5. adduximus. Ex quibus placet Berengoſium Abbatem in medium afferre: cuius hæc ſunt verba. *Multiplici cultura Idolorum in breui factus eſt perſecutor Chriſtianorum. Proinde ad vlciſcendam in eo culpam perſecutionis nimiæ tradidit illum Deus in paſſiones ignominiæ, quando licet magnæ potentiæ, & maioris eſſet conſtantiæ, lepra tamen eum percuſſit elephantiæ.* &c.

Bereng. Sed quoniam obijcitur magna vi ab aduerſarijs ſilentium Euſebij, & aliorum priſcorum authorum, neceſſe erit hanc hiſtoriæ de lepra Conſtantinianæ partem validis authoritatis momentis firmare. Ac primum: quod attinet Euſebium, ſatis reſpondi Vindicia VI. cap. 3. eum cùm in alijs de Conſtantino, tum præcipuè in hac de baptiſmo narratione eſſe ſuſpectum, idque idoneis rationibus, & authoritate Cardinalis Poli ſolidè opinor, monſtraui, cui adijcio Baronium, & Spondanum in annum 324. Viderat Euſebius lepræ hiſtoriam non facere in rem ſuam, quòd cum baptiſmo Romæ ſuſcepto connexa prorſus erat: tacuit de ea dicere, ne ſibi contradiceret. Illos ego miror ſcriptores, qui noſtram ſequuntur ſententiam, negare eum morbum auſos fuiſſe, quem cum lauacro baptiſmatis coniunctum eſſe, & Acta omnia, & Epiſtolæ, ac Decreta Pontificum, & monumenta ſcripta Authorum, immò & ipſamet traditio, & Lectiones Breuiarij confirmant. *Euſebij fides eleuatur.* Cardin. Polus.

Placet igitur ad refellendam oppoſitam, quæ paucorum eſt, opinionem eos, qui noſtram adſtruunt authores producere. Hos ego in ſuis fontibus vidi, & nemo eorum non diſertè de lepra meminit. Id enim mei eſt inſtituti, lepræ morbum firmare. Acta Sylueſtri, & qui ea confirmat Gelaſius I. Damaſus, ſiue author vitæ Sylueſtri. Adrianus I. Epiſt. ad Conſtant.& Iren. quæ habetur in 7. Synodo Leo IX. Epiſt. ad Michaelem Patriarch. Innocentius III. ſerm. 1. de S. Sylueſtro. Clemens VI. Extrauag. *Vnigenitus.* de Pænit.& remiſs. Nicolaus III. cap. *Fundamenta.* de electión. in 6. Gregorius XI. Conſt. I. Huic fidem publicam facit inſcriptio Lateranenſis, quæ viſitur ante ingreſſum Tribunæ ad Cornu Euangelij cõpoſita, & poſita à Gregorio XI. vbi fit mentio expreſſa lepræ. Accedit Breuiarium Romanum lect. 4. officij S. Sylueſtri, & lect. 5.

Sylueſt. Damaſ. Adrian. Leo IX. *Authores qui adſtruunt lepram Conſtantini.* Breu. Rom.

lect.5. officij in Dedicatione Baſilicæ Saluatoris : in qua ponitur: *A lepra mundatus eſt*. Magna eſt authoritas Concilij Romani ſub Syluestro cap.1.Sequuntur Gregorius Turonenſis Hiſt.lib.2.cap.21. qui ſcribens baptiſmum Clodouei Primi Galliarum Regum Chriſtiani lepræ hiſtoriam reſpicit,ac ſupponit. Eam narrat, & ſæpè refricat Abbas Berengoſius lib.3.de Inuent.Crucis, & Conſtantinum cum Naamano leproſo, & cum Herode crudeli conferens varijs eam modis verſat, & aſtruit. Aſſerit Michael Glycas Annalib. lib. 4. Hincmarus in vita Sancti Remigij. Aldhelmus de Virgin. cap. 12. Honor. Auguſtodun. in ſpecul. Inuent. Sanctæ Crucis.Conrad.Abbas Viſpergenſ. in Conſtantino. Vvandebert. Diacon.in Martyrolog. ad diem S.Sylueſtri. Hugo Victorin. Excerpt.prior.lib.8.cap.1.S.Thomas 3.par.qu.69.artic.8.Ibi interpretes. Martinus Polonus in Sylueſtro, & in Conſtantino. Guilielm.Aluern.de Sacram.in genere cap.2.Iacob. Genuenſ.ſerm.de S.Sylueſtro.S.Bernardin.Senenſ.to.1.ſerm. art.2.cap.4.Vincent.Bellouacenſ.in ſpeculo, quem citat, & ſequitur S.Antonin.1.par.tit.8.cap.2.§.8. & manifeſtius p.2. tit.9.cap.1.§.2.& ibi commentator illius. Petrus à Natalib.in vita Sylueſtri.Genebrard.lib.3.Chronic.Matthęus Vveſtmonaſt.Couar.pract.cap.31.nu.2.Anno 310.Conſentiunt Græci in Menologio.Nicephor.Calliſt.lib.7.cap.31.Cedren. & Zonaras poſt Metaphraſten.in vita Sylueſtri, qui omnino Actis Sylueſtri concordat.Baronius Spondan. & cæteri. Abbreuiatores Baronij ad annum 324. Ciaconius in Sylueſtro. Affirmat François du Chaiſne in Hiſtoria Paparum dicata Emin. Principi Cardinali de Rais.Henriq.in ſum.lib.2. de Bapt.c.4. intextu & notis.

Gregor. Turon.

Hugo Victor.

S.Antoninus.

Lepra ſupplicium.

Huic tantę moli authoritatis, quæ ab initio rei ducta per continentem ad nos vſque ſeriem deuenit,nimis certè durus eſt,qui reſiſtat: cum præſertim difficultates obiectæ minoris ſint,quàm vt poſſint fidei narrationis opponi. Vt lepra naturalis eſſet,nihil obſtaret, quominus ea Conſtantinus inficeretur,quòd inflicta in ſupplicium fuit:hoc ſanè hiſtorię perſuadent, ex quibus conſtat: ſæpè in ſupplicium ob malefacta immiſſam. Maria ſoror Moyſi, & Rex Ozias exemplo ſint in ſacris litteris.Hircanus Rex Aethiopum,& Eunomius & Froyla in prophanis. Ille quòd voluit Iphigeniam virginem Deo dicatam ad nuptias cogere, & Parthenonem, vbi

ſe

ſe incluſerat incendere lepra eſt correptus. Hic, quòd cum Pręſul eſſet Cyzicenus Valente Imperatore, & Arianam hæreſim tueretur, & Catholicos inſectaretur lepra percuſſus ſuæ impietatis pœnas luit. Tertius quòd Fratris Ordonij liberos iure Regni ſpoliauit, illudque in ſe tranſtulit lepram incurrit. Quid ergo mirum, ſi eadem Conſtantinus Idololatra, & Chriſtianæ Religionis perſecutor percuſſus fuit, vt à perſecutione deſiſteret, & ad fidem perduceretur? Atque vti lepræ *Leproſi baptiſmo ſanati.* morbi cauſa Idololatria, ita & ſanitatis Baptiſmus fuit. Athaulphus adoleſcens Ethnicus leproſus à S. Marco aqua luſtrali tinctus lepram depoſuit. S. Gaugericus Abbas baptiſmo leproſum curauit. Ad S. Arnulphum Epiſcopum Metenſem, cum leproſus gentilis veniſſet, cęleſti accepto lauacro morbo ereptus eſt. Eiuſdemmodi euenta in Eccleſiaſticis hiſtorijs paſſim occurrunt. Hæc à me hic coniuncta, & expoſita ſi legerent illi ſcriptores, qui negarunt, à ſua opinor opinione recederent, & qui deinceps legant non dubito, quin ſine hæſitatione noſtram, quę communis eſt, ſententiam amplectantur. Et quidem de Baptiſmo Edicto, & Donatione Conſtantini hactenus.

VINDI-

VINDICIA OCTAVA.

DE OSCVLATIONE PEDVM,

Geſtatione Crucis in pedibus, deque ſtratorio Regum Catholicorum officio erga Pontifices Romanos.

Præſatio cum adducta Heterodoxorum calumnia.

IMPATIENTER hunc ſacrum, & pium morem ferunt Heterodoxi, ac vehementer impugnant. Memini Londini cum ad Diui Pauli ambularem Academicos duos Oxonienſem vnum, Cantabrigienſem alterum: poſtquam multa deblateraſſent, quæ & retorquebam, & taxabam, ad ſannas, & geſticulationes conuerſos, adductis ſupercilijs, obliquatis oculis, caperata fronte, ore diſtoro, fracto in ſiniſtra ilia corpore, concrepantibus ad vocem tinnulam digitis, ita eam conſuetudinem irridere. *At vos ô ſuperi, qui in cælo eſtis, & humanum regitis; an reijcitis? genus: fertis Pontifices Romanos ſupra hominum capita elatos pedes in adorantium ora ingerere, & oſcula exigere, & quod amoris, & fidei ſignum eſt, eo ſordidis, & infimis plantis impreſſo ad contemptum ludibriumque abire? Itane? Suauia, queis nihil eſt ſuauius, per quæ partem animi amicis cum halitu impendimus, in deformes ritus detorqueantur? Hoc deerat vnum ud Pontificiam cupidinem explendam, vt ipſorum Sandalia baſijs concreparent?* Et puræ ſe-

tamen

tamen ſponſæ Eccleſiæ capita arroganter appellant: cum nullo magis ea vitio, quàm impudentia inquinetur. Quid autem tam impudens, quàm coronatos Reges, & diadematos Imperatores ad oſcula cogere? eiſi inuiti accedant, eos refractarios, rebelleſque vocare, & interdum genibus aduolutos proſternere, & impoſito ceruicibus pede violentiùs premere, & capita calcare, & tumida inſultare voce: Super aſpidum, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem? Cum inſigni maieſtatis iniuria, dolore modeſtiæ, gemitu ſcripturarum. Quid? quod hac dira oſculorum libidine ipſam, quàm imprimis profitentur, Religionem corrumpunt. Nihil apud eos Cruce religioſius colitur. Supra caput attollunt, adorant, pro numine habent. Eam nihilominus ſibi inſolenter ſubijciunt, pedibus affigunt, & Chriſtum cum ea in aluta crucifigunt. Suæ Crucis contemptores, & Chriſti tortores, ſuper ipſam quoque volunt ambulare, vt ſublimiùs, vel per Crucis ruinam aſcendant. Piaculo vertunt, ſi quis humi Crucem pingat: cum eam Pontificis affigunt calceis, pietati tribuunt. Nos eos ſuperſtitioſos adorando Crucem dicimus: cùm eam adoratam ad pedes Paparam abijciunt, impios vocamus. Aut non adoranda Crux erat, aut ſi adoranda, minimè abijcienda. Ingenioſè inſolentes ſunt; cùm ſciant à Romanis adorari Crucem, cum maximè adorari volunt, Crucem aſſumunt, vt cum nemo ei cultum neget, & omnes ad oſcula ruant, & per Crucem eum qui illam gerant, adorent. O egregiam pietatem! Religionem alienam in propriam gloriam vertere, & ignominia Crucem, per quam honorantur, afficere! Sed eos quì pudeat, qui non contenti colla Imperatorum, Regumq; calcare, illos ad vile, & abiectum ſtratorum officium adigunt. Si quando ad Petri veniant, Religionis, aut coronationis, aut negotij ergò, tenentur lege Pontificia aperto capite pedites incedere, equum Papalem tenere, aſcendenti præſto eſſe, ſtapedem ſubijcere, pedem inducere, freno apprehenſum deducere, & tantùm non exclamare. Sic honoratur, quem Deus voluerit honorare. Quò quid inſolentius Pontifices agere, quid deformius pati Principes poſſunt?

Oſcula ſacra taxantur.

Pſal. 90.

Crucis geſtatio in calceis vituperatur.

Stratorium Regum obſequium irridetur.

Eſth. 6.

SVPERIORIS CALVMNIÆ DEPVLSIO.

CAPVT PRIMVM, RESPONSIONIS.

NON *qui amant ipſi ſoli ſibi ſomnia fingunt*. Fingunt etiam, qui oderunt, & quicquid illi excogitant ad propriam voluptatem, hi ad alienam perniciem meditantur. Magna vis eſt in vtramque partem voluntatis, vt quem ames, ne vera quidem in eo vitia deprehendas, quem oderis, veras eius virtutes in vitia conuertas. Quare vti præclarè Chryſologus dixit. *Delicta non videt vis amoris*: ita non minus prȩclarè: *Delicta imputat vis odij*, dicere poterat. Equidem haud ego in Anglis, aliiſque Heterodoxis, vel ingenium, vel eruditionem, vel doctrinam, ſed amorem deſidero: adeò vt cum ipſis diſputans oratorios magis aculeos ſoleam, quàm dialecticas argumentationes adhibere, quòd comperi eos non tam à nobis Catholicis mente diſcrepare, quàm affectu ſeiungi. Quare ſi voluntates conciliare poſſem, non opus eſſet rationes adducere. Ipſi me iuuarent iiſdem argumentis, quæ magnoperè ſtudent confutare. Docti ſunt, eruditi ſunt, valent ingenio, pollent iudicio, callent ſcripturas, terunt Patres, norunt Concilia, *non tam auerſus equos ſuperum Sol iungit ab Anglis*, vt clauſam in iis veritatem infuſa luce non detegat: ſed vna tantum deeſt voluntas, quæ cum à veritate auerſa ſit, oculos quoque mentis auertit. Aptiſſimè quidem nos docet Theologia; cùm Fides in intellectu conſiſtat, ac ipſe habitus, & actus credentis ſit, oportere motum in nobis piæ, ſic vocant, affectionis præcedere, qui fiat in voluntate, perinde ac ipſa ſit virtus ſtimuluſque credendi, quæ ſi abeſſet, ne illa quidem in mente Fides exiſteret. Amore igitur prius nitendum eſt, deinde iudicio: adeò vt in rebus naturæ prius ſit intelligere, quàm amare; in re Fidei prius ſit amare,

Chryſ.

Amoris, & odij vis.

Virgil. Aeneid.

Pia affectio Fidei Dux.

ſit amare, quàm credere. Itaque gratia nobis à Deo poſtulanda eſt, cùm ad diſputandum, vel ſcribendum aduerſus Heterodoxos accedimus, qua eorum voluntates piè ad nos audiendos, vel legendos moueantur. Id ego cum egerim, rationes adhibeo, & obiecta refuto.

Extenuatio calumniæ. Prępoſterè *Audaciam Pontificum vocant, quam pietatem Regum* dicere debēt, qui genus illud officij, Regijs tributum perſonis, Pontificibus deferre maluerunt. Exquo apparet quàm & inepta ſit, & iniuſta audacię illa obiectio. Nam neque pedum oſculum inſolens fuit, & ſępè antea fuit vſitatum, & ipſorumqui accipiebant, conſenſu, & voluntate Regum, Pontificibus delatum. *A conſuetudine probana.* Primùm deorum ſtatuis id honoris habitum conſtat. *Oſculandi ſtatuas deorum.* Cicero Prud. Authore Cicerone orat. 2. in Verrem. & Prudentio in Apotheoſi, qui adorantes

Soleas Iunonis lambere, plantis
Herculis aduolui

ſolere ſcribit. Immò & animalium ſimulachris, quæ ſtatuis Idem. adhærebant, eodem teſte Prudentio lib. 1. contra Symmachum. *Pedes Regū Barbarorum.*

Et oſcula figit
Cruribus æripedum (ſi fas eſt credere) equorum.

Hunc homines cultum poſtea ad ſuas imagines retulerunt: quin & ſibi vendicarunt, qui rerum ſummam tenebant. Perſarum, Parthorumque Reges primos pedum oſcula exegiſſe, tradit Xenophon lib. 8. & Plutarchus, & in Themiſtocle, & Xenop. Plutar. Mart. in Alcibiade, & l. de Fortuna Alexandri, & Martialis lib. 10. Epigrammatum cuius eſt illud.

Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humileſque, ſuppliceſque
Fictorum ſola baſiate Regum.

Quem locum etſi corruptum adducit Pineda in Præuio Salo- Pineda. mone lib. 6. cap. 20. & morem agnoſcit, probatque ex Keraldo. Romanorum Imperatorum quidam hoc ſibi arrogarunt. Dio. Nam C. Caligula Dione teſte *adorari ſe inſtituit vt Deum*. Idem Pompeio Pœno abſoluto, gratiaſque agenti porrexit *Imperatorū Romanorū.* ad oſculandum *ſiniſtrum pedem auro, & margaritis ornatum, cum ſuos pigros*, ideſt *tardos pedes*, vt ait Seneca lib. 2. de Benefic. Seneca. cap. 12. *in os Senatoris ingeſſiſſet*. Eundem tradit Zonaras libro 2. Senatoribus aut manum, aut pedem porrexiſſe. Domitiani, ſupplices *Attritis miſerabiles Labellis*, teſte Martiali,

pedibus inhęrebant. Maximinus Iunior, Capitolino authore, genua, ac interdum pedes ſuorum oſculis admouebat. Quod ipſum poſt triumphum de Perſis actum Diocletianus vſurpauit, ac in legem vertit; cuius vt inuidiam extingueret aurum & argentum calceis obduxit. Potuerunt hæc ex arrogantia proficiſci. Id certè à pietate profectum. Apud Suetonium: *Milites manus & pedes iacentis Othonis oſculati ſunt.* Suetón.

In vita Proæreſij. Nec quod Eunapius in vita Proæreſij narrat de priuato homine Proæreſio inſolentiæ tribui poteſt: *homines ad eius pectus lambendum, vt fieri ſolebat Imaginibus, acceſſiſſe, aut ad pedes, & manus corruiſſe*, nec quod de Traiano Imperatore Zonaras l.2. Zonar.

Traiani. ſcribit: paſſum ſe *à Decebalo Dacorum Rege ad pedes procumbente* adorari. Immò & id moris fuiſſe exemplo Imperatorum plurium conſtat: eoque inducto Beliſarius Gelimerium Regem victum ad Iuſtiniani pedes amplectendos, & oſculandos

Iuſtiniani. hortatur apud Zonaram: *Quod moris*, inquit, *eſſet ita adorari Imperatorem Romanorum.* Ad cuius etiam, vt conſuetudinem facto firmaret, Beliſarius ipſe pedes procubuit. Non ego quo animo Imperatores id, ſed an egerint, expendo, ac inſolentiam vſu remoueo, vt audaciæ crimen depellam. Scio An-

Cuſpiniani impoſtura. glos cum Cuſpiniano execrari factum, & à Diocletiano in Cuſpin. conſuetudinem inductum nobis obijcere, ceu nos ab eo accepérimus, & ad Romanos Pontifices traduxerimus. Mirum, quòd à truci, & immani Chriſtiani nominis hoſte rem tantam mutuati ſumus verùm vt id fateamur, animum ne etiam mutuati? Cur non aut Traiani, aut Iuſtiniani, aut aliorum, qui citra faſtum egerunt, imitati ſumus? Non ſatis eſt ijs perſonam nobis Diocletiani imponere, niſi & ſuperbiam attribuant. An quicquid eſt a Diocletiano actum, tur-

Depulſio. pe id & fædum fuit? Ergo quòd Imperio ſe abdicauit, & in ordinem redegit, & priuatus vixit, vituperandus eſt? Ac qui poſtea Clariſſimi Principes Imperio renuntiarunt, ſeque Chriſto conſecrarunt, & Diocletianum ſunt ſecuti, ij fædo ſe crimine deturparunt? Peruersè argumentantur.

Ego longè melius argumentor: ex ſacra doctrina Eccleſiam Catholicam morem illum deduxiſſe, eumque non mo-

A ſacris inſtitutis. do honeſtum, ſed etiam neceſſarium ad implendam Prophetiarum fidem fuiſſe. Ad has prouoco, & reuoco Anglos, qui ſe & amantes, & ſcientes Scripturarum iactant. Reſpondeant, quò pertineat illud vaticinium Iſaię cap.49.num.23.

Erunt

Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ; vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent? An non ad Eccleſiam? Negant. At Patres affirmant. Audiant
Proc.16 vnius ore Procopij Gazæi, quid ij ſentiant. *Nutritios Reges, & Reginas nutrices fore Propheta ſignificat, immò & ipſa gentium imperia nutritiorum more Eccleſiæ ſubſeruitura. Vehemens quoque ſolicitudo nutricum gloriam conciliat, qui genuflexo in Eccleſia frontem terræ allidunt, puluerem delingere geſtientes,* & illud Pſal.71.
Euſeb. Pſalm. *Inimici eius terram lingent.* Quo item ſenſu Euſebius in Græca Catena verba illa Pſalmi interpretatur. *Et adorabunt eum*
Iſaia. *omnes pingues terræ.* Præterea ſententiam illam cap.60.Iſaiæ. *Et venient ad te curui Filij eorum, qui humiliauerunt te, & adora-*
S. Proſper. *bunt veſtigia pedum tuorum,* Sanctus Proſper de Regibus alie-
Auguſt. Cyrill. nis, & inimicis, ad fidem poſtea conuerſis cum Magiſtro Au-
Hier. guſtino interpretatur. Eadem Cyrilli mens lib.5. in Iſaiam Conſentit Hieronymus, & rem totam præclarè exponit lib. Pſalmus 98.
14.Iſaia. *Omnis ætas, ſexus, & dignitas adorabunt Sion propter eum, qui habitat in ea. Si enim caput Eccleſiæ Chriſtus eſt, caput adoratur in corpore, etſi ad quoſdam dicitur. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius, non quò ſcabellum adorandum eſſet, ſed quò maieſtas pedum eius indicaretur, cur non adoratur Eccleſia, quæ totum Chriſti corpus amplectitur? vt im-* Sophon. c. 2.
pleatur illud Sophoniæ. Adorabunt illum ſinguli de loco ſuo. Hoc ſacrum inſtitutum more Perſarum, Pathorumque Regum
Pineda. confirmat Pineda in Salom. lib.6. cap.20. adductis complu-
Briſſon. rium authorum teſtimonijs, citato inſuper Briſſonio, quò Anglos remiſero. At, vti ſunt acuti Angli, obſeruant, & obijciunt, non Papam, ſed Eccleſiam eſſe, hac ratione ado- Obiectio.
randam. Quibus ego repono. Ipſos, cùm hanc rationem adorandi reijciant, in huiuſmodi Eccleſia non eſſe in qua ea recipitur: nec enim ego illos vnquam vidi in Templis ſuis proſtratos, terram aut oſculantes, aut lingentes. Sed ſcio Templa eorum ad Eccleſiam Catholicam minimè pertinere. Noſter hic mos eſt, qui ſæpè in terram procumbimus, Refutatio.
eamque oſculamur. Quòd ſi terræ oſcula cùm damus veneramur Eccleſiam corpus Chriſti, cur cùm Pontificis oſculamur pedes, non eandem Eccleſiam veneremur? nolunt Angli, & terram illius pedibus præponunt. Nimirum pudeat eos tantam iniuriam humanis pedibus facere, animatis certè, & viuis, vt quod informi ac brutæ terræ conceditur, dene-

nega-

negetur pedibus. Sed eos cum Papæ ſint, infra terram nolunt eſſe; quòd velint illum ad Erebum amandari: nec in eo pedes, caputue agnoſcunt: nempe in eo corpore, vbi Papa eſt, non ſunt.

Catholici moris confirmatio.

Verum ne me tergiuerſari exiſtiment, & elabi, volo rectà & ſolidè reſpondere. Non de Eccleſia tota, hoc eſt de ipſo corpore, Iſaias dumtaxat vaticinatur, ſed de ipſius, etiam capite, ideſt, quem nullatenus volunt, Papà. Perſpicuè dico. Vador eos ad Prophetæ Tribunal cap. 26. vbi ſic. *Ciuitatem ſublimem humiliabit: Humiliabit eam vſque ad terram: detrahet eam vſque puluerem. Conculcabit eam pes: Pes pauperis, greſſus egenorum*: His verbis, opinor, non Eccleſia tota, ſed membra deſignantur: ac ex ijs maximè caput ex membris electum. Ecquis enim ille pauper ſolitariè poſitus niſi Petrus? qui ne in cæteris numeraretur ſeorſim ſumitur, reliquis in turbam coniectis. *Greſſus egenorum*. Et quidem grauem huius ſententiæ authorem habeo Galatinum lib. 4. de Arcanis Cathol. verit. cap. 27. *Tum pes pauperis, ideſt Regis Meſſiæ Romam, atque Italiam humiliauit, cum ſublimitas Romani Imperij cælum penè tangens iugo Chriſtianæ fidei humiliter collum ſubmiſit, vſque ad pauperum, & humilium Chriſti Vices gerentium pedum oſcula*. En author vulgò Hebræus, ac ex Hebręo Chriſtianus, Prophetæ ſuæ gentis locum de Papa Romano interpretatur. Secutus Rabbi Salomonis præiudicium, qui de Iſraelitis, ideſt, Meſſia eiuſque ſucceſſoribus intellexerat. Satis erat ad eos conuincendos loci ipſius, vti à me expenſa & expoſita eſt ſententia, ita enim ij facere ſolent, cùm ſcripturas exponunt: ſed volo momenta authoritatis adhibere more catholico, & quidem maximum pondus affero ex ſummo authore Auguſtino, qui ſerm. 25. tom. 10. ſic in rem noſtram. *Itaque quis*, inquit, *iam deſperet de magnitudine criminis, aut de humilitate generis? Nam Beatum Petrum Piſcatorem, modò genibus prouolutis adorat multitudo credentium*. Reddit aptiſſimè ſenſum Iſaiæ. De hoc enim paupere loquebatur. At ne ſubterfugiant, vti ſolent, intelligendo in Petro Eccleſiam, aut negando ſermonem Auguſtini eſſe; audiant hunc clariſſimè de perſona Petri, qui Romæ caput Eccleſiæ conſtituit, indubitato loco tom. 2. Epiſtolarum Epiſtol. 42. dicentem. *Imperij nobiliſſimi Ementiſſimum culmen, nunc videtur ad ſepulturam Piſcatoris Petri ſubmiſſo Diademate ſupplicare*. Quid hic.

A locis Scripturæ. — *Ab authoritate Auguſtini.* — August

An-

Angli reponant, non video? Auguſtinus de Petro affirmat, quod ij nobis hodie negant; Pudeat nunc inſectari Reges, qui ſe ad Pontifices Petri perſonam gerentis pedes abijciunt, cùm Auguſtini tempore Imperatores diademata capita illius vrnæ ſubmiſerint. Paulò antiquior eſt Auguſtino Chryſoſtomus, & Græcus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, addit tamen calculum huic ſententiæ, eamque authoritate confirmat tom.5.orat.contra gentes. *Romæ, quæ Vrbium eſt regaliſſima, relictis omnibus ad ſepulchra Piſcatoris, & Pellionis currunt Reges, & Præſides, & Milites:* non ad eruenda oſſa, & proijciendos cineres; ſed ad illa adoranda, hos colendos: contra quàm vos facitis, qui ſanctorum reliquias corporum effoditis, & monumenta conuellitis: haud dubiè idem Romæ facturi, ſi eam armis occupare poſſetis. Ad vetus tamen latibulum fugiunt negantes oſcula pedibus imprimi licere: nulloque id exemplo fieri. Effugiunt certè. Conſiſtant. Exempla reperient. Dederam præcedenti capite: quædam addo alia. Cæcus ille eloquens ad Siloë videns, *Procidens adorauit Ieſum.* Ita interpretante Nonno, quem ob inopiam Græci Latinè reddimus.

Chryſ.

Ioan.cap.9.

Nonnus

Caput terræ admouens
Et pedibus ambroſijs curuatam ceruicem flectens.
Nitidum tarſum amplexus eſt calceorum.

Certè qui amplectebatur, is oſculari non deſineret, nam quæ mulieres. *Reſurgentis Domini pedes tenuerunt, de ijs,* inquit, in veteri hymno Eccleſia. *Oſculantur pedes Domini.* Ex hiſtorijs Eccleſiaſticis conſtat ad pedes Apoſtolorum ſæpè ſe homines abieciſſe, vnde deduci rectè poteſt, & oſcula obtuliſſe. Ita de Clemente Romano, & Stephano Lemouicentium Duce erga Petrum. Ita de Soſtrate Corinthio, de Proconſule Amaſeæ erga Andream: ita de Hermogene, & Ioſia erga Iacobum. Ita de Cratone, & Ariſtodemo erga Ioannem eorum acta commemorant. Quid? quòd Martini antiqui Epiſcopi pedes, authore Sulpitio, Valentinianum Imperatorem oſculatum fuiſſe accepimus? quod pietatis genus Fortunatus Presbyter verſibus celebrauit. Nicolai Mirenſis Epiſcopi longè Martino antiquiòris pedibus oſcula impreſſiſſe pauperum illum trium Virginum Patrem, cuius in domium magnam ille vim auri coniecerat, memoriæ prodidit Metaphraſtes. Heroici temporis exempla profero. Anaſtaſius

Matth. c.28.
Hymn.Eccleſ.

Barôn.
Surius.
In eorú Actis.

Ab exemplis.

Sulp.l.1.
Fortun.
lib.3.

Valentiniani erga S.Martinum.

Metaph.
cap.6.

ſius Sancti Baſilij pedes amplexus, & oſculatus eodem Metaphraſte authore. Quin Heros ille Sacer Antonius Eremitarum Pater teſte altero Heroe Athanaſio oſculatione pedum colebatur. Eamdem Epiphanij pedibus vulgò delatam affirmat Hieronymus Epiſtola ad Pammach. 61. nec illis tamen ea Religio religioni fuiſſe traditur: nec ob id eos ſuperbiæ, ac tumoris appellatos legimus. Ni hoc ad cultum Religioſum pertineret, non prociderent, opinor, ad pedes Poſthumiani Viri Sanctiſſimi Sulpitius, & Gallus, *eoſque exoſculati eſſent*, ita referente eodem Sulpitio in Dialogis. Cuius rei tot ſunt in Annalibus Eccleſiaſticis exempla, vt qui ea non videat, illos minimè vidiſſe, videatur. Sed quod in conſuetudinem iſta oſculandi Religio tranſierit, indignantur. Ego vero fortius eſſe exiſtimo Religionis, quàm conſuetudinis vinculum. Illa verò ligauit animos Catholicorum, qui priſca illa ætate propius à cæleſti numine afflabantur. Ab ijs nos per manus traditam accepimus, & retinuimus. Angli antiqui acceperunt, noui reiecerunt. Vtri iure? Pietas iudicet. Antiquis, Eccleſia tota fauet, & vetuſtas ſuffragatur. Altiùs rem indagandæ veritatis ſtudio repetamus. *Ordo Romanus*, ideſt formula ſacrarum cæremoniarum ſatis antiquus, cùm ante Gelaſium Papam, & ſcriptus, & editus fuerit, ita conſtituit: *Diaconus oſculans pedes Pontificis, petitaque benedictione venit ad altare*. Ecce non Laicus quiuis, ſed Sacer ac Presbytero proximus Pontificis pedes oſculatur. Et alibi: *Deinde Diaconus oſculatur pedes Pontificis, & tacitè dicit Pontifex: Dominus ſit in corde tuo*. Tam ſacros illos pedes eſſe Religioſa illa putabat ætas, vt in ſacris ipſis à Sacerdotibus ijs tantùm cultus præſtaretur. Non fert illa ſuauia durus Heterodoxorum ſtomachus: illos pedes faſtidit, quòd nimium ſit delicatus: nec ſua baſia committunt, niſi labijs mollioribus Roſa, vnde voluptatis ſuccum exugant: & vnde pruritui libidinis crepitus laſciuus reſpondeat. Quod ſi etiam genis impendunt, & roſarum ibi veſtigia vident, & in vicinia labrorum luxuriant, & impreſſa ſuis item genis baſia virguncularum ſentiunt. Mercedem oſculandi quærunt in oſculo alieno; tanti oſculum faciunt, vt ſolitarium ponere nolint: fœnus exigunt. Vnum miror, quomodò cùm perdere ſe putent oſcula in pedibus Pontificum, ea collocent in ſandalijs amicularum? Summi profectò amatores ſunt: quæſtum amoris

Anaſtaſij erga Baſilium. *Oſculatio pedum Antonij.* *Epiphanij.* *Poſthumiani.* *A pietate.* *A formula ſacra.* *Pungantur Angli Heterodoxi.*

Idem in vita eiuſd. In vita Antonij Athan. Hieron. Sulpic. Ordo Rom.

ris duntaxat faciunt, eoque ſunt lucro contenti. Procul abſunt ab Ageſilao modeſtiſſimo Rege infra Heroum tempus Heroe, qui bella ſuauia, amara ducebat. Id nimirum ab Henrico VIII. didicerunt, qui ex quo Annam Bolenam ſuauiatus eſt, cæpit oſcula iſta Pontificiorum pedum faſtidire. Aliter ille ſe geſſerat anteà, cum vir & acer, & bellicoſus erat, & Achillem in acie imitatus, Eccleſiam Romanam aduerſus Lutherum defendebat. Poſtea in gynæceum recluſus, cùm ſe fregiſſet in fœminam, Deidamiam, & Briſeidem adamaſſet, eaſque baſijs petulanter impreſſiſſet, Catholicæ Eccleſiæ inſtitutum violauit. Nec Vlyſſes fuit, qui obiecto, aut ſpeculo laſciuientem refutaret, aut clypeo ad virilem habitum reuocaret. Puderet nos, ſi aut ille adhuc vir oſcula Pontificia damnaret, aut ſemiuir approbaret. *Henr. VIII. ſugillatur.*

Digna ſunt viris Principibus, quæ Paparum pedibus oſcula imprimuntur. Hac ratione *Scabellum pedum Chriſti* adoratur. Ita *I*nnocentius Papa *III*. lib.2. myſter. Miſſæ cap.37. loquens de adoratione pedum à Diacono, & Subdiacono facienda. *Non manus*, inquit, *ſed pedes Romani Pontificis oſculantur, vt Summo Pontifici ſummam exhibeant reuerentiam, & eum illius oſtendant eſſe Vicarium, cuius pedes oſculatur mulier illa, quæ erat in Ciuitate peccatrix. Adorandum eſt enim ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt, cuius pedes tenentes mulieres reſurgentem à mortuis adorauerunt*. Concinit ſibi cap. 30. eiuſdem libri. Excipiunt tamen Angli; Papam eum, nec idoneum teſtem eſſe. Nos excipimus: eos hoſtes: nec hoſtium calumniam eſſe curandam: nihilominus morem gerimus ijs allato Græco authore, quem non improbent, is eſt Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus Epiſtola 7. ad Pontificem Nicolaum I. Stemus eius authoritate. *I*gitur ille ſic: *Oportet à veſtra omnibus quàm gratiſſima ſanctitate optimum ordinem Eccleſiaſticum vbique ſeruari, & Canonum rectitudinem cuſtodiri, ne aliqui hinc ſine litteris commendatitijs ad Eccleſiam Romanam accedentes familiariter ſuſcipiantur, neue ſub hoſpitalitatis ſpecie inimicitiarum ſemina diffundant. Quod ſi quilibet noſtrum ad tuam Paternam beatitudinem proficiſci, & tuis venerabilium pedum veſtigijs frui voluerit, mihi quàm maximè iucundum erit*. Haud dubiè amabat, & colebat Pontificios pedes, nec ijs oſcula inuiderat, immò & illa deſiderabat: niſi enim deſideraſſet, *frui* non diceret: Hac autem phraſi dulcia eſſe ſuauia ſignificat: *Pedum oſcula defenduntur.* *Angli carpũtur cũ Beza.*

ſed Anglis non perſuadebit aſſuetis non iuuencorum coria dura, ſed blandas iuuencularum carnes baſiare, & cum Beza candidulas virgines quærere, quas ſuauientur.

Sed quoniam Anglorum ora ad oſcula pedum Pontificiorum applicare non poſſumus: oculos eorum illuſtribus exemplis Imperatorum, Regumque ad illa oſcula ruentium configamus. Ex quo illi obiter doceantur huiuſmodi cultum, non aut inſolentem eſſe, aut nouum, ſed vſitatum, & priſcum: in quo vituperando inſolentiores ſunt Angli, quàm Pontifices in recipiendo. Igitur anno 250. Authore Nicephoro lib. 5. cap. 25. Philippus I. Imperator ante pedes Fabiani ſe Papæ proſtrauit, & anno 523. Iuſtinus Senior Ioannis Pontificis ad ſe à Theodorico Rege miſſi pedes venerabundus oſculo excepit. Iuſtinianus II. anno 710. ingreſſum Conſtantinopolim Conſtantinum Papam eodem oſculi pio officio coli iuſſit à Filio, & ipſe poſtea Nicomediæ coluit. Carolum illum Magnum domita Europa triumphatorem Chriſtiana pietas ad Adriani genua abiecit; & qui ſuperbos Principes mordere humum coegerat, eum labijs Pontificios pedes premere compulit. Ludouici Pij paterna Religio animum imbuit, vt Stephani V. Pontificis pedibus ſe ter aduolueret, eoſque oſculis impreſſis ſigillaret. Ludouicus alter Cęſar, & Lotharij Filius Romam profectus Sergio II. Pontifici idem fidei, & obedientiæ oſculum reddidit. Id alij Ludouici, id Lotharij, id Caroli, id Henrici, id Otthones, id Conradi, id Arnulphi, id Roberti, id Rodulphi, id Sigiſmundi, id Ferdinandi, vel per ſe, vel per Legatos ſuos ſuſcepto pietatis ſtudio fecerunt. Hinc in eorum Epiſtolis ſolemnis formula, *Pedum oſcula Beatorum*. Nam quid ego Reges commemorem qui ad Pontificum ima veſtigia proiecerunt ſublimes Apices coronarum? Excutiant veterum Annalium monumenta: docti ſunt: quot Regum Romæ, quot Pontificum in externis Regnis veſtigia viderint, tot huiuſce Religionis ſigna impreſſa videbunt. Horum Dux eſto Pipinus Stephani II. in Gallijs pedes amplexus, & oſculatus. Sequatur Ludouicus Balbus Io: VIII. Lugduni cultu proſecutus. Accedat Philippus cum Ludouico Filio qui Alexandrum III. Papam pari honore intra Galliam affecerunt: Ac ipſe poſtea Ludouicus eumdem Pontificem repetito oſculo excepit. Fuit huius Religionis theatrum Gallia, in qua Lugdunum vidit tres vna

Exemplorum vi obruitur.

Regum.

Re-

Reges ad vnius Pontificis pedes procumbere, eoſque oſculis fatigare: is fuit Clemens V. ij Philippus Franciæ, Edouardus Angliæ, Iacobus Aragoniæ fuerunt. Tranſijt in Siciliam Religio, in qua Rogerius Innocentij, Guilielmus Adriani pedes oſculati. Omnem denique Europam peruagata eſt, in qua quot coronæ eminent Catholicæ, tot ſigna extant erumpentis in pedum oſcula pietatis: quam quòd pauciores Romam venerunt per Legatos ſuos monſtrarunt: ac idcircò nos exemplis abſtinemus. Certè de Hiſpania, & Luſitania nemo poterit, qui Reges eos norit, ambigere: nec Anglia, etſi remotior ſitu, ab hac fuit pietate alienior. Conſulant tabularia, & ſcrinia ſua, inuenient antiquas Regum ſuorum, vel fugientibus prę vetuſtate litteris Epiſtolas ea formula ad Pontifices Romanos datas. Sed vereor, ne vti aras, & ſacraria odio Catholicæ Eccleſiæ euerterunt, ita & veneranda illa antiquitatis monumenta, odio Papæ incenderint. At illud non poterunt, Hiſtorias noſtras, quæ Regiæ pietatis teſtes ſunt, abolere. Et quanquam Dolenſe Monaſterium perierit, extat tamen apud nobiles Annalium authores monumentum Alexandri Pontificis III. cuius in eo Monaſterio pedes Henricus Rex Angliæ fuit exoſculatus. Quin & amæna Ligeris Fluuij ripa in arborum ſuarum truncis eius diei memoriam inciſam retinet, qua die Henricus Anglorum, & Ludouicus Francorum Rex *eundem Alexandrum Papam honore congruo ſuſceperunt, & vſi officio ſtratoris pedites dextra læuaque frenum equi ipſius tenentes, eum vſque ad præparatum papilionem perduxerunt*. Idoneo teſte Sigeberto. Quod ſi Henricus VIII. poſt conſtupratam Bolenam id officij, & ſcripti prorſus damnauit, à ſeipſo certè, cùm caſtus erat, defecit, & cum pudicitia pudorem quoque abiecit. Nec mirum qui frontem depoſuerat, illum caput ſuum, ideſt Romanum Pontificem, perdidiſſe. Sed bene eſt, quòd cum oſcula impuræ fœminæ dedit, tunc ea puræ Chriſti Eccleſiæ negauit: dum priſci æui mores retinuit, conſuetudinem priſcam ſeruauit: vbi exuit, nouitatem inuexit: malueruntque Angli peruerſi, & labentis inſolentiam, quàm officium recti ſtantiſque imitari. Cuius tamen Henrici perfidiam Franciſcus I. clariſſimus Galliarum Rex edito inſigni Religioſæ pietatis exemplo refutauit. Nam cùm eum Maſſiliæ Clemens VII. Pontifex Maximus conueniſſet, eſſentque apud eum Angli Legati, qui cum Re-

Sancta cõſuetudo.

Sui Angli hiſtorijs confutantur.

Sua Henrico VIII. impietas probo datur.

Paulus Aemil.

ge Henrico à Romana Sede Eccleſiaque defecerant, Rex palàm ex maiorum ſuorum inſtituto Clementi obuiam prodiens, coram eo procubuit, & geniculatus pedibus oſculum ſolemne impreſſit: cùmque Legati Angli indignarentur, & furerent, ſeuerè ſunt à pio Rege cohibiti, qui occaſione arrepta, in eos impietatem retorſit, & nuntiare Regi Henrico iuſſit: *Si ob eam rem fœdus initum vellet rumpere, paratum eſſe ſe & bellum ſuſcipere, & ſtrenuè gerere, & libenter in eo vitam profundere.*

Oſculorum mos in Religionem tranſijt.

Egit hic conſenſus Imperatorum, ac Regum, vt mos qui à pietate in Chriſtum, eiuſque Vicarium initium duxerat, in Religionem tranſiret; vinculumque induceret. Nec id ſibi ob ſuperbiam Papæ arrogarunt; ſed ad Chriſti gloriam retulerunt, eaque Sedem Romanam prærogatiua decorare voluerunt. Tantùmque valuit Chriſtiana Religio, vt in legem pius hic vſus tranſierit. Sic enim in libro Rituum Sacrorum habetur lib. 3. ſect. 1. cap. 3. *Omnes mortales, & præſertim Chriſti fideles cuiuſcumq; ſint dignitatis cum primum inconſpectum Pontificis aduenerint diſtantibus ſpatijs debent ter ante illum genufle-ctere, & in honorem Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti, cuius vices in terris gerit, eius pedes oſculari.* Quare Gregorius VII. Pontifex Sanctiſſimus, & Romanę dignitatis aſſertor maximus, cum multa ornamenta Apoſtolicæ Sedis in litteras retuliſſet, nono loco huiuſmodi oſculationem pedum collocauit. Ita in lib. 2. Regeſti habetur. *Quòd ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur.* Cui nemo eorum qui tunc, aut poſtea piè vixere Principum refragari eſt auſus: quòd nemo erat quin mallet Chriſto eum honorem religioſè tribuere, quàm impiè denegare. Sed Henricus VIII. hoc priuilegium antiquauit. Sanè in Anglia; ſed cùm ei antiquiſſimum fuit nouitati ſtudere, & matrimonij iura conuellere. Secutus eſt Henricum Edouardus, Eliſabetha, & Reges alij duo; ſed propterea fortè defecerunt, quia ab huiuſmodi religioſo officio receſſerunt; à quo cum receſſiſſent continere in officios ſuos minimè potuerunt. Ac vt Henrico Henricum opponam. Magnus ille IV. Galliæ Chriſtianiſſimus, cum parto ſibi virtute Regno hæreſim, quam Anglus deſerta Fide receperat, eiuraſſet, nihil antiquius habuit, quàm laureatum, coronatumque caput Clementi VIII. Pontifici ſubmittere. Quod cùm præſens facere nonpoſſet, Legatos ad id Perronium, & Oſſa-

Liber ſacrorum Rituum.

Gregor. VII.

Henrico, & ſucceſſoribus Heterodoxis dua impingitur.

tum

tum tunc Antiſtites, poſtea Cardinales, Romam miſit, qui Regio nomine oſcula pedibus impreſſerunt, & laureis gemmeiſque coronæ Gallicæ ſpiris plantas illas ſacras implicuerunt, quæ in triumphos ſe deinceps continenti palmarum ſerie explicarunt; quod iam in Filio, & nepote ad ſummam militaris rei gloriam floreſcente, experimur. O quam diuerſi Henrici? Anglus cum ſe effeminauit, & euirauit, Papam eiurauit: Gallus cum Heroà egit, Aſtris ſe intulit, Papam adorauit. Tam ſunt aſſueta Regia capita inclinationibus ad Pontificios pedes, vt omnes vix dum coronati Reges, eò pondus diadematis declinent. Id ſemper Luſitania, quæ Religioſiſſimè Papas coluit, & colit, in clara ſerie Regum ſuorum per Legatos ſuos ad pedes Romanorum Pontificum ſeſe abijcentium experta eſt.

Henr. VIII. Henric. IV. Magn. Chriſtianiſſimus opponitur.

Verum pietate, aiunt, Regia abuſi Pontifices eam in Religionem verterunt, vt ne cui liceat ab oſculatione pedum abſtinere; qui abſtineat, ille nefarij ſceleris manifeſtus ſit. Quod quam ſit ab inſtituto Chriſti, & animi moderatione alienum, nemo non ſanus intelligat. Id autem Alexandri Tertij erga Imperatorem Fridericum exemplo, quod plenis, vt aiunt, buccis concrepant, importunè obiecto confirmant. Illud imprimis damus: vſum illum pium, ac Religioſum in legem tranſiſſe: eaque Reges prorſus Catholicos, cùm occurrant Pontifici teneri, quemadmodum oſculandi manus Regias conſuetudo ex obedientiæ officio profecta, ita inualuit, vt omninò in legem, & Religionem verſa ſit. Negamus tamen, qui eius Pontifex obſeruantiam exigat, eum ſuperbum, & qui Princeps negligat eum innocentem eſſe, quemadmodum inficiamur Regem, qui oſcula manuum à ſubditis ſuis exigat iniurium; Ciuem qui ex contemptu neget inſontem fore. Quare nec præcipere oſculationem illam pedum, eſt à modeſtia Chriſtiana alienum, nec illam negligere, non irreligioſum. Nam cum illa ad officium traducta, notam cultus debiti, vimque Religionis obtineat, prætermitti ſine impietatis crimine non poteſt, nec enim ea cæremonia humanæ comitatis; ſed religioſæ obſeruantiæ ſpeciem habet; vnde illius contemptor, Sacræ Maieſtatis violator exiſtit: cùm Papa cui ille cultus defertur, in Sede Petri locatus eius perſonam induat, & Chriſti Vicarium agat: atque adeò illo ſit officio colendus; quòd qui contemnit, debito

Noua Anglorum ex facto Alexan. III. Pontificis obiectio.

Manus Regum oſculandi mos.

frau-

ſraudat honore, & occultè detrahit dignitati, nec priuatum hominem, ſed publicam perſonam offendit: quæ cum Sacroſancta ſit, atque adeò ab ipſo Chriſto, non in Papa manet, ſed per eum in Chriſtum tranſit iniuria. Haud ſecus, ac in Rege fieri diximus; cùius cum oſculari manus nota obedientiæ ſit, qui oſculum præbere nolit, is compertus læſę Maieſtatis tenetur. Itaque Angli aut Reges ſuos condemnent, aut Papas noſtros abſoluant, oportet. Iam vero ſi hoc nomine debitum officium eſt, nec illud exigere, iniuſtum, inſolenſue, nec temnere, honeſtum tutumque eſt; atque adeo tam eſt à ſuperbia procul Papa qui requirat, quàm prope ab impietate Princeps, qui deneget. Nec id à Chriſti modeſtia alienum; cùm & ſimul ipſe oſculum pedum à Magdalena acceperit, & probarit, & in Simone deſiderauerit, immò & quod eo abſtinuerit, reprehenderit: & rurſum tangi ab eadem caput, pedeſque ſuos permiſerit, & improbantes ſuos coercuerit, quòd illa vnctio ad officium pietatis pertineret: vtrumque autem idcirco admiſit, quia habuit rationem perſonę, quam agebat, & ipſe perſpicuè declarauit, cum & Magdalenæ peccata remiſit, quo ſe Deum; & cùm ad pollincturam vnctionem retulit, quo ſe mortuum ſignificauit. Doleo tamen quod Angli in reprehendendis hiſce oſculis ſimiliores Iudæ, quàm cæteris Apoſtolis eſſe velint. Quemadmodum enim hic pium Magdalenæ officium vnus taxauit; ita illi Religioſum Eccleſiæ erga Papas obſequium ſugillant: niſi quod, Iudas auaritiæ, illi ſuperbiæ vitio faciant. At Reges authores habent. Fateor, ſed paucos, & nouos, nos ijs opponimus, & noſtros omnes, & ſuos antiquos. Vtris maius pondus eſſe exiſtimant? Certè vnus noſtrorum multo plus ponderat mole onuſtus coronarum. Is eſto Philippus Prudens Hiſpaniarum Rex, quo nemo vnquam Regum latiùs, glorioſiuſque poſt adiectam Luſitaniam imperauit. Hic igitur ſublime coronarum nobili cumulo caput multis Pontificibus ſubiecit tremente ſępius Roma cum illas Papali Solio ſubmittebat. Ac tum maiorem ſonitum edidit, cum ampliſſimum inſtar Regis Ioannem Velaſcum Magnæ Caſtellæ Comeſtabilem ad Sixtum V. Pontificem Legatum miſit, qui & Auguſtam perſonam cum dignitate ſuſtineret, & totam eius amplitudinem in breue oſculum contractam ad Pontificios pedes abijceret.

Chriſti oſcula ſacra admittentis exemplo.

Luc. 7.

Regum piorum.

Philippi Secundi Hiſp.

Ve-

Venio ad illud, quod ſæpè obiectant Alexandri III. factum, quem memorant Venetijs ad Diui Marci Friderico Imperatori Aenobarbo ad ſe arrogantiùs accedenti, ac ceruicem indomitam ægrè pedibus ſubmittenti, ac ne ipſum quidem Alexandro, ſed Petro grauatè præſtitum officium clara voce deferri, ijs turgidis, & ventoſis verbis; *Non Tibi, ſed Petro*, profitenti, pedem altiùs ſublatum ſuper impoſuiſſe, & violentiùs impreſſo caput obtriuiſſe, ac par pari, quod morderet, repoſuiſſe: *Et mihi, & Petro*. Deinde edito gemitu àb Imperatore, quem vel indignatio, vel dolor expreſſerat, paulum erectum inſultantis more addidiſſe: *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*, perinde ac in Friderico huiuſmodi monſtra ineſſent, ex quibus omnibus ille conſtaret, ac Scyllam, Centauros, & Chimæram feritate vinceret. An erit quiſquam, aiunt, qui hoc facinus Alexandro Pheræo, quàm Alexandro Papæ attributum malit? à quo & Phalarides, & Dionyſios, & Mezentios, & Tamerlanes volunt non modo ſuperbia, ſed feritate etiam ſuperatos. Quibus ego bilem deponant ſuadeo, & me patienter audiant, rogo.

Hiſtoria de contumacia Friderici Aenobarbi, & Alexan III. magnanimitate vulgata

Pſalm. 90.

Primum fabulam hanc eſſe graues authores aiunt, quibus Venetum Concilium fidem facit, & ego prorſus aſſentior. Deinde quòd alij ſint, qui fabulam eſſe negent, vt id verũ fuerit, confirmo rectè & conſtanter egiſſe Pontificem, nec tam ſuperbiæ inſimulandum, quàm ob magnanimitatem laudandum. Et quidem qui vtrũque norit, & comparet, comperiet, illam Alexandro virtutem à Deo ad contundendam Aenobarbi ferociam inſpiratam, etſi enim iam manſuetior, & mitior redditus erat; adhuc tamen anhelabat iram, afflabat furorem, & velut ex recenti tempeſtate ſæuitiem agitati pelagi retinebat.

Eleuatur illius hiſtoriæ fides.

Neceſſe itaque erat premere, frenare, & prorſus coercere. Idque Pontifex habita ratione perſonæ prudenter iuxtà, ac conſtanter egit, & homine maior ſublimes illos ſpiritus geſſit, vt dignitatem Sedis Apoſtolicæ tueretur: tantùmque ea fortitudine profecit, vt poſt ferream bellorum tempeſtatem auream Eccleſiæ Pacem attulerit. Intellexit Orbis eo animo domi Eccleſiam Alexandrum defendere, quo Fridericus foris oppugnabat: hic vero agnouit Senas in Italia, Alexandros Macedonas generare. Ac ita ingeſtum importunè exemplum refuto; & ab ijs coniectum in me telum retorqueo. Alij ſanè

Deinde admiſſa, retorquetur.

Pon-

Pontifices oſcula ab Imperatoribus elicuerunt, hic extorſit: Illi pietatis alienæ teſtes; hic iuris ſui aſſertor extitit. Illi cum ouibus, vti Paſtores egerunt; hic Leonem nactus ouem reddidit. Dolet hoc Heterodoxis Regibus, qui nollent cogi ad oſcula Reges ne iure debita videantur. Sed illi acutè oſcula huiuſmodi declinarunt, cum ſe capita Eccleſiæ finxerunt, atque adeò rationes ſubmittendi ſeſe alijs ſuſtulerunt, quòd quia veteres illi, aiunt, Imperatores facere neſcierunt, iuri in ſe exercendo locum reliquerunt, homines ſcilicet minus acuti, quia Fidei mactarunt oculos, ne quid niſi quod illa præciperet, viderent, Heterodoxi plus iuſto videre maluerũt, *nec captiuare mentes* in obſequium Fidei, nec ab ea duci ſe inſtar cæcorum voluerunt. *Filij huius ſæculi ſunt, qui prudentiores Filijs lucis in generatione ſua ſunt*. Sed in generatione ſua, non in regeneratione Chriſti; cuius cum dies venerit, Catholicis inter oues ad dexteram poſitis, ipſi niſi reſipiſcant, cum hædis ad ſiniſtram locabuntur. Audientque ex Chriſto *oſculum mihi non dediſtis*. Hæc autem, ideſt Romana Eccleſia, *non ceſſauit oſculari pedes meos*. Mirum eſt enim, ſi Chriſtus cum in pauperibus ſuis eſſe ſe dicat, in ſuis Pontificibus eſſe ſe neget. Claudere autem volo huiuſmodi ratiocinationem pulcherrima Otthonis Friſingenſis ſententia, qui lib. 4. in Prologo loquens de Sancto Sylueſtro Papa hunc morem Religioſum his verbis confirmat. *Vt cognoſcamus non fortuitis caſibus, ſed Dei profundiſſimis, ac iuſtiſſimis iudicijs id factum, vide pridie latitantem, ideſt Syluestrum, ad quemlibet infimæ conditionis fugientem in breui tantæ authoritatis fieri, vt Regibus imperet, de Regibus iudicet. Vide tantæ à ſæculo venerationi haberi, vt veniant curui, veſtigiaque pedum eius in ſolio Petri ſedentis adorent Orbis Domini*. Ac ne id temerè dixiſſe videretur locum Iſaię reſpexit. *Venient ad te curui Filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*, & alium Geneſeos: *Seruiant tibi populi, adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ*. Quæ certè oracula ex Cortina non Apollinis, ſed Spiritus Sancti edita ad Romanæ Eccleſiæ Pontifices pertinebant; quorum pedibus qui & fratres, & filij ſunt, & eſſe volunt, ſubijci, ſubſternique debent. Nam etſi vti priuati homines eiuſdem & naturæ, & conditionis ſint, vti Chriſti perſonam gerunt, inter cæteros eminent, ac dominantur: ac vt eam dignitatem poteſtatemque

EaHeterodoxi conuincuntur.

Argutè punguntur.

Luc.7.

Oſcula pedũ pia, ac rectæ Pontificibus ob eam Chriſti quam gerunt perſonam delata.

temque à Chriſto acceptam, & ad Chriſtum relatam ſignificent, *ſeruos ſe ſeruorum Dei* appellare ſolent, quo appareat nihil ſibi honoris arrogare, qui ſciant totam ex integro Seruatori Chriſto deberi, quem dum repræſentant, ſeruitutis quoque erga alios officium profitentur. Eoque perſpicuè impoſitam ſibi ab Heterodoxis calumniam propulſant, ſuperbiæ, & arrogantiæ, cum in tanta ſpecie dignitatis, qua ad ſuperos vſque euehuntur, tam ſe animo demittunt, vt infra ſeruos eſſe ſe teſtentur.

CAPVT II.

Crucis in calceis geſtatio ſolemnis aſſeritur.

CAtholicos Oxonienſes, & Aberdonienſes exiſtimet, qui videat obijci nobis Crucis ab ijs iniuriam, perinde ac ea moueantur. Acuti ſunt, & ſubtiles argumentando, ſed fucum faciunt, quem ficta ſpecies pietatis inducit. Non nobis, opinor, imponent, qui eorum artes, & technas nouimus. Primùm Crucem oderunt, cane peius & angue, ac vt nos, qui amamus, deterreant, in canem eam, & anguem conuertunt. Deinde nihil eius iniuria commouentur; ſed volunt religione erga ipſam noſtra ad Papæ iniuriam abuti, quem iuxta ac Crucem oderunt. Ingenio ſuo indulgent; cùm nos amori indulgemus. Accipiunt ergo amorem noſtrum, & retorquent. Telum ex eo faciunt, quo nos feriant. Telum verò *ira facit* in Papam, non amor in Crucem. Dolet ijs non quòd Crux, quàm vbique calcant, abijciatur ad Pontificis pedes, ſed quòd ea ſit adorationis Pontificiæ argumentum. Tentant per pietatem noſtram cultum Papæ ferire; cumque videant nos Crucem diligere, volunt nos ab illa adoratione, quæ ſpeciem habet iniuriæ, Crucis reuocare. Certi à nobis minimè colendum Pontificem, ſi Crucis honor periclitetur. Laudo ingenium; improbo ſtudium. Argumentantur Dialectico more *ab homine*; vt aiunt, *ad hominem*: hac ratione: Propoſita Cruce in calceis Pontificis aſſuta ratiocinantur. Si vobis Crux adoranda eſt, Pontifex adorandus non eſt: nam vt hic adoretur, Crux contemnitur: imo vt ille adoretur hæc ad eius pedes abijcitur: quæ autem abijcitur, ea minimè adoratur. Igitur, vel non adorandus eſt

Academicorũ Heterodoxorũ aſtutia.

Quid ijs doleat.

Ironica argumentatio.

Pontifex, vel Crux negligenda. Hoc à veſtra eſt pietate alienum; ergo ne iniuria Cruci fiat, à Papæ cultu abſtinete. Sic illi: qui neutrum volunt adorare, ſed adorari vtrumque à nobis cum videant, malunt argumentando efficere, vt neutrum adoretur: cumque magis Papam oderint, quàm Crucem, ſi vtrum adorandum ſit, malunt vt Crux colatur, quàm Papa: nam à Cruce minus ſibi timent, quàm à Papa, qui ad Crucis Religionem reducit. Prętereà in Cruce ij lignum tantùm inutile, & inanime eſſe putant, à quo nihil ſit timendum. In Papa vim animi, vigoremque eſſe vident; vt in officio contineantur: & ab eo ſi recedant, puniantur: quod ij minimè pati volunt.

Dolus Academicorum detegitur. Detracta aduerſarijs perſona; rationem oſculandi pedes Pontificis aſſuta illius calceis Cruce aſſero, & defendo. Ac duo mihi vendico. Alterum; Calceamentum Pontificium inſigni aliquo notari oportere. Alterum; Crucem idoneam notam, & aptum inſigne fore, nec ex eo quicquam indignum ſequi, quod iure inimici objiciant.

Magna tum in ſacris, tum in prophanis litteris calceamenti ratio habetur, quòd ea & dignitatis, & muneris index erat. A prophanis, quæ longiùs poſita ſunt, & amantur ab Anglis, incipiamus. Omiſſa antiquitate illa ſeuera, quæ nudos pedes *Erudita de ornatu calceorum digreſſio.* commendabat, quæ in Græcia apud Lacones, & Romæ inter Catones viguit; *Sacri calcei* Flaminum, Sacerdotumque fuerunt; quorum *vitæ index, mortis abactrix*, inquit, Marcianus Capella, *materies erat*, atque adeo corij omnino expertes; quod vult Seruius, ne quid Sacratos illos, vt putabant, pedes *mortuum attingeret*, authore Gellio. Itaque ex lino candidiſſimo fieri mos erat, teſte Appiano Alexandrino, & Herodiano. Phæcaſios appellabant, quibus item vates vtebantur. Idque tum apud Græcos, tum apud Romanos, vti in cæremonijs Flaminum, & Flaminicarum habetur, referente Fabio Pictore. Vnde & ſtatuæ ipſæ Deorum Phæ- *Varia genera calceorum.* caſiatæ apparebant; quo vocabulo vtitur Seneca ad Lucilium. Hoc genus omnino linteum fuiſſe conſtat; vſum ſacrum. Imperatores proprios item, & inſignes calceos geſtarunt. *Campagos* poſtea appellatos conſtat, teſte Iulio Capitolino; quos deſcripſit Trebellius Pollio in Galieno: *Caligas*, inquit, *gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellaret*. *Zancas*, ſiue *Tzancas* eoſdem putant, quorum exactior eſt

Capella lib. 2. Seruius ad lib. 4. Aeneid. Gell. li. 10. Seneca. Iuuenal. Sat. 3.

apud Curopalatem, ſeu Codinum deſcriptio. Id deducitur ex Codice Theodoſiano, vti obſeruat Cuiacius. Earum Ethymon excutitur à Franciſco Iunio, qui à Græcis, & Arabibus petit originem, & Tzaggas dici contendit. Et quoniam hæret maximè huic loco Curopalatæ deſcriptio, Latinè repræſentare operæ pretium duco. Igitur is lib. de officijs Aulæ pag. 55. *Et alterum calceamentorum genus, quæ dicuntur Tzangia habentia ad latera ſecundum ſuras, & in tarſis Aquilas ex lapillis, & margaritis, quæ fert etiam Imperator ad ambulationes, & adorationes.* Omnia continet hic locus. Apparet quippè cuiuſmodi eſſet calceamenti Imperatorij genus, idque ſolemne, quo inſigni, notaque diſtinctum: in quos vſus inſtitutum: nempè ad pompam, & adorationem, vt nihil aptius in rem noſtram afferri, aut optari poſſit. Duo præcipuè obſeruanda, alterum circa vocem; alterum circa rem. Alterum, Tarſum, ſignificare Superiorem calcei partem, quæ pedem tegit: alterum, Aquilas, effigies Aquilarum eſſe ex gemmis factas, quæ ijs vel aſſutæ, vel intextę erant, qua de re iterum Curopalates, cuius verba Græca inopia typorum omitto. *Habentes Aquilas ex margaritis ad latera, & in tarſis, idest ſuperiori parte calceorum Muſaicorum,* ideſt eo artis genere ornatorum. Itaque manifeſtum eſt Aquilarum illa ſigna, vti propria Imperatorum calceis apponi ſolere, vti notas, & inſignia Maieſtatis. Hinc illud Nicephor. Gregor. lib. 4. de Michaelis Palæologi Socero. *Cæſar cum Deſpoto Socero Sebaſtocrator appellatur. Soceri verò illuſtre diſcrimen in cæruleis calceis Aquilæ intertextæ conſtituebant.* Solis autem Imperatoribus illud conuenire demonſtrat Dempſterus in Roſinum lib. 5. & ex Iure Canon. & Corippo in inauguratione Iuſtini iunioris confirmat.

Imperatorij calceamenti forma.

Nicep.

Et quanquam veteres Romanorum Imperatores certo inſigni calceos non diſtinguerent; conſtat tamen ornatu pretioſiſſimo affeciſſe, vt diſcrimen appareret. Itaque auro, & argento operiebant, margaritas, lapilloſque inſerebant; fibulis, & ligulis gemmeis colligabant. Quis autem primus eius rei author fuerit, non ſatis video inter authores conſtare: nam Martinus Polonus Archiepiſcopus Conſent. Chron. lib. 4. Laziardus Epiſt. Hiſtor. cap. 72. Cuſpinianus, & Philippus Bergomas Diocletianum malunt nixi authoritate Euſebij Cæſarienſis, & D. Hieronymi, & Caſſiodori, Adoniſque

Ornamentum

Martin. Polon. Laziar. Cuſpin. Philip. Bergo.

Viennenſis in Chronico ætate 6. cuius hæc ſunt verba. *Hic Diocletianus primus veſtibus, calceamentiſque inſeri iuſſit gemmas dum ſola purpura retro Principes vterentur*. Quod ipſum affirmat Eutropius lib. 9. & Paulus Diaconus in hiſtoria. Tempus autem notat Pomponius, *Poſt triumphum de Perſis actum*. Alij ad Carinum referunt, quem Flauius Vopiſcus narrat *gemmeis* in calceamento *fibulis* vſum fuiſſe. Alij ad Heliogabalum: de quo Aelius Lampridius: *Habuit in calceamentis gemmas, & quidem ſculptas*. Alij ad Alexandrum Seuerum, qui eodem authore Lampridio *gemmas in calceamentis, & veſtibus tulit*. Verùm illuſtre calceamenti genus antiquius Romæ fuiſſe comperio: nam apud Senecam lib. 2. de beneficijs lego Tiberium. *Socculo aurato, immò & aureo margaritis diſtincto inceſſiſſe*. Deinde ex Plinio didici lib. 9. cap. 35. *Caligulam ſoccos muliebriter ornatos geſtaſſe*. Quos interdum & auro intextos, & gemmis illuſos fuiſſe probat Lipſius. Immò & ex Græcis Demetrius Antigoni filius *calceos aureos* Plutarcho authore legitur habuiſſe. Mos autem hic illuſtrandi calceos notis inſignibus tractus ab Arcadibus, qui quod nobilitate ſua maximè gloriarentur, perinde ac Luna natu priores eſſent, Lunæ effigies in calceis gerebant teſte Ouidio lib. Faſtor.

Calcei gemmati. | Addo Vienn. | Eutrop. | Paulus Diac. | Pomp. | Vopiſc. | Lampr. | Idem. | Seneca. | Plinius. | Calcei Lunulati. | Plutarc. | Ouid.

Orta prior Luna ſi de ſe creditur ipſi,
A magno tellus Arcade nomen habet.

Et lib. 2. eiuſdem operis.

Luna gens erat illa prior.

Et Statio lib. 4. Thebaidos. Statius.

Arcades hinc veteres, Aſtris, Lunaque priores.

Qua de re Ser. Maur. in lib. Georg. & Blond. de Roma Triũphal. lib. 9. Cælius Rhodigin. lib. 20. antiq. lect. cap. 7. Ioannes Pierius Valer. lib. 44. Hierogl. Thomas Dempſterus in Roſinũ lib. 5. cap. 36. Hinc Lunati, vel Lunulati calcei apud Romanos illuſtre nobilitatis inſigne; quos idcircò ſibi Patricij vendicarunt: quemadmodum ijdem authores docent, & Andreas Alciatus diſtico ſignificat.

Seru. Maur. | Blond. | Cælius Rhod. | Pier. Valer. | Thom. Demp. | Alciat.

Calceus Arcadio ſuberat cui Lunula ritu,
Geſtatur Patribus mulleo Romulidis.

Inuenio hanc Roſam eruditam in Sylua Statij lib. 5. ſecunda. Statius.

Primaque Patritia clauſit veſtigia Luna.

Eamdem inter ſpinas Satyræ 7. Iuuenalis detexit vetus

Scho-

Iuuen. Schol. Scholiaſtes ad verſ.192. his verbis: *Patritius Senator eſt: Lunula nam adſuta calceis diſcernuntur Patritij à nouitijs.* Adeò mos *Conſulares calcei.* hic inualuit, vt & Conſules fluxis iam Romani Imperij rebus calceos inſignes ſumpſerint, ideſt auro aut intextos, aut Caſſiod. illitos, quos *Auratos* Caſſiodorus appellat lib.6. in formula Conſulatus: diſcrimine Senatoribus aſſignato *Serici* calceamenti, vti conſtat ex lib.7. eiuſdem Authoris in Codicillis Patritiatus. Illuſtriorem hanc conſuetudinem reddidit Magnus Eginh. Carolus Imperator, qui teſte Eginhardo *calceos auro gēmiſque diſtinctos* induit, probantibus, immò & hortantibus Adriano I. & Leone III. Pontificibus, quòd ſcirent ſolemne illud apud veteres Imperatores fuiſſe. Idque Campagorum Luitpr. exemplo adducto confirmat Luitprandus lib. 3. cap. 9. Fuiſſe autem calceos Imperatorios rubri fermè coloris apud Corip. Ammi. Græcos præſertim, conſtat ex Corippo lib.2.& ex Ammiano lib.26. & ex Curopalate in hiſt. Iſaaci Commeni, & alijs *Color calceamenti Imperatorij quis* apud Balduinum lib.de Calceo. Cui magnum pondus addit Balſa. Balſamon citatus, qui inter collata ab Imperatore Conſtantino Pontifici Romano inſignia, numerat *calceos purpureos*. Atque hæc de prophana Litteratura ſatis.

Ad ſacras litteras venio. Et quidem calceamenti magnam Cant. 7. haberi rationem multis in locis apparet. Canticor.7. laudatur ſponſæ inceſſus ob calceorum dignitatem: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis*: quibus verbis maniſeſtè innuitur calceos eiuſmodi fuiſſe, qui filiam eam eſſe Principis indicarent: atque adeò proprios, & ſolemnes Regiarum Virginum, & matronarum eſſe. Cur enim Sacer textus pulchritudinem incedentis ſponſæ, non corporis dignitati, non pedum venuſtati, ſed calceis attribuit? niſi quòd hi ſic erant compoſiti ad pompam, vt Perſonæ Regiæ Maieſtatem oſtenderent. Et quidem ita locum accipio, vt intelligam genus calceamenti Regiarum fæminarum ſolemne propriumque fuiſſe, ex quo qui eas videret ambulantes Regij generis eſſe cognoſceret. Et vero tanta erat in calceis ornandis ambitio, vt qui ornatum illum vetaret, magnam pœnam irrogaret. Vnde eſt illa comminatio apud Iſaiam Iſaia 3. cap.3. nu.18: *In die auferet Dominus ornamenta calceamentorum*, qui certè locus rem continet: præſertim ſi ornatus ille hya-Ezec.16. cinthis conſtabat, cuiuſmodi erat ille à Deo ſponſæ ſuę Hieroſolymitanæ apud Ezechielem datus *calceaui te hyacinthis*.

Sed

Sed multò magis ille alius Iſaiæ cap. 52. collatus cum locò vno Nahum, & duobus Pauli. *Igitur*, inquit, *Iſaias*. *Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, prædicantis ſalutem*. Quod Paulus ad Rom. 10. num. 15. ita vertit. *Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium Pacem, Euangelizantium bona*. Concinit Nahum cap. 1. num. 15. *Ecce ſuper montes pedes Euangelizantis, & annuntiantis Pacem*. Prophetis reſponſat Pauli venerabilis Echo. Epiſtol. ad Epheſ. cap. 6. num. 15. *Calceati pedes in præparatione Euangelij Pacis*. Fons eſt apud Iſaiam. Ibi origo Myſterij; in Paulo finis: Pulchritudinem pedum Euangelizantis videt, & miratur Iſaias: probat Nahum illa vocula *Ecce*, quæ eſt admirantis, & commendantis. Ineſſe igitur quiddam certum & illuſtre pedibus illis ſignificant Prophetæ. Id autem non nudis pedibus ineſſe (quod quis fortè obijceret) docet nos Paulus ad Epheſios: dum ait *calceati pedes*, nam calceis adhibitis monſtrat eam pulchritudinem in calceatos, non nudos Euangelizantium pedes conuenire: qui ſi à calceis venuſtatem mutuabantur, inſignes eos ac illuſtres eſſe oportebat; atque adeò Euangelizantibus aptos, immò & proprios, quibus eos & indui, & ornari, & noſcitari Prophetæ, Pauluſque voluerunt. Et verò inſignes eſſe pedes illi calceati debuerunt, qui in montibus eminebant; & quorum inde inceſſus audiebatur. Nam 70. legunt. *Quàm ſpecioſi pedes! Hora ſuper montes*, perinde ac cùm mouerentur ratione calceorum ſonantium pulſus quoſdam, & crepitus horologij excitarent, vt ſinguli paſſus totidem horas ſonitu redderent. Pulchros autem eos calceos, ac venuſtos eſſe, ex Cyrillo Alexandrino diſcimus, qui legit: *Vt ver pura luce nitens ſuper montes*. Ex quo apparet ijs, floſculos intextos, aſſutoſue, aureos, & gemmeos, qui ver pretioſum repræſentarent. *I*taque in illis calceis tot erant lapilli, & gemmæ, vt & lucem radiantes emitterent, & ſonitum colliſi ederent: niſi fortè adhibita calceis tintinnabula ad motum pedum commota inſonabant, & quemadmodum extrema veſtis illius Aaronicæ ora tintinnabulis aureis cincta ad incedentis Pontificis greſſus mouebatur, & tota crepitabat, ita calceamenta Prædicatorum prætexta gemmeis notis ad ſingulos gradus excuſſa reſonabant. Conſonantem mihi locum Ioannes in Apocal. cap. 1. num. 15. ſuppeditat: vbi ille *Filij hominis* Typus *Pedes* habere dicitur *ſimiles aurichalco*, ſicut in *camino*

Pedes Euangelizantium qui?

Ephe. 6.

Septua. Interpr.

Cyrill. Alex.

Calcei floridi.

no ardenti. In quibus & aſpicio lucem igneam, ad ſpeciem: & aurichalci ſtrepitum, ad ſonitum accipio. Et hic quidem Sacerdotis, & Prædicatoris partes agebat. Sed reuocant me ad Eccleſiaſticum illa, quorum adhuc excitor ſonitu, Aaronis tintinnabula, & monent calceos ibi non eſſe prætermiſſos: cum dicat numerus 10. *Circumpedes & femoralia, & humerale poſuit ei. Vbi circumpedes* pedum calceamentum ſignificare videtur: nam quod circumdat pedem calceus eſt, immò modus ille loquendi *Circumpedes* indicat genus aliquod calceamenti inſolens alijs, ſolemne Pontificibus, quòd inſolenti etiam vocabulo *Circumpedes*, non vſitato *Calcei* appelletur. Iam vero illa mirabilis Apocalypſeos Matrona, *Cæleſtum vis magna* pedes calceata Luna, inſigne documentum præbet magnum in calceis ad munus quod quiſque gerat, & dignitatem perſonæ pondus ineſſe: nam ſiue Eccleſiam repræſentaret, ſiue Beatiſſimam Virginem, ſiue ſponſam Chriſto dilectam, certè ſignum à calceis, & ornamentum ſumpſit, cum Lunæ ita inſiſteret, vt eam pro calceis indueret; ſic enim pingi ſolet, vt corniculata Luna in medium, qui cauus eſt, ſinum, pedem vtrumque accipiat, & erecto hinc inde cornu comitetur, quod ſi aliàs inuerſis cornibus deorſum ſpectet, & poſitionem variet, curuato dorſo pedes excipiens, non idcirco calceamenti formam amittit, etſi prementis magis ille habitus ſit, quam calceantis. Vnde noua calceo venuſtas, & meę ſententię virtus accedit, quòd tanta ſit dignitas calceamenti, vt quæ ita calceetur ſpeciem pręſe ferat triumphantis, nec illud calceamenti genus ſine triumpho poſſit conſiſtere. Itaque ſimul ac calceum inducit, premit; & ſupra Lunam ſe attollens triumphat. Ne vero quiſquam de Luna, quin calceamentum prębeat, vllo modo ambigat; ſpectata enim ſigni illius imagine videbit cælum totum de eo veſtiendo, & ornando cogitaſſe. Itaque ſtellæ coronam ei plectunt, & coronant; Sol amictum concinnat, & amicit; cur igitur Luna, non & calceamentum formet, & calceet? Certè non dedignetur Luna pedes ambire, eius Matronæ, quam Sol circumdans veſtit, neque deerit officio ſub Luna, cum Sol impleat ſuum: nec enim Planeta familiarior, & facilior, non erit officioſior. Quare Luna mulier illa inducta pedibus calceatur, multò quàm Arcades melius Lunulata; noſque eo genere calceamenti docet in Sacris litteris; & calceos,

Marginal notes: Apoc. 1. — Calcei tinnuli. — Apoc. 12. — Luna pro calceo. — Sacra mulieris Apocalypticæ deſcriptio.

ceos, & notas eſſe officij, & lumina dignitatis.

Ad Anglos argumenta vertuntur.

Equidem non dubito Anglos homines doctos, & vtriuſq; litteraturę peritos mihi hoc imprimis daturos, Romanos Pontifices apud nos, qui eos & agnoſcimus, & colimus, certum & inſigne aliquod calceamenti genus cum publicam Sacerdotij Summi perſonam gerunt, vendicare oportere: cum id tot argumentis idoneis, opinor, oſtenſum ſit à nobis, & confirmatum. Quòd ſi qui eorum præfractiori fortaſsè ingenio repugnent, impello exemplo Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, quos nobis ſæpè tanquam Aemulos Romanæ Maieſtatis ſolent opponere, de quibus ſcribit Curopalates in Iſaaci Comneni hiſtoria, ad oſtendendam muneris ſui præſtantiam, calceis cocco bis tinctis, ornatis, ac expolitis vſos fuiſſe. Propiùs ad Romanos Pontifices accedo. Conſtat ex Actis Syluestri Papę, Conſtantinum illum Magnum inter alia ornamenta, & inſignia, calceamenti quoque genus Romę Vrbis Pontificibus aſſignaſſe. *Vdones* nimirum *linteos candidos*, quemadmodum illis verbis ſignificatur. *Vti debere Vdonibus ex candidiſsimo lino pro calceis*: ex veteri conſuetudine Sacerdotum, & Vatum, quemadmodum ſupra commemorauimus; ad quam reſpexiſſe Conſtantinum, eamque in Romanis Pontificibus conſecrare voluiſſe, compertum habeo. Etſi hoc minus conueniat cum eo, quod ſuperiùs obſeruauimus ex Balſamone, qui rubeos calceos datos Pontifici à Conſtantino affirmat. Id conſtat; procedente die purpurei coloris calceamentum geſtari celebrarique cœpiſſe. Et quidem eorum Sandalia cum Sacris operabantur inſignia eſſe, & à cæterorum calceis Epiſcopotum facientium diſtincta, accipimus ex hiſtoria Beati Antedij apud Sigebertum anno 411. qui Romanum Pontificem inter cæteros Epiſcopos ex Sandalij, quòd gerebat, forma ornatuque agnouit. Quòd autem illa & ſolemnia & propria eſſent, apparet in ſcriptis S. Bernardi Epiſtola 42. & Ruperti lib. 1. de Diuinis officijs cap. 24. & Iuonis Carnotenſ. Epiſt. 76. & ſerm. 3. de ſignific. indument. Et Rabani lib. 1. cap. 22. & Durandi lib. 3. cap. 28. & docet Innocentius III. Epiſt. Decretali ad Patriarcham Conſtantinopolitanum.

Calceamentorum Papaliū priſci æui.

Diſcrimen Epiſcopalium & Pontificiorum.

Non negant hoc Angli, ſed illud maximè negant, licere hominibus Catholicis ſacrum ipſum Crucis inſigne, quod tantopere colunt, pro calceorum nota, & inſigni Pontifici

Roma-

Romano concedere; neque huic tantum ſibi arrogare; quæ loci propria quæſtio eſt. Vt enim, inquiunt, Pontifici alia inſignia concedantur, hoc certè Crucis permitti non debet. Ego vero affirmo, & iſtud, ſi quod aliud, maximè debuiſſe permitti; neque ex illius vſu, quicquam, quod obijci nobis iure queat deduci, aut colligi poſſe. Primum illud aſſumptum oſtendo. Ex quo cœpit in Eccleſia Catholica illa Religioſa conſuetudo *oſculandi pedes Pontificios* debuit locus ille oſculis deſtinatus Crucis imagine inſigniri, vt ei quem refert ideſt Chriſto, genus illud cultus deferri ſignificaretur. Itaque ratio aſſumendæ Crucis à Pontificum fuit pietate, ac demiſſione animi profecta: cum enim viderent vniuerſum Chriſtianum populum, immò & capita eius, Imperatores, ac Reges ad pedes ſuos reuerentiæ cauſa accidere, nec manibus, ſed pedibus oſcula afferri, indignoſque ſe illo genere honoris, & cultus eſſe agnoſcerent; nec illud ſibi niſi interuentu perſonæ, quam gerebant conuenire, & ad Chriſtum omnino referri, excogitarunt modum, quo cùm officium illud honorificum à Fidelibus acciperent, declararent, non ſibi, ſed Chriſto exhiberi. Nullum autem erat aliud inſigne, quod typum aptiùs Chriſti contineret, quàm Crûx, quæ & ipſius Crucifixi formam exprimeret, & virtutem ſanguinis repræſentaret. Itaque vbi locus oſculis in pedibus fuit, quæ ſpecies quædam Religioſi cultus eſt, oportuit vt ibi Crux locaretur, in quam oſcula illa pia inciderent: nec illa aptiùs poni, nec iſta meliùs collocari potuerunt: cùm nec pedes eſſent colendi, niſi ratione Crucis Chriſti; nec Crux niſi vbi cultus inerat, eſſe deberet. Atque hanc omninò fuiſſe cauſam cur Pontifex Romanus Crucem in calceis habeat, affirmauit coram Moſchorum Principe in Conuentu Procerum id obijciente Pater Poſſeuinus, Societatis Ieſu lumen litterarium: quàm refert & probat alterum lumen Grethſerus tomo de Cruce lib.2. cap. 61. & Ioſephus Stephanus Valentinus Epiſcopus Veſtanus libro ſuo erudito de oſculatione pedum.

Reſponſio. — *Ad vſum Crucis via munitur.* — *Idonea ratio* — Poſſeu. Greth.

At quo ſunt acumine aiunt: Pontifices ambitione ductos Crucem pedibus impoſuiſſe, vt ſtudium adorandi ſui in Catholicis excitarent, qui quòd Religioſiſſimè Crucem colerent, ad pedes quibus intexta eſſet ſtudioſiùs erant venturi: ac vt adorationem elicerent Crucis prętextu vſos fuiſſe. Gratulor,

Anglorũ verſutia.

tulor, quòd norint Catholicos illius temporis priſci quidem & aurei Crucem coluiſſe, & adoraſſe, quam illi execrantur abominanturque. Deinde perſpicio, quæ Crux erat ratio colendi Pontificem, eandem Anglis non colendi rationem eſſe. Nam duplex eſt Anglis cauſa refugiendi Pontificios pedes, & quòd Papæ ſint, & quòd Crucem Chriſti præferant. Pudeat eos excogitatæ argutiæ, quæ ipſorum refutat impietatem: nam quod Catholicos acuebat, id eos ab adoratione retardat. Ij adorabant, & Crucem, & Pontificem; Angli vtrumque deteſtantur. At do Anglis, quod conantur elicere de Religione populi ad Crucem currentis: non do, quod de ambitione Pontificibus conantur imponere, nec enim opus erat ea tempeſtate tanto ſtimulo, ad cultum Pontificijs pedibus deferendum. Alæ erant in pedibus Catholicorum, quas Crucis amor in corde ardens addiderat. *Alæ ignis erant illæ lampades, lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Cant. 8. Has extinxit in Anglis Aquilo frigidus, qui in niuea illa pectora gelidam animam inſpirauit, ex quo Henricus flammas Boleniani amoris concepit. Videant quantum ab illius Aeui Catholicis ſint diuerſi. Illi, vt adorarent Papam, ad Crucem veniebant: ipſi ne adorarent Papam de medio Crucẽ ſuſtulerunt, immò eum adorantes in Crucem tollunt; ſed bene eſt, quòd nos illos etiam quos egerunt in Crucem veneramur, & Martyres iure appellamus. Semper Crux ſcandalo irreligioſis fuit, quid mirum, ſi in Pontificijs pedibus ſcandalum afferat?

Retorquetur in eoſdem.

Suo Angli acumine feriuntur.

Catholicorum Heroici temporis erga Romanos Pontifices obſeruantia.

Anglorum in eoſdem petulantia.

Vrgent tamen. Ineptum eum eſſe locum ad cultum, quem erga Crucem profitemur. Abijci eam, & contemptui haberi, contra quàm & leges noſtrę, & religio iubeat. Calumniam remoueo, & iniuriam vindico. Hoc eſto alterum, quod promiſi: nihil inde Crucis honori detrahi me monſtraturum. Igitur quemadmodum Sol, quòd in cœnoſa, & fœda lucem immittat, nihil ſordium contrahit; ita Crux, quòd in locis aut abiectis, aut vilibus collocetur, nihil veræ ac ſolidæ dignitatis amittit. Verum quia id intereſt inter Solem, & Crucem, quòd Sol non colitur, Crux adoratur; nec Sol ipſe per ſe luto, ſordibuſue inhæret, Crux autem ipſa & aſſuitur, & attexitur, neceſſe eſt aliam rationem excogitare. Et vero: Crucem in alijs item locis quondam poſitam legimus à Catholicis, qui aut ęquè, aut non multò magis erant, quàm nunc

Rurſum inſurgunt Angli.

Deijciuntur.

nunc ſunt, Pontificis calceamenta idonei: cùm præſertim in ſuperiore calceorum parte, (Tarſus græcè dicitur) collocetur. Primùm conſtat Cruces in Portis, tum ciuitatum publicis, tum Ciuium priuatis poni ſolitas: vti probat Grethſerus tom. 1. de Cruce lib. 2. cap. 22. & 26. Deinde in viis, & triuiis, & terminis agrorum eodem teſte cap. 24. & 25. quæ ſanè loca cum ſint deſerta, minus decere videntur Crucis ſanctitatem. Quid? quòd in veſtibus aſſui, & attexi ſolitæ, & olim & modo? Ac ne excipiant, in locis Superioribus ad pectus, & humeros geri, docere volo in extrema quoque Lacinia Cruces olim intextas aſſutaſque fuiſſe. Hic Romæ in Sanctę Suſannæ viſitur imago Leonis III. Papæ, à quo inauguratus Imperator Carolus Magnus, cuius Orarium, in ima ora habet Crucem rubram. Et in ſtola Leoniana ſpectatur idem Pontifex eodem habitu indutus, & Cruce ornatus. Immò & effigies Sancti Petri ibi ſolium inſidentis Crucem in extremo veſtis prætendit. Non puto autem multum intereſſe an in ſuperiori parte calceamenti, an in inferiore veſtimenti Crux geratur? immò minus idoneum eſſe locum oræ mouentis ſeſe & verſantis, quàm calcei conſtantis, & firmi exiſtimo. Quid? quòd in nummis Crux ſemper cudi, & incidi ſolita, quòd me Authore, multò ijſdem videri poteſt, quàm iſtud, quod reprehendunt, indignius. De nummis Crucigeris antiquis latè Grethſerus to. 1. lib. 2. cap. 56. & tomo 3. cap. 3. De recentibus non opus dicere, cùm paſſim apud omnes nationes occurrant: quòd autem minus id Crucem deceat, nemo prudens opinor dubitet, qui quàm ſit ſordidus venalium rerum vſus attendat, & in quas manus deueniant nummi, & quàm ſæpè, aut in luſus veniant, aut in ſordes cadant, & mille modis turpentur. Nemo tamen eſt Anglorum quin malit crucigeros iſtos nummos ſeruare, quàm abijcere, imò cum horreant Crucem eam in nummis amant; ac vidi ſæpè, cum Londini eſſem, eorum pueros, cùm animi cauſa eorum quidam ex noſtris animos tentarent oblatis crucigeris ea conditione; vt Crucem oſcularentur, & colerent, in eos inuolaſſe, & officioſiſſimè baſiaſſe. Pueri fateor erant, ſed ad id tamen, credo, à pijs parentibus inſtituti. Id palmarium eſt, olim in Martyrum ſepulchris Cruces incidi ſolere, vti Roma Subterranea demonſtrat.

Curioſum, & aptum de locis in quibus Crux geſtari poni vè ſolita diuerticulum.

Grethſ.

Paradigmata Vrbana.

Crux in nummis.

Idem.

Argutat cum Anglis author & quidem lepidè.

Verum enim vero Imperatorum, & Regum multorum

Occupatur obiectio. cautum eſt inſtitutis, & legibus, ne Crux humi pingatur, loceturue. Patet ex lib. 1. Cod. Iuſtin. titul. 8. Cuius meminit
Balſamon Can. 60. Synod. 6. & Papirius Maſſo lib. 6. de Epiſc. *Balſam. Papyr. Maſſo:*
Vrbis. Idem ſtatuiſſe Tiberium Imperatorem optimum ſcribit Paulus Diaconus lib. 18. Vrb. Roman. & lib. 3. Hiſtor. *Paulus Diacon.*
Longobard. & Ludouicum IX. Francorum refert Sur. 25. Auguſti in eius vita, & Cenuallam Scotorum Regem memorat *Surius. Hect. Boeth.*
Hect. Boeth. lib. 9. Hiſtor: Idque decreuit Synodus Trullana *Synodus Trullan.*
teſte Balſamone, & Grethſero tom. 1. lib. 2. cap. 62. & confirmauit Pius IV. Authore Alano Copo lib. 4. cap. 11. & Gregor. XIII. vt ait Grethſerus citatus. *Balſam. Alanus. Grethſ.* Qui ergo probari ſeriue poteſt vſus habendi Crucem in calceis, cùm perinde ſit, ac
Et retunditur humi ponere? Iſtud ego in Anglos argumentum retorqueo; nam ſi Imperatores, ac Reges, qui tam ſeuerè lege cauerunt, ne Crux in ſolo pingeretur, locareturue, ad oſculandam illam in pedibus Pontificum accedunt, eamque ibi venerantur, & adorant, exemplo ſuo docent nihil ex eo Cruci decedere. Nec verò Pontifices ipſi eam ibi locarent, ſi intelligerent, quicquam ei detractum iri. Quod ego aptis rationi-
Argumentis contra Anglos agitur elegantibus, & floridis. bus Anglis amicè & comiter perſuadeo. Locus ille calceorum & pars ſuperior deſtinatus olim fuit gemmis, & lapillis, vti proximè oſtendimus. Cur igitur illum Crux occupare non poſſit, quam nos gemmis & lapillis exornamus? Aut cur non deceat eam in loco pretioſiſſimis rebus deſtinato locari? Quid?
Quibus ĳ lectis delectentur. quòd Anglicæ Virgines, & matronę nobiles, ac forma excellentes locum eum ſolent ſericis, & tęnijs, & floſculis inſignire; quòd certè non efficerent niſi putarent eum dignum eſſe qui & floribus vernet, & vittis cingatur. Animaduertant Angli ſuas delicias (ita Amicas vocant) ibi partem quamdam venuſtatis ponere: nos verò Crucem pulcherrimam credere; & in eo loco vbi venuſtas habitat velle collòcare. Obſeruent prętera, quod ſupra tetigi, illum locum oſculorum ſedem eſſe; ſinant, vbi amoris ſigna ſunt, ibi Crucem eſſe. Amor eſt noſter Crux; habitet inter ſigna Amoris. An non ſolent argutè, & venuſtè dicere Angli labra venuſta animatas eſſe Roſas, viua Cariophylla? Ne moueant igitur
Roſæ Anglorum argutia in ſpinas verſa: vt pungantur. eo loco Crucem Nazaræam florum amantem; quòd ſi ſpinoſam eam credunt, permittant Roſas illas comitari, quæ ſpinas deſiderant. Vocant rurſum bella labella, pyropos, & Rubinos, ſinant ergo Crucem inter eos cum oſcula imprimũtur,

tur, aptè collocari. Certè pars illa calceorum ſuperior inepta non eſt ad prophana, ſacraque ornamenta recipienda, quemadmodum ſupra indicauimus: Aluta illa Lunas tulit, & gemmas ſuſtinuit. Aliud eſt plantis ſupponi, & calcari, in quo eſt fœditas, & indignitas; aliud ſuperimponi calceis & eminere, quod ad elegantiam ſpeciemque refertur. Quare iure Imperatoria lege, & Canone Pontificio cautum, ne Crux humi pingi, deſcribiue poſset, nam calcari, obterique contingeret. At nuſquam vetitum, ne in loco edito poneretur. Immò exceptio illa firmat, (vti aiunt, Iureconſulti) regulam, vt liceat, modò in ſolo non ſit, Crucem locari. At, opinor, Tarſus calcei ſolum non eſt, igitur ibi eam geſtari lege permiſſum eſt.

Origo huiuſce Crucem in calceis geſtandi inquiritur.

Inquirunt curioſiùs Angli initium huiuſce Religioſę conſuetudinis: improbant inſolentiam. Ineptè quidem. Nam etſi originem ignoremus, retinemus morem. Cuius autem origo ignoratur, illud priſcum eſſe probatur. Vnde ad vſucapionem ſatis eſt, illa quę hominum memoriam tranſcendit poſſeſſio, quę legitima habetur, cùm eius origo ob antiquitatem neſcitur. Immò ipſa initij ignorantia, antiquitatis argumentum eſt. Itaque non erubeſco dicere, quod viros ante me doctos fateri non puduit, me latere huiuſce conſuetudinis originem; quàm diligenter inueſtigaui, nec potui reperire: cùmq; apud doctiſſimos Patres Poſſeuinum, Grethſerum, Lorinum, & antiquiorem ijs Turrianum, ac qui de hac re tota accuratiſſimè ſcripſerunt Authores, Angelum Roccam, & Ioſephum Stephanum, Valentinum quæſiſſem, inuenire me poſſe deſperaui. Scio tamen morem antiquiſſimum & oſculandi pedes, & Crucem geſtandi fuiſſe: nam in pleriſque ſignis, & tabulis antiquis video Romæ pedes Pontificum Crucis imagine inſignitos. Credant Angli homini quem ſciunt veritatis ſtudioſum, & qui ipſis, quos amat, nolit imponere. Quòd ſi me ignorantiæ accuſent, non eò magis commouęor, quàm multos eorum vidi minimè commoueri cùm de origine multarum, & maximarum cæremoniarum, quas in Aula ſeruant eos interrogabam, ac imprimis de inſigni illo prægrandis machęræ, & coronæ pileatæ, quæ Summo Magiſtratui præferri ſolet, cuius initium compertum ſibi eſſe negabant. Tenebant itaque morem; cauſam & originem non curabant. Nec ineptè dixerim: vti flumina, quorum

Poſſeu. Grethſ. Lorin. Turrian. Rocca. Ioſeph. Steph.

Obſcura, ſed eo priſca.

Gabam in ſe cudant obyciendo Angli.

rum

rum ob longitudinem occulti ſunt fontes, nobiliora ſunt, ita quarum latent initia, cæremonias illuſtriores, & ſacratiores eſſe; ac vti nemo Londinenſes ciues reprehendat, quod de Tamiſi bibant, cum eius fontem ignorent; ita nemo nos Anglorum iure taxet, quod quæ ad nos deriuata eſt Religio, eius principium neſciamus. Illud inter nos tamen intereſſe video: quòd quas Catholicas traditiones habemus, earum ob antiquitatem initia reperire non poſſumus: ij vero ſuarum cæremoniarum fontes in vicino habent, nec vltra ſeſquiſeculum opus eſt illarum, vti & Religionis, originem inueſtigare. Patent initia, tenentur, deprehenduntur. Pudeat homines nobiles, & imaginibus fumoſis abundantes ſuæ Religioſæ nouitatis, præſertim in thoro procacis fœminæ, licet ex Regio, vt aiunt, concubitu natæ: quem paulo poſt impurus cruor eiuſdem breui adulteræ inquinauit. Puriorem huiuſce moris originem quidam eſſe voluerunt, ſed eam inuoluerunt lepida fabula. Narrant Leonem IV. Pontificem cum eius manus fœmina pulcherrima oſcularetur ſubitò tantæ libidinis æſtu correptum, vt penè arſerit, & quaſi ignem excutere non poſſet, manum, ne ad cor ſerperet, præcidiſſe; ac vetuiſſe lege, ne quis poſtea Pontifex oſcula manuum admitteret, ſed ad pedes calceatos remitteret. Bellum commentum, ſed intempeſtiuum, quod temporis ipſius argumento refellitur; nam multò ante Leonem IV. ideſt annum 795. conſtat illam oſculandi pedes conſuetudinem extitiſſe. Illud ad Crucis affigendæ morem lepidum habet fabula, quòd aptè inducenda Crux fuit ad Diabolum illum, qui libidinis faces admouere ſolet, abigendum. Sed ad ſeria magis, & grauia.

Aptè confutatur.

Religionis nouitas Anglis exprobatur.

Huius moris antiquitas Anglis proponitur.

Ne hoc meo candore abutantur Angli, quos etſi candidos eſſe ingenio, vbi non ſunt opinione, aut affectu occupati, non inficior; ita cùm aliter ſunt inſtituti affecti vè, difficiles, & moroſos inuenio: ac, quòd ingenuè fateor huiuſce conſuetudinis initium ignorare me, & meos authores non agnoſcere, confeſſionem in opprobrium vertant, & ad obſtinationem trahant, operæ pretium duxi rem hanc feriò, & accuratè tractare, vt ſi minus originem inueniam, ſaltem antiquitatem commendem, & tempore deſignato ductam ab eo conſuetudinem ad noſtra vſque tempora demonſtrem, & fontis ignorationem perpetuò currentis Traditionis fluxu compen-

ſem,

ſem, vt appareat tam certum conſtantemque curſum nonniſi ab idoneis fontibus emanare. Igitur quod primum ſumpſi ad ſternendam ſacrę huic oſculandi pedes Pontificios conſuetudini viam, ornari ſcilicet, & notis illuſtribus inſigniri calceos Pontificum, id exactè confirmare volo. Deinde ad certum Crucis inſigne veniam, & omninò Anglis morem geram.

Igitur cùm eſſem Londini, ac de hac ſæpè oſculatione pedum diſputaſſem, nec liceret exactiùs originem inquirere, nec eam ex monumentis, & imaginibus deducere, etſi rationibus defenderem, & traditione confirmarem, optabam tamen vt contingeret Romam contendere, ibique fontes inueſtigare, quos cum vidiſſem, eorum in Angliam riuos calamo deriuatos inducerem: cùmque id mihi præter expectationem, etſi non citra votum contigiſſet, vix dum eam ingreſſus curaui rem hanc penitus introſpicere, ne quid occultum, abditumue remaneret, quod ego non in lucem proferrem. Adhibui doctorum hominum induſtriam; collegi eruditorũ librorum copiam, ex ijs didici imagines eſſe, & monumenta, vnde poſſem exempla petere Religioſæ antiquitatis. Ac primum incidi in opus Fratris Angeli Rocca Camertis Auguſtiniani Sacriſtæ Clementi VIII. Pontifici Romano dicatum Scholia in D. Gregorij Effigiem, quod primum in Bibliotheca Barberina, mox in Angelica ab eodem in Diui Auguſtini Cænobio inſtructa vidi: cuius prima in parte hanc periodum legi.

Sedula, & diligens Authoris ſuper ea inquiſitio.

Angelus Rocca.

Ad Sancti Martini in montibus inter reliquias Beati Martini Papæ, & Martyris anno Domini DCXLVII. Calceus in ſuperiori parte feneſtratus, & in acumine tantum obtectus aſſeruatur. Acuminis autem pedum tegumentum coriaceum cæruleo colore tinctum, & quibuſdam operibus ex ſerico, & auro contextis ornatum extat, in quo inſtar fere huiuſce litteræ X. quædam Crucis imago, vt ita dicam, tranſuerſaliter acu picta cernitur, quæ ornatum facit, & quandam Crucis ſimilitudinem refert. Inter eaſdem reliquias extat etiam Calceus Beati Syluestri I. holoſericus viridi colore imbutus; non villoſus, ſed iam ob vetuſtatem ſatis decoloratus, quandam tamen viridis coloris, & holoſerici ſpeciem referens, operibus item ex ſerico & auro ornatis inſignitus. Et paulo poſt. *Ipſum calceamentum tanquam venerandæ vetuſtatis monumentum, & memoratu dignum, quandam item Crucis formam latentis per aliquot*

Angeli Rocca idoneum teſtimonium.

linea-

linearum inuolucra repræſentans ſilentio præterire mihi viſum non fuit. Et poſt aliqua ſolia ad effigies calceorum ſic. *Hic calceus inſtar Sandalij Honorij I. fuiſſe cernitur, tegumento calcanei, & ligulis aſtrictorijs ob vetuſtatem carens, in cuius calcei acumine ornatus ille habet formam huiuſce XX. vel litteræ Seruianæ, quodammodo paulum ab hac deflexæ referens quandam Crucis imaginem transuerſalem tamen repræſentare videtur. Hinc non deſunt, qui per haſce litteras Crucem, ſatis belle repræſentari ſcribant*.

Hæc cum legiſſem, etſi homini docto, & erudito fidem haberem, volui tamen oculis rem ipſam meis inſpicere, viſamque apud Anglos, quos difficiles in credendo eſſe huiuſmodi monumenta ſcio, mea ijs nota fide teſtari. Accidit autem peropportunè vt arcta mihi neceſſitudo eſſet cum Reuerendiſſimo P. Ioanne Antonio Philippino Generali Carmelitani Ordinis ei Conuentui Præfecto, qui ſuis ſumptibus religioſiſſimè, ac ſplendidiſſimè antiquiſſimam illam Eccleſiam ruinis oppreſſam excitarat, & rudere ſeruato, ac inſtructo venerabili antiquitatis nitori reſtituerat, & nouam ſuper Eccleſiam ornatiſſimam de integro exædificauerat, Odęo magnificentiſſimo, Mauſolæoque pro conditorio Sacrorum, qui in eo loco antea ignobiliter iacuerant, corporum erecto, & diligentiſſimè ſepultas, & diſperſas per vetuſtas illas cryptas foſſaſque reliquias conquiſierat, & inuentas collegerat, atque vt eſt vir inſigniter pius & Romanę Religionis ſtudioſus, participem eum deſiderij, & conſilij mei feci, ac producto loco Angeli Roccę, recognouit, & probauit fidem authoris, confirmauitque ita eſſe, vti ſcripſerat, & recepit monſtraturum ſe mihi calceos illos, quorum mentionem Roccę feciſſet. Ego ingentis voti compos factus non diſtuli, quin præſtituta die ad eum adirem, oculiſque meis calceos aſpicerem, quos tandiu deſcriptos animo geſtaram. Itaque vidi, & ex lipſanothecis in quibus erant, cum ſacris & oſſibus, & ornamentis eorumdem Pontificum incluſi, eductos manibus tractaui, & accuratiſſimè recognoui. Et quidem cum ijs, quos in libro Angeli Roccæ excuſos videram diligenter conferens paulum mutatos reperi, non tam iniuria temporis, quàm vehementia pietatis, quòd qui eos inuiſendi gratia veniebant, & oſculando, & carpendo exederant, & minuerant. Itaque forma non erat integra, ſed conſumpta parte, imperfecta, pręſertim calcei Sylueſtrini, qui tum ob antiquitatem maiorem magis

Ioann. Anton. Phhilip.

Collatio eorũ quæ Author vidit cum ijs quæ ex Angelo adduxit.

magis cedebant,tum ob cultum religioſiorem frequentiùs, & curioſiùs tractabatur. Ligulæ autem partim conciſæ, partim ſolutæ, plicas & amiſerant, & remiſerant, veſtigia tamen quædam implicitę Crucis referebant: ſed ita fugientia, vt niſi oculi ductus intentiſſimè ſequerentur, minimè deprehenderes. Itaque indagine mentis opus erat. Ea vero cauſa fuit, cur qui poſtea Cænobium adminiſtrarunt illos cum cęteris, quę extabant, ſacris ornamentis reuocarunt ad armaria, & in thecas incluſerunt. Erant mecum Religioſi viri, qui contenderent in ligamine corrigiarum formam Crucis expreſſam fuiſſe, ad idque ſuadendum tractum illum, cuius adhuc extabant lineamenta obſeruabant,& ductum in eo Crucis agnoſcebant. Mihi tamen aliter viſum fuit, nec poſſe hodie formam illam Cruci aſſignari. Non dubito tamen, quin ſi varię Crucis imagines ab antiquis vſitatę, & à Lipſio, Grethſero, & Rocca probatæ conſiderentur, quę in Calceo Angelico exprimitur, ea non ineptè queat ad Crucem reuocari. Sed nolo in modico ſuadere Anglis, Papiſtas (quod maximè horrent) fieri: nec id mihi nunc ſumo. Tantùm vendico, quod dixeram, calceorum Papalium ſolemnem, & priſcum ornatum eſſe. Ac id obſeruo: quos ex holoſerico Sylueſtri calceos Angelus dicit,eos gauſapi ſimiles obuillos, quanquam minores eſſe,quos autem Martini coriaceos appellat,eos quidem è corio conſtare, ſed quibuſdam in fronte pilulis, lapillulisue diſtinctos, qui in ſiniſtra tantum parte viſuntur. Cætera ſimiles prorſus ſunt. Verùm multò ornatiores Sylueſtrini calcei, cùm tantò antiquiores ſint, exiſtunt: quod ipſum priſcæ Religionis erga Pontificem Romanum argumentum eſt; & pietatis, cùm primùm libera cœpit eſſe, & formam ſtatumque ſuum recipere potuit, exactis tyrannis, Conſtantino auſpice, monumentum.

Fides Authoris idonea.

Lipſ. Grethſ. Rocca.

Religio priſci æui quanta?

Agè verò ad id, quod Angli inquirunt, veniamus. Initium ſcilicet huiuſce, ſiue traditionis, ſiue conſuetudinis aſſuendi, aut attexendi Crucem Sandaliis, ſeu calceis Pontificum. Et quidem multis ſuper ea re diſputationibus, cum doctis, & antiquarijs, quorum Roma ferax eſt, & aſſidua, & accurata lectione, & imaginibus Pontificum vetuſtiorum quibus Templa Aedeſque ſacræ abundant, comperi verum eſſe, quod ſcripſit eruditiſſimus Frater Angelus Rocca in ſuo illo aureo libello, quem paulo ante citaui. In Honorio Primo,

Num Honorio I. fuerit antiquia?

Idem.

mo, qui circa annum Salutis DCXXIV. floruit, primùm certum & conſtans argumentum apparere. Aſcenſu enim veluti quodam numerorum, quaſi gradibus ab hoc noſtro recens (tum hoc ſcribebam) creato Alexandro VII. per Pontifices facto, vltra Honorium Primum numerare, & notare Cruces non poſſumus; non quod perpetua ſeries ſit, nec enim id exigendum in ſimulacris, iconibuſque Pontificum, quæ aut ex imperantium, aut fingentium arbitrio fiebant; ſed quod etſi eſſet interrupta, rurſum redibat alia imago prętermiſſa vetuſtior, quæ Crucem retineret. At vbi ad Honoriũ venitur, vltra numerando nuſquam Imaginem vllam Pontificis Cruce illa inſigniti, reperiri. Quod etſi verum ſit, non inde tamen, quod faciunt Hæretici, colligitur Honorium eius rei authorem fuiſſe; cum aliud ſit rem eſſe, & ſignum rei, quæ fuit, extare. Hac enim ratione negemus Anglorum Reges priſca illa ætate coronas geſtaſſe, quòd illorum effigies coronas non habeant. Sed qui antiquior fuerit, eius ſi corona extet, eum coronarum Authorem extitiſſe. Certè ſatis antiqua, & idonea ætas illa fuit pro authoritate & fide Crucibus facienda. Nam nec Hęretici tum erant, qui tanto, quanto nunc noſtri, odio Papam inſectarentur, ad quos refutandos opus eſſet Crucem ingerere: nec ea temerè ab Honorio fuit vſurpanda, niſi aut ex inſtituto maiorum, aut ex affectu Religioſo, ac pio, Eccleſia, & ferente, & probante. Vtcumque fuerit, certè fidelium ab eo tempore communio ſuſcepit, & coluit, donec aliud viſum eſt Nouatoribus, qui cum antiquitatem iactent, nouitati ſtudent, & prætermiſſis certis, & euidentibus, obſcura, & ambigua malunt aſtruere: Et quod non vident, eo tanquam argumento ad neganda, quæ vident, perperam vtuntur, quemadmodum qui non videat Antipodas, quòd eos non videat, eſſe inficietur, aut qui in continenti viuat, is vllas eſſe inſulas neget: aut qui cum magnam continentis partem peragrarit, & ad mare mediterraneum venerit, nolit credere alias adhuc vltra illud mare gentes, terraſue exiſtere. Quantò congruentiùs eſt, quòd id Honorius fecerit ex eo deducere factum id ab aliis Pontificibus antè fuiſſe; quàm ex eo, quòd ille fecerit, colligere, neminem illorum feciſſe. Sed hæc aliàs. Igitur hic Romæ in Eccleſia Sanctæ Agnetis via Nomentana in Abſide viſitur opere vermiculato effigies Honorij Primi cum Sandalijs Cru-

Idonea ad Anglis conuincendos ratiocinatio.

Nouatorum ingenium.

Imaginis ub Authore luſtrata, ac perſpecta.

ce candida inſignitis. Id quidem tam certum eſt, quàm oculos me habere qui vidi. At opponunt: Eam imaginem recentiorem, nec illius temporis eſſe: ſed eo argumento ij ſolum poterunt vti, qui noui & hoſpites Romæ ſint, nam cùm ipſa vetuſtas monſtrat, venerabilem antiquitatem, tum mos depingendi Authores Eccleſiarum eo habitu quo erant, (fuit vero illius Eccleſiæ author Honorius) probat, aut picturam illius fermè temporis eſſe, aut tempori accommodatam, vti quos præſentes volumus pingere, nonniſi aut viuos, aut ſpirantes, atque adeo ſui habitu temporis ſolemus pingere; ita & quorum imagines antiquorum videmus, eas ſi antiquiſſimę ſint, aut illorum temporum, aut ſimiles illorum temporum eſſe exiſtimare debemus.

Aliud item eſt huiuſce rei perſpicuum prçclarumque monumentum à Rocca acceptum, & à me recognitum. Ad ſanctæ Mariæ ad radicem Capitolij in foro Boario, quæ vicina eſt huic clariſſimo, vbi nunc habito, Aræ Cæli Cænobio, eſt Abſis tempore Domni, aut Domnionis Papę Anno 679. facta operis muſiui, in quo duo Pontifices cernuntur, quorum qui ſiniſter eſt, habet ſandalia Cruce nigricante inſignia, & huiuſmodi inſcriptione exeſa iam penè & fugiente notatur, his tamen litteris extantibus. *Orius PP*. quæ tàntum legi poſſunt. Hęc autem terminatio in duorum ſolum Pontificum, qui Domno antiquiores ſint, nomina quadrare poteſt, Gregorij, & Honorii, itaut *Orius* alterius ex illis extrema pars nominis ſit. Vter ſit? non eſt meum iudicare. Mallem, Gregorii, qui vetuſtior eſſet. Sed ego ſuſpicor eſſe *Honorij* de quo proximè; nam video paulo aliter pingi Gregorium Romæ ſolere. Crux tamen diuerſi coloris Honorium eum eſſe vix patitur, quam ille candidam in altera imagine prçfert. Sed non tanti eſt color, vt cum ille facilè pro temporum cæremoniarumue ratione mutetur, propter eius mutationem mutare ſententiam debeamus. Itaque is eſto *Honorius* quem dicimus. Primus. Iam duplici argumento conſtat eum anno illo Domini DCLXXIX. illa Cruce pedibus intexta pictum fuiſſe, eiuſque rei vel authorem, vel approbatorem Domnum, vel certè eo Pontifice Romanam Eccleſiam fuiſſe. Quòd ſi contendant priuati Pictoris arbitrium fuiſſe, illud admittant, & Pictoribus id temporis licuiſſe per Fideles Cruces, & Pontifices depingere; nec à quoquam vetitos, quem-

Scribebat tũ hæc Author in Aracæli Frãciſcano Cænobio.

Honorius I. Primus illa Cruce inſigni tus viſitur.

admodum in Anglia ſolent, vbi ne Crux quidem ipſa pingitur, aut exponitur. Illud autem mecummetipſe cogitando obſeruaram Honorium Heraclij Imperatoris æqualem fuiſſe, à quo Chriſti Seruatoris Crux inſigni de Choſroa Perſarum Rege parta victoria vendicata: proindeque Honorium, ſi author Crucis Sandaliis attexendę fuit, omnino voluiſſe, vt quæ oſcula pedibus Pontificum afferebantur, ea deinceps Cruci offerrentur, vt nouus illi honor ab eo, quo exaltata fuerat tempore haberetur. Sed nolim, vt hac mea cogitatione abutantur, qui vt acuti, & dicaces ſunt, in ſcomma dictum vertent retorquentes, quam Crucem ſupra caput exaltauit Heraclius, eam ad pedes abieciſſe Honorium. Occupo autem obiectionem ne putent obtuſum me eſſe, nec quid ab iis obiici poſſet, non ſatis præuidiſſe: meque purgo, excipiendo neque ad pedes abiectam ex contemptu crucem, nec quod aſſuatur pedibus, quicquam aut iniurię, aut dedecoris contrahi, quòd latè oſtendi: immò id ad Religionem pietatemque pertinere: quod niſi eſſet, næ & Fideles minimè paterentur, & ſequentes Pontifices abſtinerent. Puto autem ego magis eos tangi amore Crucis, quàm Angli tangantur.

Iuſta obſeruatio.

Obiecti occupatio.

Verùm enim verò toties ego id ac tantoperè confirmaui in Honorio Primo certum & conſtans huiuſce rei initium inueniri, vt Anglis meam fidem probatam redderem, quò ſciant me non ex eo numero eſſe, quos ipſi pios magis, quàm veraces vocant, & affectui potius, quàm veritati indulgent. Ago cum ijs ſincerè, & ingenuè, & integra ſeueraque fide, quæ neque flectitur pietate, neque mollitur affectu: Immò malo interdum videri in probando minus, vt ita dicam, pius, quàm parum ſeuerus. Non omittam tamen dicere idonea argumenta eſſe, quæ probant antiquiores Pontifices Crucem in Sandalijs habuiſſe. Fidem faciat teſtimonium Angeli Roccæ in eodem opere magna nixum authoritate, quod integrum placet tranſcribere. *Illud præterea*, inquit, *ad vetuſtiſſimam ſuper Sandalijs ſummorum Pontificum Crucis ſignum geſtandi conſuetudinem comprobandam ſcitu ſatis dignum videtur, quòd Panuinius dum vitas Summorum Pontificum, nondum in lucem editas conſcriberet, eorumdemque imagines ad viuum exprimendas curaret, in Abſide quodam vetuſtiſſimo muſiuo decorata, vel Beati Sylueſtri, vel alterius ex antiquioribus Romani Pontificis imaginem*

Rocca.

Aliud Angeli Roccæ teſtimonium.

nem

nem à calce ad caput integrum Sandalijs parua inſignitis Cruce pictam inuenit, eamque tanquam perpetua memoria dignam inter inſigniores priorum Pontificum imagines ad viuum expreſſas penes ſe habebat, cæteris quas Pictorum arbitratu pictas diiudicabat prætermiſſis; ſicut Syluius Antonianus Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis VIII. cubiculi Præfectus apprimè eruditus, nec non ſpectatæ integritatis, probatæque fidei vir ſplendidè teſtatur; dictamque imaginem à Panuinio ſibi oſtenſam, præſcriptum in modum calceatam vidiſſe omninò nullaque hæſitatione affirmet. Hæc Angelus: nec dubito quin verum ſit Onuphrij Panuinij viri & ſynceri, & eruditi, & antiquarij teſtimonium. Cui momentum non leue ex meo penu adijcere volo. Cum ego frequenter Eccleſiam illam Sancti Martini de monte inuiſerem, ac mea cum Patre Philippino ſtudia conferrem, & quid aſſidua lectione, & inquiſitione inueniſſem, communicarem, accepi ex eo in veteri Eccleſia ſubterranea, Sancti Sylueſtri, de qua toties, imaginem eſſe Sixti Papæ, quæ à capite ad calcem vſque integra apppareret; in cuius calcei acumine Crux extaret. Erectus tantæ rei expectatione, quòd de eo nihil Panuinio, nihil Angelo innoteſcere potuit, (nec enim eorum temporibus Eccleſia illa vetus comperta fuerat) atque adeò proprium mihi argumentum ad eamdem rem confirmandam comparaſſem, eò auidiſſimè conuolaui. Et quoniam obſcurior erat, quàm vt exactè inſpici res illa poſſet, locus, lumen induci imperauit Philippinus. Eo inducto, & propiùs effigiem illato vidimus ad latus dextrum Abſidis, vbi curuatura fornicis Epiſtilio incumbit, Imaginem Pontificis habitu ſolemni, cuius ima pars pedis acumen apertum relinquebat: in quo lineæ quædam nigræ formam quandam Crucis deſignabant potiùs, quàm præferebant: quas cum ego ob viſus imbecillitatem minus diſtinctè perciperem, admota ſcala lignea surſum aſcendi, & admoto cereo è vicino aſpiciens notas illas obſeruaui, ac comperi lineamenta, etſi exeſa, veſtigium quoddam Crucis nigræ retinere: quamuis, vt verum fatear, (fortè quòd ſum timidior in iudicando ne quid temerè affirmem) minùs mihi, quàm ſibi alij ea in re ſatisfecerim. Illud aſſeruerim, niſi nimis anxius & ſcrupuloſus eſſem, idem quod aliis mihi viſum iri. Certè non auſim affirmantibus contraire. Id autem ſumo, ſi ille, vti apparet, Sixtus Pontifex eſt, eum antiquiorem Sylueſtro eſſe, atque adeò. Primum,

Panuin.

Narratio de re eadem Authoris non inepta.

Mira Authoris in veteribus monumentis inueſtigandis cura.

mum, vel Secundum; quorum ille floruit circa annum Chriſti CXXIX. alter circa CCLXI. non tertius, qui floruit Anno CCCCXXXII. ac CXVI. poſt Syluestrum tanto interuallo vt inter antiquiſſimos Martyres, quorum ibi multæ imagines ſunt, pingi non debuerit. Atque vt demus Anglis eum Tertium eſſe, ſatis profectò eſt ad antiquitatem illam Crucis probandam, cum ducentos quinquaginta fermè annos ante Honorium vixerit. Nam quartus eſſe, quintuſue non poteſt cum præterquam quòd pictura vetuſtiſſima ſit, iis temporibus Eccleſia illa ſepulta iaceret, nemoque de ea cogitaret. Hoc argumentum neſcio qui eludere poſſint Angli; niſi quòd ego timidè affirmem, modeſtia mea abuti ad incredulitatem malint.

Quis fuerit ille Sixtus Pontifex?

At ſiue Honorius primus argumentum præſtet, ſiue antiquior Honorio Syluester, ſiue Syluestro Sixtus; illud certè conſtat multos poſt Honorium Pontifices reperiri, qui ſuperioribus, & ante Caluini, & Lutheri, & Vvicleffi ætates Crucem in ſandaliis geſtarunt, eoque calceamenti genere deſcribuntur. Inſigniores & perſonas & locos indico ſecutus Angelum. In Eccleſia, ſiue Oratorio Sancti Venantii, ſiue Sanctæ Mariæ ad fontem propè Baptiſterium Lateranenſe extat Abſis opere teſſellato exornata, in cuius fornice pictus cernitur Ioannes Dalmata, qui eam ſtruxit Eccleſiam circa Annum Domini DCXXXIX. abſidemque ſupradictam picturis muſiuis ornauit: inter aliàs imagines duo Pontifices eo opere depicti cum ſandaliis nigra Cruce inſignitis conſpiciũtur: quorum alter eſt ad dextram; alter ad ſiniſtram poſitus. Dexter eſt Ioannes IV. Eccleſiæ illius author, ac proinde eam manu geſtans. Anno Chriſti DCXXXVIII. alter eius ſucceſſor Theodorus, qui abſidem illam perfecit. Anno DCXL. Pontifex. Quæ quidem Cruces manifeſtæ ſunt, nec ego de illis dubitare potui. Quid? quòd ad Baſilicam Sancti Petri à tergo Altaris Sudarii, vbi eſt Imago Beatæ Marię, apparet propè illam Effigies Ioannis VII. anno ſalutis DCCVI. Papæ eiuſdem Sacelli Authoris; qui Crucem nigram in ſandaliis pręfert, eam quidem ex quatuor lapillulis minutis compoſitam; de qua non licet ambigere. Itaque meum ego illi calculum adieci, vellemque mecum Angli ſuos adderent, eoſque recipio candidos fore, etſi nigris adiiciantur. Et quoniam continens picturæ ſeries mutis conſentientium imaginum

Exempla Pôtificum afferuntur, quorum effigies Crucem in calceis praeferunt.

num

num vocibus conſuetudinem firmat, operæ pretium duco, quas eruditus Frater Angelus Rocca diligentiſſimè inueſtigatas recenſet, à me accuratiſſimè recognitas producere, & Anglorum oculis exponere. Igitur in Baſilica Sancti Petri marmoreum Vrbani Sexti ſimulacrum circa Annum MCCCLXXXIX. effectum extat, Crucem in Sandalijs præferens claram, & illuſtrem. Ad Sanctum Ioannem in Laterano ſepulcralis ſtatua Martini V. Pontificis viſitur, eodem ſigno in calceis expreſſo. Annus vero eſt MCCCCIII. In Monaſterio Sancti Saluatoris in Lauro conſpicitur effigies è marmore Eugenij IV. Anno circiter 1447. fabricata calceamento Cruce inſignito. Eiuſmodi ſunt ſimulacra multorum Pontificum recentiorum, quorum ſepulcrales ſtatuę in eadem Sancti Petri Baſilica noſcitantur; in omnibus enim Cruces impreſſæ calceis cernuntur. Nicolai nimirum V. ad annum 1455. Calliſti III. in Atriolo propè Sacellum Sixtianum circa annum 1458. Pij II. anno fermè 1361. Pauli II. anno plus minus 1471. Sixti IV. propè annum 1484. Innocentij VIII. Anno circiter 1492. Pij III. Anno 1503. In Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Mineruam extat Leonis X. ſtatua ſepulcralis, in cuius calceis Crux apparet; Cui altera, quæ in Capitolio eminet, eiuſdem Leonis, cruce illuſtris reſpondet circa annum 1621. Aliorum qui deinceps ſequuntur Pontificum, Imagines numerare ſuperuacaneum puto, cùm eæ nil iuuent ad faciendam hæreticis fidem, apud quos iuratum eſt omnia noſtra nouitatis arguere, cùm ipſa eorum hæreſis noua ſit: ac ob eam ij nouatores appellentur. Acutè tamen agunt, & ſolerter occupantes, quod vident ſibi obijci debere, ac poſſe, vt dum nos reſpondere cogunt, noſtrum argumentum auertant: nouimus eorum ingenia, nec nos aut obtuſos, aut negligentes inuenient.

Multa ac pręclaræ obſeruationes authoris.

Heterodoxorum ſolertia.

Atque vt videant, quàm ſyncerè, & candidè cum ipſis agam, fateor cum Angelo Rocca hanc conſuetudinem pingendi fingendique Imagines Pontificum ſigno Crucis in calceis ſandalijſue expreſſo, vti nec ab initio Pontificatus Petri monumentis probari poteſt, ita neque continenti perpetuáque ſerie poſſe confirmari: nam ex quo eam in Syluestro, Honorioue aperuimus, deſcendendo per gradus ætatum, & conſtitutas in ijs imagines intuendo, multas inuenimus, quæ Crucibus careant; nec id fateri timemus. Immò ex eo inſtitu-

Apta modeſtia ad faciendam fidem.

ſtitutum probamus, quòd res ea non arte compoſita, non induſtria quæſita, nec dolo immiſſa, ſed piè, ac religioſè introducta, & ſanctè integrèque ſeruata. Si enim id compoſitò factum à Catholicis eſſet, ex quo cœperunt fingere, debuerunt data opera cotinuare, nec permittere vlla ratione intermitti, cum ipſa intermiſſio, interruptioque nocere maximè poſſet conſuetudini traditionique inueteratæ. Verum, quòd Catholici non dolo, aut fuco, ſed candidè ſyncerèque agebant, nec ijs in mentem veniebat futuræ impoſturæ, calumniæue, tantùmque de ſolida veritate agebant, nihil de perpetuo illo imaginum ductu, continentique ſerie cogitarunt. Itaque vſum Crucis retinuerunt, & prout ſe occaſiones dabant, in ſignis picturiſue exhibuerunt, quod ſatis erat ad faciendam fidem pietati: perpetuitatem non curarunt, quòd ea quæſiti ſtudii, & elaboratæ induſtriæ ſignum erat: adeo non tam fidem faciebat veritati, quàm ſuſpicionem affectati ſtudii afferebat. Quare quod Angli poſſent obiicere, eo nos maximè iuuamur; nam fuiſſe hanc conſuetudinem conſtat ex monumentis apertis, quæ negare non poſſunt: non eſſe autem continuata monumenta non probat, eam non extitiſſe; ſed ad eam confirmandam neceſſarium quæſitum illud ſtudium non fuiſſe. Obſeruat ergo Angelus, & cum eo ego animaduerto, inter tot imagines veterum recentiorumque Pontificum inueniri duas Honorii II. & IV. ex Sabella vtriuſque familia effigies Cruce carentes, quarum altera ad Sanctam Bibianam, altera in hoc meo Aracælitano Cænobio viſitur: illa Anni 1240. hæc ad 1287. ex marmore effecta. Ecce in Primo Honorio Crux illuſtris, in II. & IV. Crux nulla, cùm multò hi primo recentiores fuerint, & ante ipſorum tempora Crucem tot Pontifices geſtarint: Iam vero iis ſæculis, quibus ea maximè conſuetudo vigebat, interrupta item inuenitur: nam in marmorea Bonifacii IV. ſtatua, quæ in Baſilica Sancti Pauli habetur, effecta circa annum Salutis 1450. Crux deſideratur: cum ea tamen inſit ſimulacris Innocentii II. & Bonifacii IX. Cuius rei illuſtre imprimis exemplum eſt illud, quod nobis ſuppeditat antiquiſſima Eccleſia Sanctę Mariæ Trans Tyberim in Abſide teſſellati operis fabricata Anno 1143. in qua plurimę Sanctorum imagines cōſpiciuntur, & inter eas Petri Principis Apoſtolorum, Celeſtini, Iulii, Cornelii, & Innocentii II. qui id opus fieri iuſſit;

Nimia ſæpe diligentia ſuſpecta.
Interdum negligentia probata.

ſit;

ſit; & cuius tempore ſatis vſitata Crucis in calceis pictura erat. Illarum tamen ſola Cornelij imago Crucem geſtat, qui paſſus eſt anno Domini 253. Cur autem ſolus hic habeat, id ipſum argumento eſt, non induſtriam fuiſſe pictoris, authoriſue anxiè conſuetudini ſeruientis; ſed pietatem à fuco doloque alienam: obiterque docemur ijs temporibus perſuaſum eſſe Catholicis antiquum illum Crucis portandæ in calceis vſum eſſe, cum ea Cornelio multò Honorio I. antiquiori, aſſignetur. Hanc vero credit geſtaſſe ſuo tempore Magnum Gregorium Angelus Rocca; ſed nullo id argumento idoneo probat. Ego vt inficiari non auſim, certè affirmare non poſſum, quòd monumentum eius rei nullum inueniam. Illud, quod proximè retuli de Cornelio, & quod ſuperiùs attuli de Sixto idoneum mihi ad faciendam fidem antiquitati huiuſce conſuetudinis videtur.

Antiquiſſima Crux in calceis Paparum.

Angelus Rocca.

Vt ne altiùs Honorio aſcendamus, ſatis eſt ad refutandos eos qui hunc religioſum ritum vel illudunt, vel impugnant, quaſi recentem, & temerè introductum. Nam vel Petro Molinæo iudice, quem plurimi ſolent Angli authorem facere, multò plus antiquitatis habet, quàm ipſe contra monumenta Fidei noſtræ requirat. Etenim in libro de Monarchia temporali Romani Pontificis ſic ait: *Non excedere annos ſexcentos, vel ad minus quingentòs mera eſt nouitas, cum de Eccleſiæ doctrina, vel diſciplina agitur.* Ergo cum ex proxima ratiocinatione, quam certam & accuratam exiſtimo, perſpicuè conſtet Honorium ante annos mille, ideſt circa annum 630. paulo poſt Magnum Gregorium floruiſſe, in quo haud dubiè initium huiuſce moris deprehendimus, apparet eum præfixos à Molinæo iuſti temporis terminos longè exceſſiſſe: atque adeò non poſſe illo iudice Anglos Catholicis nouitatē obijcere. Ac eo Molinæi teſtimonio libens ſum vſus, quòd ille liber Londini excuſus maiorem in Anglia vim habeat. Obiter autem & Molinæum, & Anglos monuerim obſeruent vter ſit antiquior, mos ne iſte oſculandi pedes Pontificum Cruce ſignatos? an eius contemptus, & improbatio? cùm ille mos annos nongentos excedat, hic contemptus paulò ante centum inceperit. Nongentos malui, cum mille poſſem dicere, quòd nolui Honorij Perſonæ, ſed imaginis rationem habere, ne quis Anglorum, vti ſubtiles ſunt, exciperet, non conſtare eum dum vixit Crucem geſtaſſe, ſed in eius imagi-

Refelluntur ſuo ipſorum met Heterodoxi iudicio.

Petrus Molin.

Molinæi idonea ex ſuo met teſtimonio refutatio.

ne expreſſam fuiſſe: quare hac retenta, & anno quo eſt effi-
cta, obſeruato, cum is fuerit annus 679. Domno vel Dom-
nione Pontifice infra milleſimum, ſed ſupra nongenteſimum
conſuetudo tenditur.

Ac ne quid non occupatum munitumque aduerſus An-
glicas impreſſiones relinquamus, illud ad calcem animaduer-
to, ad inuidiam, quam Pontificibus Romanis mouent depel-
lendam; non ſolos eos Crucem in Sandalijs calceiſue geſtaſ-
ſe, ſed alios interdum eam prætuliſſe; quod ex ipſis imagi-
nibus conſtat, quarum fidem appello, vti ad probandam
Crucis Pontificiæ conſuetudinem appellaui. Etenim inueni
Crucem non ſoli Papæ, ſed Epiſcopi etiã alyſque calceis affixere.
apud Angelum Rocca primùm, deinde oculis meis inſpexi Angelus Rocca.
inter alias Pontificum effigies in Abſide Eccleſiæ Sancti
Venantij, quæ eſt Sanctæ Mariæ ad fontem prope Baptiſte-
rium Lateranenſe depictas eſſe Martyrum trium, qui etſi
Epiſcopi, Romani tamen Pontifices non fuerunt, ideſt Ve-
nantij, Domnionis, & Mauri (quanquam hic extra abſidem
ſit) imagines Cruce in calceis expreſſa inſignitas. Quod An-
gelus exiſtimat non ex veteri conſuetudine factum, ſed ex
pictoris iudicio; qui cùm eos pallio ornatos videret, & ha-
bitu penè ſimili Pontificio, Crucem quoque pedibus voluit
adijcere. Ego vero paulò aliter ſentio, qui videam Pictores
ea tempeſtate religioſiùs ſolitos pingere, nihilque ſibi teme-
rè arrogare: nam ſi id fieret, multum de Picturarum fide de-
traheretur. Quare ſi in pingenda Cruce ſemel erraſſe Picto-
rem illum affirmemus, noſtro nos argumento capiemur, eos
& in Cruce Pontificibus aſſignanda labi potuiſſe. Itaque cre-
diderim picturas omnes idoneas eſſe, & Cruces rectè conſta-
re: eaque tempeſtate non modò Summos Pontifices, ſed alios
item minores Crucem in calceis geſtare conſueuiſſe: cuius rei
etſi rariora inueniantur exempla, non deſunt tamen quæ ſa-
tis ſint ad fidem faciendam, niſi ſi mos ille non inueterauit,
quòd cùm nimium daret Epiſcopis, Romani Pontificis di-
gnitatem quodammodo minuebat. Itaque ſublatus eſt, quo
integer ſuus honos Pontificibus Romanis conſtaret. Equidem
ego iudico illos Pontifices & Martyres Crucibus inſignitos
ob religionem illius temporis fuiſſe, quo Fideles Martyrum
ſe pedibus aduoluere, eoſque oſculari ſoliti erant, quemad-
modum ex multorum Actis conſtat, traditque Surius, & Lip- Surius. Lippo.
pomanus paſſim in vitis Sanctorum, nec minus item Pon-
tifices,

tifices, eodem cultus genere proſequebantur, vti de Epiphanio Hieronymus Epiſtola 61. ad Pammachium ſcribit. *Ad quem omnis ætatis & ſexus turba conflueret offerens paruulos, Pedes deoſculans*. Quod non priuatæ dumtaxat hominis ſanctitati, ſed communi etiam dignitati dandum docet Auguſtin. ſerm. 18. de verbis Domini. Cum, *Ad Eccleſiam*, inquit, *curris, Epiſcopum videre deſideras, ad eius pedes volutaris*: qua de re multa proximè diximus. Itaque iure quorum pedibus homines aduolui, & oſcula infigere ſolebant, ij Crucem in calceis, ad quem cultus ille tranſiret, ferre, vti Romani Pontifices, debuerunt: Atque hic ſiſto: & Anglos ne tam perſpectæ apertæque veritati reſiſtant, oro: norintque me non aut amore, aut ambitione, aut prauo aliquo affectu ductum iſta ſcripſiſſe, ſed ſtudio, quo maximè teneor, & verum inueniendi, & dicendi. Amo ipſos vehementer, & colo: vellem eos per hæc omnibus indicijs indagata veſtigia ad Catholica ſacra reducere: quæ quod certa ſint prorſus, & neceſſaria ad ſalutem, video, ſi ab ijs Angli deflectant, à Regia ſalutis via diſceſſuros. Quod certè pro ſingulari meo in eos ſtudio ferre non poſſum.

D.Hier.

Auguſt.

Pia ad Anglos hortatio.

CAPVT III.

Heteredoxorum de Stratorio Imperatorum, ac Regum erga Summos Pontifices officio calumnia depellitur.

Vtcumque ferunt Angli, etſi tamen ægrè, offerri ab Regibus oſcula pedibus Pontificum. At pati certè non poſſunt, cùm à Regibus ſolemni more excipiuntur, Equites ire Pontifices, Pedites Reges. Immò & equum aſcendentibus ſtapedem applicare, & pedem inducere, freno apprehendere, & ducere; deſcendentibus ſtapedem detrahere, & quaſi ſtratoris officium exercere. Clamant indignum id eſſe Maieſtate Regia; ſupra dignitatem Pontificis; nouum genus inſolentiæ, & monſtrum immane ſuperbiæ. Nil tam deforme Regibus eſſe; nil tam deteſtandum in Pontificibus. Audiui eos ſæpè in Anglia querentes, frementeſque, & vltra modum, moremque gentis, quę cùm vrbana, tum ſuauis eſt, indignantes ac penè furentes: quibus ego tum ioco ſolebam dicere: Ex ijs quæ Pontifici noſtro obiicerent, hoc vnum

De huiuſmodi honore Pontificibus delato iniuſta Anglorũ querimonia.

me iis condonare, quòd viderem aliquo iure obiectum: nam Anglos nobiles equites eſſe; nec debere ad illa ſtratorum miniſteria demitti, quę parum aberant ab ſtrigilibus, quas equiſones viliſſimi equis admoueant. Verùm addebam aliud feſtiuiter: Mirari me, quomodo id Galli paterentur, qui certè primas in equitando, & olim tenuerunt, & nunc tenent. Quorum tamen Reges conſtat illud ſæpè officium Pontificibus Romanis detuliſſe. Itaque debere Anglos, quod Galli haud ignobiliores equites ferunt, tolerare. Quibus cùm reſponderent, ſe in acie ſæpè Gallos viciſſe, ac victores Galliam peragraſſe, eamque penè totam armis ſubieciſſe, atque adeo pudere pati, quæ victi patiantur. Reponebam: quos tandem eos equites eſſe, quos fœmina, & puella viciſſet? Itaque qui tum fœminæ ceſſerunt poſſe & Pontifici cedere, & quos illa ex equis deiecit, eos non debere indignari, ſi ad ſtratoris officium demittantur. At ſcitè ingerebant, ſe à puella miraculo victos, non humana vi, ſed diuina virtute, nec id ſibi probro fuiſse. Probabam. Sed referebam, & Papam non conditione, aut vi ſua id officii genus, ſed diuinæ ratione, quam gerebat perſonæ poſtulare; cui qui deferret, non homini, ſed Deo deferebat. Quare qui in puella, & quidem paſtrice Dei numen agnoſsent, & in Papa ouium Chriſti Paſtore idem numen agnoſcerent, idque in eo venerarentur: cùm præſertim Petrus piſcator eſset, ac rei nauticę peritus, qua ratione venerabilior Anglis, quàm Gallis futurus erat, cũ Angli nauigandi peritia Gallos antecedant. Non debere Anglos, quem Galli honorem Petro deferunt, homini piſcatori; eidem denegare: præſertim cum ex Plauto latiniſſimo Authore conſtet: *naues equos ligneos eſſe*, quibus nautæ *per cæruleas vias incedant*, & ipſum nauigare ab Horatio probato teſte, *Equitare* aptè dicatur. Quin & ipſe Neptunus nauigandi, & equitandi Author fuiſse perhibeatur, *Hippius*, ideſt *Equeſter* nuncupatus. His ego nunc addiderim: Annulum piſcatores noſtros gerere, quod Equitum inſigne Romanorum fuit, quo qui vtuntur Pontifices Equites ſe eſse profitentur; quem cùm piſcatoris vocant, docent Petrum Equitem fuiſse, atque adeò non indignum, cui ille honos, quem ſubtrahunt, deferatur. Hæc dixerim, vti ſolent ii, argutulè, ac floridè. Nunc & ſolidè, & grauiter. Quid queruntur, & fremunt, quòd Reges, ac Principes Pontifici Chriſti Vicario id honoris genus exhi-

Bellum in Anglos ſcomma.

Aliud multo feſtiuius.

Tertium feſtiuiſſimum.

Plautus.

Horat.

Lepida refutatio.

Diodor. l.6.c.15.

Ioannes Roſinus l.2.c.13.

exhibeant quod pietas introduxit, Religio conſeruauit? Nam
priſcum illud eſt, & cõſuetudine roboratum. Non inuenimus
in Sacris Litteris, aiunt, aut pręceptum, aut exemplum.
Laudo ſtudium quo Sacra ſcrutantur Biblia: ſed non laudo *Seria pij mo-*
affectum, quo locos & inquirunt, & interpretantur. Com- *ris defenſio.*
peri enim peruerſo plerumque animo facere, vt nos, noſtra-
que impugnent, & frequenter diſtorto animo ſenſus diſtor-
quere. Primum dicant, an vſpiam inuenerint, id eſſe pro-
hibitum? Nuſquam ſanè inuenient. Cur igitur reprehen-
dunt, quod nulla lege vetatur? An omnia pietatis officia
Scriptura Sacra præſcribit? Dicant vbi Sacra, & cæremonias
ſuas inueniunt deſignatas? quanquam eæ tam ſunt paucæ,
tamquam exiles, vt vix extent, appareantue. Sed vbi tan-
dem quæ ad curationem funerum pertinent, inuenerunt? Il-
los ramos, illa ſigna, illas vittas, illas chirothecas, illa xe- *Immanitas*
niola, quę vltro citroque mittuntur? vbi demolitiones tem- *in torquen-*
plorum, Altarium ſubuerſiones, oſſium effoſſiones; cinerum *dis Catholi-*
combuſtiones, immanitates illas quas in viuos & mortuos *cis.*
Catholicos exercuerunt? Equidem priora illa præcepta non
reperio; poſteriora vetita ſeuerè ac prohibita comperio. Mi-
tiùs tamen cum ijs agimus. Illa non improbamus, quòd li-
bera ſint, nec mala: iſta quòd impia ſunt, & fæda impro-
bamus. Imitentur modeſtiam noſtram: quæ bona & permiſ-
ſa legibus ſint, non reprehendant; quæ ſecùs vituperent. Sed
vrgeam. Alienum putant à principibus viris ſtratoris offi-
Gen. 23. cium. Ecce Abraham. *Quantus vir?* qui in Aſtris cunas ha-
buit, *ſtrauit aſinum ſuum*, nempè ſacrificio operam daturus. *Religio Chri-*
Quin paulo poſt onus aſini in Iſaac filiolum tranſtulit. *Tulit* *ſtianorum*
ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum. Nec illum *Principum*
puduit imponere, nec iſtum recipere. Quid? quòd Labanus *vindicatur.*
Meſopotamiæ vir Primarius, & Abrahami conſanguineus
Gen 24. *Camelos* ſerui ad ſe miſſi *deſtrauit, deditque paleas ac fænum.* Si
hoc munus libero eſſet, quod aiunt, homine indignum, ne-
que ille Propheta Bethel ſterni ſibi aſinum iuberet à Filijs
3. Reg. ingenuis, opinor, ac liberis: nec ipſemet alteri ad Ieroboam
Prophetæ miſſo de Iuda proprijs manibus aſinum ſterneret.
Sed illuſtres ſunt Angli, & Proſeleni, & vſque ad talos no-
biles; non tamen Abrahamum ſuperent: nam qui inter aſtra
locauit poſteros, ipſe omni ſidere nobilior fuit. Puto tamen *Venuſtatis*
eos ſi die illo palmarum Triumpho Chriſti intereſſent, ac *plena argu-*
mentatio.

eum

eum ex equis, (nam non deceret tantos viros inter *Iudæos* pediteſ eſſe) ſpectarent, omninò equis deſcenſuros, & aſinum quem Chriſtus inſidebat capiſtro apprehenſuros, & apprehenſum in vrbem ducturos : nec enim aliud de illorum erga Chriſtum amore, ac reuerentia opinari audeo. Sed hoc illi Chriſto tribuerent, Dei Filio: Papæ omnino nollent, qui homo eſt, & Antichriſtus ab illis dicitur. Verùm maioribus ſuis aliter viſum ; quorum imaginibus delectantur, exempla deteſtantur. Sinant ſaltem nos Chriſtianos & Catholicos, qui in Papa Chriſti Vicarium agnoſcimus ; ei, quod ipſi Chriſto præſtarent, obſequium deferre, & Conſilium Euangelicum ſequi: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Certum eſt, ſi Romam veniant, in equis ſuis fore ; nec à nobis eſſe ex ijs detrahendos ; nec ad ſtratoris officium adigendos. Miror autem homines in Sacris Litteris eruditos tantoperè indignari Principibus, quòd id genus obſequij deferant Pontificibus, perinde ac illud nouũ & inſolens ſit. Puto enim eſſe honoris genus, quo per Scripturas licet hominem affici etiam priuatum. Reuocent in mentem caput 6. Eſtheris, inuenient, expreſſum rei, quam taxant, exemplum. Interrogat Aſſuerus Aman. *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat?* Reſpondet Aman. *Homo quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus Regijs, & imponi ſuper equum qui de ſella Regis eſt, & accipere Regium Diadema ſuper caput ſuum, & primus de Regijs Principibus ac Tyrannis teneat equum eius, & per plateam Ciuitatis incedens clamet, & dicat. Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare.* Diſpiciant quæſo locum, & expendant. Facilè occurrit Purpurato Aman honoris genus illud, quod ij inſolens putant. Facile, quod vſitatum opinor, ſaltem non inſolens erat : quòd ſi erat ; præcepto Regis molliebatur inſolentia, nec erat, cur taxaretur. Deinde Rex tantùm interrogauit ; nec quid honoris deferendum eſſet ſignificauit : liberum reliquit locum optandi : vt arbitratu ſuo eligeret, quo docemur opus non eſſe, vt à Deo honorum certi quidam gradus deſignentur : nec quòd ij non à Spiritu Sancto in Sacris Biblijs præſcribantur, propterea illicitos eſſe, cùm hìc nihil ab Aſſuero diuinitùs, opinor, impulſo, de genere officij decernatur, ſed totum Amano miniſtro committatur : quod cùm definiat, ab Aſſuero probetur. Quo certè erudimur, rationem

Pulchra obiectio facto idoneo ſacro confirmatur.

Eſth. 6.

tionem iſtam honorandi non oportere in Scripturis contineri, nec à Deo ipſo præcipi, & cùm ſit ab hominibus excogitata, Deo probari potuiſſe: cùm præſertim à ſtudio ſit pietatis profecta. Quod ſi honor iſte ab Amano inuentus & à propria ambitione ductus, quòd ſibi delatum iri exiſtimabat tamen placuit Aſſuero, honorare Mardochæum volenti: cur non placebit ſupremo Numini genus illud officij, quod Chriſtiana Pietas ob ſtudium Religionis Chriſti Vicario deſtinauit? Conſtat enim Deum velle Sacerdotes ſuos honorare. At nolunt Angli Papas honorari, quos ne Sacerdotes quidem eſſe volunt. At volumus nos qui Catholici ſumus. Illi Amanum imitantur, qui Mardochæum nolebat honorari: nos Aſſuerum, qui maximè cupiebat. Vtri iuſtius? exempla declarant. Dubitant adhuc Angli. Ego non dubito quin vti Amanus ſibi optabat honorem, quem Mardochæo nolebat deferri, ita Angli, quod officium nolunt Pontificibus præſtari, ſuis Principibus deferri velint. Odio id Papæ faciunt; nec rem veritate pendunt, ſed affectu metiuntur.

Pudeat Rtges, inquiunt, ad illud ſe miniſterium abijcere, quod vilium homuncionum proprium eſt. Abiectius certè fuit lauandi diſcipulorum pedes miniſterium, ac illud nihilominus Chriſtus exercuit, nec eò Reges vti, aut dedignantur, aut deſinunt. Amant humana Angli. Obijcio. Deos Homerus ſæpè aurigas inducit; inducit Virgilius Iuturnam, & Statius Apollinem. Ficta ſunt numina, ſed illi vera putabant: nec ab ijs alienum ducebant frena imponere, detrahere, ſcuticam vibrare, excutere, lora contrahere, remittere, equos regere, currum dirigere. Quid? quòd Imperatores Aurigantium factionibus dediti ex nimio in eas, quibus fauebant ſtudio, multa, & ignobilia munia exercebant, adeò vt quidam ſtabulum Palatio anteferrent? Hoc vnum, vti proximo capite dixi, deſidero in Anglis, vt cupiant Papę; ſi enim cupiant, profectò non improbent oblatos ei honores; immò quos nunc nimios exiſtimant, exiguos putabunt. Etſi minimè decere videatur Reges illud obſequij genus; ſi tamen eorum in Sedem Apoſtolicam voluntas ſtudiumque pendatur, non indignum Regia Maieſtate videbitur: nam vbi amor dominatur, ſeruit Maieſtas. Etenim

Non bene conueniunt, nec in vna Sede morantur Maieſtas, & Amor.

Idcir-

Anglorum calumnia exēplo Chriſti redarguitur.

Ioa: 13.

Homer.

Virgil.

Statius.

Eruditione liberali refellitur.

Idcircò Euangeliſta dilectus, ac intimus Chriſto antequam lotionem illam pedum inſigne humilitatis exemplum ſcriberet, multa de eiuſdem Chriſti erga ſuos amore præfatus eſt, vt cum amorem aſtrueret, fontem & principium officij indicaret; viamque ad obſequium muniret, propterea quod Maieſtas cum amore non poſſet cohærere. Nam vbi ſuſcepit Chriſtus amatoris perſonam, & veſtimenta quibus inſignia Maieſtatis ſignificantur, depoſuit, & inſtar ſe ſerui præcinxit, & ſeruilia miniſteria obiuit, ſeque demum ad diſcipulorum pedes abiecit. Eſt enim Auguſtino authore *Amor pondus*, qui quemcumque afficit, eum deprimit, obruitque officio: nec patitur in edito illuſtrique loco erectum, ſublimemque conſiſtere. *Da amantem, ſentit quod dico: nam ſi frigido loquor, neſcit quid loquor.* Frigent Angli ad Aquilonem reiecti, à quo *panditur omne* hæreſeos *malum*: hunc ardorem Chriſtianæ pietatis nec norunt, nec ferunt: noſſent, ac ferrent ſi amarent; quemadmodum nos qui amamus Pontificem & in eo Chriſtum diligimus, non ſolùm patimur, ſed profitemur. Et fuit cùm Angli ardebant, & ferebant. *Sed fuit Ilium & ingens Religio Anglorum.* Ita legimus apud Sigibertum ore Roberti Abbatis. *Ludouicus Rex Francorum, & Henricus Rex Anglorum ſuper Ligerim apud Tociacum conuenientes Alexandrum Papam Romanum honore congruo ſuſceperunt, & vſi Officio Stratoris pedites dextra læuaque frenum equi ipſius tenentes eum vſque ad præparatum papilionem perduxerunt.* O quantum diuerſus ab illo Henrico Henricus VIII. ſed à ſeipſo etiam diuerſus. Huic tamen ſimiles eſſe Angli poſteri quàm alterius maluerunt, quem maiores ſecuti ſunt ſui, à quibus item deficere voluerunt. Felices Galli tum Reges, tum ciues, qui in eodem officio perſtiterunt, ac propterea Reges Ludouici ſumma cum gloria & propagantur & regnant, regnabuntque, opinor, feliciſſimè. Et quoniam magna vis eſt in Authore ad legem moremue ſeruandum; ac tantùm, ait Cicero, *opinio præiudicata poteſt, vt ſine ratione valeat authoritas*, & in hac in qua verſamur quæſtione Angli fortaſſe *Lucem authoris deſiderant*, proferam eum, quo nullum illuſtriorem optare poſſint, Conſtantinum illum Anglum Patria, Magnum genere, virtute, rebus, geſtis, magnificentia, ac religione clariſſimum. Is igitur cùm Eccleſiam Romanam vexatam afflictamque recreaſſet; Pontificiam dignitatem contemptam deformatamque

Mira vis religioſæ charitatis.

Ioa. 13.

Auguſt.

Frigent Angli ſuis niuibus gelidiores

Sigib.

Exemplo domeſtico confutantur.

Reges ijs Galli obijciūtur.

Conſtantino Magno Gentili ſuo in lucem producto conuincuntur.

tamque

tamque ornaſſet; rem ſacram exiguam tenuemque auxiſſet voluit Romanum Pontificem Syluestrum eo genere honoris afficere, quod illatas ab initio naſcentis Eccleſiæ ab impijs Imperatoribus Sedi Apoſtolicæ iniurias decoris magnitudine compenſaret. Itaque Syluestro non ſolum Imperij faſces ſubmiſit, ſed etiam equitanti ſtratoris officium exhibuit, vt in Syluestro Eccleſia de triumphis, & de Imperio in Conſtantino triumpharet. Perſuadere hoc Anglis difficile erit, niſi manifeſto teſtimonio, cui refragari non poſſint. Extat diploma Conſtantini, quod Priuilegium donationis vulgò dicunt, ſummæ vel apud Græcos fidei, quemadmodum ſuperius oſtendi, in quo ipſe id Imperator diſertis verbis fatetur. *Nos autem*, inquit Conſtantinus, *tenentes frenum equi Sancti Syluestri propter venerationem & reuerentiam Sancti Petri Stratoris officio functi ſumus*. Scio non paucos ei fidem detrahere, ſed iam eam ego ſupra idoneis opinor rationibus confirmaui. Nunc quì hoc negent Angli non video, cum affirment Adrianus I. in Epiſt. ad Conſtant. & Irenen, quæ habetur in Actione 7. Synodi, & Theodorus Balſamon in nomocan. Photij tit. 8. cap. 1. & Leo IX. in epiſtol. aduerſus præſumptionem Michaelis Imperatoris cap. 13. & Ado Vienenſ. in comment. ætatis ſextæ. Anſelmus lib. 4. cap. 32. Anaſtaſ. Bibliothec. & Petrus Damiani in diſceptat. Synodali, & Gotfredus Viterbienſ. in Chron. par. 6. cap. 2. & Gratianus in Decreto diſt. 96. Auguſt. Eugubinus de donat. Conſtant. lib. 2. nu. 66. & ipſe Bullingerus hæreticus admittat. Ab hoc authore cæteri Imperatores Regeſque Catholici morem acceperunt, & per manus traditum conſeruarunt, quod Friderici reluctantis primùm, deinde admittentis exemplo conſtitit. Nam hic, Auguſtino Eugubino authore, *cùm Conſtantini exemplum ob ſuperbiam imitari noluiſſet, pedemque Pontificis aſcendentis equum tenere more maiorum renuiſſet, atque ad oſculandum Adrianum IV. Pontificem acceſſiſſet, non eſt admiſſus, ſed reiectus à Pontifice. Verùm à Proceribus doctus Imperator veſtigatis veterum vonumentis, repertoque eam antiquiſſimam eſſe conſuetudinem Imperatorum, cùm iterum occurriſſet Pontifici, officium ſtratoris exhibuit*. Idem narrat Cardinalis Aragonius in compilat. Regeſti Pontificum. Et ait: *more maiorum impulſus eſt Fridericus, vt ſtapedam Pontificis teneret, eique ex equo deſcendenti, demiſſo, atque detecto capite famularetur*. Sutrium eius rei teſtis fuit, ibi enim contigiſſe, cum Rex adhuc Fridericus eſſet, narrant

Extat diploma.

Adri. I. Theod. Balſam. Leo IX. Addo Vienn. Anſel. Anaſtaſ. Bibliot. Petrus Dam. Gotfredus Viterb. Grat. Auguſt. Eugub.

Fridericus momentum addit.

Obiectiones præciduntur. Authores. Quid opponere Angli poſſint, non inuenio, nec enim ad eos magis intereſt, quàm ad illum tum intererat officij illius lege, aut conſuetudine eximi: nec diligentiùs originem cauſamque examinare debent, cùm & radicem obedientiæ omnem præciderint, & longè ſint tempore remotiores. Pudeat eos intueri Regem externum Pontifici Anglo, nam is erat Adrianus IV. illud officij genus exhibētem, quod Angli negant Romanæ Eccleſiæ dignitati, per quam acceperant, officium in ſuo gentili ac ciue Adriano. Itaque Anglia in eo Pontifice Romano honorata eſt: nunc eadem, & Pontificem officio, & ſe honore priuat. Indignum certè nobilis gentis pro accepto beneficio hoſtimentum. Sed ſtudio Regiæ Maieſtatis aſſerendæ obſequij illius genus condemnāt. *Angli Regum amantes.* An ſunt reliquis gentibus ſtudioſiores? An ſuis maioribus hac in re pręſtant? quibus ſanctius nomen Regium fuiſſe legimus, quàm apud poſteros fuit. Nolo vulnera refricare recentia; tantùm inſinuo quæ ſatis ſunt ad refutandam licentiam. Quanti ſe facere putant Reges ſuos? Certè, vt magni faciant, & meritò, non pluris faciunt quàm Galli: cuius eſt gentis inſigne in Reges ſtudium, adeò, vt penè in Religionem tranſeat, quod ego alias animaduerti ex Iouio. *Author Propug. Iouius.* Galliarum igitur Reges, cùm nullum officij genus in Romanos Pontifices prætermiſerunt; tum hoc præcipuè frequentarunt. Ac vt de alijs taceam, Pipinus Carolinæ ſtirpis author & Princeps, Stephanum III. variis agitatum ab Aiſtulpho Rege iniuriis, exulem ad ſe extorremque recipiens ſingulare pietatis exemplū præbuit. *Horum in Papas religio* Nam pręmiſſo ad centum milliaria Carolo Filio à quo honorificè deduceretur: ipſa verba ſunt Anſelmi Lucenſis. *Pontifici ad trium milliarium ſpatium occurrit, & de equo deſcendens, & per frenum ſtratoris officium exercens, eum vſque ad ſuum Palatium deduxit.* Quod item narrat Martinus Polonus & Eugubinus ex Iuonę Carnotenſi, & Anaſtaſio commemorat, & probant cæteri qui de vitis ſcripſere Pontificum. *Martin. polon. Eugub.* En Rex, Regumque ac Imperatorum Parens officio ſtratoris viam ſuis ad Imperium ſtrauit; ſeque ipſum humi proijciens Regni nobiliſſimi fundamenta iecit: ac per illam ruinam, & Eccleſiam, & ſtirpem Carolinam ad triumphale culmen euexit. Sed ruinæ voluntarię decori ſunt per eas ad Religionem eunti: imò & per quas hæc aſcendit gradus, illæ non ruinæ dicendæ. Ecquis autem ruere dicatur, à quo exaltatur Religio, quæ quoniam diuina eſt, euertit ſublimia, humilia

exal-

exaltat. Palmaria virtus eſt, quæ ponderi ſuccollat, & ſuccollando in altum nititur. Hac arte Maieſtas Gallica in dies creſcit: creſcetque magis, quòd ſe Pontificiæ dignitati ſubmittit. Nec vero periculum eſt, ne ſi Reges ad Pontificum pedes accidant, ſeque in terram proſternant, propterea de ſtatu dignitatis deijciantur, aut ſaltem deturpentur. Eſt quippè *puluis* non *indecorus*, quem qui colligit *non ſordidatur*. Meminerint Angli Lucij Iunij Bruti, gentis ſuæ, vt aiunt, cognominis, imò & conſanguinei, qui in terram procidens, eique oſcula imprimens viam ſibi ad Imperium ſtrauit, Matrem expertus, quòd ab ea ad ampliſſimam fortunam educatus. Nec omittant *ſecuti* interdum *doctas fabulas*, vti humanitatis authores, quæ de Antæo Poetæ comminiſcuntur, cui luctanti cum Hercule caſus in virtutem fortunamq; vertebat; vt cùm terram contingeret, vires caperet, & aduerſus hoſtem fortior firmatiorque rediret. Ita ſe geſſere erga Eccliſiam Romanam Imperatores Conſtantini, Theodoſij, Caroli; Reges Pipini, Lotharij, Henrici, Ludouici Galliarum; Alphonſi, Sancij, Ferdinandi, Philippi Hiſpaniarum; Dionyſij, Emmanueles, Ioannes Luſitaniæ, Richardi, Edmundi Henrici, Eduardi Anglię, dum Catholica fuit. Ita omnes alij Europę Catholici Reges, ac Principes, qui faſtigiatos coronarum apices ad pedes Pontificios abiecerunt, ac idcirco olim lauris, & palmis caput inſeruerunt, & hodie ad cælum vſque euecti ſublimi feriunt ſidera vertice, de quibus id vſurpare poſſumus,

Sub pedibuſque vident nubes & ſidera Reges.

Horat. Lucius. — Petri 2. — *Coronæ Gallicæ incrementa pietati debita.* — *Imperatores, ac Reges Paparum cultores.*

Sed me ardor cum Anglis expoſtulandi extra carceres euexit. De freno agimus. Illius memor, in viam me reduco, & Pipini exemplum alijs, quæ ſunt Superiorum temporum (recentia quippè Angli non curant) exemplis confirmemus. Anno 1369. duo Principes vnà Carolus IV. Imperator, & Marchio Ferrarię Vrbanum Quintum Papam pedites exceperunt, & in medium equitantem acceptum, habenis ab vtroque latere apprehenſum ad vſque Diui Petri Valuas deduxerunt. Charum Deo Carolum dixeris, & Aureum Ferrariæ Marchionem dum Maieſtate depoſita, pietate retenta ſeſe Chriſto in Chriſti Vicario ſubiecerunt. Ab optimo parente optimè inſtitutus Venceslaus Filius inaugurandus Imperator gradum ſibi humili eo abiectoque, vti dicunt Angli, miniſterio ad faſtigium honoris fecit. Eleuandus in

Præclarum Religioſæ obſeruantiæ paradigma.

ſolium ad Gregorij XI. pedes accidit, & manu equi freno admota ad ſceptrum præluſit, & detectum ſtratoris inſtar caput ad coronam erudiuit. Inficientur Angli; ſed authores apud nos ſacri, profanique teſtantur. Aliud exemplum afferam, illuſtre ac recens, ſed quod claritudine ſua vetuſtatem æquet.

Caroli V. Carolus V. aureis dignus temporibus Imperator Clementem VII. Pontificem Bononiæ coronandus, & rurſum coronatus ſuppliciter adorauit, & equo inſidentem freno pedes deduxit, vt in eum quadrare videatur, quod de Magno Pompeio dictum. *Subiecit ſeſe is cui ſe Oriens Occidenſque ſubmiſerat.* *Plinius.* Et quidem Carolus amicus Anglorum contra Gallos fuit, & aduerſus Regem Franciſcum cum Henrico VIII. iam à Papà alienato fœdus percuſſit; nec eius eſt tamen proteruiam imitatus, immò execratus. Atque hic ego Anglos amicè moneo, ne velint per Eccleſię, & antiquitatis ruinas Principum Maieſtatem attollere: neque ſuperbiam, vt aiunt, Pontificum maiore ſuperbia confutare: nec Lucifer in Sacris, nec Icarus in fabulis è cœlo, niſi quòd altiùs tentarunt aſcendere, pręcipites ceciderunt. Non hi freni ſolaris ſunt currus, quos qui Rex apprehendat, & regat Phaetonta imitetur: audacia peccatur apud ſuperos, non modeſtia. Cum Principes pedites incedunt, ad pietatem vadunt: admonentur per ſingulos paſſus Religionis ſuæ. Carolum Magnum Imperatorem intueantur, qui Romam triumphalis ingrediens veterum gloriam triumphorum Religione ſua obſcurauit. Nam vti aſcendebat ſcalam Vaticani templi in cuius Summo Pontifex erat, ſingulos eius gradus oſculabatur nouo genere triumphandi. Aliis ruinę muri aditum liberum in Vrbem prębebant. Hic ruina ſua Vrbis gloriam extollebat. Sed infelix triumphator putandus, qui nonniſi murorum gemitu, & Vrbis damno triumphabat. Erga patriam, quàm aduerſus hoſtem crudelior; nam hoſtem anteà in bello, tunc Patriam in Pace proſternebat. Felix omninò dicendus, qui humi procumbens propria ruina Patriam leuabat, & hoſtibus proſtratis ſe ſuper iniiciens, altiorem cumulum, vt illa ſublimiùs ſcanderet, efficiebat. Certè nec Atlas Orbi proficeret, niſi humeros cœlo ſupponeret; nec Imperatores Eccleſiæ, niſi capita Romano Pontifici Chriſti Vicario ſubiicerent. Illud animaduertant Heterodoxi; qui Principes capita ſubtraxerunt, & celſiùs ire neglecta Pontificum dignitate ſtuduerunt eos, &

Inſigne Caroli Magni exemplum.

Documentũ Heter. datũ.

ſo-

ſolii Maieſtatem, & Regni gloriam denigraſſe. Quibus cordi fuit Religioſa illorum obſeruantia, capitumque demiſſio, eos & ſceptrum retinuiſſe, & ſtirpem Regiam propagaſſe; Iſaia. De illis quippè videtur Iſaias illud oraculum ceciniſſe. *Gens & Regnum, quod non ſeruierit tibi peribit*. De his aliud. *Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam*. Authore nimirum Deo. *Ego Dominus faciam iſtud*.

Exacta refutatio, & Epilogus.

OScula pedum, quę Religio excogitauit, pietas obtulit, conſuetudo celebrauit, nec inſolenter admittunt, nec ſuperbè exigunt Pontifices. Temerè iudicat qui officium vitio imputat: quod animi cum ſit, illud noſſe non eſt in hominis poteſtate. Sua ſunt Maieſtati debita obſequia opportunè præſtanda, & cum defuerint, iuſtè repetenda: vti ea omittere contemptus, ita omiſſa requirere authoritatis ſpeciem habet, nec qui inde cultus exiſtit priuatę Pontificis, ſed publicę capitis Eccleſię perſonæ defertur: quem piaculum eſſet aſpernari, quòd eo Chriſtus fraudaretur, cui amoris & fidei & obſeruantię ſigna debentur. Quę qui negarit non tam Papę quàm Chriſto iniuriam facit, nec ille iure ſuo exigit, ſed Chriſti nomine recipit, in eumque refundit. Id tum ratio demonſtrat, tum Scripturę probant, tum traditio confirmat, tum exempla perſuadent. Quæ qui conuellere fundamenta velit, nę is odio, & inuidia, non amore & pietate ducitur. Faſtidiunt Religioſa oſcula, qui ea ad laſciuiam petulanter detorquent. Quod Angli exaggeratiùs, & intemperantiùs de Aſpide, & Baſiliſco obijciunt, in eo certè ampullantur, & fabulantur. In Crucem agere Pontifices ſtudent, quos aſſuta Crux calceis offendit. Mirùm quod à quibus ea calcatur, pedibus ſupertexi indignentur. Ad quem oſcula pedum pertineant Crux illa ſignificat: non ibi niſi vbi futura oſcula, futura: nec illa pedes deceret, niſi quos labra inquirerent, & animus anhelaret. Quicquid Crux attingit, ſacrum eſt; Ea pedes quoque ſacrantur, non alia ratione merentur obſequia Religioſa. His ſubmittunt Imperatores, & Reges faſtigiatos Apices Coronarum: nec verentur quicquam, dum ad pedes illos accidunt, de maieſtate decedat: quæ reuerentiæ inclinata pondere Palmæ inſtar renitentis in onus reſur-

Calumnia petita ex oſculis depellitur.

Ducta ex cruce diluitur.

reſurget, ac tanto ſublimiùs aſcendet, quantò ſe inferiùs ex animi pietate demiſit. Prement, qui pedibus Pontificum imprimunt Principes oſcula, plantis ſidera, excipientur mollibus Angelorum plumis, & alatis nobiliter talaribus in cæli cacumina euolabũt. Stratorum officium minimè detrectant, quibus illud ad ſuperos viam ſternit. Sciunt quam gerant Pontifices perſonam: huic ſeruiunt, & auguſtiùs imperant, dum ſeruiunt. Pedites ire volunt, vt clarior ſit equitantis triumphus: docti triumphos nobiles, hic nobiliùs triumphantur. Per has ruinas non hoſtium, ſed amicorum Chriſtus in cæleſte Capitolium inuehitur renouata gloria triumphali, aucta ex alienis triumphis, quos iure ſuo vindicat, eoque ſui iuris triumphantes facit. Nec enim ij niſi inanem ſpeciem gloriæ præ ſe ferunt, ſolidos titulos à Chriſto accipiunt. Satis vt eſſet ad huius gloriam obſequium ipſi deferri; certè multò eſt glorioſiùs alius ipſius nomine triumphare. Sinant Reges equos Pontificum freno apprehendere, ac ducere, nec ſe è tranſuerſo iniiciant, ne incurſentur. Non eſt ea licentia refrenanda, ſed laudanda modeſtia: illi pietati adhibet amor calcaria: cuius ſi Angli ſacros ſentirent ſtimulos ad illud officii genus currerent. Quod ſi nolint pręſtare, decedant quæſo de ira, vt integrũm nobis ſit Religionem profiteri, & iuſto ſpectaculo frui; quo nos mirificè delectamur, illi miſerè torquentur. Dum nos ſrenum Papale tenemus, pietati habenas laxamus: illi doleant, fremant, ſpumas agant, & frenos mordeant.

Structa ex ſtratorio officio amouetur

Parergon pro Catholicis.

REmittamus paulum ſtyli pugnacis contentionem, & & amænum, ſed nexum cum argumento diuerticulum legentibus afferamus, & poſt Hæreticorum confutationem ad Orthodoxorum nos doctrinam comparemus, vt nihil illic nerui ad vincendos nihil hic ſanguinis ad molliẽdos animos deſiderari poſſit. Narrando incipiamus. Igitur cùm hactenus ratiocinando proceſſiſſem, ac tum alieno, tum proprio ſtudio vſus, hunc tractatum cuicui ille modi tandem ſit, confeciſſem, ac præcipuè authoribus mihi compertis, ideſt fermè antiquioribus, vſus fuiſſem, allatum mihi fuit duos nobiles in eodem argumento huiuſce temporis authores verſari,

Ratio auctarij.

ſari,

Carolus Sauſſay. Anton. Diana.

ſari : nimirum Carolum Sauſſay , & Antoninum Dianam : quos cùm ego doctos eruditoſque imprimis eſſe agnoſcerem, nolui committere,vt opus hoc meum eorum luminibus,quæ in ijs fore credebam,deſtitutum in lucem prodiret . Itaque vtrumque diligenter perlegi ; nec pænituit conſuluiſſe , cum multa obſeruatione digna apud ipſos inuenerim . Ac omiſſis quæ pertinent ad adorationem , quod in Paralipomena erunt à me antea conijcienda , de oſculis pedum propriè agam . Primùm Carolus Sauſſay cùm ingenioſè multa , & eleganter dicat , quæ eruditè probat , eandem fermè quam Ioſephus Stephanus Valentinus Epiſcopus Veſtanus viam inierat , inſiſtit . Id autem mirabile eſt , potuiſſe illum , cum opus eius minimè vidiſſet , eadem penè veſtigia ſectari . Quod ipſum argumento eſt de qua re vterque conſentit , eam firmam , & ratam fore habendam . Affert tamen plurima & præclara Gallorum , tum Imperatorum , tum Regum exempla, quibus caret Veſtani opus ; adeo Galli Patrię amantes , & rerum periti ſuarum ſunt . Et ſanè Chriſtianiſſima illa Domus,quę à Romana nunquam Religione defecit religioſos ſemper ac pios in Eccleſiam fecit effluere fontes . Qui quoniam mihi illius gentis ſtudioſo comperti ſunt , multa mea opera collegeram , & propoſueram . Quare minus ex Sauſſaio , quàm ex alijs diſcere potui ; elegantiam tamen, nitoremque dictionis adamaui . Cognoui autem diligentiſſimè hac de re egiſſe Veſtanum Epiſcopum , cùm ei tam pauca homo Gallus eruditiſſimus adijcere potuiſſet . Dianæ multiplex doctrina, & vaſta cum infinita lectione coniuncta eruditio effecit , vt apud eum plurima inuenirem , quorum mihi ratio ducenda eſſet : etſi ille tamen bonam exemplorum partem ex Valentino , Roccaque deſumpſerit , quæ Lorino & Sauſſaio maluit aſſignare . Multus eſt in citandis authoribus , qui in eo ſunt argumento verſati , quos ego certè non vidi , aſſuetus magis concertationibus, ac diſputationibus forenſibus,quàm domeſticis priuatiſque lectionibus : cùm præſertim vti ſæpè animaduerti , Hæretici nihil recentiorum Catholicorum authoritate moueantur . Quorum ego Catalogum nolo producere, cùm apud eum poſſit quiuis noſtratium inuenire . Ex quibus duos Ieſuitas optimè noui ob diligentem variamque eruditionem , quam ſum in Societate legendo expertus , Ioannem Lorinum, & Cornelium à Lapide , quos cum Lector Catho-

Eruditio Sauſſay & Ioſephi Stephani Valentini Epiſc. Veſtani

Commendatio P. Antonini Dianæ.

Lorinus. Cornel. à Lapide.

lice

lice nactus fueris, ſic habeto, quod illi argumentum ad eruditionis ſpeciem verſent, in eo te vltra inquirendo, & ſcrutando operam fermè perditurum; niſi qui poſt eos ſcripſerunt authores, velis conſulere. Tertium non noueram, quem quòd inſignem Diana Theologum appellabat Magiſtrum Raphaelem de la Torre, eius videndi ſtudio exarſi, nec deſtiti donec in Clariſſimo Mineruæ Cænobio inuentum accuratè legi, & hominem ſubtilem ſolidumque in diſputando probandoque cognoui. Vnus eſt quem hactenus reperire non potui quem ſæpè citat Sauſſaius, & Diana, Benedictus Balduinus de calceo; apto ſanè ac proprio argumento, de quo non dubito quin illud appoſitè eruditèq; tractet: cùm præſertim tanti eum fieri videam ab vtroque magnoperè mihi probato authore. Hunc ego cum in Angelica ad Sancti Auguſtini Bibliotheca celeberrima quæſiſſem, nec reperiſſem, remiſi operam, ne mea ſtudia diutiùs intermitterem; cum Diana quæcunque is ea de re dixerit, aut colligat, aut quicunque ex eo collegerint eos indicet.

Raphaelis de la Torre commendatio.

Raph. Torre.

Baldui.

Ne quis tamen mea legens Catholicus quicquam deſideret, quod ad perfectam huiuſce argumenti cognitionem pertineat, volo quę à me ſunt, aut omiſſa induſtria, aut ſuppreſſa ſtudio producere, & in quibus ea reperire authoribus poſſit iis allatis, monſtrare.

Authores diligentia.

Igitur qui ſcire cupit quibus perſonis, ac quibus de cauſis pedum oſcula delata fuerint, vt eorum commemoratione exemplorum ora Hæreticorum religionem noſtram incuſantium obſtruantur, legat Ioſephum Stephanum Valentinum lib. de oſculatione pedum, & Thomam Bozium to. 2. de ſignis Eccleſiæ ſigno 86. Leonem Caſtrium in Iſaia cap. 29. Leſſium de Iuſt. lib. 2. cap. 38. Ioannem Cephalenium tom. 1. Conſil. conſ. 1. Tannerum tom. 3. diſp. 5. qu. 2. Antoninum Mazzaronium tract. de adorat. & oſculat. pedum Pontific. Nicolaum Baldellum tom. 2. lib. 3. diſp. 117. Theophylum Raynaudum in Onomaſt. Pontific. Caſtrum Palaum tom. 2. tract. 8. diſp. 2. Benedictum Balduinum lib. de calceo. Raphaelem de la Torre tom. 2. in ſecunda ſecundæ q. 84. diſp. 5. Sauſſaium in Appendice de adoration. & oſculat. pedum poſt Encyclopęd. Epiſcopalem. Cornelium à lapide in Iſaiā c. 49. Ioannem Lorinum in Acta Apoſt. c. 10. & Antoninum Dianam tom. 11. tract. de adorat. Summ. Pontific. Reſolut. 4.

De oſculatione pedum quoties qui authores ſcripſerunt.

Bozz. Caſtr. Leſſ. Ceph. Tann. Mazz. Baldel. Rayn. Palao.

Cata-

Catalogum Imperatorum, ac Regum qui reuerentiæ, ac demiſſionis ergò pedes Pontificios ſuauiati ſunt, ijdem Scriptores dabunt, ac imprimis Cornelius à Lapide, & Ioannes Lorinus, & Diana qui ex ijs deducit. Reſol. 3. & 5. quanquam ego ſatis id, opinor, diligenter egerim, etſi minus continenti filo numerando, quàm ſuis locis interſerendo, & ratiocinando.

Exempla quæ proferantur.

Cornel. Lorinus Diana

Hæc quoad eruditionem. Doctrinæ ſunt illa. Primùm oſcula pedum conſtare apud noſtros à Religione profecta, atque adeo diuerſis ac priuatis perſonis, ob proprias virtutes prærogatiuaſque delata, quemadmodum probant exempla adducta à Diana ex varijs authoribus. Reſol. 3. 4. & 7. & à nobis antea fuerat obſeruatum. Secundum, diuerſi generis oſcula fuiſſe: quędam ori, quædam genis, alia manibus, alia genibus, alia pedibus imprimi ſolita; quæ non modo inter noſtrates, ſed inter veteres quoque & alienos vſitata, & vno carmine comprehenduntur.

Variæ oſculandi formæ.

Ore, genis, oculis, manibus, pedibuſque feruntur.

Et quidem oris oſcula, aut honeſta, quæ ſuauia; aut obſcæna, quę baſia fermè apud Latinos dicta; vel inter ſponſos, & coniuges, vel inter amaſios, & ſcorta celebrata olim, & hodie retenta. Oſcula genarum plerumque honeſta, & amicitiæ ſigna, ſymbolaque, in vſu ſunt hodie apud ſeptentrionales populos, quibus mos eſt propinquos, familiareſque, ac hoſpites excipere. Oculorum, vehementioris ſunt affectus ſigna, nec niſi amiciſſimis oblata; quæ rariora & fuerunt, & ſunt, quòd nonniſi ex intemperanti cordis affectu erumpunt, cui cordati moderari volunt. Eo tamen vti voluit Quintus Cicero Marci Frater erga Tyronem, quemadmodum facturum ſe recipit Epiſtol. ad Tyronem 27. *Tuos*, inquit, *oculos etiamſi te veniens in medio foro videro, diſſuauiabor*. Manuum honeſtiſſima, & celeberrima habentur; partim domeſtici officij, & obſeruantiæ, cuiuſmodi ſunt, quæ parentibus dantur: partim cultus & obedientiæ veluti politicæ, quæ Regibus, & Dominis deferuntur. Pedum olim extremæ aut neceſſitatis, aut infimæ ſeruitutis: apud noſtros Catholicos ſummæ Religionis, & reuerentiæ argumenta ſunt, atque adeò Pontificibus vulgò, Epiſcopis plerumque, Sanctis ſæpè, Sacerdotibus interdum allata. De quibus, cauſiſque eorum Veſtanus Epiſcopus inter cæteros accuratè tractatu de oſculatione pedum. Vnum hic adijcio ex Tullio. Mento etiam oſculum applicatum, nimirum ex Religione: ait enim orat. 5. in

Oſcula in oculis.

Cicero.

In manibus.

Veſtan. Epiſco.

In pedibus.

Verrem. Aenei Herculis, *quod Agrigenti erat, ſimulacri os & mentum venerantium oſculis eſſe detrita*. Itaque vti quiſque afficitur, ita ſe oſculo affectum teſtatur; eſt enim oſculum quoddã quaſi cordis ſignum & ſigillum. *Oculi ſunt in amore Duces*. Oſcula ductus amoris exiſtunt, quòd ab eo diriguntur, ducunturque. Tertium, conſuetudinem oſculandi pedes Pontificios ſanctam & innocentem eſſe, præterquam quod ſatis ſuperius demonſtrauimus, complures ex his authoribus confirmant. Qua in re multus eſt Ioſephus Stephanus Valentinus, & Sauſſaius, Mazzaronius, & Cornelius, & Lorinus, ac Torre, & nouiſſimè Diana, qui ea de re copioſiſſimè omnium locis productis ſcribit. Hi morem etiam antiquiſſimum dicunt, quemadmodum & vſum Crucis in calceamentis priſcum eſſe oſtendunt. Quartùm aliam eſſe rationem oſculi Cardinalitij à communi oſculo erga Pontificem. Qua de re quòd dubitare homines doctiſſimos Romæ vidi, & libri Sacrarum cæremoniarum ſparſim & obiter dicunt, vt certum quiddam, & exploratum afferrẽ, conſului Illuſtriſſimum Dominum Franciſcum Mariam Febei, Sacris Ritibus, Cæremoniiſque Prefectum, Sancti Spiritus Commendatarium ſummum, ex quo didici, quæ ſubiungo. Præter ordinaria oſcula quæ manibus applicant, Cardinalibus mos eſt oſculari manus, & pedes, & genas Pontificis certis quibuſdam ſolemnibuſque temporibus. Primùm, cum Cardinali deſignato pileus ſuper caput ponitur. Secundùm, cùm in publicum Cardinalium Conuentum (Conſiſtorium vocant) primùm veniunt & Summi Pontificis pedibus aduoluuntur. Tertiùm, cùm poſt oris (vti aiunt) apertionem eis à Pontifice titulus aſſignatur, & annulus traditur. Quartùm, cùm in priuato Conſiſtorio Decreto Legati Apoſtolici deſignantur edito, & cùm poſtea in alio Conſiſtorio Crucem accipiunt. Quintùm, cùm in Epiſcoporum ſex ſolemnem numerum cooptati Eccleſiam ex Decreto ſortiuntur, & iuramentum præſtant. Sextùm, cùm gratias Conſiſtoriales ritè in eodem Conſiſtorio coràm agunt. Septimum, cum creato nouo Pontifice in ipſo Suffragiorum Sacello, & rurſum intra Baſilicam Sancti Petri ad eum in Ara ſedentem adoraturi accedunt, ac illius pedes oſculantur, tunc enim genis oſcula infigunt. Cuius rei ratio eſt, quòd Cardinalium dignitas, etſi longè inferior ſit Pontificia, cùm eo tamen vnum quaſi corpus domeſticum efficit. Propiùs quippè Pontificem Cardinales attingunt,

In mento. | Cicero. | *Conſuetudo oſculandi.* | Ioſeph Steph. Sauſs. Mazz. Cornel. Lorin. Torre. Diana. | *Oſcula Cardinalium.* | *In manibus in genis in pedibus.*

gunt, & ex eorum Collegio Papa aſſumitur; quare æquum eſſe videtur, vt qui Cardinalis Pontifex eſſe poſſit, is aliter quàm ij, qui Cardinales non ſunt, Pontificem adoret: & quidem Eccleſiæ ij Principes ſunt, atque adeo minus abiectè ac demiſsè adorare debent. Sanè etſi Papa cum tota fidelium ſocietate vnum corpus efficiat, quod fide continetur; eſt tamen iſtud veluti vniuerſum quoddam & publicum communi vinculo copulatum, quæ Eccleſia appellatur. At verò ille ipſe Papa cum Cardinalium Collegio ita coaleſcit, vt intimam quamdam cum eo familiam componat, & quaſi domũ efficiat, cum qua arctius colligetur. Quemadmodum Reges, etſi cum vniuerſo Regno coniuncti ſint, longè tamen cum Regia ſua ſunt familia magis copulati; ita Pontifices quamquam nihil remittant de communi vinculo, multò tamen cum Cardinalibus ſunt arctiùs fortiuſque iuncti; cùm eos & fratrum, intimorum, & conſiliariorum loco habeant, & ad munus ſuum ſocios adiutoreſque adhibeant. Quare neceſſe eſt, vt qui inter cæteros fideles multum neceſſitudine & familiaritate, & vſu excellunt, ij quoque pręſtantia, & dignitate emineant. Et quoniam tres illorum gradus ſunt, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, quibus totidem Eccleſiæ ſtatus ſignificantur, Perfectorum, Proficientium, Incipientium, pro eorum conditione oſcula varientur, ita vt oſculum oris Perfectos, manuum Proficientes, pedum Incipientes ſignificet. Quas nos cauſas, etſi ab Ioſepho Stephano, & Lorino, Dianaque indicatas, aliquantò exactiùs accuratiùſque, opinor, inueſtigauimus, ne actum agere videremur.

Cauſæ differentiæ oſculorum Cardinaliũ ab alijs

Cardinalium gradus, & ſymbola.

Quintum, quoad vſum intexendi calceis Crucem, nemo eſt quin ſentiat illius initium modeſtiam ac demiſſionem animi Paparum fuiſſe; & quidem miror cum tam ea ratio in promptu ſit, eſſe qui ſe illius, quaſi magnum quiddam foret, authores iactare velint; quemadmodum apparet ex ijs, quæ habet Diana Reſolut. 20. Puto enim cuiuis quęſtionem huiuſmodi ſibi proponenti ſtatim illam per ſeſe reſponſuram, nec opus eſſe magna inueſtigatione; atque adeo omnes eam quotquot rem attigerunt, prorſus & inuenere, & produxere. Mihi certè minus ſubtili, eius continuò in mentem venit. Quod verò addit eadem Reſolutione Diana: *Pontifices Crucem ſandalijs affixerunt, vt Chriſtiani homines eos honores, quos debitos & neceſſarios Pontifici deferebant Cruce perſpecta alacriùs exhiberent.*

Cauſa vulgaris intexendæ Crucis, & preferendæ.

Altera cauſa Dianæ proba ta minus probatur.

rent. Id ego antea attigeram, nec omninò probaram, quò ab Hęreticorum obiectione longiùs abeſſem, qui noſtris id Pontificibus ſolent obijcere: Eos ad inuitandos ad oſcula pedum Catholicos Crucem ſandalijs affixiſſe. Et quanquam Diana pietati fidelium tribuat, quod Hæretici ambitioni Paparum imputant, minus ei aſſentior, & quod exiſtimem Religionem Catholicorum eo ſtimulo non indigere, & quòd ſciam eos cùm adoratum Papam veniunt, non tam in eo Crucem, quàm Chriſti vicem, munuſque venerari, nec Latriam quæ Cruci debetur, ſed Duliam, quę quadrat in Pontificem exercere; adeo vt in adorando Pontifice non ſit Crux ratio adorandi; nam ſi hæc eſſet, Latria eſſet; cùm pręſertim Catholicis toties Crux occurrat, ac nemini deſit occaſio adorandi. Cùm igitur Catholici pedes Pontificum oſculantur propriè Petri ſucceſſorem & Chriſti Vicarium recognoſcunt: ac ita oſculantur, vt etſi Crux non ineſſet pedibus, nihilo tamen eos minus oſcularentur. Cum autem Crucem vident admonentur de Pontificum modeſtia & demiſſione, qui cùm Chriſti beneficio id munus acceperint, eumquę Vicarij more repræſentent, voluerunt eam adorationem obiecta Cruce ad Chriſtum crucifixum totius & gratiæ, & poteſtatis Eccleſiaſtitæ fontem conuertere; ita vt ibi propriè Crux non adoretur in ſe, ſed adoretur per Crucem Pontifex, tamquam Chriſti Vicarius, ad quem is demum cultus referatur: nam hoc omnino neceſſarium videtur eſſe, vt hæc adoratio ſit Pontificia; aliter quippè cum adoratione Crucis confunderetur. Et quidem ante Honorij tempora inuenio manifeſta huiuſce adorationis pedum veſtigia. Nam ſic ad Hormiſdam Andreas in litteris in princip. *Commendans me*, inquit, *veſtigijs veſtris pijſſimis*, & ad eundem Theodoretus Epiſcopus Lignidi. *Veſtris*, ait, *prædicandis*, *& adorandis*, *me præſentare veſtigijs*.

Catholicorum Religio in hiſce oſculis deferendis.

Sextum. Quę rationes afferuntur ad probandum oſculum illud pedum, & decere Pontificem, & nobis expedire, in quibus multos eſſe authores quoſdam cum Diana video, eas fermè omnes præter illam Duliæ capitalem, myſticas eſſe, atque adeò piè ad conciones magis, quàm ad diſputationes excogitatas. Idcirco à me minus curari, qui ſeria, & ſeuera cogito, & qui ſolida potius, quàm ſpecioſa inquiro. Illud tamen dixero: duas mihi præcipuè videri probabiles cauſas, cur Pontificijs pedibus oſcula afferantur. Alteram ob eius potelta-

Myſtica aliæ rationes.

teſtatem ſupremam: alteram ob ſummam authoritatem: Nam qui à Chriſto Domino Eccleſię ſuæ prępoſitus eſt, & vice ſui in altiſſimo ſolio conſtitutus, eius nos ad pedes aduoluimur, eoſque adorantes oſculamur. Quæ eſt tradita toties & probata cauſa: Deinde cùm pedes calceati Euangelizantium ſint, & qui Euangelium prædicant veritatem annuntient, Pontifex calceatus Doctorem Eccleſię repręſentat, qui diuina docet ex Cathedra, quam cum inſidet, ac ex ea loquitur, falli, fallereque non poteſt; proindeque colendus, & venerandus eſt oſculo pedum, vbi doctrinæ Symbolum reſidet. Quę altera & propriè à me excogitata cauſa; ſed firma opinor, & conſtans. Addo vnam ad mores pertinentem, quę eiuſmodi eſt. Pedes apud myſticos ſcripturarum interpretes affectiones animi, motuſque ſignificant, quos ex nuditate puros, ex genere calceamentorum varios, colligunt Authores, vt cùm pellibus ſunt contecti notent mortales abiectos: cùm hyacinthis & gemmis, indicent cæleſtes, & diuinos; cum ſerico & auro, pręſeferant vtiles, & fructuoſos ob doctrinam & charitatem. Igitur Pontifex, quòd nudis eſſe pedibus palàm non licet, calceatos habet, non pellibus, ſed ſerico, & gauſapino, vt honeſtos ſanctoſque, non caducos, & ſordidos affectus profiteatur: qui ad doctrinæ veritatem compoſiti, viam fidelibus ad ſalutem commonſtrent: qua de re ingenioſè ac eleganter Guliel. Durand. in ſuo ration. l. 3. c. 8. *Tertia idonea.*

Et quoniam coloris magna in Sacris Litteris ratio haberi ſolet, diligenter inquirendum eſt, cuius olim coloris fuerint calcei, & Crux quæ ijs affigi ſolita? Pater Diana. Reſolut. 19. cenſet, traditque ex Balſamone calceos à Conſtantino Syluestro donatos rubei coloris fuiſſe: quòd ij erant proprij Imperatorum: quorum cum Conſtantinus inſignia Syluestro dediſſet, calceos rubeos dediſſe neceſſe eſt dicere. Ego tamen aſſentiri Dianæ non poſſum, qui ſupra commemorarim in Actis S. Syluestri haberi inter cętera ornamenta, & inſignia a Conſtantino Romano Pontifici donata, *fuiſſe Vdones linteos candidos*. Quibus eum vti debere declarauit; eoque ad veterem Sacerdotum & vatum morem reſpexiſſe affirmarim; quæ ſanè acta multo maius apud me fidei pondus habent, quàm vel idonea Balſamonis authoritas. Itaque olim eos calceos candidi fuiſſe coloris exiſtimo; etſi paulo poſt color ille variauerit: nam calceus Syluestri apud Sanctum Martinum de Montibus *Cuiuſmodi coloris fuerint calcei, & Cruces aſſuta*

tibus

tibus, cuius imaginem proximè adduxi. viridis eſt coloris: Martini autem Papæ, cærulei; quod quidem probat, non vlli certo Pontifices colori addici ſe paſſos fuiſſe, ne viderentur lege ligati, Præſertim cùm ſi candidos geſtarent calceos olere ſuperſtitionem Sacerdotij priſci; ſi rubeos, imitari Imperatorum morem viderentur. Itaque primos à Conſtantino officij cauſa acceperunt; cæteros pro ſuo arbitrio mutarunt.

Varius is & incertus olim

Ac ſicut calceorum color ſubinde, ita & Crucis intextæ varius fuit. Quemadmodum enim ſupra vidimus, Cruces albæ, & nigræ in calceis, ſandalijſque Pontificum antiquorum extant. Vnde facilè eſt deducere, vti cuique placebat, ita & calceos, & Cruces ſumpſiſſe, ac geſtaſſe. Illud tamen conſtat iam inde à pluribus ſeculis à Pontificibus calceos rubeos, Cruces aureas geſtari cœptas: idque iam ex vſu in ritum legemque tranſiſſe, vti conſtat ex libro Sacrarum cæremoniarum à Chriſtophoro Marcello Archiepiſcopo Corcyrenſi compoſito, & Leoni X. dedicato, in quo lib. 1. cap. 6. ſic habetur. Induitur Pontifex Papali habitu, ideſt Toga lanea albi coloris, caligis rubris, ſandalijs rubris, aurea Cruce ornatis. Cur autem certum iſtum, & ratum Pontifices colorem eſſe voluerunt, eius allegorica ſignificatio edocebit. Ac primùm rubeus color, teſte Durando, Paſſionem Chriſti, Martyriumque ſignificat. Decebat autem, vt, vbi Crux futura erat, Paſſionis finis, & ſigillum, & Martyrij fons omnis ac virtus, ibi eius Symbolum color rubeus poneretur, cùm præſertim, inquit ille, calceus Incarnationem Domini indicet, quæ in Paſſione terminatur, & ad illam tanquam finem dirigitur. Deinde rubeo colore Spiritus Sancti ardor ſignificatur, quem affectibus ſuis Pontifex profiteri debet. Præterea doctrinæ ſignum habetur, quam inſtar ignis lucere, ac ardere oportet, tum ſuadendo, tum minando, quæ maximè in calceos ſignificatio quadrat, qui ad prædicationem Euangelij referuntur. Compaſſionem inſuper, ait Durandus, præſefert, quæ propria Pontificum virtus eſſe debet, cum eius agant Pontifices perſonam, qui ſciuit *compati infirmitatibus noſtris*. Alias allegorias vide apud Authorem Sacrarum Allegoriarum, & nonnullas in rem ſuppeditabit Diana ſuo illo in tractatu. Reſolutione 19. & 20.

Chriſt. Marc. — *Nunc calceorum rubeus Crucium aureus.* — *Duran.* — *Ratio huius mutationis.* — *Diana.*

Iam vero Crux aurea charitatem deſignat. *Ex qua Chriſto,* inquit Bonauentura, *Crucifigi complacuit, vt corda noſtra inamo-*

amorem ſuum accenderet. Fuit vero Crux fornax, & Cathedra charitatis, in qua holocauſtum Filij Dei arſit, & vnde transfixo pectore cordis ſui arcana reuelauit. Quod autem pallidum eſt aurum, amorem anxium, ſolicitumq; notat, quo Paſtores erga ſuum gregem afficiuntur, vt pro eo patiantur: Quem illa deargentata Columba *in pallore auri* ſuper dorſum poſito figurabat, qui locus & Crucis fuit, & ponderis, quod peccatores ſuper imponebant, dum ſupra Chriſti dorſum fabricabant. Rectè enim dixit Auguſtinus. *Supra Crucem peccata totius mundi portabantur*. Quid igitur aptiùs congruentiuſue Pontifici Romano Chriſti Vicario, quàm illud munus Paſtòris ouem ſuam humeris imponentis, eamque ſi opus ſit, ſuo ſanguine redimentis? Sanè cui nos Catholici aſſiſtricem columbam damus, is oportet columbæ illi deargentatæ ſimilis ſit, quæ inter medios Cleros, ſeu Clericos conſtituta auro charitatis inducto palleſcat, vt cum poſteriora, ideſt, poſtrema corporis veſtigia habeat aurea, pedes capiti, quod Chriſtus eſt, & aurum optimum, amabili charitatis pallore reſpondeant. Quæ hic ego de doctrina Pontificia meo ſum commentatus ingenio, inueni poſtea in Durando, & Stephano Veſtano, quem citat in hanc ſententiam Diana. Reſolut. 7.

Crucis aureæ ſignificatio.

Auguſt.

Duran. Steph. Veſtan.

Ad calcem animaduerto Dianam accuratiſſimum rerum indagatorem, cùm de antiquitate huiuſce conſuetudinis Crucem calceis attexendi egiſſet; minus in ea operæ, quàm ſolet in alijs poſuiſſe; tantùm adducto loco Veſtani Epiſcopi eo confirmaſſe priſcum illum eſſe morem, in vetuſtiſſimis ſtatuis, picturiſque expreſſum: *nuſquam enim*, inquit apud Dianam Veſtanus, *Romanum Pontificem depictum, aut marmore expreſſum, aut ære ductum videas, quin etiam præter inſulam, & Sacerdotij ornamenta Crucem pedibus appictam cernas*. Quod accipit Diana, eoque accepto refutat Molinæum nouitatem nobis obijcientem, cuius à me ſententia proximè & adducta; & reiecta. Verùm & nimium dixit Veſtanus, & nimis credidit Diana. Nam etſi multas eſſe imagines antiquas, tum quæ Cruce careant, tum quæ non careant apparet: vix vllam tamen ante Sylueſtri tempora reperiri conſtat, & nos perſpicuè, opinor, monſtrauimus productis diligentiſſimi Authoris teſtimonijs Angeli Roccę, Camertis Auguſtiniani Epiſcopi, cui nos curam noſtram, operamque adiunximus, non auſi rem tantam alieno, etſi idoneo dúmtaxat nomine aſſerere; niſi & no-

Animaduerſio leuis in Dianam.

Diana.

Quinta ſcriptori habenda ſit ratio veritatis.

noſtris oculis confirmaremus. Itaque maluimus aliquid de antiquitatę detrahere, quàm de veritate minuere, ne quis heterodoxus rę inueſtigata fidem habere nollet, & nos negligentiæ argueret, & negligentiæ prætextu credere rem minus exploratam vellet: cùm præſertim ei nos ſatis in Honorio I. & vetuſtatis, & authoritatis dederimus, qui ſiue illud inſtituerit, ſiue inſtitutum acceperit, magnum momentum noſtrę ſententiæ affert: cùm neque temerè feciſſe inſtituendo, quod vniuerſa deinceps amplexa eſt Eccleſia; neque niſi religioſiſſimè retinuiſſe, quod à maioribus acceperat, exiſtimari & poſſit, & debeat. Satis eſt ad Hęreticos conuincendos perpetua nongentorum, & vltrà annorum traditio, quę præſtitutum à Molinæo terminum altero penè tanto excedit; quæque non potuit debili infirmoue fundamento niti, cùm quod ędificium diutiſſimè perſeuerat, ac integrum perſiſtit, eius altiſſima & firmiſſima fundamenta eſſe oporteat.



VINDI-

VINDICIA NONA. DE ADORATIONE PAPÆ.

PROLVSIO.

NOCTE quadam hyemali tempore cùm eſſe ſolent longiſſimæ, Londini in domo Legati Sueci cum Reipubl. cauſa eſſem, & diu expectaſſem, propè ignem, vti mos eſt, aſſedi. Circumſtetere me quidã miſti ex Anabaptiſtis, Presbyterianis, ac Independentibus, & Lutheranis (qui poſtremi omnes erãt Sueci) & quòd me Catholicum nôrant, Papiſtam appellantes, Papam irridere cæperunt. Adoratio argumentum fuit, quam cum erga Sanctos ferre nequeant, in Papa deteſtantur. Oppoſui me ſtrenuè, & acerrimè eam vindicanti, ſic duo ex ijs obſtrepuerunt. Adeò ne abiectus ſit pudor, vt diuinos ſibi honores Romanus Pontifex haberi, & velit, & iubeat. Et quod in Vrbe ante Diocletianum nemo eſt auſus, omnes ſibi Pontifices arrogare audeant? Itaque illa vel ſuperſtitionum plena, inter idola, quæ colebat, hoc adorationis monſtrum non tulit: poſtea eadem religioſa, & Chriſtiana idolis abolitis nefariè admiſit? Vnus Lucifer in cælo inuentus eſt, quem dira libido ad Dei ſolium occupandum adegit. Sed hic vix dum Lucifer ortus, Draco redditus tenebroſus, ac è cælo præcipitatus. Romæ, proh dolor! tot Luciferi, quot Pontifices reperiuntur, quos impudens vecordia eò impulit, vt Dei locum, nomenque vſurpent, & pro Dijs colantur, & Dracones cum ſint, Aris obrepant, ac earum ſe cornibus tueantur, caudiſque obtecti ſuis deliteſcant. Quod Angelo, ac Principi licere non potuit, licet homini mortali in Arce Imperij orbis domitrice. Nos qui liberi ſumus abominationem ſtantem in loco Sancto videmus. Et quem Pſeudo Catholici Chriſti Vicarium vocant,

Eutrop. de Diocl. l. 9.

cant, in eo nos Antichriſtum inſpicimus. Non faciunt Romani fortia: patiuntur. Dimidij Romani, vel nulli; ac minus Romani, cum haud dedignantur cogi ſe ad ingeniculationes turpes, capitum ſubmiſſiones infames, ſuccollationes miſeras, adorationes infelices. Ac neſcimus vituperandi ne ſint magis Imperatores, & Reges, qui adorant; an Papæ, qui adorantur? nam illi deformiter ſibi detrahunt; iſti ſuperbè ſibi arrogant. Vtrique diuerſa via ad exitium vadunt; ſed cum ignominia Reges, Papæ cum ſuperbia. Id autem magnoperè mirandum, & dolendum quòd homines Scripturarum, vt aiunt, & periti, & amantes, aut eas negligant, aut euertant. Certè contrà quam eæ præcipiunt omninò faciunt. Ecce enim Mardochæus Amanum noluit adorare timens: Ne honorem Dei transferret ad hominem: Et 2. Actorum 10. Petrus à Cornelio ſe non eſt paſſus adorari. Et Actorum 14. Paulus & Barnabas ab adoratione, quam ſibi deferebant Lycaones, prohibuerunt. Apocalypſ. verſ. 19. Ioannes cum adorare vellet Angelum, ab eo deterritus eſt. Hæc ſi expendant, aiebant, qui adorant, adoranturque, violatæ ſe non modò religioſæ obſeruantiæ, ſed & Diuinæ authoritatis reos agnoſcent; noſque comperient tum modeſtiæ Chriſtianæ vindices, tum Sacræ Scripturarum fidei aſſertores. Hæc illi Heterodoxi ex impio inſtituto, quod à Theodoro Reinhingh, & Petro, & Carolo Molinæo ita ratiocinantibus, vt apud Dianam tract. de Adoratione Papæ videre eſt, acceptum retinuerunt. Quibus ego ſic reſpondebam.

CAPVT I.

Adoratio Romani Pontificis aſſeritur, vindicatur, ſtatuitur.

QVod olim Diogeni Cynico faſtum Platoni obijcienti Plato ſcitè repoſuit, id à nobis Heterodoxis ſuperbiam exprobrantibus aptè reponendum. *Maiori eos ſuperbia ſuperbiam noſtram reprehendere*. Sed longè grauiùs peccare eos Diogene obſeruamus, quòd nec veritatem curant, cùm obijciunt, nec iuris rationem habent, cùm taxant. Itaque non eos ſolum ſuperbię, ſed & calumnię, & iniurię accuſamus. Fingunt, exaggerant multa, vt inuidiam nobis concitent, ac per inuidiam petant, & nullo fermè alio argumento vtuntur niſi hyperbole. Homines nimirum Rhetorici, & altè cincti ſimplicem nudamque veritatem veſtiunt luminibus, quę cùm nimis in ea inſufflant, extinguunt, & in fumum vertunt. Captant rumores, & auram popularem colligunt, & ventos bibunt. Rem verè ſincerèque pendamus, & quorſum euadant fumi, videamus. *Obiectio retunditur.*

Affirmamus Romano Catholici Summum Pontificem Chriſti Vicarium in terris eſſe, atque adeo iure colendum, & adorandum Heterodoxi Angli imprimis & Sueci, non expectato, qua ratione ſit colendus, & adorandus, ſuccenſent: clamant nos idololatras eſſe, qui ei diuinos honores, quod non licet, habemus: idque cum aſſumant, exaggerant, diris nos & execrationibus inſectantur: noſque diuinitatis læſæ reos appellant. *Parcius iſta*, viri nobiles, & vrbani. Adeſte. Nos adorationem aſſerimus; ſed genus eam quoddam eſſe dicimus, quod diuerſas formas habeat, quarum quędam in Angelos, & homines, & quas appellant creaturas, duntaxat quadrent: quędam ſoli Deo conueniant. Illas creaturis tribuimus; has Deo reſeruamus. Adoramus quidem Deum propriè: quòd propriè adoro Latinè, Grecè *Proſcinco* authore Priſciano, & Nonno ab, *Ador*, ideſt, *Farre*, ſacrificijs deſtinato ſumitur. Creaturas propriè honoramus, minus propriè adoramus: ſed non ideo non dicimur adorare. Quid autem interſit inter honorem, & adorationem docuit Auguſtinus lib. contra ſerm. Arianor. cap. 13. *Honorat*, inquit, *omnis qui adorat: non autem adorat omnis qui honorat*. Vnde patet honorari poſſe ęquales; adorari non poſſe niſi excellentes. Quemadmodum *Aditus ad defenſionem.* *Priſcia. Nonnus* *Etymologia adorationis.*

modum ex Ariſtotele deducit D. Thomas 2.2.q.103.art.1.& 2, & lect.8. in lib. 4. Ethicor. tom. 3. & lib. 8. cap. 8. & docet Anaſtaſius Theopolitanus Epiſcopus in Epiſt. ſuper quibuſdam quæſtionibus in 7. Synodo Act. 4. & Damaſcenus orat. 1. de Imagin. Quadrare autem adorationem in homines præſtantes aſſerit Auguſt. lib. 10. de Ciuit. cap. 4. Cum enim dixiſſet, *Homines eſſe colendos, & venerandos, addidit. Si autem & eis multum addideris, & adorandi.* Quod autem ea phraſis ſacra ſit, & ſolemnis, patet ex multis locis Scripturæ. Pro Anglis ſatis ſint tres. Primus Geneſ. 23. num. 7. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ.* Alter cap. 42. nu. 7. *Cumque adoraſſent eum, ideſt Ioſeph, fratres ſui.* Tertius 1. Parolipom. *Inclinauerunt ſe, & adorauerunt Deum & Regem.* Qui locus rem continet, cùm eodem verbo & Deum, & Creaturam afficiat. Diuerſa certè ratione; aliter quippè Deus; aliter homo Rex adorandus. Hinc eſt vt Patres quidam interdum affirment: *Solum Deum eſſe adorandum*; vti Hieron. Epiſt. 13. ad Ripar. & Auguſtinus de vera & falſa relig. cap. 55. & Fulgen lib. ad Donat. cap. 4. interdum aſſerunt: *Angelos & Sanctos eſſe adorandos*: vti idem Auguſt. ſerm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo, & Epiſtola 44. & lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & Hieron. Epiſtola 53. & Iuſtin. in 2. Apolog. & Athanaſ. lib. de Virginit. circa finem, & Anaſtaſ. proximè. Quare ad remouendam analogiam diſtinxerunt inter vtramque adorationem inducto ex Græca lingua diſcrimine: & duas ſtatuerunt, alteram propriam Dei, quam *Latriam*, alteram creaturarum, quàm *Duliam* dixerunt: illam à verbo *Latreuo*, hanc à *Duleuo* deriuatã. Et quanquam Suidas, & Valla, & Viues diſcrimen illud negent, Sacri tamen Scriptores tum Patres, tum Scholaſtici confirmant; quorum princeps eſt Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. cap. 1. & lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & lib. 1. de Trinitate cap. 6. quem ſequitur Iſidorus lib. 8. ethymol. cap. vlt. & Beda Luc. 4. & homil. 4. Super illis verbis: *Dominum Deum tuum adorabis*: cum quibus ſentiunt Anaſtaſ. Epiſc. Theopol. Epiſt. illa quæ refertur in 7. Synodo Act. 4. & Tharaſ. in Epiſtol. ad Conſtantinum, & Irenen; quæ habetur Act. 7. & Ionas Aurelian. in 5. tom. Biblioth. lib. 1. de Cultu Imagin. & German. Patriarcha Conſtantinop. Epiſt. ad Thomam Epiſcop. relata à 7. Synodo Act. 4. Damaſcen. orat. 2. & 3. de Imagin. & paſſim Septima Synodus. Pro Scholaſticis, quòd eos Heterodoxi

non

Margin notes (right): Ariſtot. D. Tho. — Anaſtaſ. Theop. — Damaſ. — Auguſt. — Geneſ. — 1. Paral. — Hieron. — Auguſt. — Fulgent. — Auguſt. — Hieron. — Athan. — Iuſtin. — Suidas. — Valla. — Viues. — Auguſt. — Iſidor. — Beda. — Anaſtaſ. — Tharaſ. — Ionas. — Aurel. — Germa. — Damaſ.

Margin notes (left): *Homines item adorantur.* — *Diuiſio adorationis informas.*

non amant, ſatis ſit Diuus Thomas 3. part. qu. 25.

Sumpta notione Duliæ eo quem huiuſmodi Authores aſferunt ſenſu, non video qui negari poſſit in Romanum Pontificem eam quadrare? nec cur nos tantoperè reprehendant Angli, quòd eum & colamus, & veneremur? Nam quo quęſo nituntur fundamento? Si Sacrarum Litterarum monumenta conſulant, inuenient Abraham Gen. 23. num 7. populum, ideſt Filios Heth. Ibid. 42. num. 7. Filios Iacob Ioſeph fratrem adoraſſe. An quod Genti Iudææ licuit cùm Deum, Regemque adorauit, Genti id Catholicæ non licebit? Qua ratione igitur ij alios adoratione ſunt proſecuti, ea nos Papam proſequi volumus. Cur taxant? cur ſugillant? Quid? *Idololatra*, inquiunt, *ſumus cum adoramus*. Igitur & Balaam idololatra fuit cum Num. 22. *Adorauit Angelum pronus in terram*. Quod ſi affirment, & Angelum neceſſe eſt damnemus, qui non vetuit eum ſibi honorem impartiri. Præterea Ioſue vir Sanctiſſimus alium Angelum eodem honore affeciſſe ſcribitur lib. Ioſue cap. 5. nec aut ille Idolatra, aut Angelus ſuperbus. Sed hi Angeli erant fateor; non tamen ijs honor diuinus deferendus fuit, ſi non alium Dulia, ſiue adoratio cultum importat. Verùm morigerari Anglis volo; Angelos excipiant. Certè anima Samuelis à Saule inclinato ſuper faciem ſuam in terram *adorata eſt*: 1. Reg. 28. num. 14. Ecce non totus homo adoratur. At mortuus erat; eiuſque immortalis pars anima adoratur. Igitur liceat nobis Papas mortuos adoratione proſequi. Id fortaſſe admittant vt defunctos eos videant; tam viuos oderunt, vt vel ea mercede mortem eorum mereantur. Nolo ijs tamen hac in re morem gerere. Viuos licet adorari; quemadmodum & Ionathas à Dauid 1. Reg. 20. ac idem Dauid ab Abigaile. 1. Reg. 25. & Eliſeus Vates à Prophetarum Ierichuntinorum filijs eſt adoratus. 4. Reg. 2. Cornuto nunc Anglos argumento peto! Aut erat illa adoratio latria? aut non erat? Si dent eſſe latriam, qui Creaturis delata? cur à Sanctis Angelis, hominibuſque admiſſa? Sin latria non erat, quod prorſus dicendum, quid obſtat quominus ea Pontificibus noſtris præſtari queat? Iam verò in prophana litteratura, quot exempla huiuſce cultus, & adorationis ſuppeditantur? Agamemnon apud Euripidem in Hecubâ, & Achilles apud Homerum adorantur. Perſarum, Parthorumque Regibus eum honorem exhibitum, & Herodetos,

Duliā in Papam quadrare ſuadetur

Ioſue.

Punguntur Heterodoxi.

1. Reg.

1. Reg.

4. Reg.

Vrgentur dilemmate.

Homer.

detus, & Plutarchus, & Curtius, & diſertè Caſſiodorus l. 3. Hiſtoriæ Tripart. Authores ſunt. Quem ſibi Alexander in ſumma fortuna haberi voluit, teſte Plutarcho lib. de Fortuna Alexandri. Quin ipſe Perſeus & Rex, & Macedo Paulum Aemilium Romanum Imperatorem ſupplex adorauit. At ſuperbus Alexander fuit: vt fuerit; certè Paulus fuit Aemilius moderatus. Quid Traianus? quo nemo moderatior Princeps extitit? Hic à Decebalo Dacorum Rege adorari ſe paſſus eſt. Hadrianum Imperatorem idem adorationis genus admiſiſſe Spartianus ſcribit. Antonino Optimo Principi placuit adorari more Perſarum, teſte Lampridio. Idem probauit Syluanus, Authore Ammiano Marcellino. Ne Maximinum Iuniorem, alioſque commemorem, qui ob inſitam & ferociam, & impotentiam honoris illud genus ſuſpectum reddere potuerunt. Omnibus, teſte Tullio Epiſt. ad Ligarium. 15. lib. 6. Iulius Cæſar Dictator facem prætulerat. Ad *cuius pedes fratres & propinqui Ligarij iacuerunt*. Et quidem niſi huiuſmodi adoratio liceret, in conſuetudinem ſolemnem minimè veniret; ex qua non Imperatores modò, vti & Conſtantius apud Zonaram, & Theodoſius apud Pacatum, & Valentinianus apud Ammianum, ſed etiam Magiſtratus inferiores adorari conſueuerunt. Nam Præfecto Prætorij cultus delatus ſcribitur de Caſſiodoro lib. 3. form. 3. his verbis: *Ingreſſus Palatium noſtra conſuetudine frequenter adoratur Caſſiodorus*. Quid ergo, malum, nos reprehendunt Angli, quòd Romanum Pontificem adoremus, quaſi id inſolens, & abſonum ſit, cum nihil magis in hiſtorijs tritum inueniamus, quàm illud ad cultum hominum, qui in dignitatis ſint culmine conſtituti iter, in quo tot videmus adorantium impreſſa veſtigia? Negare certè non poſſunt Pontificiam dignitatem: etſi enim eam excludant, nos planè admittimus: admiſſaque Pontifices vt excellentes, debito eum adorationis religioſę, citra latriam tamen glorię cultu adoramus. Cũ pręſertim illos Dei Vicarios eſſe fateamur, qua ratione maiores eos quàm pro humano habitu ducimus, & vti ſuperiores adoramus. Audiant quid Vegetius Chriſtianus Author de ratione adorãdi Imperatores, etiam Chriſtianos à Chriſtianis ſentiat. Propoſita enim populorum erga ipſos reuerentia cultui religioſo proxima ſic ait. *Iurant autem per Deum, per Chriſtum, per Spiritum Sanctum, & per Maieſtatem Imperatoris, quæ ſecundum*

Obruuntur copia exemplorum humaniorum litterarum.

Idonea ratio cur Pontifex adoratur.

Spart.

Lampr.

Ammi.

Cicero.

Zonar.

Pacat.

Caſſiod.

Digitized by Google

cundum Deum generi humano diligenda eſt, & colenda: nam Imperatori, cum Auguſti nomen accepit, tanquam præſenti, & corporali numini fidelis eſt præſtanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus: Deo enim vel priuatus, vel militaris ſeruit cùm fideliter eum diligit, qui Deo regnat Authore. Diſcant ex Vegetio primùm diligendam eſſe Maieſtatem, quæ colitur; quia in vtramque partem multum valet affectus, vel odium ad ſpernendum, vel amor ad reuerendum. Nam quos Reges Angli amarunt, impensè coluerunt. Papas noſtros quos oderunt maximè contempſerunt. Deinde norint cauſam adorationis eſſe ipſam ſpeciem, & ſimilitudinem Dei imperantis, & regentis in Imperatore, Regeue impreſſam; ac, vti noſtri dicunt Theologi, rationem exemplaris adumbratam in imagine, quam colimus; quæ ideò adoratur, quia virtutem exemplaris continet; atque adeò cùm imago adoratur ſemper cum exemplari adoratur; vt per ipſam adoratam imaginem tranſeat cultus ad exemplar: quæ eſt communis Scholarum noſtrarum doctrina hauſta ex Sacris fontibus, propoſita à Diuo
D.Tho. Thoma 3.par.q.25.art.3. 4. & 5. & Bonau.in 4. diſt.9. art. 1.
Bonau. qu.2. & 4. de qua luculenter duo Ieſuiticæ Scholæ Principes
Vaſqu. Suarez, & Vaſquez 1. tom. in 3. par. ad q.25. Diui Thomæ,
D.Tho. quos qui Anglorum legere velit, duplici ſe Sole illuſtrari ſentiet. Tertium: Sciant nihil intereſſe, viua ne ſit imago, an mortua, dummodo vna & eadem ſit ratio adorandi. Ecce enim in viuum Imperatorem adoratio tendit, & quadrat; nec quòd ille animetur; cultus exanimatur, & perit: quod
Vaſqu. animaduertit Vaſquez diſp.110.cap.3. & 4. Suarez vero de
Suarez. Papa noſtro id diſertè oſtendit diſp. 52. ſect. 3. *Dico*, inquit, *poſſe dici religioſum honorem eum, qui viuo homini tribuitur ſolum intuitu Sanctitatis, & ſupernaturalium bonorum, quia ex vera fide, & religione proficiſcitur. Sicut quando adoramus Pontificem, quia eſt Vicarius Chriſti.* Scio eos iſtis Theologis fidem habere nolle; ſed eos ego ijs obijcio, quos longo interuallo ſuis exiſtimo anteſtare; ac quoniam nonniſi recentes authores ſuorum errorum habent, ſciant veritatis noſtræ, & recentes nos aſſertores, eoſque doctiſſimos habere, quos ſuis acriter opponamus; cuiuſmodi ſunt Leſſius de Iuſtit.lib.2.cap.38. diſp.1. Azor.1.par.lib.9.cap.5.& Malder. de Iuſt. tract.10. cap.5. & Viguer.de Iuſt.tract. 3.cap.3.Caſtro Palaus tract.8.diſp.1.Bonac.to.2.diſp.3. de Adorat.par.1.alijque complures.

At

At fortiter, vti putant, obijciunt. Adorationem vel eſſe religioſam, vel ciuilem; illam ſoli Deo tribuendam; hanc hominibus. Quòd ſi Papa Pontifex ſit, nulla adorandum eſſe ratione; non religioſa, quæ cùm Diuina, & latria ſit, licita non ſit. Non ciuili, quæ, cùm ſæcularis & ſacra non ſit, in Papam quadrare non poſſit. Itaque ſi Papam adorant Catholici, vti Pontifex eſt, ſacra & religioſa ratione Idololatriam admittere: Si ciuili, omninò ineptire, ac deſipere. Id ſanè volunt vnum Papam adorandum non eſſe, quando omne genus ab eo adorationis excludunt. Ego quàm longè opinione fallantur, oſtendo, & vindico illatam veritati iniuriam. Quod ſibi ſumunt, id prorſus falſum, & ineptum eſt, nimirum, omnem religioſam adorationem ſoli Deo eſſe tribuendam, atque adeò Latriam eſſe: id quippè negamus; cùm adoratio religioſa genus ſit, & formas ſub ſe, & ſpecies, vti initio diximus, contineat. Quæ tres à Sacris Theologis numerantur: Latria, Hyperdulia, Dulia. Etſi autem media Hyperdulia antiquis Patribus eo nomine nota non fuerit, & res accepta, & nomen à recentibus ſummis Theologis impoſitum, vti eſt S.Th. 3.p.q.25.a.5.& Gabriel lect.49.ſuper Canonem. Palud.in 3.d.9.q.2. Almai.q.1.ante mediũ. Quemadmodum eruditè oſtendũt duo à me proximè citati Authores Suarez, & Vaſquez, qui probant genus id excellẽtis Duliȩ propriè in D.Virginem quadrare, quod antè probarat Caniſ.l.5.c.15.

Noua obiectio Anglicana. *Adoratio religioſa.* *Adoratio ciuilis.* *Refellitur obiectio.* S.Tho. Gabr. Palud. Almai. Suarez. Vaſq. Caniſ.

Sed vtcumque ſit, monſtremus hominibus vrbanis, & politicis, qui negant alium cultum eſſe præter diuinum, & ciuilem, tertium eſſe religioſum, & pium, qui hominibus præſtari poſſit. Aiunt eſſe quandam præſtantiam & rerum, & dignitatis, qua qui inter cæteros homines eminent cultum, & venerationem merentur. Hoc quidem ipſi comiter, ac vrbanè admittunt, vt Imperatores ſtrenuos, quibus abundant, & Reges, quos coluere ſuos, ac Principes Magiſtratus iure colere videantur. Immò & inſignes forma, & florentes ætate, ac nobilitate fœminas, in quas officioſiſſimi eſſe ſolent, honore apto, congruoque accipiant. Aſſumo quod dant, & ad cultum prophanum, ciuilemque pertinet, & peto vlterius. An admittant eſſe adhuc aliud genus excellentiæ ſpiritualis, & ſacra, ad ſupernaturalem ordinem, ſtatumque pertinens, quæ nimirum ſit nixa virtutibus doniſque gratiæ, imò & ipſa gratia, qua ornati homines Filij Dei adoptiui, & hæredes

Confirmatur Catholica doctrina. *Suo gladio iugulantur aduerſarij.*

Regni

Regni cæleſtis efficiuntur? Non dubito quin annuant; atque adeò & concedant eſſe aliam dignitatis formam, quæ ad iſthæc dona & procuranda, & tuenda, & adminiſtranda ordinetur: Sacra nempè, & vltra prophanam ciuilemque prouecta? Cuiuſmodi apud Anglos fuit, cùm erant Catholici, Sacerdotalis, & Pontificia, quas ante ſeſqui ſeculum abiecerunt. Tum his ſumptis efficitur, vt aliud genus adorationis exiſtat ſpiritualis, & ſacræ, quòd diuerſum prorſus ſit à ciuili. Quod cum diuinum non ſit, nec Latriam contineat, & hominibus conueniat, religioſum erit, ab vtroque genere, diſtinctum, & ſeparatum. Eo nos ſanctos tum viuos, tum, mortuos colimus, & Pontifices veneramur; & eorum maiores, dum fortuna fuit, colebant, & venerabantur. Quod ſi apud eos Theologorum authoritas noſtrorum valeret, citarem Vaſquez, & Suarez, & Leſſium, & Becanum, qui hac de, rè doctè, & ſolidè diſputant. Verùm opponunt: Pontificibus noſtris ſæpe deeſſe virtutes: vitia, quę multa commemore ſolent, ineſſe. Vtcumque ſit, dignitas certè manet omninò colenda. Quemadmodum ſæpè contingit Magiſtratus, Principeſque Anglorum & dotibus animi, & corporis deſtitui, quibus cum careant, coluntur tamen ob munus & dignitatem. Quòd ſi negent, & ego grauatè ob amorem gentis impetraro; id ſaltem dicamus potuiſſe contigere: non idcirco tamen eos, ſi contingeret, non fore venerandos ob excellentiam diguitatis. Certè non paucos in hiſtorijs aliarum gentium legimus fuiſſe Imperatores, ac Reges turpes moribus, & deformes vitijs, quibus tamen reuerentia, cultuſque debitus, & congruus exhibitus. Igitur ſinant nos doctrina noſtra, & conſuetudine frui, nec quod Papas, Sanctoſque adoramus, Idololatras appellent; niſi fortè cum illi fœminas ſuas, quas ardenter amant, & quòd amant cęleſtibus interdum Nympharum, Dearumque nominibus appellant, & Solem oculis, Lunam ſupercilijs, ſidera pupillis ineſſe dicunt, & totum cęlum, vt eas ditent, ſpoliant, Idololatræ ſunt, quod nolunt fateri, cùm propè ſint iſta efferendo ab idololatria, à qua nos, à profectò longiſſimè abſumus, dum Pontificem veneramur.

Qui Sancti adorentur.

Vaſqu. Suar. Leſſius. Becan.

Occupatio obiectionis importunæ amoribus petita

Et ab amoribus in Amaſias ſuas in Anglia retorta.

Et verò nos ſcitè, ac prudenter formas iſtas Latrię, & Duliæ diſtinguimus, notiſque perſpicuis ſeparamus, ne quis inſimulare poſſit ſuperſtitionis. Nam etſi ſunt ſigna quędam, adorationis communia, quæ ſola mente diſcerni poſſunt, vt

ingeniculationes, inclinationes, demiſſiones: non deſunt alia quæ propria ſunt Latriæ, & ſoli Deo præſtamus. Cuiuſmodi eſt pectoris tunſio, quæ ita in Latriam quadrat, vt nefas vulgò ſit ad Duliam transferre. Eius ego rei teſtes ipſos Anglos appello, quos & in Luſitania, & Italia, immò & Londini ad ſacra ſæpè noſtra auidè venientes, & accuratè cæremonias rituſque noſtros obſeruantes vidi. Dicant quando viderint nos coram Sanctorum imaginibus pectora tundere? De noſtris cùm dico, de doctis, & bene inſtructis dico; nec enim quod ruſticus, indoctuſue faciat id, quidquam officit doctrinæ. Ecquis tamen non vidit coram Euchariſtia, & Imagine Crucifixi, & Cruce pectora pulſare? quod ipſum argumentum eſt à nobis diſtingui genera cultuum, nec promiſcuè haberi. Quod ſi obijciant Catholicos illud ſignum interdum coram Sacerdotibus, & Pontificibus edidiſſe, animaduertant id propterea contigiſſe, quod ij aut Deum manibus ſuis in Euchariſtia præferrent, aut exercerent Diuinum in Confeſſionis Sacramento iudicium. Tunc quippè non eos vti homines, ſed ſupra humanum habitum, ſpeciemque euectos veneramur, atque adeò Deum in ipſis adoramus. Quid verò eſt quòd nos ita pueros, rudeſque inſtituimus, niſi ne illud genus adorationis quod pectoris tunſione fit, alteri quàm Deo, Diuiniſque tribuant? cur nolumus eo Sanctos coli: immò ne Beatiſſimæ quidem Virgini Marię deferri permittimus? cur aliter ruſticos, & incultos homines facientes ſeuerè reprehendimus? niſi quòd Idololatrię ſpeciem remouemus. Non ſunt nobis Angli religioſiores. Scimus quid Deo; quid Sanctis; quid Pontificibus; quid Sacerdotibus; quid Regibus; quid Magiſtratibus conueniat. Suum cuique tribuimus. *Reddimus quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei Deo.* Nec iam me audiant, ſed Anaſtaſio Epiſcopo Theopoleos in Epiſtol. ſuper quibuſdam quæſtionibus aures dent: *Nemo*, inquit, *offendatur adorationis vocabulo, ſiquidem & Deum, & homines, & Angelos Sanctos adoramus: non omnibus tamen Latriam hoc eſt cultum diuinum exhibemus*. Dicit enim Scriptura. *Deum tuum adorabis, & illi ſoli Latriam præſtabis. Quo in loco diligenter obſeruandum eſt, poſteriori voci dictionem, ſoli, adiunctam fuiſſe, quæ tamen erat in adoratione omiſſa. Quare licet nobis adorare homines; cum nihil aliud ſit adoratio, quam honoris alicuius exhibitio quaſi emphaſis, & excellentia. Latria vero nequaquam hominibus deferri*

Latria Soli Deo tribuitur.

Illius ſigna.

Superſtitionis ſuſpicio remouetur.

Anaſt. Theop.

ferri debet, quia nulla ratione licet eos diuino honore aſſicere, quòd propriè eſt precibus, votis, & ſacrificijs colere.

Optant nihilominus Heterodoxi, vt altiùs, & penitiùs rem inſpiciamus, & adorationem Pontificis ſeueriùs examinemus. Tria pręcipuè inquirunt. Cur adoremus? & quomodo? Et qui adorando ab Idololatria alieni ſimus? Morem geram ſtudio in eos, & amore ſingulari; etſi multa iam dixerimus, quæ ſatis eſſent amantibus, & non inuidentibus. Verùm nouè, & aptè propriéque dicamus. Ratio adorandi Pontificem ea eſt, quòd ſit Eccleſiæ caput, Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius, Summus Magiſter, Optimus Legiſlator, in Apice Eccleſiaſtici Ordinis conſtitutus. Negant hæc Angli. Sed non quid ipſi negent, ſed quid nos exiſtimemus, ac verum ſit inquiritur, cum de ratione adorandi quæritur: ſupponenda hæc: ſaltem ferenda ſunt, dum cauſas noſtri cultus exponimus. Nos id ſumimus quod credimus, & aliàs latè, dilucidèque oſtendimus; nec non & obiter nunc probabimus. Igitur Eccleſiam Romanam habere tum primum gradum, & prærogatiuam honoris: tum excellentiam poteſtatis, Sancta Nicena Synodus can. 6. iuxta Calcedonēſis lectionem definijt, cuius cum ſit Pontifex caput, neceſſe eſt vt in Arce ſit dignitatis conſtitutus. Vnde oritur idoneus, ac iuſtus adorationis titulus, quę ipſi non à ſæcularibus modò, ſed etiam ab Eccleſiaſticis Principibus deferri debet. Eſt enim Papa Authore Leone I. ſer. 2. de Aſsumpt. *Primus Epiſcopus omnium*, & ſer. 3. *Sacerdos Magnus*, & Arnobio teſte in Pſalm. 138. *Epiſcopus Epiſcoporum*, atque adeò in Sixto Epiſt. 2. & Victore I. Epiſt. 1. & alijs de quibus ſupra. *Epiſcopus Vniuerſalis Eccleſiæ appellatur*: Idque cum omnes aliarum nationum, tum diſertè Gallorum Epiſcopi faſſi ſunt apud Aimonium lib. 5. capit. 37. *Seipſos Filios, Famulos, & Diſcipulos* Romani Pontificis appellantes: quibus titulis excellentiam Papæ declararunt, quàm nos ſuperius 4. & 5. vindicia aſſeruimus. Qua in re obſeruanda Pontificum modeſtia, qui Epiſcopos Filios cum appellant, cæteris abſtinent; imò cum audiunt, erubeſcunt. Certè Damaſus vnus ex antiquis teſte Nicephoro lib. 12. cap. 17. Etſi ſubiectos ſibi Epiſcopos eſſe agnoſceret Filios dumtaxat appellabat, ſiue quis alius author eſt Epiſtolę.

[Margin notes: *Valida, & denſa argumentatio.* — *Nicæna Synodus.* — Leo. — Arnob. — Sixt. — Aimon. — *Romani Pontificis excellentia.* — Damaſ. — Niceph.]

Et quidem ante Damaſum Athanaſiaſter, & omnes Aegyptij Epiſcopi Marco Pontifici huiuſmodi ſubiectionis, & obe-

dientiæ teſtimonium reddiderunt: Sic enim Epiſtol.ſcriptor ille ad Marcum Papam: *Verè nouimus Apoſtolatus veſtri cor gratia Sancti Spiritus in tantùm eſſe accenſum, vt omnibus oppreſſis ſuccurratis: quanto magis nobis, qui licet exigui, ordinis tamen veſtri ſumus, vobiſque obedientes cum omnibus nobis commiſſis, & ſumus, & volumus eſſe ſemper.* Nec ego magis quid apertè fateantur, quàm quid tacitè ſignificent attendo. Cum enim ad Sacræ Sedis Anchoram confugiunt, & Romani Pontificis patrocinium, & præſidium, & opem aduerſus contrariæ factionis potentiſſimos Epiſcopos implorant, haud obſcurè ſignificant quantum vbique, & apud omnes Pontifex valeat, à quo & ipſi liberari, & alij coerceri, & comprimi poſſint; Cùm iubente Papa omnes in eius poteſtate futuri eſſent. Hinc illa ſolemnis iuramenti formula qua omnes Epiſcopi conſecrandi Summo Pontifici Romano fidem, & obedientiam præſtabant; eique quodammodo Sacramentum dicebant. De quo extat Decretum in Lateran. Concil. cap. 5. ſub Innocentio III. & in Epiſtol. Paſchalis II. ad Polonienſem Archiepiſcopum ſcriptum monumentum, & in hiſtorijs Radauici l. 2. cap. 70. & Vrſpergenſis anno 1105. manifeſta exempla. Mihi vnum tantum placet afferre grauiſſimum ex Epheſino Concilio deſumqtum, quod rem maximè continet. Igitur cum Arcadius, & Proiectus Epiſcopi duo Celeſtini Papæ Legati litteras ab eodem ad Synodum datas producerent, legique poſtularent, alter eorum Arcadius dixit. Pręcipiat Sanctitas Veſtra litteras, ideſt. *Sanctiſſimi, & cum omni adoratione nominandi Papæ Celeſtini Apoſtolicæ Cathedræ Epiſcopi.* Cumque idem ingeminaſſet alter Legatus Proiectus, eiuſdem adorationis expreſſo vocabulo; reſpondit Cyrillus ad vtriuſque ſententiam, voluntatemque, vt omninò legerentur litteræ, *cum idoneo, & conuenienti honore.* Quem huiuſmodi nos eſſe putamus, qui vſu venit inter Catholicos, vt nempè cum leguntur, capiti ſuperimponantur. Quin etiam Andreas Epiſcopus litter. ad Hormiſdam in princ. *Commendans me,* inquit, *veſtigijs veſtris proximis*, & Theodoretus Epiſcopus Lignidi ad eundem. *Veſtris prædicandis, & adorandis me præſentare veſtigijs.* Spondanus Anno 519. nu. 4.

Grauia teſtimonia pro Romani Pontificis authoritate.

Concil. Later.

Concil. Epheſ.

Adoratur Pòtifex ab Epiſcopis.

Horm.

Si autem Summus Pontifex ab Eccleſiæ Principibus, qui Sacri ſunt, ideſt Epiſcopi, colitur & adoratur ob illam capitis dignitatem; ecquis dubitet eum ab Regibus, & ſæcularibus

bus Principibus adoratum, adorandumque eſſe? Et quamquam multis id ego exemplis confirmare poſſem, volo abſtinere ne ſim in re vulgari prolixior. Legat qui volet Ioſephũ Stephanum Valentinum Epiſcopum Veſtanum in ſuo libello de oſculatione pedum, & Angelũ Rocca Camertem Epiſcopum in Opuſculo de Imagine S. Gregorij à Paulo Diacono deſcripta, & Andream Sauſsayum tract. de Adorat. Pontific. & Cornelium à Lapide in Iſaiam c. 49. & Lorinum in Acta Apoſt. c. 10. Tantùm Anglos volo adducto gentis ſuæ præclaro Rege conuincere. Eduardus Rex Anglorum, Alredo in eius vita Authore, litteras obedientiæ, & obſeruantiæ teſtes ad Nicolaum II. anno 1059. dedit his verbis: *Summo Vniuerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam ſubiectionem, & obedientiam.* Negare non poſſunt Angli Eduardum ita ſcripſiſſe, ac vti ſcripſit, ſenſiſſe. Cur quæ illi cum maioribus ſuis, & cum eo poſteri per tot ſæcula ſenſere nouiſsimis temporibus ex animis, & ſcriptis ſuis deleuerunt? pudeat eos non iam ab Eccleſia Romana, ſed à ſua etiam defeciſſe. Cuius tamen pias reliquias vidimus, quæ nobiſcum ſentientes, & ſidem auitam retinent, & exiſtimationem vendicant; & ſi eas tamquam *Troas reliquias Danaum* Patria, ceù Iuno nouerca inſectetur, cùm fouere, conſeruareque debuiſſet ob reuerentiam antiquitatis Angliæ, cuius illæ monumenta tuentur, & ſeruant. *Sacra ſuoſque tibi ſeruant de more Penates Anglia.* Tu eas, & diſſipas, & eijcis. Qua pietate veterum euertiſti ſepulchra, & tabularia incẽdiſti? ſed manent typis màndata ſcripta, quibus nos Catholici tua dogmata refutabimus. Non ferunt aures veſtræ, *Summo Vniuerſalis Eccleſiæ Paſtori Nicolao.* Tulerunt aures maiorum veſtrorum teretes, opinor, ac religioſæ; an veſtræ ijs meliores? ſi affirmatis iniuriam ijs facitis, quibus vos meliores eſſe fatemini. Ac ego vobis obijcio, non poſſe vos cum Pontificem debito cultu ſpoliatis, non & veſtris Maioribus honorem detrahere. In eadem ſunt naui, & Papæ noſtri, & Aui veſtri; vtroſque perdet, qui alteros perdit. Per viſcera materna Papas transfigitis, & dum Pontificiam dignitatem obteritis, manes veſtrorum parentum conculcatis. Sed id vos docuit Henricus VIII. Aliud vos, reliqui Henrici, & vltra Henricos, Edmundi, Eduardi, ac cæteri docuere. Imò & Henricus cum purus idem docuit. Vos eum impurum, & cum Anna commixtum

Ioſeph Step. Veſtan. Ep.

Angelus Rocca.

Sauſsay.

Cornel. à Lap.

Lorin.

Alred.

Exemplo domeſtico premuntur Angli.

Catholicorum Anglorum Religio.

Conuerſio ad eoſdem.

Henric. VIII perſtringitur.

mixtum

mixtum ſequi maluiſtis peruerſo argumento : nam dum purus cum Eccleſia Chriſti, quæ virgo eſt, potuit; cùm impurus & turpis non potuit conſiſtere. An non erat pura Eccleſia anno 259. Cum Hyppolitus Euſebius, & Socij Martyres ad B.Stephani Papę adorantium ritu pedes prociderunt? Non erat inuiolata anno 294. cum Præpedigna Claudij vxor Caij Pontificis pedes amplexa, illum adorauit? Certè Virginem Eccleſiam Romanam intra ſeſquiſeculum fuiſſe non negant; eo autem tempore Alexander Primus à Petro ſextus, à Quirino, quem Chriſtianis Sacris imbuerat, ad pedes procumbente adoratus eſt? non igitur corrupta fuit Eccleſia, quæ ſequentibus deinceps temporibus idem tenuit inſtitutum; ſed ij ſunt corrupti, qui ab ea defecerunt, & ſanctiſſimum illum morem antiquarunt: quem nos Catholici acceptum, & à maioribus traditũ retinemus; & ſecundùm eum Romanos Pontifices adoramus. Cur autem eum non adoremus, quem Sanctus Bernardus lib.2. de Conſider. c.1. *Parem in terris habere negat*, quòd Chriſti vicem obeat, perſonamque ſuſtineat? Ac ne obſtrepant: vno Clodouei I. Galliarum Chriſtiani Regis exemplo ora obſtruo. A quo Seuerinus Abbas Agauenſis Monaſterij ob reſtitutam ſanitatem flexis eſt genibus adoratus. Norunt Clodoueum multorum Ducum, & Regum capita conculcaſſe. *Is victor, & celſus ad pedes ſe Religioſi hominis abiecit, & plantis laureatum caput ſuppoſuit.*

In eorum Actis apud Surium.

In Actis S.Suſannæ apud eund. & Baron.

In eius Actis apud eoſdem

Prima partis apta concluſio.

S. Bern.

Audierunt Heterodoxi cur adoremus Pontificẽ? Audiant quomodo adoremus. Grammaticè volunt; nos Theologicè eo ſenſu quẽ ad Duliam retulimus. Intelligunt quid dicam. Eruditi ſunt: non aut *Farre pio, aut ſaliente micà*, adoreàue litamus. Apageſis huiuſmodi ſuperſtitionem ex vno Etymologiæ fonte deductam. Nec adorando, quod ait Plinius l.28. c.2. *Dexteram ad oſcula referimus, totumque corpus circumagimus: quod in læuam feciſſe Galliæ religioſiùs credunt.* A quo motu manus ad os *Adorationem* dictam volunt Grammatici: qui ex illo Plinij Senioris, & altero Iunioris in Panegyrico ad Traianum loco, & Apuleio, & Minutio, & Suetonio Etymon colligunt. Vnde *Orarium* à Prudentio hymno 1. Periſteph. *Adoratio* appellatur. Poſſemus quidem illo modo, moreque adorare, quem receptum legimus tum à Græcis, tum à Latinis Authoribus; ſed maluimus eo abſtinere quòd hac ratione & veterum idola, & profani Reges adorati. Videant Pamelium

Altera pars de modo adorandi.

Horat. Plin. Apulei. Minut. Sueton. Pruden.

adnot.

adnot. in lib. de Oratione num. 49. Certè illa rotunda corporis circumactio, & manus arcuata deductio, & in os ambitioſa attractio animati quiddam Rhombi ſimile habet ad refigendam lunam accommodatum, & magicæ ſuperſtitionis plenum; quod propterea improbamus qui demiſſionem in venerando profitemur. Et quidem illa ratio circumacto corpore adorandi ritum antiquum ſacrificantium fuiſſe docet Seruius ad lib. Aeneid. 9. & ad piacularis, ac expiatoris ſacrificij genus pertinuiſſe affirmat, patetque ex Liuio dec. 1. l. 5. & Plut. in Numa, Camillo, Marcello. Sueton. in Veſpaſiano, & Aulo Vitellio. Præterea cum pompæ, & oſtentationis plena eſſet, in adulationem ſæpe trahebatur, quo vitio nihil eſt à Chriſtiana veritate, ſinceritateque alieniùs: quam ideo Vitellius vir, teſte Suetonio, miri in adulando ingenij excogitauit. Exemplũ idcircò apud poſteros adulationis habitum ſuperſtitioſum. Iam verò magicã ſuperſtitionẽ illũ circumuertentis ſe in corporis motum redolere apparet ex Valer. Flac. lib. 8. Argon. in nupt. Iaſonis & Medeę. Cùm enim ſacrificãtibus tribuat, quod Colchis vſitatũ erat, ſuſpicionem Magicæ artis contraxit; cùm præſertim cauſa cur id fieret ea eſſet vt mouentis, gyrantiſque ſe cœli perpetuam vertiginem eo rotatu corporis imitarentur; idque ex Augurali ſcientia traherent, quæ omnium ſuperſtitioſiſſima & fuit, & habita eſt. Quare in Colchidem, & Theſſaliam amandanda, & cum veteri Vrbe ſepelienda; non in Romam recentem, & Catholicam reuocanda. Theologica eſt adoratio noſtra humilis, demiſſa, ſincera, religioſa plena officij & pietatis: nec eam cum ciuili confundimus. Relinquimus Regibus ſuam, ſuam Dynaſtis, Magiſtratibus ſuam, quos varijs modis colunt qui ijs parent: & quamquam aliquid retinemus quod commune cum ijs ſit, aliquid addimus, quo propriam Pontificũ adorationem reddimus. Itaque & adijcimus ciuili, & de Diuina detrahimus; vt & vltra ciuilem ſit, & citra Diuinam. Ingeniculationem retinemus; tunſionem pectoris excludimus: illa communi vtimur; hac Dei propria abſtinemus. Addimus oſculum pedum, quod hominibus infra Papam poſitis denegamus, vt Pontificia forma conſtet iuſta, & idonea inter Ciuilem, Diuinamque conſtituta.

Seru. Liuius. Plutar. Suetou.

Valer. Flacc.

Verus adorandi ritus.

Adorationis forma Catholica.

Moderata.

Acceperunt Heterodoxi *Quomodo adoremus*. Nunc *quì extra Idololatriæ periculum adoremus* accipiant. Et primùm animaduer-

Religioſa. maduerto Adorationis materiem, quæ ſubiectum dicitur, eſſe actus, & opera exteriora duntaxat, quæ à virtute Religionis ad cultum, & reuerentiam imperantur. Itaut Adoratio iuſta & perfecta ex voluntate interiori, & officio exteriori confletur: quemadmodum docet Vaſquez d.93. cùm multis quos adducit authoribus. Et ſi enim aliter opinetur Suarez diſp.51. qui ſentit Actus merè internos poſſe ſubire rationem materię ſubiectæ adorationi, ego contra cũ Vaſquio ſentio, propriè externa obſequia, & officia materiem Adorationis continere. Verùm quod rei hæret, conſtat apud omnes Theologos externam adorationem ex affectu interiori, actuque pendere, ac dignoſci. Quo fit, vt diſtinctio adorationum in externos actus prodiens potiſſimùm ex interna intentione deſumatur: quemadmodum docuit Leontius in 7. Synodo Act. 4. circa finem. In quo prorſus Vaſquez, & Suarez, Leſſiuſque lib.2. de Iuſt. c.38. d.1. conſentiunt. Itaque fieri poteſt, vt quem quiſque affectum adorandi induat, ſiue Latriæ, ſiue Hyperduliæ, ſiue Duliæ eo externum actum afficiat; & quo affecerit, eo genere cultus adoret; vt cùm eadem ſit externa adoratio, diuerſa tamen ob actum interiorem reddatur: idẽque alijs, atque alijs temporibus homo eamdem inclinationẽ capitis, & corporis ex diuerſo adorationis affectu, genereque efficiat: & multi eodem ſimul tempore eumdem actum exteriorem exercentes diuersè ob diuerſum adorandi ſtudium, affectumque adorent; alius ex Latria, quòd ex Religione erga Deum, alius ex Hyperdulia, quòd ex veneratione in Diuam Virginem, alius ex Dulià, quod ex obſeruantia erga Sanctos homines procedat. Id verò ſecundùm Patrum doctrinam ſtatuimus; apud quos animi in adorante ratio ſemper habetur; imo & ex habitu animi Latriam à Dulia ſolent diſtinguere; vti Origenes homil.8. in Exod. & Tertull. lib. de Patient. & Auguſt. q.71. & 86. in Exod. vnde Paulus ad Rom.12. *rationabile obſequium* Latriam appellat. Et Ioannes c.16. n.2. abſolutè *obſequium*, quòd ea ſpiritu, & ratione adoratio conſtet cum ſeruitute ſummà coniuncta, quemadmodum ex Polluce, & Etymolog. magno *Latriam* vocabulum exponente colligimus.

Quid Religionis actus importet.

Vaſq. Suar. Leont. Vaſq. Suar. Leſſ. Orig. Tertull. Auguſt. Paul. Ioan. Pollux. Etym.

Externa adoratio ex animo ſpectanda

Hoc ſumpto, quod negari nequit, diſertè reſpondeo Anglis; ex animo noſtro ſpectari genus adorationis oportere; noſque id profiteri, & teſtari aliter Deum, aliter Virginem Matrem

trem, aliter Sanctos velle adorare. Inſcitè verò, ac ineptè illos taxare adorationem noſtram, & idololatriæ arguere, cum animi noſtri intentionem, vt aiunt, affectumque non norint. Quòd ſi reponāt ex actibus ſe externis iudicare nos eſſe, quòd nimirum iiſdem nos, & Deum, & Sanctos, & Papas proſequi videant. Et ego in illos reijciam, & eiuſdem culpæ reos appellem: nam ab ipſis eadem item officia Principibus, & Magiſtratibus ſuis, quæ Deo, exhibentur. Puto enim eos aliquo ſigno, etſi non viderim, Deum colere. Quod ſi externa aut capitis demiſſio, aut oculorum ſignificatio, aut corporis inclinatio eſt; eo certè ipſos vidi Principes, & Magiſtratus ſuos colentes. Niſi fortè ne ſint Idololatræ nullum externum cultum externum cultum Deo ſe dicant exhibere, quod eſt omnino irreligioſos, & impios ſe exhibere. Nec excuſari poſſint actus interioris prætextu: nam qua nos ratione impugnant, nos eos conuincimus. Eum non videri, nec percipi ſenſibus, itaque nec illius habendam ad ferendum de adoratione iudicium rationem. Præterea ne hac euadant obſtruo effugium. In ipſa quam admittunt adoratione ciuili, niſi animus attendendus ſit, grauiter eos delinquere; quippè qui nihil inter Regis, & minorum Magiſtratuum cultum, & obſeruantiam diſtinguunt, cum omnes eodem officio, & obſequio proſequantur. Quare læſæ Maieſtatis rei adorando exiſtunt, cum quem Regiæ Maieſtati cultum exhibent, eumdem inferioribus præſtent. Imo ſæpe illos Londini vidi maiori obſeruantia proſequentes fœminas, quàm principes viros, & Magiſtatus, quæ certè non eſt fortis, ſed delicata doctrina, & mollior quàm pro ea, quæ nos reprehendunt ſeueritate. Vnde iam ſi admittant diuerſitatem formarum in adoratione ciuili, vti monſtrauimus, vrgebo exemplum, & eo inducto, quæram: cur non & diuerſas in adoratione ſacra formas admittant? vt alia Deus, alia Virgo Dei Mater, alia ſancti homines adorentur?

Idololatros.

Apta confutatio.

Fabam incudunt Angli.

Igitur cùm exhibemus cultum Deo, Diuinam in eo Maieſtatem agnoſcimus, & veneramur; eoque interiori affectu quaſi colore quodam actum externum afficimus; quem Latriæ nomine appellamus. Cum Diuam Virginem Matrem colimus, excellentiam in ea quamdam creatam quidem, ſed ſummam reueremur, ac hyperdulià proſequimur; quę multò eſt Latria inferior, ſuperior autem Dulia. Cum Sanctos, &

quos ratione virtutis, doniue ſupernaturalis, aut dignitatis ſpiritualis, & Eccleſiaſticę colimus, & obſeruamus, prȩſtantiā in ijs quamdā attendimus, qua ſuper nos attolluntur, & eminent; eoſque Duliâ veneramur. An non ſunt huiuſmodi adorationes ſatis diſtinctę? non animo & affectu ſeparatę? Cur ergo à nobis aiunt permiſceri, & confundi? an omnes noſtri Theologi falluntnr? quorum ſcholæ his vocibus crepant. An non erat ſapiens D.Thomas? non prudens Bonauentura? non acutus Scotus? non circunſpectus Alexander? Antiqui minus hac in re, quàm noui Angli Theologi viderunt? Vt ſigna exteriora eadem ſint, quibus triplex hæc adoratio efficitur, affectus certè animi ſunt diuerſi. Quid? quod ne externa quidem ſigna omnia tribus ſunt adorationibus communia; cùm illa percuſſio, tunſioue pectoris, cuius ſupra meminimus propria Latria ſit, & ſoli Deo debeatur; quam cum videant Sanctis à nobis, Virginique non tribui, ſibi perſuadeant ſoli Deo reſeruari. Non eo hæc dico, quòd negem Chriſti, & Crucis imagines latria adorari, cum certum ſit ita, & adorari, & adorari oportere, quemadmodum docet D. Thomas q.25. & ibi Theologi. Sed nomine Dei intellige, quæ aut ſunt Deus, aut Chriſtus Homo Deus, aut Crux, quȩ Typum Chriſti gerit, & rectè repræſentat. Addo quæ Crucem conſequuntur, & de ſanguine Chriſti participant, vti Claui, & cȩtera poenarum inſtrumenta, quæ dum crudeliter torquent, fæliciter conſecrantur. Quod ſi ne his quidem acquieſcant, illud demum obijcio. Quemadmodum ij adoratione ciuili, & Regem, & Magiſtratus ſubditos Regi venerantes comprehendunt, & in ea tamen diuerſos gradus, rationeſque agnoſcunt, & ſeruant, ne cultum ciuilem debitum Regibus cum alio communi confundant; & in vno, eodemque ciuili genere formas plures retinent, quibus diſtinctè, ſeparatimque adorant; alioque affectu, & modo Regem, alio Legatum, alio Magiſtratum obſeruant: Ita nos vnum adorationis genus in plures, ac idoneas formas diuidere, & ſingulas ſuis ſubiectis accommodare, nec alias cum alijs permiſcere, vllaue ratione confundere. Ac vti ij Maieſtatem Regiam tot inter adorationes integram illibatamque ſeruant; ita nos cùm Virginē Matrem, Sanctoſque & eorum reliquias adoramus, Maieſtati Diuinȩ iuſtum, & proprium honorem cultumque ſeruare, ideſt *Latriam*, ſtudemus: quam ei ſoli, & tribuimus, & tribui debere omninò fatemur.

Theologorum noſtrorum doctrina defenditur.

Quanti ſit animus in adoratione.

Latria ſoli Deo danda.

D.Tho. D.Bon. Scotus Alexan.

D.Th. Theol.

CA-

CAPVT II.

Loci Sacræ Scripturæ ab Anglis obiecti explicantur.

PEritiam Scripturarum arrogare ſibi Angli ſolent; homines, qui ſe ad Diuinas littteras factos putant; ac propterea ſuo plerumque ſenſu eas, non aut Patrum, aut Conciliorum iudicio & intelligunt, & exponunt. Nos verò Catholicos quaſi eorum rudes irrident, non quod credant nobis ignorari eas, ſed quod videant non arbitrio, libituue noſtro; ſed communi Patrum, Doctorum, Conciliorumque interpretatione earum ſenſum metiri. In quo illi Hebræos imitantur, qui littera contenti textui nudo inhærent; & quod ſonat littera aſſumunt; nec myſticos ſenſus aut inquirunt, aut attendunt, & Chriſtianas expoſitiones negligunt, & damnant; ſeque Dominos Scripturarum iactant. Sed inter vtroſque differt, quod Hebræi litteram ſolùm ſequuntur, quæ occidit, & ſemetipſos occidunt. Heterodoxi cùm vltra litteram ſpiritualem quoque, ſed abſurdum admittant ſenſum, in vtroque deerrant, & bis occidunt; grauiùſque multò quàm Hebręi peccant. Hinc eſt illa maior licentia interpretandi apud Hæreticos, quàm apud Hebræos, quod littera cum ſimplex ſit, & plana, minorem in interpretando diuerſitatem admittit, myſtica verò interpretatio, cùm vtrumque ſenſum & ſpiritualem, & litteralem contineat, multiplex eſt, atque adeo multis temerè intelligentium exponentiumque erroribus obnoxia, quos oportet inducta face communis authoritatis remouere.

Anglorum à Scripturarũ peritia arrogantia.

Catholicorũ modeſtia.

Igitur Angli Heterodoxi contra huiuſmodi adorationem Papæ multa obijciunt, quorum nonnulla in inuectiua illorũ propoſuimus. Addimus autem hic cætera quæ ſolent opponere. Aiunt primum Deum Deuteron. 6. dixiſſe *Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſerniet.* Chriſtumque eodem teſtimonio vſum apud Matthęum c. 4. ad dæmonem, qui adorari ſe poſtulabat repellendum; ibique expendunt Chriſtum ita reſpondiſſe Dæmoni loco obiecto, perinde ac adoratio eſſet propria vnius Dei, & nemini alteri pręter eum conueniret. Nec enim excepit Dęmonem peruerſum, damnatumque nõ eſſe adorandum: ſed diſertè dixit, vnum Deum eſſe adorandum, petito principio adorationis, & ſubiectionis, quòd cum

Primus locus obiectus.

Deuter.

Matth.

ſolus eſſet Deus vlli creaturę non poterat deferri. Itaque non malitiæ Dæmonis rationem habuit; quam ſanè habuiſſet, ſi adoratio Sanctis etiam Angelis, aut hominibus tribui poſſet. Vrgent verò amplius, quòd etſi locus Deuteronomij videatur de adoratione propria Dei loqui, nam Græcè eſt latreuſis, hebraicè tamen eſt verbum Tagabodh, quod communem ſeruitutem denotat. Quid? quòd textus Euangelij de quacumque adoratione loquitur, cũ habeat Proskiniſin, quo verbo communis adoratio ſignificatur. Vnde præcluditur effugium, ad quod ſolent confugere, Dei præceptum de Adoratione Latriæ eſſe capiendum. Acutè obijciunt, & expendunt: ſed audiant & vera & ſolida. In his duobus locis ea intelligenda eſt quę Dei propria eſt, & Theoſobia ſeu Latria dicitur; deque illa pręceptum intelligendum: ac primùm de loco Deuteronomij patet. Nam toto eo cap. 6. agitur de adorando, & diligendo, ac timendo Deo, & remouenda idololatria Gentium, quę idola pro Dijs colebant, vti videre eſt in textu, vbi num. 3. eſt *Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt*: quod ad fidem omnino diuinam pertinet. & n. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Quòd proprium eſt charitatis theologicę. & n. 13. Timor Dei commendatur: *Timebis*: & iuramentum per nomen illius inducitur. *Per nomen illius iurabis*. Quo quid magis proprium Dei? nam cum nomen Dei in iuramentum aſſumitur ſolius Dei nomen ſignificatur. n. 14 id à contrario argumento probatur. Idololatria enim vetatur: *Non ibitis poſt Deos alienos*. Accedit quod Biblia vulgata vbi eſt latreuſis *Adorabis*, legunt *Timebis*: vt per timorem genus adorationis exprimerent; qui timor cum Dei donum ſit, & ad Deum referatur, inducit vim adorationis diuinæ. Itaque nequis obijceret, *Adorare* eſſe vocem communem, maluit Interpres vti verbo *Timere*, quod propriè ad Deum ſpectat tanquam obiectum timoris; nec enim homines timeri iubentur: imo non timeri, vt ſolus Deus timeatur. Venio ad textum Euangelij, in quo retinetur verbum commune proskinin *Adorare*. Ac primum dico noluiſſe Chriſtum ſenſum germanum loci inuertere, ſed ſeruare: itaque quo ſenſu erat in Deuteronomio, eo vſum fuiſſe; nec enim debuit mutare quod acceperat. Deinde ad id, quod acutè ex diabolo obiecerant, refello, ac retorqueo: nam Diabolus adorari, & coli vt Deus volebat; nemo quippè id ſibi non perſuadeat, cùm

Reſponſio.

Exponitur nitidè locus Deuteron.

Explicatur perſpicuè textus Euangelij.

Sata-

Satanas eſſet qui propterea de cœlo ceciderat: vnde eo loco propriè refutandus erat, qui adorationem Dei propriam contineret. Videant Angli ne dum ſuo iudicio indulgent, Diabolo faueant, & modeſtiam pro ſuperbia inculcent. Nam ſi ille communem tantùm adorationem ab homine poſtulabat, cum ſuperioris eſſet naturæ, moderatiùs aliquando ſe gerebat, quàm vt tam à Chriſto acriter reprehenderetur: *Vade poſt me Satana*: nec Chriſtus aptè, opinor, adorationis diuinæ præceptum obijceret, ſi nihil de ea Diabolus cogitaret. Præterea minus magnificè promitteret Diabolus, ſi minorem diuina adorationem exigeret. Nam quid ille non modò montes aureos, ſed vniuerſi orbis regna pollicetur: *Hæc omnia tibi dabo* pro communi quadam, & quę cum quolibet excellenti homine communis eſt reuerentia? Maius aliquid agitabat Diabolus cùm adorari ſe petebat: nec minus erat arrogans in petendo, quàm impudens in promittendo. Quod ſi quæ ſunt in Dei poteſtate temere promittebat, nil mirum ſi quæ propria Dei eſt eam adorationem ſuperbè poſtulabat. Tandē animaduertant Angli oportet, quomodo textus ſit compoſitus. Eſt enim *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*: vbi loco *Adorabis* habetur, *proskiniſis* commune verbum: loco autem *Seruies* habetur latreuſis, quod eſt proprium Dei, cùm ſit *illi ſoli*. Igitur malè Angli colligunt verbum *Adorabis* communi ſenſu capiendum eſſe, cùm verbum latreuſis propriè ſumi debeat: nam cum ſententia in verbum proprium deſinat, eo certè debet concludi, & definiri; at illud quidem aptius eſt, vt quod eſt commune ab eo quod eſt proprium; quam id quod proprium eſt à communi, vulgarique regatur. Ac, vt more Catholico agam, etſi multa in hac interpretatione contenta, à meo ſint ingenio, iudicioque profecta, hoc vltimum, in quo vis haud mediocris ineſt, à Tharaſio id in Epiſt. ad Conſtant. & Irenen, & Anaſtaſio Epiſcopo in act. 4. 7. Synodi, alijsque antiquis ſum authoribus mutuatus. Ex his apparet inanem eſſe illam Anglorum obiectionem, cum conſtet vtroque in loco, & Deuter. & Matth. non de adoratione communi, quam *Duliam* nos, ſed de propria Dei, quam *Latriam* dicimus, mentionem fieri: atque adeo nihil aduerſus noſtram ſententiam inde concludi.

Idem in Anglos retorquetur.

Recta expoſitio.

Tharaſ.

Anaſt.

Paul. Rurſum obijciunt duos alios locos ex D. Paulo alterum. 1. Timoth. 1. *Soli Deo honor & gloria*: ex quo deducunt: hominibus

nibus non licere aut hanc, aut illum impartiri: & cui impartiatur eum Deum alterum fore ; in quo eſt idololatria. Alterum ex 4. ad Galatas vbi ſic : *Tunc ignorantes Deum ijs, qui natura non ſunt Dijs ſeruiebatis*. Quod Græcè eſt *eduleuſate* : ac ſignificat hoc loco adorationem Latriæ, cum vulgò Duliam notet. Vnde colligitur, ne Duliam quidem poſſe hominibus tribui, cum vel in hoc ſenſu non quadret niſi in Deum, atque adeò cum alteri præter eum defertur, idololatriam importet. Sed pace Anglorum, hi duo loci rem non continent. Nam primus eum honorem indicat, qui ſit coniunctus cum gloria ; quæ etſi Latinè *frequens ſit de aliquo fama cum laude*, & à Tullio ad humana accommodetur : apud Paulum tamen ſæpè ad Diuina transfertur, vt gloria Deo conueniat. Vnde familiare eſt Paulo vetare, ne quis in ſe, ſed in Domino glorietur. *Qui gloriatur in Domino glorietur. Mihi autem abſit gloriari. Quid gloriaris quaſi non acceperis* ? & multa alia, quibus abſtineo. Itaque mirum non eſt Paulum honorem, & gloriam, ideſt, qui continet gloriam honorem: Deo, non hominibus deferri velle.

Galat. · *Gloria quid ſignificet?* · *Tullo.* · *Paulus.*

Ad hæc: etſi honor, & gloria commune quiddam ſignificant, cùm tamen à ſubiecto coercentur, ei tantùm addicuntur; quemadmodum inter Latinos fieri videmus. Cùm enim honor ſit cum Dijs, hominibuſque communis, interdum Dijs tantùm accommodatur, vti apparet in Virgilio, qui vtroque ſenſu accipit: taceo de humano, cum vbique ſit obuius. Diuinum indico lib. 1. Aeneid. more Gentilico.

Virgil.

An quiſquam numen Iunonis adoret,
Præterea ? aut ſupplex aris imponat honorem ?

Hoc exemplo vtar reſpondendo Anglis D. Paulum hic ad Timotheum honorem, & gloriam ita ſumpſiſſe, vt in ſolum Deum quadraret. Secundus locus eodem fere modo explicatur. Etſi enim *Duleuo* multiplex ſignificatum habeat, varijſque cultus & obſequij generibus applicetur, hic tamen ad Latriæ cultum reſtringitur, quo Gentes Idola pro Dijs colebant, vti patet ex Textu loco citato, & paulo poſt num. 9. *Elementa quibus denuò ſeruire vultis*. Loquitur de officio, quo cum Ethnici eſſent, idola proſequebantur; ac vt illud officium idololatriã continebat ex animo quo præſtabatur, ita ad eam transfertur. Verùm nos qui Chriſtiani, qui Catholici ſumus, qui idola non colimus, imò Deum adoramus, & propter eum homi-

Dulia interdum pro Latria ponitur.

homines Sanctos, & in Sacris conſtitutos veneramur, longè alio ſenſu idem illud verbũ vſurpamus, quo Paulus aſſumit: cùm hic gentibus adorantibus idola accommodet, nos autem idola damnemus, & Deum, & Sanctos eius aptè, & innocenter colamus.

Adijciunt locis Angli exempla: ac primùm Mardochęum inducunt, qui Eſther. 3. flectere genua coram Amano noluit vnus. Cæteris flectentibus, & adorantibus Aman, ſolus Mardochæus *non flectebat genua nec adorabat*; quòd diceret *ſe eſſe Iudæum*: in quo erat cauſa, quam prodidit cap. 13. num. 12. cum Deo loquens: *Tu ſcis*, inquit, *quia non pro ſuperbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum: libenter enim pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem; ſed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.* Integrum locum adduxi, vt appareat quis illius ſenſus ſit, & vtri melius intelligant Angli, an Catholici? Hinc illi colligunt ſolum Deum eſſe adorandum; qui autem homo adoratur ei diuinum honorem deferri, cùm ad eum cultus Dei proprius transferatur; quod Idololatriam continet. Quòd autem Aman non peteret adorationem Latrię, quo excuſari poſſent Catholici, conſtat ex eo quòd illum omnes alij iuſſu Imperatoris adorabant; *Sic enim eis præceperat Imperator*. Non præcepiſſet autem is vt Amanus pro Deo coleretur. Præterea illa adoratio erat communis, ideſt *ingeniculatio*, qua homines alij alios ſolent reuereri. Inſuper & Amani teſtimonium cap. 13. indicat non de adoratione Latriæ, ſed de communi eſſe locum intelligendum: ait enim Mardochæus in parentheſi: Paratum ſe eſſe pro ſalute Iſrael non ſolùm ingeniculari, ſed etiam in *oſcula pedum ruere*: quod ſanè non feciſſet, ſi Latriæ genus illud eſſet, quo nullatenus liceret Mardochæo Amanum adorare: quod ſi qua ratiõne licebat, argumento id erat adorationis illam formam communem, non propriam Dei eſſe. Igitur eo manifeſto exemplo probatur nullum prorſus adorationis cultum homini eſſe præſtandum.

Eſth.

Exempla opponunt Angli.

Elidunt obiectionem.

Huic loco ab antiquioribus hereticis obiecto variè reſpondent Authores noſtri. Nam eorum quidam cenſent Aman petijſſe latria ſicuti Deum adorari; atque adeò rectè Mardochæum egiſſe cùm adoratione abſtinuit, ne cultum diuinum ad hominem transferret. Ita Sanctus Thomas 2. 2. q. 84. art. 1. & Lyra

Varij reſpondendi modi.

S. Thom.

& Lyra in eum locum Eſtheris citans Gloſſam Hebraicam in eamdem ſententiam, quam ſequitur, ac exponit Caietanus in comment. ad locum S. Thomæ. Alij autem ſentiunt Amanum officium duntaxat, & cultum ciuilem exegiſſe ob rationes proximè adductas; verùm quoniam illud genus adorationis ſupplex quotidianum apud Hebrǫos Deo tantùm deferri ſolebat, ne ſuſpectum eſſet, ac in contemptum diuini numinis fieri videretur, à Mardochæo exhiberi Amano minimè debuiſſe. Sic Vaſquez de adorat. diſt. 97. c. 3. & Suarez d. 53. ſect. 1. Ego in gratiam Anglicæ gentis perſpecta vtraque ſententia, etſi idonea ad refellendum exemplum, accuratiſſimè inſpecto loco, adijcio. Illum quidem cultum ſeorſim ac per ſe ſpectatum ciuilem fuiſſe, atque adeo à Rege permiſſum Amano, eique ab Aulicis eius famulis illius Imperio delatum, quod mihi perſuadent Vaſquij, & Suarij rationes: verùm eo Amanum abuti ob ſuperbiam in contemptum Iudæorum religionis voluiſſe, proindeque maius quiddam à Mardochæo, quàm ab Aulicis poſtulaſſe. Vnde patet quanti interſit, quo quiſq; animo adorationem aut exigat, aut exhibeat. Cum ſi Aman illam iuſtè, & ſine ſuperbia, neglectuque à Mardochæo exigeret, nihil committeret, quominus ab eo ſicut ab alijs coleretur. Quoniam verò arroganter, & impiè poſtulabat, egit ne à Mardochæo alioue Iudæo poſſet adorari. Id mihi exploratum eſt verba Textus exactè pendenti: Primum ait Mardochæus: ſe id *non ex ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate feciſſe*; excuſando enim factũ monſtrat illud ex ſe licitum fuiſſe, cùm & ſe peccare abſtinendo ſi peruerſo animo faceret, & Amano id contumeliæ fore teſtatus ſit. Quod argumento eſt, illud genus obſequij per ſe prauũ, ac vetitũ non eſſe; cum prauitas animo prauo imputaretur. Deinde Mardochæus diſertè affirmat ſe minimè adorare velle *Aman ſuperbiſſimum*: quo manifeſtè oſtendit eum in ea adoratione exigenda haud dubiè ex ſuperbia peccare. Id vero alia ratione fieri non potuit, niſi adulterando rationem cultus, eãque in latriam conuertendo; ad quem cum reiuliſſet animum Mardochæus, adiecit: *Timui ne honorem Dei transferrẽ ad hominem*: vbi verbum, *Timui*; indicat non euidentiam rei, ſed latentis animi ſuſpicionem, nixam ſuperbię indicijs, per quę ſe Amani mens prodebat. Accedit illa ſententia Mardochæi ſe purgantis: *libenter enim pro ſalute Iſrael, etiam veſtigia*

Lyra.
Caiet.

Vaſqù.
Suarez.

Propria Authoris & idonea reſponſio.

Locus expenditur.

gia

gia pedum eius deoſculari paratus eſſem: nam in cauſa, & animo rem totam ſitam eſſe ſignificat; neque in facto quicquam morandum, ſed voluntatis rationem habendam: poſſe enim illa, & maiora obſequia pręſtari, ſi iuſtis de cauſis poſtularentur, quæ non erant in poteſtate Mardochæi adorantis ex pręſcripto, ſed Amani adorandi, à quo illa ad idololatriam trahebantur; quam aut fouere, aut pati Mardochęus non poterat. Vnde concludit, *Ne quemquam adorarem excepto Deo meo.* Docetque Amani adorationem in contemptum Dei cedere, quòd ſic ex ſuperbia vellet adorari, vti Deus Hebręorum adorari ſolebat. Idque ex alio Eſtheris loco aptè confirmatur: nam ex cap. 15. n. 10. & 11. conſtat Eſtherem coram Aſſuero *Rege corruiſſe:* & ex c. 3. *virgam* eiuſdem *oſculatam fuiſſe*: quod officium cultus rationem continebat: nec propterea Eſther reprehenſa, quòd nimirum in Rege adorato animus, & in Eſther iuſta adorante mens inerat; quæ ſi in Amano eſſent, adorare Mardochæo liceret. Quòd non licuerit, id non facto, quod alij innocui, innocenteſque præſtabant; ſed animo prauo ac peruerſo, quem Mardochæus præſtare non poterat imputandum.

Aptè exponitur.

Eſther.

Atque hac ego ratione locum expono, & omninò Anglis ſatisfactum exiſtimo; qui nihil ex eo nobis poſſunt obijcere; cum conſtet multum inter exempla intereſſe: nam Amanus ex ſuperbia latriam ſibi exigebat, & pro Deo coli haberique volebat; & animo peruerſo cultum alioqui communem, & licitum deprauabat. Pontifices autem Romani latriam non poſtulant, imò & ſeueriſſimè vetant, & puniunt, eamque ſoli Deo deberi docent, & deferri iubent, & deferunt. Tantùm admittunt Duliæ cultum, qui dignitate perſonæ Chriſti Vicarium agenti conueniat: eumque ſibi non arrogant; imò potius oblatum cum accipiunt, non ad ſe ſpectare, ſed ad Chriſtum referri profitentur. Quin ſi foret quiſpiam qui Pontifices vera latria adorari vellet, is acerbiſſimas opinor ſacrilegij admiſſi pœnas penderet ab ipſis Pontificibus conſtitutas.

Iuſtè concluditur.

Actor.

Secundùm opponunt Petri exemplum Act. 10. quem cũ Cornelius Centurio *procidens ad pedes eius adoraret. Eleuauit Petrus* dicens: *Surge & ego ipſe homo ſum*: & contendunt neminem hominem ab homine adorandum: quòd in eum adoratio cadere non poſſit, quicumque ille demum vel Papa ſit, cum Petrus eo nomine adorationem repulerit, quòd homo

Secundum Cornelij exemplum.

 eſſet;

eſſet; niſi fortè Papæ Dij ſunt. Miror hic duo grauiſſima iudicia, Vaſquium,& Suarium non probare D.Hieronymi ex- Suar. Vaſq. poſitionem docentis Cornelium Petro diuinum cultum præbere voluiſſe, ac ideo eſſe à Petro repulſum; quam probauit Alanus Copus dial.3. c. 7. & quidem Hieronymus ita ſentit Alanus Copus. lib.contra Vigilantium. Et ſi enim D. Chryſoſtomi interpretationem ſequantur hoc loco dicentis, Petrum commune Cum Vaſquio & Suarez de interpretatione loci cõtentio. officij religioſi genus ex modeſtia recuſaſſe, cum aliàs & deberetur Petro, & ipſe poſſet accipere: potuerunt tamen vtramque expoſitionem retinere; & vti Magnus Auguſtinus ſolet, non vna tantum ratione difficultatem expedire. Mihi illud videtur Cornelium ex immoderato quodam pietatis ſenſu, Petrum religioſiùs,quàm par erat,colere voluiſſe,atque adeo quiddam maius humano habitu in eo homine ineſſe credidiſſe, ex qua opinione cum adoraſſet, à Petro fuiſſe cohibitũ, ne opinionem illam fouere videretur.Suoque ego Vaſquium argumento vrgeo; opponit quippe Cornelium cognouiſſe antea Petrum hominem eſſe,ad ſeque venturum, atque adeo humano cultu proſequutum adoraſſe. Cui repono. Quid igitur ſi hominem cognorat, & vti hominem colebat, monet eum Petrus ſe hominem eſſe: *Nàm & ego ipſe homo ſum*? Quid Prima interpretatio. enim monendus erat id quod cogitabat?Igitur maius aliquid mouebat ille, & diuinius quiddam in Petro ineſſe ſuſpicabatur, ob idque monendus fuit,Petrum hominem eſſe,ne quid ei humano maius tribueret. Quod Diuus Gregorius Magnus Grego. Magn. Epiſt.24. Regeſti lib. 1. (quod neſcio quì latuerit vigilantiſſimum authorem Vaſquium) manifeſtè tradidit: *Petrus authore Deo Sanctę Eccleſiæ principatum tenens à bene agente Cornelio ſeſe ei humilitèr proſternente, immoderatiùs honorari recuſauit; ſeque illi ſimilem recognouit, dicens: Surge ne feceris, & ego homo* Ex Gregor. cõtra Vaſq. & Suar. *ſum*. Accuratè ac rectè Gregorius cultum adorationis erga Petrum Principem Apoſtolorum, & Caput Eccleſiæ probat in Cornelio, quem benè agere adorando affirmat: ſed exceſſum in exhibendo cultu non probat, & cum Petro recuſante tacitè reprehendit, ne quis iuſtæ, ac debitæ adorationis modum excedat. Hæc eſto prima ratio expediendi locum, idonea ſanè quæque maximè rem contineat. Altera Chryſo- Cryſoſ. Suarez Vaſqu. ſtomi, Vaſquij,& Suarij,Cornelij adorationem communem quidem, & moderatam extitiſſe, ſed Petrum eam ob modeſtiam recuſaſſe, quod nollet initio naſcentis Eccleſiæ honores

eos admittere, qui à Gentibus Dijs ſuis tribui ſolebant. Nihil igitur immoderatiùs egit Cornelius, ſed Petrus ſe habuit moderatiùs; quòd æquius tunc dùxit Chriſtianæ humilitatis exemplum, quàm Pontificiæ authoritatis documentum præbere. Quod & inducta iam adorandi conſuetudine ſæpe fecerunt Romani Pontifices, non magis dignitatis vindices, quàm modeſtiæ aſſertores. Gregorius enim Primus authore Sophronio in Prato Spirit. c.151. Abbatem Ioannem Perſam Romæ volentem ſe adorare more Catholicis conſueto occupauit ſe ſe ad illius pedes proſternendo, eumque ſuppliciter adorando. Et Leo III. Carolum Magnum, teſte Aimonio lib.4. de geſtis Francorum c.90. Romam inuectum coluit & adorauit. Et Gregorius V. Abbatem Nilum ad ſe Romam accedentem ab adoratione prohibuit, & manum eius colentis habitu oſculatus eſt. Imo & tantum apud Principes Eccleſiæ viros virtutis eius, quæ in demiſſione, & neglectu ſui conſiſtit, exiſtimatio valuit, vt cùm ea ſæpe vterentur Pontifices, & abuterentur impij, neceſsè fuerit vtrorumque ſtudia coerceri: hæc quòd ſuperba, illa quòd ſuperbiæ anſam dabant; ac propterea ſancitum eſt Synodo 7. c.14. *Non debere Epiſcopos ante genua Principum ſæcularium ad eos adorandos procumbere; quamuis cum omni modeſtia illos debeant honorare*. Ita & relictus moderationi locus, & occaſio contemptus præciſa; quòd ſcitè animaduertit Suarez diſp.53. in 3. p.q.25. ſ.2.

Secundus exponendi modus. — Sophr. Gregor. Magn. — Aimon. — *Humilitas Pontif. Rom.* — 7. Sinod — Suar.

Tertium exemplum, quod vulgo afferri ſolet petitum ex 14. cap. Act. vbi Lycaones ſacrificare Paulo, & Barnabæ voluerunt, omninò idololatriam continet, proindeque non eſt huius loci, nec eo Angli, qui inter omnes Heterodoxos argumentantur ſolertiùs, vtuntur. Et idcirco non commemorant Suarius & Vaſquius; obiter tantùm proponunt, nec ſoluunt, quòd nihil ad rem putent intereſſe.

Actor. — *Tertium Lycaonum exemplum.* — Suar. Vaſq.

Quarto, & vltimo exemplo maximã ineſſe vim exiſtimãt Sueci, & Angli, illudque magna nobis Catholicis vi obijciũt. Angeli, ſiue vnius bis viſi, ſiue duorum (quod nunc ſequor vt procedam diſtinctiùs) Angelorum Apocal. tum cap.19. tum 22. quos cum adoraſſet Ioannes prohibitus eſt ne faceret ijſdem penè verbis: *Vide ne feceris: Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu Prophetarum. Deum adora*. Eadem prorsùs ſententia; quam ſuam eſſe confirmant Sueci, nempè ſolum Deum adorandum religiosè; præter eum

Reſpondetur 4. exemplo. — Apocal.

Digitized by Google

neminem: cùm deterritus ſit Ioannes homo, & alieno in loco ab adoratione ſuperioris ſe Angeli, ac ea ratione deterritus, quæ rem continet, quòd ſolus Deus adorandus erat, *Deum adora*; eo monſtrato quòd obiectum adorationis foret. Quare huic loco accuratiùs reſpondendum. Duas eſſe huius ſen-

1. Expoſitio loci. tentiæ expoſitiones tradunt Suarez & Vaſquez: Primam Auguſtini q.61. in Geneſim. & lib. 20. contra Fauſtum c.21. ſentientis Ioannem pro Deo habuiſſe Angelum, & latria adorare voluiſſe; à qua proinde prohibitus ſit. Secundam Bedæ, Richardi de Sancto Victore, Anſelmi, & Ruperti exiſtimantium Ioannem communi Angelos cultu proſequutum, nec eos niſi Angelos putaſſe: ſed vetitum ab ijs ex modeſtia orta ex conſideratione Incarnati Verbi, & Apoſtolicæ dignitatis. Vtramque probant ambò Theologi: ſed primæ præferunt

2. Expoſitio loci. ſecundam, quam item præponit Bonauent. in 3. d.9. art.1. q.5. quòd veroſimiliùs credunt Ioannem, & ſcire quo cum loqueretur Angelum eſſe: nec decere decipi eum, & Deum Angelum exiſtimare: bis præſertim, inquit Vaſquez, cum ſatis eſſet ſemel moneri, & vetari, ne rurſum falleretur. Equidem vt non improbem ſecundam ſententiam, primam nihilominus longè antepono, cuius author eſt Auguſtinus, & Remigius, ac probat S. Thomas 2. 2. q. 84. & Cælius Pannonius in Collectan. ſequiturque Alanus Copus dial. 3. c. 7. & Ioſephus Stephanus Valentinus Epiſcopus Veſtanus lib. de Oſculat. pedum Romani Pontificis c. 19. Eam verò rationi-

Prima ſecundæ præfertur. bus, opinor, idoneis confirmem. Ioanni non pauci alij occurrerant Angeli, quos & viderat, & audierat, nec eos tamen coluerat: quin & Seniorum, & Animalium viderat, & voces acceperat ſine vllo adorationis ſigno; aliquid ergo excellentius in hiſce duobus Angelis inſpexit, ſuſpexitque, quo iuſtè commotus ad religioſum ijs cultum deferendum ſe demiſit. Et quidem haud temerè Chriſti perſonam eos ſuſtinere ſuſpicatus eſt, nam cum ſemel Chriſtum vidiſſet, audiſſetque c.1. & 2. & 3. multa & præclara, quæ myſticotera erant, à quibus ſimilia accepit, eos eiuſdem Chriſti perſonam agere iudicauit, ac vti ante illum c.1. ex timore, ac ſtupore corruerat: *Cecidi ad pedes eius tanquam mortuus*: nec eſt ab officio, ſed tantùm à metu liberatus: *Noli timere*: ita poſtea voluit ex reuerentia ad eius pedes ſe proſternere; & quem metus primùm extorſerat cultum, eum libenter deferre. Cur autem in his potius

Suar. Vaſq. Auguſt. Richar. à S. Vic. Bonau. Auguſt. Remig. S. Tho. Alan. Cælius.

potius Angelis, quàm in cæteris Chriſtum latere exiſtimauit, aperio: etſi enim eſſent de numero ſeptem, qui phialas tenebant, ea tamen dixerunt Ioanni, quæ ſuadebant eos maiores, quàm pro Angelico habitu eſſe perſonas. Primus enim de Prædeſtinatis ad gloriam locutus eſt: *Beati qui ad cænam nuptiarum Agni vocati ſunt:* Verba Dei ſe dicere magna energia profeſſus eſt: *Hæc verba Dei vera ſunt:* quod certè in eum qui Dei Patris Verbum eſt quadrabat: Itaque cum id ſibi Ioannes perſuaſiſſet: *Cecidit ad pedes eius vt adoraret eum:* idque argumento eſt quiddam diuinius ex illa ſententia ei ineſſe credidiſſe, quod cum ante eum diu audiſſet, ne leue quidem adorationis ſignum præbuerit. Iam verò alter, qui cap. 22. oſtenderat Hieruſalem cæleſtem, & menſus eam fuerat, exactiſſimèque deſcripſerat, non modo factis Chriſti munus obiuit, cuius eſt manſiones parare in domo Patris ſui, & aſſignare; ſed etiam verbis eumdem ſe eſſe tam perſpicuè ſignificauit, vt mirum eſſet ſi Ioannes Chriſtum eum eſſe dubitaret: Sic enim finijt: *Ecce venio velociter: Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius:* quæ certè vix alius à Chriſto, aut qui eius perſonam gereret dicere poterat; cum præſertim ille etiam edocto Ioanne eſſe ſe Angelum adhuc eam orationem inſtituat, quæ non niſi Deo conueniat. Ecquis enim præter Deum dicat: *Ego ſum a & o primus & nouiſſimus, Principium, & finis.* Et quis niſi à Ieſu audire ſe putet. *Ego Ieſus miſi Angelum meum.* Niſi fortè Ieſus ex abrupto inducitur, vt verba Angelo lòquenti eripiat, & ſermonem ereptum continuet; quod ipſum perſuadet Angelum antea loquentem ea dicere, quæ Chriſtus ipſe dicere potuiſſet. Equidem fateor niſi Angelũ ſe ille profiteretur, & Ioannem ab adoratione deterreret me illum, cum iſta lego, pro Chriſto habiturum fuiſſe. Iure igitur, dum ille diſtulit quis eſset ſignificare, Ioannes eum maiorem, quàm pro Angelo habuit, & religioſiùs quàm creaturæ ſolent, coluit. Ac ne quis exiſtimet me gratis aſſumpſiſſe duos eſſe Angelos; non vnum & eumdem; aut id data opera feciſſe, vt argumentum Vaſquij eluderem obijcientis eumdem eſſe à cuius adoratione Ioãnes eſt deterritus, atque adeo non potuiſſe illum bis latria adorari, cum iam ſciret Deum non eſſe, vtrumque volo diluere monſtrando non abhorrere à textu dicere duos eos, ac diuerſos eſſe. Deinde etſi vnus duntaxat ſit, facilè argumento Vaſquij ſatisfactum iri.

In ijs Angelis Chriſtus adorabatur.

In primo.

In ſecundo.

Probatur aſſumptum eos Angelos Chriſtum repræſentare.

Duos

Duos Angelos eſſe aſſeritur contra Vaſquez.

Duos igitur eſſe Angelos apparet ex eadem ratiocinatione Vaſquij: nam quo ille conatur probare non potuiſſe Angelum à Ioanne latria adorari, eodem ego argum. probo, eumdē non fuiſse. Ait eum iam ſemel à Ioanne cognitū c. 19. non debuiſse cap. 22. rurſum pro Deo haberi, & adorari. Hoc ſumo, & retorqueo: Igitur diuerſus erat Angelus, quem cap. 22. voluit adorare ab illo primo. Etenim ſi idem foret, quomodo Ioannes eumdem à quo erat vetitus, adoraret? An non timeret, ne iterum in eamdem culpam caderet, & ob eam iterum taxaretur? Nam vel eum nouerat, vel non nouerat? ſi nouerat, pertinax erat in adorando: ſin minus nouerat, immemor certè erat, & negligens, qui tam citò eius, qnem paulò ante viderat, memoriam depoſuerat. Igitur dicendum diuerſum Angelum eſse, quem c. 22. voluit adorare. Nec Vaſquez aptè ex eo deducit latria non debuiſse adorari, cùm deberet deducerę nullo modo adorari potuiſse: nam ſi bis adorandus non erat idem, quòd vetitus erat adorator: nil ſanè intererat quo modo adorandus, qui nullo modo erat adorandus: ſemel enim prohibitus adorare, non debuit iterum adorare, quacumque tandem ratione adoraret. Iam verò quòd bis adorauerit Ioannes, id perſuadet Angelum alium fuiſse, cùm non liceret contra pręceptum rurſum eumdem Angelum adorare. Igitur ex repetita adoratione apparet duos, & diuerſos Angelos eſse, ne dicamus aut Ioannem in adoratione pertinacem, aut in obliuione tardum fuiſse. Quod ſi opponas eumdem omninò Angelum eſse, quòd Sacer Textus duobus in locis dicat: *Venit vnus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas:* quod non videtur quadrare in duos: facilè reſpondeo illud: *Vnus*: non ſignificare, *idem*, ſed *vnus* ſemel poni pro vno; & *vnus* rurſum alibi pro altero; vt duo ſint; niſi fortè quod in cap. 1. Geneſ. toties dicatur *Dies vnus* non dies ſex, vnus tantum, idemque dies intelligendus ſit: at videmus ibi cum de ſingulis dicatur vnus, quoties vnus dicitur, toties alterum, & diuerſum eſse affirmari: dies ſecundus, tertius, & quartus, vſque ad ſextum. Cum præſertim in loco Apoc. 19. non conſtet an ſit idem Angelus, qui loquitur cum Ioanne ille, qui cum eo locutus fuerat cap. 17. vbi eſt illud: *Venit vnus de ſeptem*, nam interponuntur multa c. 17. 18. & 19. quæ rem inuoluunt; nec rurſum dicitur c. 19. eum qui Ioanni dixit: *Verba Dei vera ſunt*: eumdem eſse qui c. 17. cum eo lo-

Retunditur obiectio:

Vaſq.

Geneſ. 1.

Apocal. 19.

cutus

cutus fuerat; etenim id tantum habetur: *Et dixit mihi*. Præterea etiam obſcurum eſt, quis ille ſit Angelus, qui cum Ioanne ſermocinetur, cum illud; *Venit vnus de ſeptem* habeatur n.9. c.21. & inde ad n.6 c.22. multa diuerſaque commemorentur; quæ minus perſpicuam rem faciant. Vnde apparet eumdem Angelum eſſe non omninò conſtare: nec temere dicturum; qui aduerſus Vaſquium duos eſſe contendat. *Apocal. 21. & 22.*

Eſto tamen. Vnum & eumdem fuiſſe Angelum concedamus: nihil indè aduersùs primam illam Auguſtini, & Thomæ interpretationem concluditur. Nam potuit idem Angelus ſpeciem ita ſuam, habitumque mutare, vt alius videretur; poſſetque iure Ioannes ambigere, imo & exiſtimare ab eo, quem primùm viderat eſſe diuerſum. Nec id vitio dandum Ioanni fuit, qui ex mutatione habitus & oris, & corporis prudentèr iudicauit aliam eſſe perſonam. Quemadmodum enim Diſcipuli qui probè Chriſtum norant, in mari ſuper vndas ambulantem non agnouerunt, & phantaſmacum eſſe putauerunt, adeo vt opus fuerit eos à Chriſto edoceri ſe eumdem eſſe: *Ego ſum*: & confirmari: *Nolite timere*: ita Ioannes & ſi antea vidiſſet, & noſſet Angelum, cum eum aliam agentem perſonam cerneret, diuerſum ab eo quem primùm viderat exiſtimauit, cum præſertim minus multò eum, quàm Diſcipuli Chriſtum cognouiſſet. Quare nec eſt culpandus Ioannes, quòd ſit deceptus; nec quòd ex ea deceptione illum latria voluerit adorare. Debuit tamen ab Angelo prohiberi, ne is qui Angelum eſſe ſe norat errorem adorantis foueret, ſeque veluti Deum adorari permitteret. Rectè igitur, ait Auguſtinus, *corrigendus fuit adorator*: & ſi enim vacaret culpa, non decebat tamen opinione errare. Ratum igitur maneat Ioannem latria voluiſse Angelum proſequi: qua cùm ſciret Angelus Deum vnicum eſſe colendum, monuit ne faceret, ac Deum iuſſit, vt adoraret. Vnde conſtat nihil ex eo loco aduerſus rationem adorandi noſtram Anglos deducere, cum illud exemplum ineptum omninò ſit ad probandum quod ſumpſerant; Ne adoratione quidem communi Angelos, & Sanctos eſſe colendos; cum ea adoratio non communis fuerit, ſed propria & Diuina; quæ alij à Deo perſonæ deferri nec debuit, nec potuit. Ita omnia Anglorum exẽpla deficiunt; & tradita à nobis doctrina integra manet, & inconcuſſa: quã opinor, Sueci vti acuti ſunt, perſpicient, & vti probi deinceps probabunt, & ſequentur. CA-

Aug. D. Th.

Alio modo refutatur obiectio.

Marci 6

D. Aug.

Concluſio reſponſionis.

CAPVT III.

Paralipomena Catholicis afferuntur.

HAec mihi de Adoratione cum Heterodoxis diſſerenti in mentem venerant; putabamque ijs prorsùs ſatisfactum eſſe: cum incidi in tomum vndecimum nobiliſſimi huiuſce ætatis Authoris P. Antonini Dianæ recens in lucem editi; qui inter ordinarias, quas Morales dicunt quæſtiones, vnam extraordinariam de Adoratione Summi Pontificis cõtinebat. Inceſſit animo eam videndi cupido, & quòd eum Authorem doctum, & eruditum cognoram, ſpem concepi multa in eo inuenturum, quæ vſui forent: decreuique nihil omnino in lucem edere, quod non cum eius ſcriptis conferrem, collatumque probarem; & ſi quid noui legendo nactus eſſem, id operi meo, ingenuè illo citato, adijcerem: ſemper enim mihi illa Plinij ſententia placuit: *Ingenuum eſt fateri per quos profeceris*; Igitur eius tractatum, ſic appellat, diligenter legi, & multa eruditione refertum reperi. Et quamquam omnes fermè res, ego antequam illum viderem ad huiuſcemodi quæſtionem pertinentes attigeram, cõperi tamen magnã ab eo partem occupatas: ac vidi ab eo nonnullarum maiorem, quàm à me habitam eſſe rationem; & pauciores à me Authores adhiberi; quod etſi ego minùs doleam; nam id ſæpè aut ex ambitionis ſtudio, aut ex copia librorũ oritur: nihilominus magni facere ſoleo, quòd & pertinax ſtudium, & accuratam lectionem ſignificet. Et quidem candidè fateor aliquot ab illo citatos Authores eſſe, quos egó non noram. Inter quos fuerunt Magiſter Raphael de la Torre inſignis, vt ait Theologus in 22. D.Th. q. 84. ar. 5. d. 5. & Baldellus tom. 2. l. 3. d. 2. & Caramuel in Hierarchia Eccleſiaſt. l. 1. d. 60. Horum ſententiæ, ac Dianæ de ijs iudicium anſam præbuerunt inquirendi, an rectè ij ſenſerint? & Diana de ijs bene cenſuerit? Igitur comperio tres ab ijs quæſtiones, quarum ducenda ſit à me ratio excitari: Prima an Pontifex poſſit adorari latria? Secunda poſſit ne ſaltem hyperdulia adorari. Tertia, vtrum liceat eum adorari pectoris tunſione?

Margin notes: Anton. Diana. — *Cauſa argumenti.* — Plin. — Raph. de la Torre. — Baldel. — Caram. — *Mens, & ſcopus Authoris.*

Primam quæſtionem ex Caramuele excitat Diana reſolut. 11. cuius ſententiam conceptis verbis affert affirmantem;

Papam

Papam latria adorari poſse. Hanc ille verè refutat, ſed minus tamen firmo, opinor, idoneoque argumento. Hanc ego antè proponere quæſtionem volui; ſed ne hæreticis hominibus occaſionem de nobis querendi, quòd nimium Papæ tribuamus, darem, malui abſtinere. Quamquam enim affirmaturus non eram, affirmantem tamen aliquem ex Catholicis producturus eram, vnde anſam arriperent hæretici oblatrandi. Vidi quippè aliquos hìc Romæ doctos, graueſque Theologos, qui Pontificię latriæ modum excogitantes, poſſe à nobis hac item ratione Papam adorari aſſerebant. Igitur Caramuel in ſua Hierarch. Eccleſiaſt. l. 1. d. 60. n. 680. quærit: *Si Deus ſolus eſt adorandus, quomodo Summs Pontifex adorari præcipitur?* Ac reſpondet: *Latriam, & Duliam deberi Pontifici Summo, ſed diuerſimodè*, inquit, *conſiderato. Poteſt enim conſiderari vt quod; poteſt vt quò: & conſideratur priori modo quando vt perſona; & poſteriori quando vt imago, vmbra; quando vt Pro-Chriſtus, quando vt Pro-Deus, hoc eſt Chriſti Vicarius*. Tunc colligit priori modo conſiderato Pontifici *Duliam*; poſteriori *Latriam* deberi. Addit tamen homo acutus, *vbi ceſſet errandi periculum* ea ratione eſſe adorandum.

1. Quæſt an Papa adorari poſſit Latria.

Caram.

Sententia affirmans Caramuelis.

Hanc Caramuelis ſententiam ex integro propoſitam exēplis, & argumentis eiuſdem reſolut. 11. reijcit Diana ex doctrina Leſsij & Baldelli cum Mazzaronio, & reſolut. 14. affirmans illud genus Pontificiæ Adorationis ad Duliam pertinere. Sed nullo opinor inuicto argumento probat. Sumit ſibi ex Leſsio, & Baldello cultum qui Sanctis exhibetur ob virtutem, vel dignitatem, & excellentiam ſupernaturalem religioſum eſſe, à naturali & ciuili diſtinctum, quod nemo Catholicus negat; & poſtea cultum huiuſmodi omnem reducit ad Duliam, nulla prorſus ratione adducta cur non poſſit ad latriam pertinere: nam omnia quæ affert argumenta id tantùm probant, eam adorationem quæ ſupernaturalis eſt, & ad Sanctos ob dona gratiæ & miniſteria ad eam conducētia ſpectat, ex fide, ac religione proficiſci, & ad omnes Sanctos extendi, tum Beatos, tum Viatores. Ex quo non concluditur illam Duliam duntaxat eſſe, niſi fortè quòd viuentibus exhibetur, iudicat Diana Latriam eſse non poſse. Itaque ex illius ratiocinatione duo colliguntur: Alterum, eſse religioſam adorationem, quæ Sanctis tribuitur, ſiue Beatis, ſiue Viatoribus: Alterum, eam Duliam eſse. Tertiū quod in primis

Reijcitur à Diana.

Diana.

Leſſ. Baldel.

Examinatur fundamentū Dianæ.

erat probandum, Latriam eſſe non poſſe, nulla ratione probatur: id tantùm innuitur, quæcunque adoratio religioſa Sanctis Viatoribus tribuitur, eam intra Duliæ terminos contineri; nec ad Latriam extendi. Audiamus Dianam vbi propriè quæſtioni reſpondet. *Propter has rationes quod ſe extendat hæc eadem virtus (ideſt obſeruantia ſupernaturalis) ad cultum qui aliquibus exhibetur ſpecialitèr propter aliqua dona, aut poteſtates, aut prærogatiuas ſupernaturales; vt quando honoratur, v.gr. Summus Pontifex quia eſt Vicarius Chriſti, vel aliquis alius quia eſt Sacerdos, vel Propheta, vel Euangelicus, & Apoſtolicus prædicator Eccleſiæ. Exhibentur enim ſine dubio hi omnes honores ex ſola ſide, & affectu religionis; & ideo ad illos bene poteſt ſe extendere virtus Duliæ, cum hic etiam cultus non ſit ſolùm ciuilis, ſed religioſus & ſacer.* Omitto truncam eſse, & imperfectam ſine integro ſenſu periodum: id ſumo, non conficere rem propoſitam. Nemo enim dubitat, quin religioſa illa obſeruantia ad Duliam ſe extendat, & ſacra non ciuilis ſit: ſed dubitat, An excedat Duliam, & perueniat ad Latriam? de quo ne verbum quidem dicit Diana. Et quoniam iterum ad calcem rem attingit, clauſulam adduco. *Dico igitur Latriam, & Hyperduliam ad Deum, & Beatam Virginem ſpectare: Duliam verò non ſolùm Sanctis in cælo exiſtentibus, ſed etiam viatoribus exhiberi; & hoc non ſolùm propter eminentem Sanctitatem, ſed etiam propter dignitatem, gradum, & miniſterium, vt quidem efficitur in Summo Pontifice.* Ita reſpondet, perinde ac quæſtio eſset, Vtrum cultus debitus Sanctis præſertim Viatoribus, ſit religioſus, & ſacer, an naturalis tantùm, & ciuilis? concluditque eum eſse religioſum, & ſacrum; atque adeo tum Beatos, tum Viatores Dulia, quæ eſt ſacra adoratio coli, & adorari. An verò quod erat propoſitum, poſſint Latria adorari? de eo prorſus ſiletur.

Diana. — *Refutatur.* — *Dianæ ratiocinatio non concludit.*

Mihi & ſuſcipienda quæſtio, & decidenda. Agam cum Caramuele, cuius adhuc, & integrum eſt argumentum. Nego Pontificem vlla ratione Latria colendum. Addo, ſi Authore Caramuele coli poſſet, multos alios homines Latria, eodem eſſe Authore colendos. Quoad primum animaduerto; vti Adoratio Latriæ omnibus in cõperto eſt, ita radicem qua nititur, minus notam, & perſpectam eſse; atque adeo neceſse mihi fuiſse diligentèr eam inueſtigare, & aperire. Igitur Latria fundatur in ratione Diuinitatis naturalis;

Caram. — *Inquiritur origo adorationis latriæ.*

itaut naturam diuinam ſequatur; & cui Latria defertur, aut ſit natura Deus, aut participans de natura Dei, vel de illius naturali imagine prout naturalis eſt, quod addo propter Crucem clauos, aliaque Paſſionis Chriſti inſtrumenta, & de quibus ſtatim dicam. Vnde Latria Soli Deo, & Chriſto, qui eſt Filius Dei naturalis, redditur, & Cruci, quæ illum vti Crux eſt, exprimit, & clauis, & reliquis ob contactum ſanguineum item defertur. Ratio autem huiuſce rei eſt, quia cultus Latriæ Deo debetur, vti Deus eſt natura ſua, non per adoptionem, quæ eſt moralis quędam communicatio, ac extra rationem naturæ. Quod ipſum euidenter probatur. Nam Deus debet adorari vera & propria adoratione, vt autem talis ſit non debet communis eſſe Creaturæ: ergo debet fundari in eo quod communicari non poſſit (vnionem hypoſtaticam excipio) creaturę. Hæc eſt autem ſola natura diuina: ergo in ea ſola Latrię ratio fundatur. Maior & appēdix eius certa eſt. Minor ſuadetur, quia ſolus Deus eſt Deus per naturã, & Chriſtus Filius Dei naturalis: omnes autem cęterę creaturæ quæ ſunt capaces diuinę communionis participant Deum per adoptionem moralem, non per naturam. Conſequentia optimè colligit. Quare hoc argumento res eſt tota confecta. Id adeò verum eſſe exiſtimo, vt ſi Chriſtus Dominus eſſet tantum Dei Filius adoptiuus, non naturalis, adorari non poſſet cultu Latriæ, & idcirco adorari Latria, quia naturaliter eſt Filius Dei.

Proponitur, & quidem idonea.

Explicatur

Ex hac, quam demonſtrationem idoneam puto, manifeſtè deducitur nullam creaturam, nedum Papam, Latriæ capacem eſſe, quòd nulli inſit ratio illa Diuinæ naturæ naturaliter communicata. Pergo ire primùm ad Crucem, & imagines Dei, & Chriſti, quod ſupereſt ad conficiendam rem. Fateor has omnes Latriam mereri ex eadem ratione. Nam cum imago adoretur ratione obiecti cuius eſt imago, quæ naturalis imago fuerit, & naturam obiecti naturaliter expreſſerit, ea vti obiectum quod repræſentat, adorabitur. Quæ autem imago morale aliquid obiecti exprimat, hæc Latriæ capax non erit, quòd non accipiat ab obiecto naturalem rationem adorandi. Vnde ſequitur mutas imagines Dei, & Chriſti naturaliter ad exprimenda obiecta comparatas (etſi Chriſti, quòd homo, & viſibilis ſit, propriæ effigies; Dei autem, qui Spiritus eſt, & prorſus inuiſibilis, impropriæ, ac ex placito noſtro imagines ſint) eadem qua Deus & Chriſtus

Extenditur ad Crucem.

ratione adorandas eſſe. Inter quas præcipuum locum Crux habet, quia Chriſtum Redemptorem directè repræſentat, & Lytrum ſanguinis innuit, qui cùm infiniti pretij ſit, & vti ego cum Summis Theologis Suarez 1. tom. in 3. par. diſt. 15. ſect. 6. & Vaſquez diſt. 36. cap. 4. authore D. Thoma quodl. 5. art. 5. ſentio immediatè à Verbo aſſumptus. Latriam iure ſuo exigit, quòd Crucifixum Deum naturali illa ſua figura exprimit. Appoſui data opera, *Mutas Imagines*, vt indicarem quæ mutæ ſunt meliùs rationem adorandi continere; nam cum natura per ſe ſua virtutibus, & dotibus careant, cùm adorantur, non alia quam aliena, ideſt obiecti, quòd referunt, ratione adorantur. Vnde Crux ſummo iure pro Crucifixo Chriſto adoratur; quòd lignum omninò mutum, & brutum cum ſit, non aliter adorationem terminat, quàm quòd Crucifixum repræſentat. Quod verò attinet ad eamdem Crucem, & clauos, & cætera Paſſionis inſtrumenta, ea Latria item adorantur alia idonea ratione, quod aliquid ex ipſa natura humana Chriſti verè participarunt, nempè ſanguinem ipſius, atque adeò per illam participationem reponuntur in ſtatu diuino. Vnde non ſatis eſt quiuis contactus etiam phyſicus cum Chriſto ad contrahendum cultum Latriæ: nam paries, aut columna, cui Chriſtus adhæreret, tangeretur ab eo phyſicè, nec tamen idcirco Latria eſſet adoranda. Immò ne ipſa quidem B. Virgo, quòd Chriſtum in vtero geſſit, quo non poſſet eſſe contactus phyſicus arctior, Latria colitur, cùm tamen colatur Latria Columna ad quam Chriſtus ligatus eſt, cum fuit flagellatus, quia ille contactus fuit ſanguinolentus, atque adeò naturę verè & reapsè particeps, vti natura eſt vnita Verbo, mediante ſanguine.

Idonea coniectura.

Refutatur ratio Caramuelis.

His conſtitutis corruit omninò ambitioſa illa Caramuelis, & oſtentationis plena ſentẽtia. Nam etſi Papa Vicarius Chriſti ſit, & vt ille ait, *Pro Chriſtus*, ideſt ratione dignitatis, & poteſtatis, quod morale quiddam, & myſticum eſt, & quanquam in Chriſto reſidens, & ab eo profectum acceptumque; non tamen aut eſt natura, aut pars naturæ, nec aliquid naturale ſecum in Papam transfert, cùm ei communicatur: atque adeo non confert rationem in qua fundatur adoratio Latriæ. Non inficior Chriſtum vti Pontificem, & Sacerdotem adorandum eſſe Latria: nam & ille Deus eſt, & eius Pontificis, & Sacerdotis imagines repræſentant dignitatem in ea perſo-

na,

na, quæ radix eſt illius, & dignitatis, & poteſtatis. Verùm in Pontifice ſola eſt moralis communicatio ſeiuncta à Chriſti perſona, quare non poteſt terminare adorationem Latriæ, cùm ſecum non afferat fundamentum, quod eſt natura, vel vera, vel repræſentata naturaliter. Hac ratione refutatur tota Caramuelis argumentatio, ac item exemplum quod adhibet ad ſuam ſententiam confirmandam, quòd eſt adorati Calicis Euchariſtici paradigma. Nam in Calice verus, & naturalis Chriſti ſanguis continetur, qui veram & propriam exigit Latriam; at verò in Pontifice, quem inſtar Calicis eſſe vult, nil ineſt naturale Chriſti; ſed tantum quiddam morale & myſticum, qualis eſt dignitas, & poteſtas, cui non debetur Latria. Itaque nec ratio Caramuelis, nec exemplum quicquam proficit. Addo ſi illa ratio vera eſſet, multas poſſe creaturas Latriam terminare, nam multa participant communionem illam cum Deo & Chriſto moralem: Epiſcopi nimirum & Sacerdotes, ac viri Sancti, & iuſti, qui in gratia cum exiſtant, Filij ſunt Dei adoptiui, & Chriſti ob gratiam fratres. Quin & Reges & Principes ipſi Dei ſunt imagines, ac per Deum regnant; atque adeò hac ratione qua Deum regentem, gubernantemque repræſentant, Latria erunt adorandi. Idque erat conſectarium, quod ſupra obſeruaui Caramueli eſſe concedendum. *Conſectaneum refutatur.*

Quod autem animaduertit Caramuel quaſi cautus, ac prouidus, Papam adorandum eſſe Latria vbi ceſſet periculum, id ſanè ad prudentiam politicam aliquantum; ad veritatem Theologicam nihil, opinor, intereſt. Nam ſi verum eſt Papæ conuenire adorationem illam Latriæ, ſimpliciter eſt ei deferenda; nec quicquam de huiuſmodi veritate detrahit ſcandalum illud paſſiuum: quemadmodum quod Crux Latria debet adorari, non neceſſe eſt dicere vbi ceſſet periculum adorandam eſſe, ſed ſimpliciter adorandam eſſe. Præterea periculum in rebus fidei, cùm opus eſt eam confiteri, non tollit obligationem quę exiſtit in fideli. Vrgeo autem Caramuelem. Quæro ſi ab Hæreticis interrogetur: Vtrum Crux adoranda ſit Latria. Negaturus ne ſit, an affirmaturus? Equidem affirmaturum exiſtimo. Rurſum quæro: Si ſentiat Papam eſſe adorandum Latria, & ab Hæreticis rogetur, an ea ſit adorandus, reſponſurus ſit affirmando, an negando? Nam ſi neget, non rectè opinor, aget; cùm quod ad fidem, & religio- *Caramuelis effugium.* *Præcluditur.*

ligionem pertinere exiſtimat, id coram hæretico non audeat tueri,& confiteri. Certè in periculo errandi eſt quiuis propter hanc opinionem; ea enim concepta ſi ſibi perſuadeat Papæ adorationem Latriæ deberi vti imagini Chriſti, ob nullum periculum negare ei licet ſi rogetur, ea eſſe adorandum. Quemadmodum ſi rogetur: qua ſit adoratione Imago Chriſti & Dei colenda, vllo propoſito periculo negare poterit Latria eſſe colendam. Niſi fortè dicat ſe ad id non teneri confitendum, & de eo ſe periculo loqui, quod non oriatur ex quæſtione interrogantis; ſed de eo quod poſſit creari vbi nemo rogat quo genere adorarionis ſit Pontifex proſequendus? Tunc enim non opus eſſe illud dicere, ſi inde errandi detur occaſio alijs qui interſunt, & ſibi qui confitetur. Deinde cum Papa duplici modo adorari poſſit, & Dulia, & Latria; non opus eſſe dicere vtroque modo adorandum: ſed ſufficere fateri eſſe adorandum. Accipio reſponſionem, & concedo Caramueli. *Abſtrahentium non eſſe mendacium*. Sed Logica opus eſſe Caramueli ad euadendum. Proficiat illi eam profiteri. Ego autem Theologiam potius in eo fundamentalem, quam Logicam ſubtilem quærebam. Fundamẽtalem autem Theologiam eſſe puto fateri palam, ac verè quid in re fidei, & Catholicæ religionis quis ſentiat; atque adeò Caramuelẽ cũ ſentiat Papam, vti Calicem cum ſanguine Latria adorandum eſſe, negare non poſſe eadem qua Calix, Latria eſſe adorandũ. Nec valere Logicam illam abſtractionem, quia qui rogat, quomodo Papa adorandus eſt? non de Papa vti homine iuſto, aut Sacerdote loquitur, qua ratione Dulia adoratur, ſed de propria, qua vti Papa colitur, quærit; quæ cum Latria, authore Caramuele ſit, neceſſariò ea eſt exprimenda. Itaque & illa abſtractio parum valet; nec Logica multum proficit: nam in adoratione Papali ſupponitur Latria, proindeque non eſt locus abſtrahendi ab eo, de quo propriè agitur. Etenim ita Papa, vti Papa eſt adorandus Latria, vti Calix Euchariſticus; ſed hic omninò dicendus eſt Latria adorari, nec datur locus tergiuerſandi: ergo etiam Papam, vti Papa eſt, Latria adorandum prorſus fatendum eſt, nec datur vlla ratio elabendi.

Denſa, & valida ratiocinatio.

Concluſio.

Dianam vigilantem authorem miror, aut iſta minus curaſſe, aut curare noluiſſe, vt Caramueli, cuius ſe amiciſſimum profitetur, parceret: nec enim reor hominem doctum, &

pru-

prudentem, ac prouidum, quæ me non latuerunt, fugiſſe. Ego aliter in quęſtionibus inſtituendis, & ſoluendis gerere me ſoleo, & ſolius veritatis rationem habeo, nec quæ dixero, ſcripſeroue vllo modo à quo quam volo excuſari, ſed ſerio, ſeuerèque axaminari: meque vbi errauero, corrigi, homo veritatis amator, & libero ad dicendum, audiendumque ingenio; indole in hac ætate ad doctrinam æquè ac diſciplinam comparata: quòd Auguſtini ſim diſcipulus, etſi ingenio longè impar, modeſtia certè haud diſſimilis, cuius Summi Doctoris mirificus fuit animi candor ad accipiendam doctrinam. Itaque moneo & Caramuelem, & Dianam (nam tum erat in viuis) vt ſi in hac tractanda quęſtione, quicquam aut perperam ſenſi, aut dixi, id liberè, acriterque impugnent.

Procedo? Aliam quæſtionem nobis ex Theophilo Raynaudo proponit Reſolut. 13. Diana. *An Summus Pontifex adoratur adoratione Hyperduliæ?* De qua Raynaudus in ſuo Onomaſt. Pontif. ſub not. 3. fruct. 1. *Porro*, inquit, *ſpectata tam ſublimi dignitate Pontificis, quæ eſt venerationis Pontificiæ debitæ fundamentum, addendum eſt, non qualemcumque cultum ei eſſe impendendum; ſed ſupra communem ordinem cultus religioſi Sanctis tributi: itaut cum Sanctis exhibeatur cultus Duliæ ſpectata ſola eorum ſanctitate; Pontifici tamen debeatur cultus Hyperduliæ: nam eius coniunctio cum Chriſto, quoad fundamentum reuerentiæ eſt longè altior, quidquid ſit de ſanctitate perſonali. Sicut Beata Virgo quia habet excellentiam ſpecie diuerſam ab ea quæ fundatur in gratia, nempe Maternitatem, colitur adoratione ſuperiore, quàm ea quæ fundatur in ſola gratia ſanctificante, vt iuſtè ſtatuit Suarez 3. p. diſp. 22. ſect. 3. qui anceps eſt an cultus ille ſit religionis ſtrictè ſumptæ, à qua oritur Dei & Chriſti adoratio, an vero oriatur ab ſpeciali habitu ob ſpecialem Virginis dignitatem cultus prædicti fundatricem, quod ſecundum circa Beatam Virginem mihi placet, & ob paritatem rationis idē ſtatuo in re præſenti circa cultum impenſum Vicario Chriſti.* Ita ex Raynaudo Diana quęſtionem producit, & eodem modo ſententiam Raynaudi improbat, quo antea Caramuelis improbarat: atque adeò minus quàm par erat appoſitè, & accuratè. Quare mihi aliter reſpondendum, & quęſtio prorſus tollenda. Primùm, quòd attinet ad Hyperduliam iam dixi eſſe ſecundam ſpeciem adorationis propriam Virginis Matris Dei Principe Theologorum authore D. Thoma 3. p. q. 28. art. 5. & 22. q. 103. art. 4. ad 2. quem

Margin: Rayn. — *Quæſtio de hyperdulia.* — *An ea ſit adorādus Papa.* — D. Tho.

ſequun-

ſequuntur cæteri Theologi de quo accuratè quod ſolet Vaſq. diſp.99.ſect.1.& ſeq. Ac de illa rectè cenſet Raynaudus eſſe formam diſtinctam à Latria, mihique cum illo hac in re conuenit. In eo quod huiuſce loci proprium eſt, diſſentio: Papam adorandum eſſe Hyperdulia: ac exemplum Beatæ Virginis Matris idoneum non eſſe affirmo. Nam eo non probatur Papam eadem adoratione, qua Virgo, colendum eſſe. Quod quidem ſic oſtendo. Hyperdulia Beatę Virginis Matris fundatur in Maternitate Dei, quæ naturam ſpectat, eamque veram & naturalem Dei Matrem efficit; ſed hoc fundamentum non inuenitur in dignitate Pontificia, quæ nec natura eſt, nec naturam ſecum inuoluit: ergo nullo modo Pontifici tribuenda eſt. Qua ratione nos proximè Latriam excluſimus. Maior, & minor conſtant: conſequentia colligit: nec opus eſt quicquam addere, cum omnia in proxima quæſtione de Latria Pontificia ſint occupata. Vnde exemplum idoneum eſſe negaui, quòd ex eo potiùs refutetur, quàm probetur Raynaudi ſententia; vt enim probaret, debuiſſet ſimilis eſſe dignitas Pontificatus, dignitati Maternitatis: quæ ſanè diuerſæ omninò ſunt, cùm Maternitas ſit naturalis, Pontificatus moralis: ex quo non ſequitur eaſdem, ſed diuerſas adorationes fore, & cultum Pontificium Hyperduliam eſſe non poſſe.

Vaſq.

Negandum, & cur?

Verùm quidem eſt quòd adoratio Papæ Superior eſt, quemadmodum & dignitas, alijs adorationibus Epiſcoporum, & Sacerdotum: immò & Sanctorum, ſi velis; ſed intra eamdem ſpeciem Duliæ; quemadmodum ex Suario diſp.22.ſect.3.optimè probat Diana in Sanctis, qui alij alijs excellentiores ſunt. Quorum vti virtus & gratia per gradus quoſdam aſcendit, ita & cultus augetur. Sed cum omnes Dulia colantur, intra eamdem & gradus excellentię, & cultus manebunt, nec vnquam ad aliam ſpeciem accedent, quę eſt Hyperdulia ſolius Virginis propria, quæ in Maternitate fundatur; quæ cum ſit vniustantùm Virginis Matris propria, non video qui poſſit alijs applicari; nam niſi Maternitas naturalis inſit, non poteſt Hyperdulia ſuſtineri. Loquor autem de vera, & germana ratione Hyperduliæ, vti conſtituit diuerſam ſpeciem à Latria, & Dulia: nam ſi ſermo ſit de impropria, de qua agit Diana paragrapho 3. eiuſdem reſolutionis, cum Paludano; qua fit vt creſcente excellentia morali vnus ſuper alium Sanctus

Suar.

Dulia intra vnam ſpecie augetur per gradus.

Palud. Diana.

ctus adoretur, tum poteſt cadere in alios Sanctos Hyperdulia; ſed non erit ea qua Virgo Mater adoratur. Immò nec ea qua vult Raynaudus coli Pontificem, cum ea non ſolum Pontifex, ſed alij item Sancti, Sacerdoteſque adorentur. Hac quippè ratione fit, vt Sacerdos præ Diacono, Epiſcopi præ Sacerdote Hyperdulia ſit, quòd ſupra alium ſit. Vnde cõficitur cùm Papa ſuper omnes & Sacerdotes, & Epiſcopos adoratur; eodem genere Hyperduliæ adorari, quæ etſi gradu Superior ſit; ſpeciem tamen non excedit: ſed intra eandem faſtigium tenet, & in culmine conſtituitur, quod minimè quidem negamus.

Vera hyperdulia totius Virginis Mariæ propria.

Nihilo igitur magis probo, quod de vtraque ſententia, tum Caramuelis, tum Raynaudi Diana fert iudicium: eſſe nimirum ſatis probabiles; cùm minus, me authore, probabiles ſint: idque meis vt conſtaret effeci, opinor, argumentis. Ex quibus conſtat ſola Dulia Papam adorandum, quæ teſte ipſomet Diana, communis ſententia eſt; etſi minus iuſtis, ac idoneis argumentis confirmata: quorum nos fontem, & radicem inueſtigauimus, & ratiocinando in lucem apertam produximus. Gratamque huiuſmodi ſententiam Summis Pontificibus fore putamus, quòd cum moderata ſit, nec inuidiam dignitati creat, & modeſtiam Chriſtianam ſapit, quam nemo non Pontifex profiteri debet.

Caram.

Romanus Põtifex ſola dulia, ſed ſuprema adorandus.

Tertiam quæſtionem, quæ horum veluti appendix eſt, mouet Reſolutione 8. Diana. *Vtrum liceat coram Pontifice pectus tundere?* vſus occaſione exempli, quod refert. Nam Conciuis quidam eius, ac eiuſdem familiæ Religioſus cum primum Papam ſolemni more veſtitum vidit præ nimio affectu corruens magnis pulſibus pectus cœpit obtundere. Quo anſam ſibi datam Diana narrat inquirendi: An ea forma adorationis erga Pontificem licita ſit? Reſpondet autem diſtinguendo; ſi ſpeculatiuè res iſta ſpectetur, & in rigore, vt ait, affirmat: Si practicè, & in vſu, negat licere. Probat primam partem ex doctrina Raphaelis de la Torre, qui de Tunſione pectoris eruditè, ac eleganter diſſerit. Summa eſt: Actus externus adorantis ab animo pendere; atque adeo poſſe quemquam ex affectu Duliȩ tunſionem illam pectoris exercere, in quo nihil ſanè peccatur. Quæ ratio à nobis antea in diſſertatione cum Heterodoxis Suecis, & adducta fuerat, & commendata. Secundum partem ſuadet, quia cùm hic modus

Diana.

An coram Papa tundi pectus poſſit?

Raphael de la Torre.

Qui & quomodo affirmet?

adorandi non ſit in vſu; & forſitan admirationem aſtantibus induceret, ab illo videtur abſtinendum.

Negandum, & cur.

Hac in re contra ſtatuo: Tunſione pectoris non eſſe adorandum Pontificem: quòd ſi quis adoret, ex affectu nimio, aut ſubito motu, aut ex imperitia facturum: & quamuis culpa vacet, non rectè tamen, ac vti par eſt, adoraturum. Ratione ducor ea, quòd quemadmodum ſupra animaduerti; Tunſio pectoris forma eſt adorationis Latriæ, & Deo, Chriſto, Crucique deſtinata: nec temerè, cùm omnium fidelium conſenſu id receptum, & conſtans ſit; ac Patres Eccleſiæ, quorum multos, & graues citat Torres, apud Dianam, illam ſignum contritionis, & Confeſſionis peccatorum coram Deo eſſe affirment; quæ cum eiuſmodi ſit, non quadrat in aliquam creaturam, ne in Beatam quidem Virginem Matrem Dei, cui conuenit inſignis adoratio hyperduliæ, quæ tamen cum rationem Latriæ non includat, eã tunſionem pectoris excludit. Sanè quibus Diana exemplis vtitur, ea omnia Latriam continent, ac proinde in Pontificem non quadrant. Nec oportet ad animum confugere; nam etſi priuatus cuiuſque affectus à peccato excuſare poſſit, non idcircò tamen adorationis formas, modoſque immutat. Sin dicamus pro varietate affectum variari adorationes; & quod cuique priuato in affectu licet, in actu licere; hac enim ratione omnes adorationum formæ confundentur: cum qui ex affectu, aut imperitia Deũ dulia, Virginem latria, Sanctos hyperdulia colat, quamuis peccato vacet, poſſit adorando omnes haſce adorationis ſpecies miſcere, & retinere; quod quàm ſit abſurdum ecquis non videt? Igitur, quod quiſque agat licitè ex eo non poteſt deduci illud ſimpliciter, abſolutèque licere: nec enim mens adorantis reſpectu Dei quoad peccatum; ſed reſpectu ſigni, actuſue externi adorationis ſumendus eſt modus: ac videndum, An iſte cum illa mente conueniat? & vtrum animus adorantis ex dulia congruat cum ſigno latriæ? quod ſi non congruit, parum refert, congruatne animus cum Deo, an non congruat. Ratio enim honeſtatis in animo innocente; ratio adorationis in actu cultus externo ab animo elicito conſiſtit; qui niſi inter ſe congruant adorationis modus euertitur.

Forma adorationis non ſunt confundenda.

Sed inſpiciamus rationem, qua dicit Papam tunſione pectoris adorandum, quæ idonea videtur. Eſt enim ſignum agnoſcentis peccata, ac petentis eorum remiſſionem. Quæ

quidem à nemine magis quàm à Summo Pontifice petenda videtur, cui Chriſtus in perſona Petri dixit: *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlis.* Primùm hæc ratio nimium probat: nam ex ea ſequitur non ſolùm Papam latria adorandum; ſed & omnem Epiſcopum, & Sacerdotem eadem adoratione latriæ colendum: atque adeo negare non debet paulò poſt Diana Caramueli Papam adorari latria: neque excitare hanc de ſolo Pontifice quæſtionem, cum de omni ſacerdote remittente peccata excitari poſſit: ad eos enim extēdenda eſſe illa verba probat locus alter Matth. 18. vbi ad omnes Apoſtolos dicit Chriſtus: *quęcumque allegaueritis, quęcunque ſolueritis.* Et Ioannis 20. ad omnes Apoſtolos, & Succeſſores Sacerdotes dicitur: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Deinde ea non probatur, quòd minus eſt idonea; nam cum nos pulſamus pectora ante Sacerdotem cui confitemur, id facimus in Exomologeſi, & in eo Dei perſonam agnoſcimus; nec hominis in eo, ſed Dei rationem habemus. Vnde vt ante Papam idem faciamus, oportet vt in eo rationem Sacerdotij habeamus, ac ei confiteamur, non quatenus dignitatem, & poteſtatem moralem exhibet; ſed vti intra Sacramentum rationem miniſtri iudicantis, & abſoluentis habet. Nec verò id eſt contra illud, quod ſuperiùs diximus de naturali cōmunicatioue: poſſet enim quis obijcere Sacerdotem, & Papam in eo genere abſoluendi nihil participare de Diuina natura, & tamen tunſione pectoris adorari. Nam Sacerdos remittens peccata nomine Dei repræſentat Deum, vti Deus eſt, & facit quod eſt proprium Dei; *Nemo enim remittit peccata niſi ſolus Deus.* Itaque quando ſupra negaui creaturam adorari latria, quia non poteſt participare naturam, vel aliquid de natura Dei, vti Deus eſt, intellexi creaturam manentem & re, & repræſentatione in ſtatu, & modo creaturæ; non de ea quæ excedit eum ſtatum, & modum per tranſitum quendam repræſentationis perſonæ in perſonam: nam tum habet rationem imaginis; vnde vti imago Dei adoratur latria, ita & creatura in eo quod Dei proprium, & genuinum eſt referens Deum poteſt latria adorari; tum enim non hanetur ratio creaturæ, ſed Dei. Adeo vt tunc cum Sacerdos abſoluit ſacramentaliter maiori ſit adoratione, quàm hyperdulia colendus, quæ ab eodem habitu latriæ procedit, & Deum reſpicit. Nam certè à peccatis ſacramentalitèr abſoluere

Marginalia: Matth. 16. — *Examinatur ratio Dianæ.* — Ioann. — *Improbatur.* — *Occupatur Obiectio.* — *Exponitur ratio cur non tundendum ſit pectus coram Papa.*

uere, quod non fit ſine infuſione gratiȩ, tam eſt diuinum, quã quod maximè: nec enim eſt habere gratiam, quæ eſt moralis participatio; ſed gratiam inſtrumentaliter conferre, quod eſt iuriſdictionis naturæ Diuinæ. Vnde gratia ex natura ſua cum ſit donum Dei, & effectus miſericordiæ eius communis eſſe poteſt omnibus hominibus; at poteſtas conferendi gratiam non eſt cuiuſuis hominis, ſed propria Dei, & cui Deus voluerit, tanquam miniſtro ſuo communicare. Atque ita conſtituta manet germana & quæſtio, & reſponſio, in qua meo iudicio nihil ad veritatem deſideratur præter duo, quæ nolo maneant indeciſa. Primùm, Vtrum Papa concedens Indulgentias extra Sacramentum poſſit tunſione pectoris, & latria adorari? Cui reſpondeo negatiuè. Ratio eſt quia poteſtas concedendi Indulgentias eſt moralis, & alterius ordinis à poteſtate iudiciali, quæ in Sacramento exercetur; oritur autem diſtinctio ex diuerſitate radicis; nam radix poteſtatis iudicialis eſt ordo ſacer, qui Sacerdotem conſtituit, & imprimit characterem, afficitque animæ naturam, atque adeo ſuo modo naturaliter Authoritatem Diuinam participat; & reddit imaginem quodammodo naturalem impreſſo in ſubſtantiã animȩ charactere. At verò radix poteſtatis Indulgentialis, vt ita dicam, eſt authoritas moralis iuriſdictionis, & dignitatis, quȩ non fundatur prȩcisè in ordine, & charactere; ac ex ſe independens eſt ab ea naturali participatione iuxta S. Thomam in 4. d. 20. q. 1. ar. 4. quȩſtiunc. 2. & Alenſem in 4. p. q. 83. in 5. ſiue q. 23. & Suar. d. 49. ſ. 3. & Lugo d. 27. ſ. 1. contra Durandum in 4. d. 2. q. 3. & 5. quod amplius ex effectibus & modis conſtabit. Etenim effectus poteſtatis Ordinis in Sacramento eſt authoritatis iudicialis, & imperatiuȩ, immediatè remittens peccatum per modum imperantis, & dominantis, abſoluteque dicentis: *Ego te abſoluo*: At effectus poteſtatis indulgentialis extra Sacramentum eſt applicatio meritorum Chriſti, & Sanctorum in Theſauro Eccleſiȩ exiſtentium per modum diſpenſatorium in Papa, & poteſt committi hominibus laicis, vt notat Suarez, fitque item per modum impetrationis, & orationis, qui morale quoddam innuit, & inuoluit; Vnde non exigit adorationem latriȩ, nec pectoris tunſionem.

Vtrum Papa concedens Indulgentias poſſit adorari Latria.

Negatiua ſententia tenẽda

S. Th. Alenſ. Suar. Lugo Duran.

Suar.

Alterum eſto. Quid ſentiendum de Pontifice, cum vel definit res Fidei ex Cathedra, etiam ſine vllo Concilio qua

ratio-

ratione omnino eſt regula infallibilis, vel canonizat Sanctos, vel approbat Religionem? qui certè actus meo, & optimorũ Theologorum iudicio ſunt eiuſmodi, vt in ijs ſit etiam Pontifex prorſus infallibilis: atque adeo Dei veritatem authoritatemque participet. Reſpondeo, ne tum quidem adorandũ eſſe latria: Ratio ex eodem principio ſumitur: quia Papa tunc non agit naturalem perſonam Dei, ſed moralem duntaxat. Patet. Nam cum definit declarat rem quam decidit eſſe de Fide: non eam facit de fide quod ſolius eſt Dei. Declarare autem non eſt veritatem conferre, ſed tantùm monſtrare veritatem, quæ ineſt rei, eamque propalare: atque adeò non eſt immediatè, neque propriè ſummam veritatem aut participare, aut repręſentare. Eodem modo res habet in Canonizatione Sanctorum, & approbatione Religionum, nec enim Papa, aut Sanctitatem confert Sanctis, aut inſpirat inſtitũtum Fundatoribus, quod ſolius eſt proprium Dei, ſed tantùm declarat illam ſanctitatem eius viri, quem canonizat veram fuiſſe, eumque in coelo eſſe: & illud eius Fundatoris cuius approbat Religionem inſtitutum ab Spiritu Sancto inſpiratum eſſe: quod ſatis non eſt ad participandam ſanctitatem Dei, aut repræſentandam, atque adeo nec ad Latrię adorationem terminandam. Addo corollarium huic ſcholæ propter doctrinam quandam P. Gabrielis Vaſquez: qui de Adorat. d. 110. c. 2. ſentit omnes prorſus res nulla excepta poſſe ritè adorari vera, & germana adoratione; immò & Latria, quòd quęcunque ſit res ea Deum repræſentet: in eaque proinde Deus adoretur. Pro qua doctrina citat Caietanum in 2. 2. q. 103. ar. 3. ad 4. dub. eiuſque authorem facit Leontium 5. Dial. contra Iudęos, qui refert 7. Synodum act. 4. & nititur loco Script. Pſal. 98. *Adorate ſcabellum eius: Adorate in monte ſancto eius*. Addit ex Patribus Leonem I. ſerm. 7. de Natiuit. Ratio à priori eſt, quia in omni re creata datur quędam imago Dei, cum ſit creatura, & eius effectus, atque adeo hoc nomine adorationis ſimilis diuinæ eſt capax. Alia ratio à poſteriori, & à ſigno eſt, quia licet nobis per omnem creaturam iurare, nec licet peierare, ergo & omnem creaturam licebit latria adorare. Tandem quia res omnes poſſumus amare amando in eis Deum: itavt omnis creatura ametur propter Deum, & in omni creatura ametur Deus. Igitur, & in omni creatura poteſt adorari Deus, & illa latria adorari.

An Papa in alijs caſibus poſſit adorari latria.

Vaſq.

An quælibet res poſſit adorari latria.

Caiet.
Leont.

Leo I.

Affirmat P. Vaſquez.

Verum

Verum mihi aliud videtur cum Alex. 3. p. q.5. memb. 3. art.2. §.2.& Thoma Vald. tom. 3. cap.166. num. 6. Et probatur 1. ex Auguſtino, qui ſæpe in libris contra Manichæos negat Solem poſſe adorari, idemque negat conc. 3. in pſal. 10. & deducit tanquam abſurdum ſequi ex eo lapidem eſſe adorandum. Ratio à priori eſt, quia adoratio fundatur in ratione Imaginis, quæ eſt expreſſio exemplaris quod exhibet: ac in latria clarius eſt vti ſupra diximus, quæ requirit participationem naturæ, & apparet ex imagine in diuinis, qui eſt Filius, & verbum, imago per intellectum, quæ non eſt in Spiritu Sancto, qui eſt amor procedens per voluntatem. At hęc ratio repręſentandi naturam diuinam non datur in quacumque re creata: in quam non quadrat ratio adorationis præſertim latriæ. Confirmatur ex abſurdo, quia hoc modo ſequeretur omnes adorationes fore æquales & latriæ: nec erit diſtinctio inter lapidem, & quoduis lignum & Crucem. Præterea Adoratio primùm fertur in imaginem quę adoratur, vt quo: At verò in adoratione rei, quæ non eſt imago non adoratur res vt quo, ſed ſolus Deus in ea adoratur; quæ non eſt adoratio Imaginis, quæ ſimul etiam adoratur cum exemplari. Itaque res non ducit ad adorandum Deum, ſed Deus facit vt in re adoretur: vnde res non adoratur vllo modo, ſed eſt ſubiectum in quo Deus adoratur. Patet experientia, quia cum videmus imaginem, illa nos primò mouet, ac excitat ad adorandum Exemplar, adhuc nihil de eo cogitantes. At contrà res, quæ non eſt imago natura ſua, non excitat nos ad exemplar adorandum: ſed neceſsè eſt vt prius cogitetur Deus, vt in re adoretur. Habet ergo ſe res merè paſſiuè, & ſupponit potius tanquam ſubiectum alienam adorationem, quàm propriè adoratur. Ac ita demum ſentit Paludanus in 3. diſp.9. quæſt.9.

Alexan. Tho. Vuald. Auguſt.

Negandum.

Probatur.

Palud.

P. Vaſquez argumenta ſoluuntur.

Argumenta P. Vaſquij facilè ſoluuntur. Locus ſcabelli retorquetur, nam hoc repræſentat maieſtatem Dei ſedentis, vt Thronus Regius maieſtatem Regis in eo ſedentis demõſtrat. Prima ratio ex dictis ſoluitur. Aliud eſt enim eſſe effectum, aliud imaginem: nam non omnis effectus eſt imago ſuæ cauſæ; niſi ij, qui eius naturam participant: aliter quippè, & ſudor, & lachrymæ, & pulices erunt imagines hominis, quia ſunt effectus hominis. Secundæ maior ratio eſt, quia iuramentum non ſequitur rationem repræſentationis, quam re-

quirit adoratio, ſed rationem effectus, & creaturæ, quæ reſpicit cauſam, & authorem Deum. Ad exemplum Amoris reſpondetur rationem amandi ſequi bonitatem, quæ eſt proprietas communis entis, ac proinde in omni re inuenitur: qualis non eſt ratio imaginis: quemadmodum conſideranti patebit. Quare doctrina Vaſquij non videtur probanda præſertim de adoratione Latriæ, quæ tam propria Dei eſt, vt Auguſtinus nulla ratione velit, vt Angeli, & homines Sancti, & Beati propriè colantur, ne videantur latria adorari. Lege eum ſeuerè id vetantem lib. de vera Religione cap. vlt. vbi ſic *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia ſi piè vixerunt non ſic habentur, vt tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes.* Et paulò poſt de Angelis. *Quod colit ſummus Angelus id colendum eſt etiam ab homine vltimo.* Et tandem. *Honoramus eos Angelos charitate, non ſeruitute; nec ijs templa conſtruimus. Nolunt enim ſe ſic honorari à nobis, quia nos ipſos cum boni ſumus templa ſummi Dei eſſe nouerunt. Rectè itaque ſcribitur hominem ab Angelo prohibitum ne ſe adoraret, ſed vnum Deum ſub quo & eſſet & ille conſeruus.* Mentem ſuam expoſuit lib. 20. contra Fauſt. c. 21. *Colimus Martyres. At illo cultu, qui grecè latria dicitur, latinè vno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendum eſſe docemus, niſi vnum Deum.* Atque de his quidem hactenus.

Vaſqu.

Auguſt.

Auguſtini teſtimonia pro latria propria vnius Dei adoratione expenduntur.

Idem.

CAPVT IV.

Obiectionis Heterodoxorum initio propoſitæ breuis, & exacta refutatio cum Epilogo.

FVcum faciunt Sueci, & Angli, vt nos à iuſta Pontificis adoratione deterreant: nec eo contenti perſonam calũniæ nobis imponunt, ac ea inducta traducunt. Impoſtura eſt maxima pontifices noſtros honores ſibi diuinos arrogare; quę vel ab animo maligno ad inferendam iniuriam, vel procaci ad concitandam inuidiam profecta eſt. Tam longè à ſuperſtitione ſumus, quàm ij propè ab audacia. Quod vulgo aiunt Diocletianum primùm coli ſe pro Deo iuſſiſſe, id ſanè ipſum perſuadet non potuiſſe Romanos Pontifices illum imitari, quo nullum truculentiorem Tyrannum ſunt experti. In-

Anglorum Heterodoxorum fucus.

quam

quam Vrbem Petrus veram Chriſti Dei, hominiſque Religionem intulit, ab ea Petri ſucceſſores idola eiecerunt, ſuperſtitionem exterminarunt, ac ob id Martyrium ſubierunt; Aras ſoli Deo, Sanctiſque erexerunt. Quem ſibi cultum tanquam Paſtores, & Pontifices deferri voluerunt, eum religioſa pietas inſtituit, quæ in ijs Chriſti imaginem venerabatur. Longè alius tamen is erat ab illo, quo Deus, Diuinaque colebantur, & ad latriam pertinebat, quem ipſi Pontifices primi, ac principes maiore paratu, pompaque exhibebant. Itaque ſi quo honore afficiebantur eum ipſum cumulatiorem Deo, ad quem referebant, reddiderunt. Quarè non modo Deum diuino non fraudabant, ſed ſe ſuo quoque ſpoliabant, & in fontem, à quo acceperant regerebant. Luciferos intrudunt Angli, vbi Michaeles conſiſtunt. Non patitur huius clypeus illos angues. Nec nos Laocoontes ſumus qui violati Numinis pœnas luamus. Lucifer ſuper Aſtra Dei ſolium ſuum exaltare cupiebat. Romanus Pontifex ſolium Chriſti tuetur, ne quis in illud tenebroſus turbo inſiliat. Quod ſi altius eminet, & ſublimius aſcendit Michael, cum in Luciferum vibrauit haſtam, & repulit. Nec is vſurpat ſolium, qui in illud, vt hoſtem vſurpare conantem deijciat, rogatus aſcendit. Lucifer *ſimilem* ſe fore iactabat *Altiſſimo:* Pontifex cùm perſonam Chriſti induit, non modo ſe mortalem agnoſcit, ſed ſeruum etiam ſe ſeruorum Dei appellat. Præterea ille præcipitatur, hic retinetur: nec vnquã accipimus quenquam ab Angelo Pontificem percuſſum, impulſumue, ſeruante Michaele, qui Luciferum perdidit. Aliò ſerpentes iſtos amandent, qui regulis ſimiles coronati Altaribus obrepſere, & ſacris inſidiantes Pontificia iura vſurparunt, & obuoluta Aris purpuræ cauda tertiam ciuium partem in ruinas cum templis traxerunt; & ſceptris, baculis, & diadematis infulas implicuerunt. Reges Mitrati ſuperbis cornibus ſacra ventilantes, & ſepultos Sanctorum cineres in aera ſuccuſſu capitum iactantes. Nos Romæ vbi Petrus Chriſti iuſſu ſedem poſuit, Petri ſucceſſores, Chriſti Vicarios eiuſdem inſtituto locamus. Romæ Sancta, & religioſa in Vrbe, quæ Capitolij faſtigia ad capitis Eccleſiæ veſtigia dimiſit, & Tarpeiæ Rupis culmina Aræ piæ Petri ſubiecit: faſcium & ſecurium formidandis malleolis Crucem Chriſti, Clauoſque eliſo terrore impreſſit. Nec vos liberi eſtis, qui Petri iugum

Pontificum Romanorum religio.

Arguta reſponſio.

Iſaia.

Bella refutatio,

ſuaue

ſuaue excuſſiſtis; ſed rebelles, qui ab eo quod Patres veſtri libenter portauerunt, reſilijſtis,& ad grauius confugiſtis; dum Regibus veſtris translato ad eos impiè Pontificatu colla ſubieciſtis. Nos ſeruimus Chriſti Vicario, & ſeruiendo regnamus; libentes, non coacti; faciles, non inuiti paremus. A vobis illa ſeruitus minis Regum, & terroribus expreſſa, niſi quos adulatio, & ambitio ad ſeruitium flexit. Vos abominationem deteſtandam in loco Sancto poſuiſtis cum prophanam Maieſtatem in Sacra Sede collocaſtis, & Eccleſiaſticam deieciſtis, qua inſolentia, & iniuria Aræ gemuerunt, Templa eiularunt. Propterea cum inducta abominatione Eccleſia Catholica inter vos conſiſtere non potuit, corruit, perijt, eiuſque vel muta Fana in ſtuporem verſa ruinam traxerunt. Itaque veteris Eccleſiæ parietinas tantùm tenetis, confluentibus eò vitiorum ſordibus inquinatas. *Pulchra antitheſis.*

Procaciter nobis Antichriſtum obijcitis: Pontifex Romanus pro Chriſto eſt, non Antichriſtus. Chriſtum & confitetur, & defendit: locum eius & tuetur, & ſuſtinet. Quod ſi illius perſonam induit, & nos Fideles ſinguli Chriſtum, authore Paulo cum baptizamur, induimus; nec tamen idcirco Antichriſti ſumus. Vtri ſint: Miniſtri ne veſtri, an Pontifices Romani Antichriſti? vos ipſi iudicate. Illi ſponſam Chriſti puram erroribus deformarunt; ornamentis exuerunt; patrimonio ſpoliarunt; Eius membra amputarunt; lacerarunt, diſcerpſerunt. Hi à Petro, Apoſtoliſque, illibatam conſeruarunt, ornarunt, ditarunt, auxerunt. Amici Chriſti ſponſi ſunt, qui ſponſam amant, & colunt; non qui oderunt, & euertunt. Papæ Romani Amici ſponſi ſunt: his illa tradita eſt à Petro. Miniſtri veſtri inimici; hi eam in thalamos ſuos induxerunt, & adulterarunt. Tunc illa eſſe deſijt cum apud vos fuit, nec enim corrupta eſſe potuit, quæ niſi pura eſſe non potuit. Nos Catholici vnum tantum Vicarium Chriſti agnoſcimus: Vos totidem, quot Reges, & Principes habetis. Vnus thorus coniugij iuſti argumentum eſt; multiplex adulterij. Dimidios nos Romanos dicitis; admitto, quòd dimidium Chriſti ob amorem eius in nos ſumus, & quòd Romana Eccleſia, cùm ſponſa ſit Chriſti, eius dimidium eſt: Niſi fortè dimidios ob antiquitatem nobilem Fidei noſtræ appellatis. Vti *Curios* iam *Dimidios* propter vetuſtatem imaginum alter dixit. Vos Chriſtiani noui eſtis, Nouatores, & nothi. *Papa defenditur.* *In Crucis pũguntur.* *Iuuenalis.*

Integri, ideſt ſolitarij, & ſeparati, non dimidij, & coniun-
Idonea calũnia depulſio. cti. Iam quòd nos fortia pati cùm paremus Pontifici dicitis, prophana Sacris miſcetis. Roma olim fortia, & faciebat, & patiebatur; dum & facinora patrabat, & labores bellicos ſuſtinebat: nos fortia aliter & facimus, & patimur. Strenuè contra vitia dimicamus: nos illos animæ hoſtes mundum, carnem, Diabolum, debellandos proponimus; bellum nobis inferimus; noſque ieiunijs, vigilijs conficimus; flagellis, cilicijs maceramus. Patimur & à vobis iniurias, ſectiones, proſcriptiones, exilia, tormenta, mortes, quòd Romani ſumus. Niſi fortè vos Romani eſtis, qui fortia nos pati cogitis, non vos patimini. Illud aptè vobis repono: *Facere & pati fortia Romanum eſt:* Nobis hoc ſumimus. *Facere pati fortia id vobis remittimus Heterodoxis.* Nam vos facitis iniurijs, ſupplicijſque veſtris vt nos fortia patiamur. Itaque. *Facitis pati fortia:* Non facitis, & patimini. At ingeniculationes, ſubmiſſiones, ſuccollationes, adorationes plenis buccis concrepatis, & inani ſonitu impletis cum exprobratis, perinde inter vos eæ erga Reges, ac Principes veſtros non vſurpentur. Quod adulatio veſtra excogitauit, Pietas noſtra inuenit. Quæ vos ciuiliter officioſi, nos piè religioſi præſtamus. Nec tam ea homini, quàm perſonæ deferimus, in qua Chriſtum conſideramus. Probat Roma caput & cerebrum ſuum, cum ante Papas caput inflectit. Graue cerebri pondus ineſt cùm demittitur. Putidè argumentaminor: Deeſſe cerebrum ei capiti quod ado-
Adorationis acuta defenſio. rando inflectitur, & deprimitur. Immò huic cerebrum ineſt, & graue pondus iudicij. Aptiùs ego vos leuitatis arguerim, qui inclinationes, & demiſſiones huiuſmodi & ignoratis, & damnatis. Altiùs capita attollitis quòd leuia, & aeris amantia in terram deorſum non vergunt; nimirum omni vento doctrinæ circumferuntur. Sed hoc ego Heterodoxi, non naturæ veſtræ defectui, ſed animi vitio imputarim, qui ſciam vos & iudico alioqui, & prudentia valere. Atque hac Sacra & multi inter vos Catholici valent; & maiores veſtri olim valuerunt. Nec ego deſpero populum Anglicanum, & Suecicum maiorum ſimilem fore. Neſcire vos dicitis vituperandi ne ſint magis Principes, qui Papas adorant, an Papæ, qui permittunt? Ego vero neſcio vtri grauiùs deliquerint: Principes ne veſtri, qui contra fidem, religionem, inſtituta, morem maiorum Pontificibus ius, authoritatem, cultum ademerunt,

merunt,

merunt, ſibi arrogarunt: An populi qui ademptum tulerunt, & vendicatum probarunt? Certè nihil eſt deforme niſi quod à ratione alienum, & vitioſum eſt: nihil ſuperbum niſi quod inſolenter, & iniurioſè fit. Vtraque via ad interitum itur. Hanc olim Lucifer præcipitatus luce maligna ſua ſignauit, & ſcintillis adhuc intermicantibus ſignatam reliquit. Facile eſt, quibus quiſque affectus eſt vitijs ea alijs affingere; nam ijs coloribus tingit, quibus inficitur; ſed vt ij fucati ſunt, nullo negotio diluuntur. Itaque non laboro quo iure dicant Reges noſtros eſſe deformes, Papas inſolentes, cùm videam, qui hoc dicunt eos his malis laborare. Sacrarum litterarum nos & amantes ſumus, & reuerentes: peritiam non iactamus. Ij de peritia gloriantur, de amore & reuerentia tacent. Non amat qui & torquet, & lacerat: non reueretur qui pro libitu interpretatur, & omnibus exponendas tradit; & proſtibuli inſtar in medium educit. Nobis illud ſanctum eſt: illarum intelligentiam communi Patrum & Eccleſiæ ſenſu, non priuato arbitrio metiri: & credentium more auſcultare, non philoſophantium inquirere. Hinc eſt quòd exempla retinemus, & probamus; ac ex ijs Papam adorandum, rectamque de adoratione doctrinam colligimus. Pontifices noſtros religioſo cultu, iuſta, & idonea, quæ intra Duliam ſit, adoratione proſequimur: nec propterea quicquam Diuini honoris, quod Diuinæ detrahat Maieſtati, Papæ exhibemus. Quibus ſi aures animoſq; adijciant Heterodoxi Sueci, & Angli, & ſuæ eos pudebit temeritatis, & noſtram probabunt pietatem fide nixam, traditione firmatam, inſtitutis præceptam, Theologicis argumentis confirmatam, obiectionum tendiculis explicatam.

Heterodoxi argutè refelluntur.

Epilogus opportunus.

VINDICIA
DECIMA
DE
ORNATV, INCESSV, COMITATV PONTIFICIO.

Initium à præludio Anglorum Heterodoxorum.

MEMINI cum eſſem Londini audire ſępè homines delicatos, ac non ineruditos, doctos à Molinæo, taxantes cenſorio ſupercilio Pontificum noſtratium ornatum, ac pompam, ingenti ſono verborum, & immani proiectu ampullarum. Hunc in modum. *Excogitauit demum Paparum ambitio ornatu, veſtituque inſolenti modum quo mundus muliebris vinceretur. Excute arculas, ſcrinia, repoſitoria myrothecia delicioſarum, quæ ſtudioſius ſe comparant; vacua præ copia, egena præ opulentia, iuſta præ pretio, rudia præ arte Pontificiorum comperies. Theca vna Theſauri Papalis omnes illas opes exhauſit. Et tamen hoc illi mundo cælum addicunt; & qua cinguntur pretioſa zona, ex ea Paradiſi claues ſuſpenſas geſtant. Mortales eſſe ſe negant cum ſe frangunt in delicias; eò molliores quò magis veſtitum aſperant gemmis, & auro. Martyres nudi, laceri artus, diſcerpti membra in ſuperos ierunt, Chriſtum nudum, & ſpinis coronatum arcta, & cruenta via ſecuti. Papæ operti ſerico, auro, gemmis, vegeti, nitidi, opulenti præter Chriſtum lata, & florea via cælum inire ſtudent. Quid? quòd vnde faſtus Luciferum extruſit, eò Pontifex intrudit faſtum? Quorſum illa ſublimis Cydaris, tribus turrita Coronis, ſuis ad ſpeciem diſtincta*

Taxatur Pōtificius habitus ob luxum & elegantiā ab Heterodoxis.

Ironia.

Exprobratio.

ſtincta interuallis, quà diademàtum caput ſydera laceſſit? Quorſum lomniſci illi penduli negligenter in humeros demiſſi, ſed ſuperbia affectata? Quorſum illa Purpura Conchyliorum ſanguine ad immanitatem ſaturata? Quorſum illæ zonæ pretioſæ luxuriem veſtium aureo fibularum morſu rodentes? Illa redimicula in ſinuoſos flexus inuoluta? illæ Planetæ noua nominis ambitione ſplendorem maſculum euirantes? illa pluuialia auro intexta, vnionum grandine turgida, & ſolidis margaritarum nimbis pellucida? illa ornamenta vltra Romanum modum Barbaricè, & ex mollitie Phrygionum inſolenter rigida? Vt verè ad ſe trahant illud de Lilio. Nec *Calumnia hæreticorum.*
Matt. 6. *Salomon in omni gloria ſua, & de lilijs ipſis, Salomone ſuperato, triumphent. Moliuntur ſcilicet Triumphalem pompam: curru interdum elati, interdum ſolio eminentes, interdum ſella geſtatoria ſublimes, Maieſtatis onere humeros hominum fatigante, niſi ſi quòd in cœlo ſunt, viuos & animatos cœlos petunt, & Atlantes inquirunt, quibus incumbant. Verum rectè inſtituerunt, vt duos hinc indè Flabelliferos ſecum portent, qui Flabris ingentibus è vario plumarum genere contextis auram popularem, quàm colligunt, euentilent; vel concitata mobili aeris anima conceptum ex ſuperbia ardorem mitigent. Iam quorſum illud ſatellitium? Illa Crux præambula? immò & Euchariſtia tantum apud Romanos myſterium, quam ante ſe ferri iubent, ceu ſeruam Pontificis imperantis. Illud omninò ſtudet Papa.*

Verus vt inceſſu pareat Deus.

CAPVT I.

Aſſeritur, & probatur ornatus, & inceſſus, & comitatus Romani Pontificis generatim.

SI Angli Attellani eſſent, non mirarer cenſuram, quòd ij eum fabulas agerent, nullam in ſcenam perſonam inducerent. At cùm Angli ſint homines, & ſciti, & ſerij, atque adeò longè Attellanis diſſimiles, ac eos non fugiat in hoc mundano Theatro ſcenæ ſæpiùs eſſe ſeruiendum, ponere perſonas debent, nec vituperando committere, vt quod officij eſt, vitio tribuatur. Solem è mundo tollit, qui Perſonam è ſcena aufert; adeò vt qui eam conetur inficiari, is etiam perſonam calumniæ rebus imponat. Priuatus quiſque perſona eſt huma- *Aptum lenocinantis ſtyli exordium.*

humana: vbi in publicum tranſit, Perſonam agit. Dum ſecum habitat, ſeque colligit, natura coercetur, nec ab alijs quicquam, niſi numero differt. Cum ſe ad Rempublicam transfert, & publica præſtat officia, habitum naturę imponit, quo ſubinde ex viciſſitudine munerum mutato, non ab alijs modo, ſed à ſeipſo quoque diſſidet, ac diſſentit. Perſonatus quippè eſt, ac in ſcenam acturus perſonam producitur; quę cuicuimodi ſit ad eius ſe debet faciem, habitumque conuertere. Itaque neceſſe eſt, homini publicum munus obeūti multa, & ſuſtinere, & agere, quæ ab eius priuata, & naturę, & fortunæ conditione aliena videantur. Et quoniam inſtituto moreque maiorum ſua ſunt Magiſtratibus inſignia quibus & ornantur, & commendantur, oportet vt qui honores illos gerunt, & ornamenta illorum ſuſcipiant. Et quo quiſque altiùs dignitatę eminet, eò clariùs emicet, ac ſplendeat. Hinc Sceptra, Coronæ, Solia Regibus: Faſces, Secureſque Conſulibus: Inſulæ, Tiaræ, Apices Pontificibus: Trabeæ, Lituique Auguribus: Paludamenta Imperatoribus: Laticlauia Senatoribus: Annuli Equitibus aſſignati: Romana quòd obuia magis ſunt, vendico. Sacra tamen præopto, & Anglis qui ea & colunt, & tradunt, offero. Sciunt Biblia huiuſmodi exemplis abundare. Ac vt alia omittam, quanta pars Exodi in enumerandis Summi Pontificis ornamentis verſatur? quæ niſi ad eius dignitatis commendationem facerent, non tam ea exactè, & accuratè Sacer Author deſcriberet. Ad rem venio: Vti aptus eſt, qui ſe ad omnia Reipubl. munia accommodat, & dum ſingula obit, eorum inſignia geſtat; ita ineptus ſit oportet, qui ea obeuntem, & ornamenta gerentem vituperat. Decet enim, vt quam quiſque perſonam ſuſtinet, eius quoque dignitatem tueatur. Nec id priuatæ cuiuſpiam virtuti nocet, detrahitue; ſed conducit ad officiū, additque ſplendorem muneri, cuius qui volunt luminibus officere, obiectu vitij tenebras virtuti conantur offundere. Igitur cùm quis ad vllum honoris gradum extollitur, ac eius decoratur inſignibus, non priuatas virtutes amittit, ſed ijs retentis publicum decus admittit. Nec opus eſt vt acceptis ornamentis corporis, animi dotes deponat, niſi ſi cum habitu, & virtus induitur, & exuitur: qua ratione nemo in faſtigium dignitatis attollitur, quin de arce virtutis pręcipitet. Alia eſt ratio priuatæ ſanctitatis, alia publicę dignitatis. Poteſt quis

Idoneum è ſcena exemplum.

Ab Romana eruditione litterarum praeſidium.

Ex decoro argumentum.

quis in tenui, humilique fortuna, animo ſuperbo & elato, & in ſupremo honorum culmine mente demiſſa, & moderata eſſe. Sicuti multi in ſumma paupertate cupidi, contra alij in magna opulentia temperati, integrique exiſtunt. Vnde, Pauperes Spiritu Beatos Chriſtus prædicauit, ſiue ad demiſſionem animi cum Auguſtino, ſiue ad honeſtam paupertatem cum Chryſoſtomo referas; quòd ſolius animi in virtute ratio habeatur, & vtcumque quis intimè ſit affectus, ita bonus maluſue exiſtat. Quare meritò in rerum affluentia Gregorius Magnus Eremita illo in egeſtate conſtituto cælo authore habitus eſt pauperior. Eum quoque multis vilibus, ac tenuibus moderatiorem fuiſſe non dubitem. Nec ego putem Moyſen cùm Dux, ac Princeps, Aaronemque cùm Summus Pontifex à Deo eſt Optimo Maximo inſtitutus, in arrogantiam ſuperbiamque veniſſe. Ac exiſtimo Iobum, & Dauidem in diuerſa fortuna eumdem habitum habuiſſe. Iobumque nec miſeria, opinor, abiectum, nec Dauidem abundantia tumidum effecit. Næ: ſi dignitates honoreſque virtutibus nocerent, iniuria ijs hominibus fieret quibus illi conferuntur: plus enim multò amitterent, quàm acciperent. *Si enim dedecorant bene nata culpę*; quì collocata decora, ſi eæ ſordes ſunt, non ſordidabunt? *Sola virtus intaminatis fulget honoribus.* Quod ſi meliores eligi ſolent, malè conſulitur Reipubl. cum ij deteriores fiunt. Ac ea ſanè miſerrima eſt: nec enim niſi à prauis regi, temperarique poteſt, cùm qui imperaturi ſunt, deprauandi ſint. Id opinor, in ſua Reipubl. quàm bene & inſtitutam, & moratam Angli eſſe, & videri volunt, minimè patientur, cùm & Magiſtratus habeant, & honores ſuis mandent, quibus eos, ſordidari, quos decorare parãt, prorſus nolint. Dent igitur pro ſua comitate etiam nobis in ſacro præſertim regimine, ac ipſo apice dignitatis quod ſibi aſſumunt, ne, qui ad eum ſunt euecti de ſtatu virtutis deijciantur. Ferant in Pontificibus Romanis, quod in Anglicanis Magiſtratibus admittunt, priuatis virtutibus nihil detrahi dignitate, & aliud eſſe profiteri virtutem; aliud ſuſtinere perſonam.

Et habitu animi virtus ſpectanda.

Horat.

Suo met inſtituto Angli refutantur.

At obijciunt: Papam, Chriſti, qui pauper, & abiectus eſſe voluit, perſonam gerere, cui non liceat faſtu vti: nam hoc vrgent, inferuntque: imo & exemplo Petri, & priſci illius æui Pontificum probant; quos hoc nomine admittunt, vt exprobrent recentioribus ſuperbiam, & arrogantiam. Sumõ

Obtentu nos Religionis Angli oppugnãt.

quod

quod dant: Chriſtum pauperem, abiectumque fuiſſe: & peto ab ijs dicant, cur ij dites, opulenti, & ornati eſſe ſtudent? nam & Chriſtus priuatus fuit, & eas virtutes priuatos item docuit. Quòd ſi negant ſe priuatos niſi ad virtutem animi teneri, externis non ligari: cur docent Papam cùm publicam agit perſonam vtraque lege teneri? Si pugnant pro perſona, cur Reges, ac Magiſtratus ſuos cum gubernant, & curam tum corporum, tum animarum gerunt opulentos, ac illuſtres eſſe patiuntur? Spolient eos inſignibus, & ornamentis, quòd ea Chriſtus non geſſerit. Agè coronent ſuos Reges, ac Principes ſpinis; Arundinem pro ſceptro tradant; detrita & lacera purpura veſtiant; imo & verberent, ac crucifigant. Sed Reges, ac Magiſtratus Redemptores non ſunt; nec Pontifices opinor. At ſunt Paſtores: Fateor, ſed hoc etiam nomine Homerus Reges, Pimenas ton laon, Paſtores populorum affecit, non idcircò eos tamen, vti hoſtias, mactauit. Quod ſi Papas mactari volunt, ſuos quoque Principes, qui Papæ ſibi munus arrogant immolari iubeant. Quid quòd Chriſtum in Euangelio diuerſas agentem pro opportunitate rerum perſoſonas comperimus? Conuiuæ ſæpe, Modiperatoris interdum, Cenſoris frequenter, Iudicis aliquando, Maſtigophori ſemel, Medici aſſiduè. Ac fuit cum ſe glorioſum in Thabore, ac Triumphantem Solymis exhibuit. Non raró ventis, mari, inferis imperauit. Sinant igitur Angli Romanum Pontificem diuerſas pro tempore perſonas agere. Ante Sylueſtrum Paſtores cum lupis pro grege Chriſti ſtrenuè certarunt, vitamque pro ouibus poſuerunt. In Sylueſtro reſpirauit paulum Eccleſia aperiente ſe die, Conſtantini ſole illato: in paſcua tutior Grex dimiſſus, & lautiùs habitus; Paſtor cæpit cùm domi abundare, tum foris imperare, & vbique gregi proficere. Poſtea, vti ſe dabant tempora, Paſtores nunc laborare, nunc quieſcere; modò pugnare, modò triumphare, magna viciſſitudine rerum, ac fortunarum, donec ſuperis placuit, vt ſublatis Chriſtiani nominis hoſtibus Eccleſia pacem haberet. Et quidem alius eius habitus parta pace, quàm ſæuiente bello eſſe debuit. Itaque & fundari, & ornari Templa; Sacra ſupellex augeri; Eccleſiaſtica iura inſtitui; ditio amplificari; caulæ muniri; lupi arceri; Grex creſcere, confirmari; Paſtores viribus, opibus, authoritate valere. Puto enim magni ad oues referre, ſi paſtores dites ac validi, ac prӕſtantes exiſtant;

Fucus detrabitur.

Homer.

Varia in Chriſto pro munerum diuerſitate perſona.

Sylueſt.

Coſtãt.

Eccleſia diuerſus ſtatus & Pontificũ.

ſtant;

ſtant; cum pręſertim *Lupus inſidiatur ouili, & fremit ad caulas*. Nolunt tamen Angli, vt Papæ illam præ ſe Maieſtatem ferant, eamque ſuperbiæ imputant. Redeant ad ſe: ſi Principibus ſuis Pontificiam dignitatem, & authoritatẽ attribuunt, cur eos non iubent Regium faſtum deponere? nam ſi cum ſacro illo munere maieſtas non poteſt conſiſtere, quì fiet vt illud cum Regia Maieſtate coniungatur; nil quippè intereſſe exiſtimo, an Pontificibus maieſtas acceſſerit? An Regiæ maieſtati dignitas Pontificia? Nec minùs excutiet ſacer honos aduenientem poſtea faſtum, quam habitum antea excludet ſi eum pati non poteſt. Ecquæ eſt autem iſta arrogantia, & ſuperbia? Ecquis huiuſmodi faſtus, quem execrantur? Ipſos audiamus. Ferre non poſſumus, inquiunt, Tiaram tergemino cinctam diadimate; Faſcias lemniſcatas; Trabeam decuſſatam; Syrma acu pictum, & auro aſperatum; Fibularum gemmeos dentes; Inſtitarum argenteas plicas; Redimiculorum aureos flexus; Oræ luxuriem pretioſam; Calceorum nitidam procacitatem; Sellam ſuccullantibus viris geſtatoriam; Inceſſum pomparum ferculis ſimilem: *Alter vt inceſſu pateat Deus*. Hæc homines religioſi pati nequeunt, cum in Principibus ſuis probent & laudent: imò & in mimis ſuis celebrent quoties in Scenam producunt. In noſtris tamen Pontificibus improbant, quòd dignitatem ipſam odio habent; non improbaturi ſi amarent. At quo iure illa deteſtentur videamus. Ea, inquiunt, in Chriſto inſignia non inuenimus. Iam retorſi: nunc nouè dico. Ego verò multò ſplendidiora inuenio: cum in Thaboris culmine transfiguratum video. Certè vt fulgida ſint, vt pretioſa ornamenta Pontificis, præ illo ſole vmbræ ſunt: vt rigeant auro, frigent præ illa niue. Pluris facio nubem illam lucidam obumbrãtem diſcipulos, quàm radiata illa Papæ diademata; nam quantum lucis eſſe oportuit, vbi vmbra lucis inſtar erat? *Nubes lucida obumbrauit*. En ille *humilis corde* in excelſo montis cacumine conſtitutus Solem præ ſe fert, niues circumfert, nubes torquet; imo & Solem fulgore vultus, niuem candore veſtis extinguit, & obſcuram nubem radijs ſuis illuſtrat. Iam verò ſi inceſſus ille pontificiùs offendit, obijciam celeberrimum illum Chriſti Betphage Solyma ingreſſum omni Romano Triumpho anteponendum. Quid enim excogitari poteſt glorioſius, quàm viam, in pratum & nemus, ſtratis floribus & ramis cõuerti?

Quod in Regibus ſuis Angli tulerunt ferant in Põtificibus noſtris.

Ambitioſa & ad pompam compoſita deſcriptio gentis, gētis Anglicanæ accommodata.

Idoneis Chriſti exemplis refutantur.

Matt. 17

Matt. 21

uerti? palmas & lauros ſpargi, vt ex quibus coronæ plecterentur, illę pedes exciperent, vt coronarent? Quidquid calcabat Chriſtus flos fiebat, ridente terra, luxuriante via, & hiantibus floribus offerente plantis oſcula, expanſis ramis amplexus afferente. Vbique mollities florum, & frondium procacitas moras inijciebant ne tam celeritèr ſe expediret, quò incedentis præſentia diutiùs fruerentur. Iam verò ſpoliari homines veſtibus, eaſque in ſolum proijcere, quò honeſtiùs Chriſtus incederet, in qua parte gloriæ ponendum? Itaque quibus homines amiciuntur & ornantur, ea abijcere, vt & promptiùs currerent, & ſeruos ſe indicarent, & brutam tellurem humanitate veſtirent. Romani ſpolia hoſtium in triumpho portabant ad pompam victoriæ, eoſque vinctos ante currum deferebant; Chriſto triumphanti ciues ſpolia ſua offerre, ſeque liberos libenteſque ſubijcere; vt Romani de corporibus tantùm, Chriſtus de cordibus etiam triumpharet. In Triumphis Romanorum militum licentia in petulantiam verſa iaciebat ſcommata, quibus gloriam Imperatorum maculabat. In Chriſti Triumpho amor, & reuerentia præconia, & acroamata ſpargebat, quibus incedentis gloria augeretur. Romanos cum maiore per Vrbem impetu ad Capitolium ferebantur mortis memoria iniecta quodã quaſi fræno à gloria ad miſeriam reducebat. Chriſtum in medio curſu victoriæ ad Solymæas Arces euntem ciues diuinitatis ſuę monebant, & ſpei immortalitatis implebant. *Hoſanna in Altiſſimis*: Id prędicentes dicere, id ſubſequentes iterare, ne qua vox à ſenſu diſcreparet, & circumfuſus aer eaſdem voces redderet, & vbique plauſu reſponſaret. Quòd ſi quis Chriſti gloriæ inuidus biiuges, & quadriiuges equos deſideret, Aſinęque pullum ad Triumphi contemptum obijciat, non ineptè reponam, quæ Liuius in Triumpho Liuij, & Neronis Conſulum de Aſdrubale pro Nerone, aduersùs Liuium ſcitè dixit: *Irent alij per Vrbem bijugis, quadriiugis, ſi vellent equis, vno illo pullo, verum Triumphum vehi*: tantoque glorioſiorem, quantò abiectius erat iumentum, quod tam præclara inſtrumenta gloriæ conculcabat. Eant nunc Angli, & inceſſum Pontificium inſolentẽ dicant, & arrogantiæ faſtuſque plenum clament, cùm videant Chriſtum, & exemplo inſolentiam ſuſtuliſſe, & gloria ſuſpicionem arrogantiæ extinxiſſe.

Floridus ſtylus Anglis obiectus ad eos ineſcandos.

Romani triũphi ſpecies.

Titus Liuius lib. 28.

Aptum paradigma.

Sed

Bella in Anglos obiectionis reiectio.

Sed negant Chriſtum Pontificem tum aut egiſſe, aut informaſſe. Apti nimirum accuratique homines, qui verba in Euangelio tanquam in lyra fides cohærere volunt, cùm contra nos diſputant. Rectè ſi cùm ſibi opponunt, idem vellent. Verùm aduersùs nos omnia expendere, & confirmare ſtudent ne quid diſcrepet. Pro ſe cùm adducunt vna ſunt clauſula, verboque contenti: nec vtrum partes textus inter ſe conſentiant, ſed an vlla ſuò ſenſui cohæreat, vel ſpeciem cohærentis habeat attendunt: quippè quòd non tam quærunt quì ſua confirment, quàm quì noſtra infirment. Accedo propiùs: mens illorum eſt Pontifices damnare ob faſtum; noſtra liberare: negant per Chriſtum licere: nos exemplo adducto affirmamus. Vincimus, dum Chriſti triumpho momentum illud ex textû addimus. Chriſtus ſanè Pontifex erat, & in templum ibat, atque in templo ei plauſus datus; legimus enim apud Matthęum eodem loco: *Pueros clamantes in*
Matth. c. 21. *templo*, & dicentes *Hoſanna Filio Dauid*. Ex quo apparet ſacrũ illum fuiſſe Triumphum, & ſacra decuiſſe, nec eſſe à ſacris
Marci c. 14. hominibus alienum. Addo pondus ex Euangelio Marci, & Lucæ, vbi Chriſtus Pontificem acturus *Cœnaculum grande ſtratum* quæri iubet ad miniſterij dignitatem; quo ſignificauit ſacra honorificè eſſe & habenda, & tractanda; iiſque ſplendoris inſignia conuenire. Quæ autem & quanta illa ſint, inuenient
Apocal. c. 1. & 2 in Apocalypſi cap. 1. & 2. in quibus Eccleſiæ, & Summi Pontificis pulcherrimum paradigma proponitur. Tam ibi aurea luce in Candelabris fulgent Eccleſiæ; ſplendore rutili in ſtellis micant Epiſcopi; Summus Pontifex Chriſtus podere veſtitur, & aurea zona cingitur, candicantibus capillis, flagrantibus oculis, flammantibus pedibus, gladium præferens ore, tranſlato in volam dexteræ firmamento, in faciem ſole. Hoc habitu ad miram elegantiam compoſito inter aurea Candelabra ambulat, & inceſſu lucem accenditne, an extinguit? Niſi eſſet Apocalypſis, negarent Angli ſplendorem illum Eccleſijs, Aris, Epiſcopis, Chriſto, & qui eius Vicarij ſunt Pontificibus, quòd in Euangelio non inueniſſent. Prouidit Deus vt harum imago rerum in Apocalypſi extaret, vt ea ipſorum contumaciam redargueret. Nunquam enim Pontifex quiſpiam, vt maximam prę ſe dignitatem ferat, propoſitam maieſtatis illius effigiem adæquauit. Animaduertant pro ſtatu temporum res mutari; alium eſſe belli, alium pacis

Elegam Chriſti ſpecies noſtra ad Pontificem.

cis habitum: Angelos hic Epiſcopos dici, Eccleſias Candelabra aurea, quorum ij tamen lucem ferre non poſſunt, atque adeo modijs premunt, ne luceant. Quod vt cumque tolerandum eſſet, ſi Apocalypſis non extaret. At clamante ipſo, Epiſcopos tollere, Eccleſiam extinguere, indignum eſt Anglico candore, & ſcientia. Altiùs oculos attollant, & in cœlo intueantur expreſſam Eccleſiæ Catholicę inſignitèr lucentis imaginem. In illa *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim* Eccleſiam

Apocal. c.12.

Inſigne aliud in cæleſti theatro ſpectaculum Mulieris ſole amicta.

repræſentat, non apud Superos Triumphantem, ſed apud nos adhuc militantem: nam & vterum ferebat, & parturiebat, & puerperij dolores ſentiebat, & inſidijs Draconis patebat; quæ non triumphi ſigna, ſed pugnæ. Detrahant illi lunam, ſolem, ſtellas deijciant, ne intumeſcat, ſuperbiatque: ſed moneo id ipſum Draconem moliri, qui Diaboli partes agebat. Refutemus obiecta. An erat pes ſuperbiæ in Chriſto, cùm inuectus aſino veſtium aceruos, & palmarum cumulos non ſuis, ſed aſininis pedibus conculcabat? An erat in Angelo qui inter aurea Candelabra inambulans altaria inſiſtebat? An erat in Eccleſia quæ lunam in alutam, ſolem in ſtolam, ſtellas in ſertam vertebat? Quantò altiùs iſti quàm Pontifex pedes leuabant? non tamen aut Superi, aut inferi indignantur. Non ſumpſerat ſibi hoc Chriſtus cum mortalis erat; cum agebat hominem miſerijs, pœniſque humanis obnoxium. Permiſit ſibi cùm in cœlum receptus eſt, & typum Eccleſiæ præbuit,

Contorta ex his in Anglos argumentorū tela.

quem exprimeret. Quos ſui Vicarios inſtituit, eos voluit cū perſona dignitatem induere. Perſonam agunt interdum patientis, interdum Regnantis. Imo & ipſa Eccleſia Chriſtum imitata trecentos fermè annos primùm paſſa cum ſuis Pontificibus fuit: deinde ad eius ſe gloriam cæpit conformare, & aperiente ſe cælo clareſcere; etſi lux intercurrentibus ſæpe turbinibus caligaret. Profiteri debuit gloriam, quæ in Chri-

Decebat ornari elegantiſſimè Eccleſiam Chriſti ſponſam.

ſtum redundaret. An ſponſam ſibi chariſſimam Chriſtus incomptam, & inornatam vellet? cum nemo qui ſponſus ſit velit ſuam turpem, abiectamque videri? Pudeat Anglos opinionis ſuæ. Reflectant oculos ad Synagogam: occurret ornatiſſima, venuſtiſſima, ditiſſima: præſtringet aciem lumine offuſo; ac vt toto ſplendeat corpore; capite longè clarius emicat, cuius tantus eſt fulgor vt ſolem repræſentet, imò & ſuperet, ac extinguat. Fateor me in omnium penè Hiſtoria-

rum

Digitized by Google

rum monumentis verſatum, nuſquam ornatum parem ei
Exod. 39. quem ſummo Sacerdoti Exodi 39. aſsignatum lego, comperiſſe; adeòvt ne mundus quidem muliebris pulcherrimarũ, potentiſsimarumque Reginarum cum illo Sacrô Pontificis paratu poſsit conferri. Cuius ſola deſcriptio in admirationem rapit mentem, meumque exanimat ingenium, quod videam omnem in ea imaginem eloquentiæ eſſe conſumptã; cum ſit tamen nuda, & ſimplex narratio veritatis, quæ per ſe ſic ſplendet, vt lumina Rhetorices obtundat. Legat Anglorum qui volet, & quanquam latiniſſimus, & copioſiſſimus ſit melius illa, & ſplendidiùs dici à ſe poſſe diffidet. Conferat tum cùm Romani Pontificis ornamẽtis, quę exaggerata ſunt altiùs, ſtellulas in his, in illi ſolem ineſſe comperiet. Ita luce aliorum illata, quæ videbantur conſpicua, obſcurabuntur. Et tamen Deus ipſe & excogitauit, & fieri iuſsit; non vt opinor Pontificem ſuperbum redderet, ſed ſe in ſuo Pontifice glorioſum. Nec temere illud ſæpe narrando iteratur: *Sicut præceperat Dominus Moyſi*. Ne quis illi Pontifici auderet, quod noſtri Angli audent, obijcere. At vrgent: Deum illa Romani Pontificis inſignia fieri nõ iuſſiſse. Fateor, ſed non vetuit. Cur igitur damnant? cur execrantur? cur vitio ſuperbiæ attribuunt, quæ ipſi Hebræorum exemplo Pontificũ, Deo authore excogitarunt? Author eſt enim per Apoſtolum Deus, *omnia*
1. Cor. 10. *in figura illis* hominibus *contigiſſe*. Quod ſi hoc, vnum ex ijs omnibus eſt, certè in Pontifice Romano erat implendum; ad huius enim ſplendorem illa inſignia pertinebant; ſimilemque in eo fore ornatum portendebant; non quod omnino aut ſimilis, aut par futurus eſſet (id enim ineptum eſt dicere) ſed quòd aliquis tamen prout res, & tempora exigerent, retinendus. Quod ſi importunè & acriter inſtent, quòd *omnia in figura contingerent* ex eo nihil prorſus debere omitti haud dubiè ſequi; repellam aptè dicendo: ne ipſos quidem locum vbi eum recipiunt, intelligere, cum in Templis ſuis, quæ in Templi Hieroſolymitani locum ſucceſſerunt, plurima deſiderentur, quæ in eo legimus fuiſſe: imò & quę deeſſe non poterant, ideſt Altaria, & ſacrificia ſublata prorſus eſſe videamus. Sumunt Pontifices noſtri quod ſatis eſt ad decus & vſum; reliquum omittunt, idque ex antiquiſsimo Eccleſiæ inſtituto; quemadmodum nos hìc Romæ cùm ex tabulis pictis, tum ex libris vetuſtiſsimus agnoſcimus.

Apparatus, & ornatus Synagoga Eccleſiæ præluſit.

Inde ad noſtra tuenda ornamenta ratio.

Refutatio.

Ac

Ac ne repugnent Pauli textui, confirmare volo nixam eo loco ſententiam alijs Zachariæ Prophetæ, in quo quicquid ante ſumpſi de ornatu, de figura, de veritate expreſſum in paradigmate Ieſu Sacerdotis inuenio. Primùm quod dixi initio Petrum, & proximos Pontifices pauperes, & afflictos in ſtatu quodam belli fuiſſe, atque adeo paſſum Chriſtum repræſentaſſe, patet ex principio capitis: *Et oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini: & Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei.* Ac infra: *Et Ieſus indutus erat veſtibus ſordidis.* Ecce in Ieſu primus ſtatus Pontificis in aduerſa miſeraque fortuna, quam decebat ſordidus habitus ſtatui conueniens. Sequamur ductum Textus, qui ad alterum nos, & ſtatum, & ornatum deducet. *Auferte veſtimenta ſordida ab eo: Induite mutatorijs. Ponite cidarim mundam ſuper caput eius. Et induerunt eum veſtibus.* En conditio mutatur, & habitus; depoſito ſordido, induitur nitido. Apparet autem in capite nitor eximius; conſtat ex textu: *Sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Ieſu Filij Ioſedech Sacerdotis Magni.* Nemo erit quin ſentiat veſtes illas mutatas nitidas fore oportere, vt capitis ornatui reſponderent: nam *Turpiter atrum,* inquit Horatius aptè, *deſinit in piſcem, mulier formoſa ſuperne*: eſſetque *Infelix operis ſumma.* Habemus igitur Ieſum ſplendidum, & ornatum, alium pre ſe ſtatum, alium habitum ferentem. Reſtat vt eo figuratos Pontifices noſtros probemus; & ad illos mutationem illã & ſtatus, & habitus pertinere. Ille Ieſus Ieſum Dominum Noſtrum ſignificabat, qui futurus erat Magnus Sacerdos, & magnus, vt ait Paulus, *Pontifex*: cuius in Eccleſia futura dignitas, & maieſtas portendebatur, quam cum munere Petro, & ſucceſſoribus traderet; quos neceſſe erat tanquam Vicarios illius perſonam, vti impoſita erat, ſuſtinere. Docemur id c. 3. *Audi Ieſu Sacerdos Magne; tu & amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes ſunt. Ecce enim ego adducam ſeruum meum orientem.* Conſtat *Ieſum Sacerdotem Magnum* figuram *Ieſu Optimi Maximi* Sacerdotis eſſe, qui Eccleſiam erecturus, & recturus eſſet, ac in ea cum gloria imperaturus, vti poſtea cap. 6. dicitur: *Ecce vir oriens nomen eius: & ſubter eum orietur, & ædificabit templum Domino. Et ipſe extruet Templum Domino.* En Eccleſiæ inſtitutio, & fundatio. *Et ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo, & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo.*

Zachar. c. 3.

Ieſu Ioſedech pulcherrimas ſpecies.

In argumentum verſa.

Horat.

D. Paul.

Chriſti Ieſu ſymbolum.

Zachar.

ſuo. Viden? vt Chriſti Pontificatus aſſeratur non obſcurus, non priuatus, ſed plenus honoris, & maieſtatis? quem ſi ſemel ſuſcepturus erat, ad alios ſucceſſores erat tranſmiſſurus, vt Eccleſiæ, & Pontificatus dignitas permaneret; nam ſi Ieſu Sacerdoti in Synagoga Ieſus Sacerdos tantò auguſtior in Eccleſia ſuccedebat; cum eoque Societatis vinculo copulabatur, *Conſilium pacis erit inter illos duos*. Cur Ieſu noſtro in eadem Eccleſia alij Pontifices non ſuccedant, qui eius perſonam ſuſtineant? An non id in eodem eſt textu expreſſum? *Et qui procul ſunt venient, & ædificabunt in Templo Domini*. Qui procul ſunt ex gentibus ſunt: hos venturos eſſe, & in eadem Eccleſia cum Authore Eccleſiæ ędificaturos docemur. Puto autem qui poteſtatem habituri ſunt ædificandi cum Chriſto, & eos authoritatem regendi, atque adminiſtrandi habituros, & in gloriæ communionem venturos. Nam ſicut de Chriſto dicitur. *Extruet Templum, & ipſe portabit gloriam*. Ita de Succeſſoribus dici debet *Extruent, & portabunt*. Quod ſi iterũ objjciant Chriſtum Dominum Eccleſiam fundaſſe in ſanguine ſuo, & in veſtibus ſordidis, nec vnquam ſe glorioſè in regenda Eccleſia geſsiſſe. Tum ego argumento retorto ipſos confutabo. Nam ex eo prorſus ſequitur Pontifices noſtros, & ſucceſsores Chriſti, & ſuccedẽdo glorioſos, & regẽda plenos dignitatis fore. Cum enim perſpicuè appareat mutatũ iri ſordes in decus, & extructa Eccleſia Ieſum orientem in gloria fore: *Ipſe portabit gloriam*: neceſsè omnino eſt, vt aliquis eius ſucceſsor in decore, & gloria ſit futurus, cui cidaris, cì corona, cui veſtium ſplendor, & opulentia debeatur; vt quod Ieſus ipſe per ſe non geſſit, gerat per ſui Vicarium, qui ſui ſuſtineat perſonam. Atque id fortaſſè ſignificauit Propheta cum dixit: *Extruet Eccleſiam*, & *portabit gloriam*. Nam illud verbum *Portabit* indicat gloriam fore aliorum, ſed ad eum tamen referendam, perinde ac diceret *Extruet Eccleſiam*, & quæ fuerit gloria conſecuta, ei attribuetur; ad eum referetur. Portabit illam tanquam ſumens ab alijs, vt ſibi imponat: qua ratione tum expoſitio conſtat, tum obiecto ſatisfit; tum noſtra ſententia de futura Pontificum gloria confirmatur.

Succeſſio Pōtificum vice Chriſti ſtabilitur.

Ornatus confirmatur.

CAPVT II.

Habitus atque Veſtitus Pontificius vniuerſim defenditur.

Titus Liuius lib. 34.

Acutè punguntur Angli.

QVi Anglorum inuectiuam legat Catonem aliquem aduerſus luxum diſputantem , & legem ſumptuariam dictantem,ſuoque ſupercilio ambitioſam veſtiendi licentiam coercentem putet ; cui Oppius non poſſit reſiſtere . Verùm is ſi rem diligentèr expendat comperiet Pſeudo Catones iſtos non ſtudio parſimoniæ , aut moderationis contra fæminas , ſed odio, & inuidia religionis aduersùs Romanos Pontifices Pontifices dicere. Nam,quam elegantiam & opulentiam veſtiendi Papis interdicunt , eam largiter fęminis ſuis concedunt, quæ ſi vſpiam alibi , mollisſimè in Anglia , ac pretioſiſſime induuntur . Cuius ego rei idoneus teſtis ſim, qui cum totam penè Europam peragrarim : & mores gentium , habituſque notarim, fateor nuſquam me ornatiores, & comptiores, quàm Londini fæminas inueniſse ; nec quibus per maritos,& iudices plus liceat . Itaque cum in eo Regno ſpoliata templa , & ſacram ſupellectilem exhauſtam,& Pontificium, ſacerdotalemque ornatum cum perſonis omnino ſublatum viderem; tamque lautè , & eleganter fœminas veſtiri, homo minimè ſuſpicax facere non potui , quin dubitarem, an ſacra illa ſupellex in mundum muliebrem tranſiſſet . Illud ſanè commouebat: ex quo diripi cæperunt templa, opes Eccleſiaſticæ compilari, augeri fęminarum ornatum cępiſse ; non qui inani fuco pigmentiſque , à quibus Anglicanæ mulieres longè abſunt ; ſed qui ſolido & auro, & ſerico continetur. Vnde ſuſpicatus ſum quidquid Angli contra Pontificium luxum prolixè dicunt, non ad licentiam coercendam, ſed ad ſuſpicionem auertendam dicere . Itaque eos magis Oppios,quàm Catones agere , ſuiſque fæminis multò plura , quàm Oppios indulgere . Qui certè integra Romæ Sacra , intactaque reliquerunt , cùm Angli vt mundum augerent muliebrem immundis manibus ſacra contrectarunt , & in vſus profanos conuerterunt .

Depellitur obiectum , ac in eoſdem retorquetur.

Idem Liuius.

Explorato gentis animo dicta examinemus . Improbant , impugnant Pontificum Romanorum habitum & ornatum . Iracundè quidem & vehementer : ſed non opinor rectè , nec

pru-

prudenter. Quid enim propriè reprehendant non video. Vel enim rem, vel nomen; vel ſignificatum taxare oportet: nihil autem horum aptè vituperant: Res quippè, ideſt ornatus ipſe, habituſque communis eſt Epiſcopis & Pontificibus; cùm omne Sacrarum veſtium genus ad Epiſcopos quoque pertineat. Nomen autem vt ijs etiam conueniat, & ſignificatum neceſſe eſt. Quid igitur reprehendant nihil eſt fermè, paucis quibuſdam exceptis ſuo loco deſcribendis, quod proprium ſit Summorum Pontificum, niſi maior quidam ſplendor, & & elegantia, quæ ſanè decet dignitatem perſonæ. Sed quoniam ij in pontificio habitu oppugnando totam Eccleſiaſticam ſupllectilem oppugnare ſtudent, quam è medio tollere moliuntur, eius nos in Pontificio veſtitu defendendo patrocinium ſuſcipiamus: non vti hactenus egimus, vniuerſim ſpectando, ſed ſigillatim numerando. *Aditus ad ornamenta Eccleſiaſtica tuēda, & laudanda.*

AMICTVS.

IRrident *Amictum* perinde ac turpe quoddam, & meretricium velamen ſit, olim luparum, ac lupanarium propriū, atque adeo alienum. Probant ex Iſidoro Origin. lib. 19. c. 25. *Erat* inquit, *apud Veteres ſignum meretricię veſtis*. Et Baronio noſtro qui confirmat in notis Martyrol. ad diem 7. Maij in Natali Flauiæ Domitillæ. Itaque diris deuouent caput Pontificum meretricio velamine iuuolutum. Sed imprudenter nobiſcum ac inſolenter agunt. Animaduertant oportet Amictum illum de quo loquuntur, Pallij genus eſſe, vel pallæ; vti tradit idem Author Iſidorus: *Amiculum eſt*, inquit, *Meretricum pallium lineum:* quo illud item nomine appellat Baronius. Noſter verò *Amictus* capitis tantùm, & colli, & humerorum velamen eſt: nec nos Amiculum dicimus, ſed Amictum: Eſto tamen ſit turpe, ideſt in meretrice Amiculum, an ideo vbique inhoneſtum? Quod veſtis genus in Anglia honeſtum erit, ſi quòd eo vtantur meretrices turpe exiſtit? cum præſertim illę Londini exquiſitè ornentur. Sanè Sacrum Amiculum eſſe Valerius Maximus ſignificat dum ait: *Detracto Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, iniectoque ei pallio lineo*. Dionyſij Lepidum factum narrat; de quo item Cicero commemorat. Apud quem, & turpiter ſemel, & honeſtè iterum ſumitur *Amiculum;* vt promiſcuè pro perſonis, & lo-

Iſidor. Baron. — *De Amiculo. Pallio. Palla.* — *Valer. Maxim.* — *Nomen & res defenditur.* — *Cicer. 2. de Diuinat.*

cis vſurpetur. Quare etſi in Amicula turpe ſit Amiculum; in vxore honeſtum erit, ac in Sacerdote Sacrum. Sanè in Sacris litteris Sanctum eſt vocabulum. Pſalm.103. v.6. *Sicut veſtimentum amictus eius*, & Eccleſiaſt.50.v.12 *Sanctitatis amictum*: nec in prophanis honeſtus deſideratur. Ait enim diſertè lib. Aeneidos. 3. Virgilius. Pſalm. Eccleſ. Virgil.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Vocabuli inuidia depellitur. Vbi capitis velamen ſignificatur, quod noſtro mirificè conſentit, cum Sacris à Parthenio aſſignatur. Itaque à noſtris Sacerdotibus, ac Pontificibus vſurpatur cùm faciunt, vt ex Miſſali, & Rituali, & quotidiano Miſſarum vſu conſtat, eoque nomine ab antiquiſſimis Authoribus appellatur, quos videre quis poterit in Durando, & Durantis rationali, & Ritibus, & Sauſſay Panoplia Sacerdotali. Illud autem animaduertendum veteres quoſdam Authores Catholicos, qui de ſacris egerunt veſtibus, huiuſmodi capitis velamen nomine Amictus minimè appellaſſe, quòd exiſtimarunt illud ſuperhumerali, ſeu Ephod priſco reſpondere; atque adeò eodem nomine dixerunt; vti Alcuinus titulo de ſingulis veſtibus. Id autem expreſſit Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. de ant. Miſſæ ritu cap.201. *Humerale*, inquit, *quod in lege Ephod, apud nos amictus dicitur*. Cuius item ſententiæ eſt Cerda in aduerſ.cap.51. & Durand.lib.3.cap.2. A quibus ego prorſus diſſentio, cùm forma ſuperhumeralis illius, ſeu Ephod longè fuerit ab amictus noſtri diuerſa, quemadmodum euidenter ex Sacro textu, & Hieronymi expoſitione Sauſſayus oſtendit; etſi in eo minus placeat quòd aſſumat, Ephod ſolius Pontificis proprium fuiſſe, nihil diſtinguens inter Ephod mixtum ex hyacintho, byſſo, cocco & purpura, & ſimplex è lino: nam vt illud ſoli Pontifici datum, hoc cum alijs commune, vti ex 1. Reg. c.2. vbi Samuel, & 2.cap.6. vbi Dauid *Ephod lineo accincti* dicuntur, liquidò apparet. Proptereaque data opera dixi Ephod ab amictu forma fuiſſe diuerſum, cùm Sauſſayus materia quoque dixiſſet, quòd vidi materiam cum noſtra interdum, ideſt linea, fuiſſe commune, forma ſemper diuerſum. Durandus. Durant. Sauſſay. Alcuin. Honor. Auguſtodenſis. Cerda. Durand. *Ephod genera, & forma.* Hieron. Sauſſay.

Angli myſticum ſenſum negligunt. Quòd ſenſum myſticum attinet, eum non multum Angli curant, qui cùm Sacerdotes, myſtaſque oderint, Sacra quoque, & myſtica oderunt. Verum quòd in veſtitu Pontificio veteris legis ſignificatum ſpirituale inueſtigant Patres, & D.Paulus ad Epheſios vltimo facem tulit ad ſenſus hoſce myſticos

ſticos

ſticos in veſtibus indagandos, operę pretium erit quid amictus ſignificet agnoſcere, & producere. Multarum rerum ſymbolum eſſe amictum conſtat ex ijs, quæ congerunt in ſuis Ritualibus Durantius, & Durandus, ac poſt eos Sauſſayus. Illud ego obſeruo, & eſſe ſignum rerum præteritarum, quas in memoriam reuocat ad pietatem excitandam; & monumentum aliarum, quarum nos monet ad virtutem inſectandam. Ac imprimis ſignificat Incarnationem Verbi Diuini authore Ruperto lib. 1. de Diuin. offic. cap. 10. Præterea ſignificat velum illud, quo Chriſti faciem in die illa poſtrema Paſſionis milites texerunt, vt in eam licentiùs ſæuirent, & ſpineam coronam capiti infixam, iuxta D. Thomam 3. par. q. 8. art. 5. Marci 14. v. 65. *Velarunt faciem eius*. Et Sudarium quo in ſepulchro illius caput inuolutum. Ioan. 20. *Fuerat ſuper caput eius*. Quorum præcipuè recordationem affert. Spei Theologicæ virtutis ſymbolum ait eſſe Gemma animæ cap. 201. Præterea cuſtodiam ſenſuum, quorum ſumma in capite vis eſt, authore Hugone de Sancto Victore, inſinuat. Quæ in Summo Pontifice, qui eſt Eccleſiæ caput maxima eſſe debet, *& Galeam ſalutis*: iuxtà D. Paulum exprimit, ad tutamen capitis, ac præſidium corporis Eccleſiæ, cuius Patrocinium Pontifex illius & Paſtor, & defenſor debet ſuſcipere, qua præſertim ratione amictus in Papā magis, quàm in alios Sacerdotes quadrat.

(Margin: Durant. Durandus. Sauſſay. — *Amictus ſymbolum multarum rerum ſacrarum.* — Rupert. — D. Tho. — Marc. Ioan. — Hugo.)

ALBA.

Solemne id iam, & ſacrum vocabulum eſt ad ſignificandam tunicam lineam talarem, quam primam ſibi poſt amictum Sacerdos, & Pontifex ſacra facturus induit: eoque Concilium Carthaginenſe IV. Anno 398. Anaſtaſio Papa antiquiſſimum, & Narbonenſe antiquum, & Rhemenſe recentius vtuntur; celebratque Alcuinus, & Rabanus Maurus, & Amalarius Fortunatus: De qua Innocentius Tertius lib. 1. Myſter. Miſſæ cap. 36. Hæc poderis loco ad ſacram ſupellectilem admiſſa, quæ erat Iſidoro teſte, *tunica talaris linea corpori aſtricta vſque ad pedes deſcendens*. Etſi arctior illa, noſtra largior, vti obſeruat Durandus. Camiſiam plerique vocant, eodem Iſidoro authore, qui originem vocis adducit, & vocem probat, probaturque Gulielmo Durando poſt Alcuinum, à quo in lib. 2. de officijs Diuinis veſtis illa linea

(Margin: *Alba qua veſtis.* — Concil. Carth. Narb. Rhem. — Innoc. — *Nomina illius.* — Duran. Alcuini)

candida *Camiſia* dicitur. Antiquiſſimum illius vſum fuiſſe non modo ex Chryſoſtomo in cap.6. Matth. Homilia 83. & Hieronymo lib. 1. aduerſus Pelagianos Dialogo, & Gregorio Papa lib.7. Epiſt.64. conſtat, ſed ex octaua Synodo Generali Act. 1. in qua eſt Synodica recitata Theodoſij Patriarchę Hieroſolymitani, qua teſtatur mitti à ſe Ignatio Conſtantinopolitano Patriarchæ dono poderem, ſiue ſuperhumeralem Iacobi Minoris Apoſtoli, qua ipſe Sacra primum fecerat, & omnes deinceps ad illud vſque tempus Patriarchæ facere à Iacobo ſoliti. Cui momentum addit alia Helenæ donatio lineæ Tunicæ, ſeu ſtolæ candidæ, qua Protomartyr Stephanus in Sacris vtebatur: quàm cum Hieroſolymis à Præſide Machario accepiſſet Veſuntionem ad Sylueſtrum eiuſdem Vrbis Epiſcopum miſit. Qua de re Sauſſayus eruditè tomo ſuo de Panopl. Epiſcop. lib.6. & tomo de Panop. Sacerd. lib.2. & in Comment. Martyr. Gallicani ad 3. Nonas Auguſti. His nobiliſſimis authoribus, Eccleſia Romana Alba ſemper ſuos Sacerdotes veſtiuit, illiuſque nomen celebrauit, adeo vt Gloſſa Albis in Clement. ne in agro ʃ. rurſus ſic ſcribat: *Albis non ponitur pro colore, ſed pro veſte ſacra de qua ſequitur verſus.*

Chryſo. Hieron. Gregor. Septima Synod. Geneſ.

Veſtis Sacræ Albæ antiquitas.

Sauſſay.

Alba nomen, & etymon.

Gloſſa.

Dicitur Vrbs Alba, veſtitur Presbyter Alba.

Quare vt Alba vrbs Romam tranſijt, cum eaque coaluit, ita Alba illa tunica Hebraica in Romanam eſt Albam conuerſa, qua omnis Sacerdos induitur, & ſeſe Candidatum ęternitatis profitetur. Certè antiquitatem huiuſce veſtis lineæ talaris demonſtrant priſcæ & tabulæ, & effigies Muſiui operis, in quas Romæ incurrimus quotidie, Pontificum & Sacerdotum, quæ tot ſunt, tamque conſpicuæ, vt ſuperuacaneum ſit commemorare. Ex quibus ſunt exempla deprompta, & in alias regiones miſſa: cuiuſmodi eſt illud Sylueſtri Papæ in Codice Leodienſi antiquiſſimo expreſſum, quod exhibet ſanctum illum Pontificem veſte talari linea indutum, Caſula ſiue Planeta ſuperinduta. Quod repræſentauit in ſua Panop. Clericali lib.1. Sauſſayus, & commemorauit lib.2. ſuæ Panop. Epiſc. cap.2. animaduertens illam effigiem ex vetuſtis exemplaribus depromptam: quod ego prorſus confirmo.

Imago priſca Albata.

Nihil hic eſſe taxandum ab Anglis puto. Fortè in Tropologico ſenſu hærebunt, & aliquid reprehendent. Expediar. Nullius ſacræ veſtis plura, & nobiliora ſignificata produntur, quàm Albæ de qua agimus. Dabunt Durantius, &

Du-

Durandus: & latiſſimè Sauſſayus art. 1. cap. 8. §. 1. Seligo præ-
Sauſs. cipua quæ rei & cauſæ hæreant. Signum eſt Alba illius ve-
ſtis, qua in deriſum Chriſtus indutus ab Herode ad Pilatum
D.Tho. remiſſus Authore D. Thoma 3. par. q. 40. artic. 7. & Sindonis
mundæ qua obuolutum nobilis ille Ioſeph Decurio tumula-
uit; quæ ad Paſſionem ſpectant; nec non & niueę veſtis trans-
figurati Chriſti Alba eadem, & candidi Angelorum habitus
apud ſepulchrum, & lapidem Olíueti, Reſurrectionis, & Aſ-
cenſionis die illuſtre ſignum eſt: qua idcircò Pontifex vtitur,
vt ſignificet ignominiam & pœnam Paſſionis in decus & glo-
riam eſſe conuerſas. His enim partis intrare in Paradiſum
Chriſtum oportebat. Cuius Paradigma gloriæ Pontifex exhi- *Roma libertatis amans. Reſpectus ad togam.*
bet. Symbolum verò eſt Alba Innocentiæ Paciſque: illam
præ ſe ferre Pontifex debet, hanc Chriſtianæ Reipubl. pro-
curare; ne quis Chriſti tunicam ſcindere, aut Schiſmate, aut
Hæreſi, aut Bello audeat. Eſt præterea *libertatis, qua nos Chri-*
Tertul. *ſtus* Tertulliano teſte lib. 5. aduerſus Marcionem manumi-
ſit, & iugo legis erepto, & in Paſcua gratiæ libens dimiſit.
Cuius libertatis vindex eſt Papa Romanus in ea vrbe, quæ
ſeruitium pati non potuit: *& Romanos rerum Dominos* genuit.
Alcuin. Perſeuerantiæ demum & perfectionis, vti Alcuinus, & Ra-
Raban. banus ex prolixa Albæ forma deducunt: quod non minus in
Pontificem quadrat, cùm ſit Eccleſiæ Petra, nunquam Tar-
tareis viribus conuellenda, propter conſtantiam, & Coronis
totius Eccleſiæ, ob faſtigium culmenque dignitatis.

CINGVLVM.

NEque tam ſunt altè cincti Pontifices vt timeri; neque tam demiſsè, vt irrideri ab Anglis debeant. Sacratè, ac Religioſè cinguntur, vt Chriſti conſilium ſequantur. *Siut lumbi veſtri præcincti*, eumdemque in Ara *præcinctum ad mamillas zona aurea* imitentur. Timent fortaſſe Angli, ne Cingulum Papæ Baltheus ſit: At hoc Pontifex in lege veteri cingi dicitur. Exodi 29. 4. & cap. 29. 5. & 9. & Leuit. 8. 13. nos cùm *Baltheum*, & *Zonam* poſſemus, *Cingulum* molliùs ap- *Etymon Cinguli.*
Honor. Auguſt. pellamus. Vnde Honorius Auguſtodun. lib. 1. de ant. Miſſæ ritu cap. 203. *Cingulo cingitur*, quod in lege Baltheus: apud Græcos Zona dicitur. Alia eſt ab vſuali Sacra Pontificis. Ea enim iuxta Pſalmum 10. 9. ſemper præcingitur. Hac velut

Aaron

Aaron Leuit. 16. 4. *Tunica veſtietur, zona accingetur linea*. Itaque & Zonam propriè vocamus. *Non gloriatur* Pontifex noſter, vt eſt 3.Reg.20.11. *æquè accinctus ac diſcinctus*. Quòd accinctus ſacra facere ſolet; diſtinctus non ſolet. Eius vſum ad ſuſtinendam Albam, ne deflueret, aſtruunt, & priſcum probant Alcuinus, Rabanus, & Honorius cum Durante, & Durando, & Sauſſayo. Cingulum verò huiuſmodi inſtar funiculi textum, & prolixum eſſe debuit, vt meliùs adhæreret corpori, & fortiùs cingeret: quod Tropologiam continet, cum ea Zona præcinctus Pontifex Chriſtum ligatum in Paſſione repræſentet. Vnde eſt quod Pontifex *in ſiniſtro latere duplex habet*, inquit, Durandus ſuccinctorium, quo & cingi & ſuccingi debet, quòd his legimus in Euangelio ligatum Chriſtum. Ioan. 18. *Ligauerunt eum*. Et 19. *Miſit eum Annas ligatum*. Quod autem ornatiùs interdum illud Cingulum ſit, non eſt ab re ſacra, cum Chriſtus *zona aurea mamillas præcinxerit*. Et Aaron teſte *Ioſepho* lib. 3. cap. 8. *Zona floribus puniceis, purpureis, hyacinthinis, & byſſinis picturata* vſus fuerit, *& Murenulas aureas* ſponſus ſponſæ promiſerit. Cant. cap. 1. cùm præſertim conſtet in Pontificijs olim Repoſitorijs inter alia ornamenta ſacra Zonas pretioſiſſimas fuiſſe; nam Leo III. apud Anaſtaſium Murenulas Praſinales pretioſiſſimas duas, & murenam trifidem auream ex Sacra ſuppellectili, vt donaret, elegit. Atque eiuſmodi & formæ, & pretij Romani tantum Pontificis proprias fuiſſe Sauſſayus lib. 3. capit. 7. ſuſpicatur, quòd nunquam alibi eorum mentio facta reperitur. Et verò aptè Cingulo ſeu Zona vtitur Pontifex Maximus cum authore Rabano Zona *Diſcretionem Prudentiamque:* Bernardo in ſententijs. *Nexum Religionis, & iuſtitiæ* ſignificet, quibus certè virtutibus quæ ad ſpirituale regimen ſpectant Summus Pontifex debet excellere.

Pulchra annominatio. — Alcuin, Raban. — *Significatio Cinguli.* — Ioſeph. — Anaſt. — Sauſs. — Raban.

MANIPVLVS.

HIc exultant, & inſultant Angli; quod nos rem inſolentem agimus, dum Manipulum in Sacra inuehimus, cuius nulla prorſus in Sacris litteris vel figura, vel vmbra fuiſſe legitur; idque enumeratis veſtibus Sacris Aaronis, & Leuitarum conſtat. Nil eſt enim, quòd Manipulo noſtro reſpondeat; Nec noſtri authores negant: ſed non idcirco erubeſcunt.

Venuſta Anglorum Heterodoxorum confutatio.

beſcunt. Anglorum tripudia refutemus. Damus quod volunt. Manipulum nos à Sacrario Moyſis non accepiſſe. An ideò non eſt vnde accipiamus? Crucem & Calicem, immò & Sacramenta à Moyſe non accepimus: igitur nulla ſinc apud nos & inſtrumenta, & Sacramenta. Omnia noſtra olim habuerunt, & coluerunt Angli cum Catholici erant, cum eſſe deſierunt, ea abiecerunt, & tamen probant abiecta quòd illa à ſeſquiſeculo receperint. Nos vſum Manipuli à primis Eccleſiæ Patribus per manus traditum retinemus. Quod nos docuit Beda, & ipſe author Anglus ne quis exprobret, in ſuo Martyrologio. Iam ille Alcuini ætate celebratus, & Rabani ſiniſtræ inſertus mappulæ item nomine appellabatur, vti ex eorumdem libris apparet. Communis non Pontificibus ſolum, ſed etiam Diaconis, & Subdiaconis: idque habetur in Concilio Carthaginenſi IV. & Veteri Ordine Romano, & Amalario Fortunato lib. 1. de offic. Eccleſ. cap. 11. Cur autem in ſiniſtro brachio geſtetur cauſas afferunt, Alcuinus, Amalarius, Alenſis, S. Bonauentura: vt non temerè ſis quod tot tantique viri obſeruarunt. Id huius loci proprium videtur ſcire ex Durando lib. 3. & 4. *Manipulum poſt inducam Planetam Romano Pontifici immitti ſolere*, quòd cum meritum Chriſti repræſentet, nonniſi poſt *Planetam*, quæ Incarnationem ſignificat, poni debuit; nec enim Incarnationem ſuam meruit Chriſtus, nec niſi poſt eam meruit nobis gratiam, & gloriam, quod vera nos & ſolida ex Auguſtini ducta fontibus Theologia docet. Repræſentare autem funem quo ligatus cum comprehenſus eſt Chriſtus idem Durandus tradit. Significat cùm multa, tum præcipuè opera bona quæ in via laborantes ſerimus, vt præmia in cœlo cum gaudio metamus, iuxta illum verſum celeberrimum *Pſalmi*. *Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*. Vnde Eccleſia Manipulum inſeri his verbis iubet: *Merear Domine portare manipulum fletus, & doloris, vt cum exultatione recipiam mercedem laboris*. Mihi etiam propriè aptèque ad Pontificem videtur *Scutum* exprimere, quo ille Eccleſiam quæ Chriſti corpus eſt, protegit, ac defendit: cum præſertim apud *Paulum*, *Scutum Æquitatem* adumbret, qua maximè Reſpublica continetur: eaque Eccleſia Catholica debeat contineri. Nam ſi amant, vt aiunt Angli, *Manipulum* noſtrum illius ſymbolum diligant. Id obſer-

Probatur vſus Manipuli.

Beda.

Concil. Carth. Amalar. Alenſ. Bonau.

Quorum ſit Manipulus.

Quomodo portetur.

Pſal. 125.

Quid ſignificet?

ſeruandum Summum Pontificem, vti quodam manipulo, quod ſuccinctorium dicitur. Vnde alij Cingulum malunt appellare, qui pendet ex cingulo ad partem ſiniſtram, ac effigiem exhibet Agni immaculati, ceu moneat ſacrificij peragendi in altari, vbi Chriſtus verè eſt Agnus immaculatus. Cuius mentio eſt in ceremoniali Pontificio. Illius meminit Gemma Animæ cap.83.vbi ſubcingulum vocare.

Summo Pontifici conuenit.

Gemma Animæ.

STOLA.

MVlta nobis in Stola Angli argutant (vti libens phraſi Propertij) nec genus, nec formam veſtis, nec nomen ſeruare: & nouum quiddam & inſolens in ſacram ſupellectilem inducere. Concedo ijs primùm Stolam à Stoli, ex verbo Stelloniæ educi, & apud veteres talaris tunicæ genus fuiſſe; proprium fœminarum: nam vti virorum apud Romanos Toga; ita Stola Mulierum germanus habitus fuit: nec cum Sauſſayo committam vt credam Stolam pro veſte virili apud Ciceronem Philip.2.ſumi, quòd dicat loquens de Antonio. *Sumpſiſti virilem Togam, quam ſtatim Stolam reddidiſti:* nam hic certè locus & alter Petronij, quem adducit antitheſim elegantem,& dentatam continet ad muliebrem viris patientiam exprobrandam quæ meretricium more à moribus ſubigebantur. Vnde perinde eſt dicere. *Togam Stolam reddere*, ac dicere virum in fœminam frangi, & verti. Quare his maximè locis probatur Stolam muliebrem veſtem eſſe. Hinc Varro de lingua Latina: *Togam viro: Stolam mulieri* aſſignat. Quam matronale operimentum. Iſidorus in Origin. lib.19.cap.25. appellat Authore Vlpiano lib.23. de Auro & arg.leg.vbi ait Muliebria veſtimenta ſunt, quibus vir non facilè vti poteſt ſine vituperatione, vti Stola. Vnde *Togatus vir* apud Romanæ antiquitatis Scriptores, *Mulier Stolata*,& dicitur, & imagine expreſſa deſcribitur. Non idcircò nos tamen taxent Angli, quod non eam viris modò, ſed Sacris etiam miniſtris tribuamus: nam in diuinis litteris eo ſenſu Stolam reperimus, quæ Sacris viris conueniat. Geneſ.45.21. Ioſeph fratribus *iubet proferri Stolas binas*. Et Iſaia 63. *Iſte formoſus in Stola ſua*. Chriſtus dicitur. Et Eccleſiaſt.45. *Deus induit Aaron Stolam gloriæ*, & 16. cap. 50. Laudatur Simon *in accipiendo Stolam gloriæ*. Et 1.Machab. 10. *Induit ſe Ionathas Sto-*

Angli Stolam vellicant.

Stola Romanis quę veſtis?

Stola vox & veſtis Sacra.

Cicero. Petron.

Varro. Iſidor. Vlpian.

Geneſ. Iſaia. Eccleſ. Mach.

Stola Sancta. Luc. 15. Pater Prodigi dicit ad ſeruos. *Citò proferte ei Stolam primam.* Itaque Religioſè Stolam & ſumimus, & nuncupamus.

At *Formam*, inquiunt, *corrumpimus dum mutamus*. Stola enim vel Durando lib. 3. c. 5 teſte, *antiquitùs ſtola erat veſtis candida pertingens vſque ad veſtigia, qua Patriarchæ vtebantur ante legem, quam Primogeniti cum benedictionem Patris acciperent induebant, & Domino victimas, vt Pontifices offerebant. Sed poſtquam Alba cæpit portari, mutata eſt in torquem*; quod etiam fatentur alij cum Sauſſayo in Panopl. Igitur etſi non irreligioſè mutatum genus, certè forma temerè mutata. Verùm nihil ea reprehenſione Anglorum commouemur, à quibus cum totius Eccleſiæ forma ſit ſpecieſque deformata, adeovt vix illius in Anglia ſuperſit vmbra, iniquè tam exiguæ mutationis ratio exigitur. Quibus aptè reſpondemus cum tunica alba in locum Podèris antiqui, & ſtolæ ſucceſserit, oportuiſse vt ſtola aliam formam faciemque haberet: ac tunicæ ſic adijceretur, vt eam & ſtringeret, & ornaret. Quod placuit Eccleſiæ, quæ Mater cum ſit, ita Filios veſtiri voluit ſuos; & omnem cenſuram recentem antiquitate habitus occupat, & refutat. Et quidem ſtola in faſciæ formam deducta, & in collo ſupra Albam iniecta, indeque in vtrumquè latus demiſſa, mox ſuper pectus cancellata, ſibique mutuo amplexu commiſsa, & zona ad cincturam ligata, defluentibus venuſtè ex vtraque parte fimbriatis extremìtatibus paulum ſupra pedes extantibus egregium quoddam religioſi ornatus ſpecimen exhibet, quem habitum præſcribit Concil. Brachar. 3. c. 3. & notat Gauant. p. 2. tit. 19. num. 4. & Rubrica Miſſalis. Stola item rectè Orarium dicitur, ſiue quod faſcia illa oræ veſtis extremum orbem ambientis inſtar ſit; ſiue quod ea orantis, & concionantis perſonam, precantiſque cõmendat. Itaque vulgo Orarium, & ſtola pro eadem vſurpantur: vti in Ritu alium libris videre eſt. Etymologiæ Orarij rationem affert Alcuinus, & Rabanus, qui eum ſecutus ait: *Bene Oratoribus Chriſti Orarium conuenit*. Cum autem *orare* duo ſignificet, & *precari*, & *concionari*: ab vtroque deducunt Sacri Authores. A primo Beda Opuſc. de ſeptem Ordin. & Arcudius de Concord. Eccl. Occidental. & Oriental. l. 6. c. 10. & ſic in Euchologio Græco recens edito continetur. A ſecundo Concilium IV. Toletanum c. 59. & Alcuinus & Ra-

Margin notes: Duran. — *Refutatur obiectio.* — Sauſſ. — *Origo ſtolæ.* — *Geſtatio.* — Concil. Brach. Gauan. — Alcuin. Raban. — Beda Arcud. Euchol. — Concil. Tolet. — *Orariũ ſtola.*

Rabanus ſæpe citati. Nulla igitur eſt vbi antiquus eſt vſus, inſolentia. Deſinant Angli Cenſuræ, monſtrata antiquitate ſtolæ inſtar lintei oblongi formatæ. Eius idoneum argumentum eſt origo formæ, quæ ſumpta eſt ex linteis, quibus olim Martyrum ſanguinem excipiebant fideles, de quibus Bellarminus lib. 1. de Sanctor. Beatitud. & Goarius in notis ad miſſam S. Ioannis Chryſoſtomi, qui huiuſce ſtolę originis author eſt, & propterea citatur à Sauſsayo l. 5. c. 7. A quo etiam Goario illud habemus Apoſtolicam Stolæ inſtitutionem fuiſſe: ac pro ea citat Bulengerum & Gauantum. Quod ex hiſtorijs relatis à S. Antonino & Equilino Epiſcopo c. 7. & ex alijs varijs è monumentis depromptis probat accuratè c. 1. Sauſsayus. Ego vno exemplo domeſtico Anglos volo refellere; quibus ſua ſemper placuerunt: niſi quæ ad priſcam religionem attinent: ſed non idcirco abſtineam commemorare. Honorio III. Pontifice eius Pontificatus anno 8. Chriſti ann. 1222. inuentum fuiſse in Anglia corpus S. Birini Epiſcopi Dorceſtrienſis ab Honorio I. eò prædicationis gratia miſſi, quod poſt annos fermè ſexcentos integrum cum omni Epiſcopali Panoplia, in qua erat ſtola illa inſtar faſciæ ductę, repertum eſt, vti eius Acta teſtantur. Non dubito quin ſi hodie ſepulchrum ipſius aperiretur, nec corporis, nec Panoplię veſtigium vllum appareret, quòd Nouatores Angli totum amburerent, in cineresque redigerent. Adeo eorum inhumanitas, & ſitum, & putredinē ſuperat, vt quæ oſsa erodere iſta nō potuit ea illi adhibita flamma incenderint. *Repræſentat verò ſtola*, inquit Durandus, *ligaturam qua ligatus eſt Chriſtus ad columnam*. Ac perſeuerantiæ ſignum eſt, quæ firmitatem Pontificiæ dignitatis adumbrat. Sunt pleræque alię ſignificationes aptæ & germanę, quę ab Amalario Fortunato, & Honorio commemorantur. Ex quibus pręcipuæ habentur *Innocentia & iugum Chriſti*: quę maximè Summo Pontifici conueniunt, cui maius eſt onus imperij impoſitum, quod & portare patienter, & iuſtè gerere debet.

Marginalia: Bellar. Goar. — Sauſſ. Buleng. Gauan. S. Ant. Equil. — *Stola ſacra antiquitas.* — *Anglicano exẽplo probatur.* — Duran. — Amal. Fortun. Honor.

CASVLA SEV PLANETA.

Obiectio ab etymologia.

Maiore hanc odio proſequuntur Angli, quòd Sacerdotis propria eſt, & Miſsę ſacroſanctum officium propiùs attingit: adeò vt capitale ſit in Anglia eam retinere, & ſeruare. Illudunt

dunt

dunt genus veſtis, & nomen: & quì Caſula dicatur: & quomodo in planetam euadat, inquirunt; Caſa humili,& paſtoritia in ſidus & planetam tranſlata: imò & mutatum planetę genus è maſculo in fęmineum irrident: ceu degenerarit in Sacris Planeta; & in Caſula ſexum amiſerit. Odium Miſſę tollere minùs ex animo,quàm ignorantiam ex mente poſſumus: & ſi ignorare Anglis, vitium magis voluntatis, quàm mentis defectio ſit. Vtinam vti valent ingenio,ita & amore Religionis præſtarent. Facilè quod de Caſulę Ethymo obiectant refello, adducto loco Rabani Mauri *Caſula ſicut Caſa quędam alia omnia tegit,& complectitur.* Et Durandi teſtimonio, *Hæc*, inquit, *veſtis cuncta plana, & alia omnia indumenta intra ſe claudit, & continet.* Vicina eſt alia Ethymologia *Capſulæ*, quam probat Marianus Victorius Scholijs in epiſt. D.Hieronymi epiſt.4. ceu illa ſacra veſtis, quę omnibus ſuper inijcitur Capſulę inſtar & Arculæ ſit, qua cæteræ, imo & Sacerdos ipſe indutus cæteris includatur. Caſulæ tamen vocabulum receptum eſt,& celebratum, illoque Beda, Alcuinus, Vvalfridus, Iuo, Honorius delectantur, placetque Iſidoro ſuo de Origin. libro.

Raban. Duran. — *Refut atio.* — Mar. Victor. — *Quid caſula.* — Beda Iſidor.

An ea Planeta ſit, an alia? dubium fecere quidam authores noſtri. Imprimis Durantius vir doctus & grauis, qui prorſus negat l.2. de ritib. Eccleſ. Cathol. c.9. citato Lindano,& refutato Onuphrio. Sed omnino conſtans eſſe debet Caſulam, & Planetam eandem ſacram veſtem eſſe duobus nominibus appellatam. Idque perſpicuè tradit Iſidorus lib.19. Origin. c.24. & Beda in Collect. tit. de 7. ordinib.Rabanus Maurus, Iuo Carnotenſis, Petrus Bleſenſis, eoque paulò ſenior Hugo à S.Victore, probat Durandus, & recipit Ordo Romanus, & Innocentius Tertius lib.1.myſter.Miſſæ c.57.latèque ac eruditè oſtendit Sauſsayus in Panopl. l.6. c.8. & 9. & 11. Originem vocis incertam eſſe nonnulli item noſtrum voluere. Inter quos eſt Ioannes Baptiſta Domus Patricius Florentinus libello de vtraque Penula Pariſijs cuſo, qui repudiata Gręca apo tis planis latinam quaſi *plana* ſit eſſe contendit. Verùm Græcam eſſe communis authoritas perſuadet, quæ non ſolùm à verbo planiſtæ deducit, vnde Planeta Aſtrum deriuatur; ſed etiam rationem originis adducit, quòd *ſicut ſtellæ Planetæ, id eſt vagæ ſuo errore motuque diſcurrunt* ait Iſidorus, *ita Caſula*, inquit Durandus, *errore quodam errabunda altè ſuper*

Lindan. — *An diuerſa à Planeta?* — Iſidor. Beda. Hugo Vict. — Innoc. III. — Sauſſ. — *Quid Planeta.* — Iſidor. Duran.

brachia eleuatur. Seu quod totum corpus Sacerdotis nullo aſtricta vinculo oberret: quod aliæ certè veſtes non habent, quarum nulla eſt præter Caſulam, quę vinculo, nodoue aliquo non ligetur. Vnde non probo morem eam vittis adiectis circum ligandi, quem video hìc Romæ in nonnullis Eccleſijs ſeruari, me certè admirante, & improbante. Mutati generis ea ratio eſt, quòd cum aliud rei genus ſit, & quidem veſtis, mutari & accommodari ei fęmininum genus oportuit: in Eccleſia pręſertim quæ ſuam propriam ſupellectilem, & rerum & nominum habet. Nec id aut mirari, aut ſugillare debent Heterodoxi Angli, cum videant in cęlo Dracones, & Canes, & Vrſas, & Piſces, quæ retento nomine ſidera in ſuperis agunt, cùm apud nos in puluere, luto, & aqua voluntentur: niſi ſi qui nos taxant, Aegyptios imitantur, & cum ijs *Omnigenum Deum* monſtra, & Latratorem Anubim colunt, noſtra verò ſacra deteſtantur, ideoque Planetas nomine tenus, Caſulis noſtris obnubi indignantur, & beſtijs in bruta tellure ſordeſcentibus Planetarum, & Aſtrorum domicilia aſſignant, & cęleſtis ius Ciuitatis donant. Vnum miror Heterodoxos, cũ Plani ſint homines, Planetas noſtras vituperare, ac in in ijs ſaltem ſexum non amare.

Forma Caſulæ. *Nomen Planetæ.* Virgin. *Punguntur aduerſarij.*

Progredior. Huiuſmodi Caſula, ſeu Planeta veſtis Sacerdotalis antonomaſticòs dicta: quòd ea maximè Sacerdotis propria eſſet, eumque à Diaconis, Subdiaconiſque diſtingueret. Ita Petrus Bleſenſis appellat in Synodo ſerm. 41. & Marianus Victorinus comment. in Epitaph. Nepotiani ex Diui Hieronymi verbis deducit. Hac impoſita initiari Sacerdos & ſolebat, & ſolet, idque patet ex Toletano Concilio 4. & Ritualibus tum Romanis, tum externis, & in ius commune relatum 1. q. 13. *c. Epiſcopus Presbyter*. Eius Symbolum, & ſchema nuptialem illam apud Math. c. 22. veſtem fuiſſe tradit Durandus. Eius in ſacris vſum iam inde ab initijs Eccleſiæ celebratum, Petri, quæ hìc Romæ religioſè ſeruatur Caſula, teſtis eſt. Nec illa minus quæ olim in Cimelijs Baſilicę S. Petri de monte Pariſijs fuit, & antiquior Romana, vtpotè qua Petrus Antiochiæ ſacere ſolitus, inde Pariſios, quò multa inſignia monumenta ob dignitatem vrbis confluxere, tranſlata. Quam germanam eſse Petri *virtus quæ ex illa exijt*, teſtata eſt: cùm enim S. Hugo Cluniacenſis Abbas Lutetiam pietatis cauſa veniſſet, & in illam S. Petri Caſulam incidiſset, ac ex-

Marian. Victor. D. Hier. *Planeta quorum ſit.* Concil. Tolet. Ius Canonic. Duran. *Priſcus Caſulæ vſus.*

ac experiri miraculo vellet, an illa vera & germana Caſula Petri eſset(nec enim deerant qui ambigerent)ægrotum optauit cui admoueret, oblatoque ei Roberto qui inueterato laborabat morbo, illum admota Caſuſa repente ſanauit; & veteri traditioni miraculo fidem fecit. Quod Hugo Cluniacenſis eius ęqualis monachus luculenter ſcribit. De quo item Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis poſtea TuronenſisArchiepiſcopus in actis S.Hugonis commemorat. Quod etiamſi Caluinus Anglique cum eo Heterodoxi irrideant,non magis eòrnm ſannas curamus,quam eorum qui Crucis ab Helena inuentæ miraculum illudunt. Eadem quippè impietate & Crucem Chriſti, & Caſulam Petri Hęretici proſequuntur. Huiuſmodi Sacram Planetæ antiquitatem ſummorum priſcæ illius ætatis Pontificum Sacerdotalibus inſignium veſtibus effigies, quarum hic Romæ magnam videmus copiam demonſtrant, quas caries ipſa ſituſque commendat. Eas tamen quòd Heterodoxi negant, qui cultum ſanctarum imaginum nouitatis accuſant, volo alio argumento quod non refellant confirmare *Auri* apud eos omni ſacramento ſacratioris ob ſacram illius famem. Itaque numiſma ijs Theodoſij Senioris Imperatoris à Baronio tom.4. acceptum obijcio, in quo cuſæ ſpectantur imagines SS. Apoſtolorum Ioannis & Philippi Sacerdotali habitu cum Planetis quorum ipſe ope & auſpicijs victoriam de Eugenio reportauerat. Antiquitas numiſmatis omnem ſuſpicionem nouitatis extinguit;& fides numi Theodoreti lib. 5. hiſt. c. 24. id viſum Theodoſij narrantis fidem confirmat. Certè huiuſce veſtis Sacerdotalis dignitatem Virgo Dei Mater perinde ad ſe propiùs attingeret, quæ Chriſtum in vtero, ceu Caſula virginea incluſum geſtauit,manibus ſuis puriſſimis conſecrauit, voluitque quaſi in cœleſti Gynæceo textas è Sacrario Olympi educere, & Sanctiſſimis Pontificibus dono afferre. Et quoniam tria præcipua regna erant in quibus Catholica ſplendebat Religio in eorum ſingulis ſuę monumentum magnificentiæ collocauit. In Hiſpania apud Ildefonſum Toletanum, in Gallia apud Bonitum Aruernenſem, in Anglia apud Thomam Cantuarienſem Antiſtitem, quos manibus ſuis Caſula veſtiuit. Pudeat Anglos obliuionis, ac perfidiæ ſuæ, quòd cæteris nationibus Beatiſſimæ Virginis munera ſeruantibus,ipſi & munus & fidem perdiderint.

Miraculum Caſulæ S.Petri Pariſijs.

Hugo Cluniac

Hidelb. Epiſc.

Viſio Theodoſij Senioris

Ba.on.

Theod.

Ex B. Virginis Mariæ apparitionibus probatur Caſulæ dignitas

Pro Coronide moneo Caſulam & Crucem Chriſti,& purpureum veſtimentum referre: & charitatem ex virtutibus, grctiam ex donis ſignificare, quas Summus Pontifex & habere,& præſtare oportet. Quod autem Crux & Purpura ignominiæ cùm fuerint inſtrumenta in ornamenta honoris vertantur,illa nimirum eſt cauſa. Quod *Chriſtus*, vt inquit Leo ſerm.2.de Aſcenſ. Domini *ſua morte promeruit vt infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem,& contumelia verteretur in gloriam*, quod & Innocentius Tertius Pontifex expendit l.2. Myſt. Miſſ. c. 42. cum Ruperto lib. 1. de Diuin. Offic. c.21. Leo. Innoc. Ruper.

CAPPA, SEV PLVVIALE.

Vltima hæc eſto: non quòd Caſulam Planetamque ſequatur: cùm hęc Sacerdotis ornatum abſoluat: ſed quòd extraordinaria ſit, & Sacris ceu cumulus accedat. Speciosior illa & ornatior quàm ſacratior; nam vti apparatu, & pompa Caſulam vincit, ita in Religionis vſibus Caſulæ cedit. *Cappa* nomine minus latino,& *Pluuiale* minus proprio dicitur, quòd eum nouum veſtis genus ſit vſitato vocabulo appellari non debuit. Illam deſcribit Rupertus de Diuin.Offic.lib.3. c.24. A monachis origo: quod indicat proiectus in tergum caputij, quod Magrus in ſua notitia obſeruat: qui autor item eſt inſigne illud in Monachorum gloriam redundare: cùm ij plura ſæcula Eccleſiam Dei ſumma cum gloria gubernarint: atque adeo Eccleſia Monachali habitu voluerit gloriari. Notant in ea Heterodoxi ambitionem & pompam. Irrident formam rotundam & circinatam, orbem lacinioſum, fimbrias deſfluentes, oram prætextatam, limbum laſciuientem; exomidem procacem, bullas dependentes, fibulam auro dentatam, ambitum luxuriantem, vncinorum vnguiculos, globulorum nodulos, inſutum aurum, vinctas vniones, & rigidam in mollitie veſtis gemmarum aſperitatem. Quid ſi viderent malo grauata intexta, & tintinnabula appenſa Iudaicos *Mimos* appellarent. At illa noſtram Cappam ſonitu prouocabant. Eccleſiam decet, quæ Regina eſt in veſtitu deaurato circumdata varietate. Pluuiale illud inuidiæ ignes extinguit. Glorioſam Chriſti perſonam agit Pontifex cum veſtem illam ſibi circumdat; & ſolem auro, & niuem margaritis adumbrat. Certè illam Cappam celebrauit

Pluuialis vſus. Ruper. Magr. *Deſcriptio.*

Lantfrãcus. brauit antiquitas, authore magno Cantuarẽſi Lantfranco epiſtol. 15. Gallia ſub Clodoueo II. & Roberto Rege pluuialia inter lilia ſua rorare vnionibus vidit. Eaque Rex ipſe Robertus inſtar Dauidis indutus ſacris miniſtrabat. Hoc munere pietas Gallicana Pontifices donabat ante annos quingentos. Quid? quod in Theſauro Eccleſiæ Cappæ olim ſeruari ſolitæ, & inde extrahi ad ſolemnia extra ſacrificium Miſſæ celebranda. Illa nimirum pompa, illa maieſtas Sacerdotem Magnum, qui penetrauit cęlos, & in ſucceſſoribus ſpirat, decet, decebitque. Hic eſt habitus Eccleſiam conſecrantis, qui ſponſæ vxoris Agni ornatui reſpondeat, quæ *noua Hieruſalem deſcendit de cælo à Deo parata*. Hoc pluuiale ſolem laceſſit pretioſis nimbis, & fulgurat auro radiato, & oculos Heterodoxorum lumine gemmato præſtringit. Chriſti reſurgentis & aſcendentis gloriam refert, iam in tuto vltra arenam & aciem locati, ad dexteram Patris ſedentis, ſpectantis, ſpectandique potius, quàm pugnantis, & oppugnandi: futuramque Beatitatem ſignificat, quam Deus *amictus lumine ſicut veſtimento* excutit, ac diffundit. Quare neceſſe eſt vt Summus Pontifex cum eius gloriæ ſymbolum gerit, *veſtimento ſicut lumine amictus* reſplendeat. Et quidem Romani Pontificis Pluuiale eo à communi diſtinguitur, quod longiſsimum tractum poſt ſe relinquit inſtar ſyrmatis à reliquo veſtis corpore recedentem: atque adeo neceſſe ſit illum ne defluat, ac ſolum verrat ab aliquo ponè ſequente colligi & attolli: qui Sacerdos non ſit, ac primarius vir ſit. Addenda Pluuiali aliud proprium Papæ ornamentum vulgò Fauon, ſeu Fanon cuius opinor, meminit Concilium Rhemenſe apud Garrerium. In Ceremoniale verò Romano ſignificat velamen quoddam ſubtile phrygij operis è candido aureis virgis intercurrentibus variatum more exomidis à vertice in humeros deiectũ, & in orbem expanſum; duplicato tegmine, quorum vnum ſubtus tuniculam conditur, alterum ſupra Planetam eminet, quod ab Innocentio Tertio Orale dicitur, & autore Durando cap. 9. lib. 3. ſuper illud Mitra, & Regnum imponi ſolet. Hęc ego curſim, & ieiunè de veſtibus Sacris occaſione Pontificij habitus diſſerui contra Anglorum obiecta, latiùs de his cum de Inſtitutis & Moribus Romanæ Eccleſiæ aduerſus eorundẽ, & Caluini, Petrique Molinæi calumnias diſputaro.

Gallorum Regum pietas.

Apocal. 21.

Significatio.

Deſcriptio Pluuialis.

Fauon ſiue Fanon.

Geſtatio eiuſdem.

CAPVT III.

De Mitra, Tiara, Chamauro, & Regno Pontificio diſceptatio.

ETſi Mitra commune Patriarcharum, Archiepiſcoporũ, & Epiſcoporum geſtamen capitis ſit, quòd illa quondam Pontifices ſola ſimplicique fermè ad Innocentium vſque Tertium vſi ſunt, & hodie ſæpe vtuntur, propria de illa inſtitui debuit disceptatio. *Mitræ acceptio,* Latiſſimè patere Mitræ ſignificatum tum Græcòrum, tum Latinorùm complurium Scriptorum lectione comperi. Fons apud Perſas eſt nobili origine in antro ſiue *ſpelæo*, teſte Teriulliano lib. de Corona militis, caſtriſque tenebrarum ortus, in Solis quem Mithram Perſæ vocant vertice, inſtar leonis crinita iubarum tiarà coronato, cuius leonina *P*lanetæ, manibus Tauri cornua comprimentis effigies à Zoroaſtre Rege antiquiſſimo dedicata, vti *P*orphyrius ad lib. 13. Homeri, Gyraldus, & Lutatius in Statium referunt. *Tertull.* *Porph. Girald. Lutat.* Vnde ad Tiaram mitræ nomen deductũ: paulùm tamen hoc eſt dempta aſpiratione mutatum. Ab hoc fonte varia ſignificationum facta diuortia Græcæ & Latinæ eloquentię campos fæcundarunt. Sed vti in capite natum eſt vocabulum, ita capitale ſignificatũ intra caput manſit. Quare Mitra ornamentum capitis fuit. *I*am pileus incuruus: iam ſtrophium, ſeu corona puellarũ phyliris hinc inde pendentibus, quæ Redimicula Virgilius appellauit. *Virgil.* Demum Tiara, qua Pontifices vtuntur: quæ authore Eucherio *P*ileus è byſſo quidam eſt *Mitra* dicta. Vnde teſte *P*ierio Galeri, ſeu redimiculi genus quod *Titulum*, vel *Tytulum* vocant *Mitra* vocatur. *Pierius.* *Vbi geſtata.* *Vtrumque*, ait idem *P*ierius, *ornamentum hoc Capitis, vt Hieroſolymitanus Hesychius interpretatur, Sapientiæ ſignum eſt, propterea quod in Capite cerebrum Sapientiæ habet.* Ex quo liquidò apparet Mitram propriè in caput quadrare. Verùm quòd illa faſcias quaſdam, vti proximè dixi, pendulas habebat, Faſcias item, vittaſque ſignificat: in quo ſenſu ad medicinalem vſum Cornelius Celſus tranſtulit, & pro ligamine faſciaque qua vulnus obducitur, poſuit. *Cornel. Celſus.* Hinc ad zonam extenſa ſignificatio: ſumitur quippè interdum teſte Cælio Rhodigino pro zona, quam parentes primùm ſoluebant, & Dianę *Celius Rhodig.*

conſe-

conſecrabant; ex quo illud numen *liſizoin* appellabant. Sunt qui pro zona virginali ſumant loco Græci Scholiaſtę in Apollonium ducti, qui Mitram vertit zonulam illam, quam maritus ſponſæ nuptiarum prima nocte ſoluebat; ſed inſolentiùs id puto, quàm vt Latinis hominibus liceat, quemadmodum latinè dici poſſe non reor *Mitram Virgini ſoluere*, pro violare Virginem. Nam vt Mitra zonam, quod ægrè admitto, ſignificet certè ineptè ad vim Virgini factam trahitur, cum zonã ſoluere ſolemnis ſit connubij phraſis, atque adeo iniuriam & vim excludat. Quare zonam ſoluere Virgini, pro vitium offerre Virgini rectè dici poſſe negarim, nedum Mitram ſoluere phraſi propè inſolenti. Certè id aures meæ teretes, & religioſę latinis authoribus aſſuetæ ferre non poſſunt: cùm præſertim videam rarò à Capite Mitram auelli; eique fermè à Latinis addici. Itaque Mitra apud Suidam anadeſmis Kephalis vinculum ſeu redimiculum capitis dicitur: & confirmatur l.28. ff. de argento & auro legato, ipſo eruditiſſimo interprete Briſſonio: nec extra caput aberrare ſignificatum patitur Dempſterus in Roſinum, cuius cùm ſit multiplex ſuper illo vocabulo & varia eruditio, omnis ea intra vnius capitis circulum continetur. Obſeruat autem hic ex Heſychio, Dydimo, & Mecorſio Mitram & Sacerdotum & Militum & Virginum capitis geſtamen fuiſſe. Regum item eſſe, & Cælius, & Pierius, & Pamelius, & Dempſterus quoque ipſi demonſtrant. In ſacris verò noſtris inſigne Epiſcopalis capitis geſtamen eſt; & ab Euſebio lib.10. c.4. *Cæleſtis gloriæ Corona* appellatur. *Petalon* is l.2. dicit, ſeu *laminam*, quod ab ea quam in fronte Aaron, & cæteri ab eo Pontifices geſtarunt duxit originem; vti obſeruat Ioſephus Stephanus lib. de Coronat. Pontificis. At Mitra nec formam Petali ſeruauit, nec locum retinuit, cum caput obnubat, & ambiat, & turgeſcens orbem quemdam in imo firmet, qui in cornua ad medium ſe effundat; deinde educto cono in apicem acutum deſinat: lemniſcis hinc inde pendentibus, & in humeros reiectis, elegantia certè, ſpecieque ſingulari. Propter eam figuram Galea in Romano Pontificali, teſte Sauſsayo, dicitur adducto loco Sugerij, vbi elegans deſcriptio Mitræ Innocentij II. continetur, in qua illa Galea appellatur. Ea Pontificiæ dignitatis & officij ſignum eſt authore Innocentio Tertio ſerm. 1. de Beato Sylueſtro, vbi ait: *Pontifex in ſignum Imperij vtitur Re-*

Schol. Græc. — *Mitra an ſit Zona.* — Suid. — *Ornamentum capitis mitra* — Dempſ. — Heſych. Didym. Mecor. — *Quorum eſſet mitra?* — Euſeb — Ioſeph Steph. — Sauſſ. — *Eius deſcriptio.* — Suger. — *Mitra dicta Galea.*

gno, in ſignum Pontificis vtitur Mitra. De Regno poſtea agemus. Idcircò Pontifex *Mitra ſemper & vbique vtitur, quia Pontificalis authoritas eſt prior & dignior & diffuſior, quam Imperialis*. Phrygium, aiunt proprio nomine appellatam retenta priſca, & prophana origine. Nam Mitra Phrygum inſigne fuiſſe teſtis eſt Rutuli ad Troianos lib. 9. exprobratio. Inn.III. Virgil.

Phrygium quid?

Et tunicæ manicas & habent redimicula Mitræ.

Lydorum etiam fuit, quod probat Dempſterus. Quod autem ſcribunt Authores Mitram à Conſtantino inter cætera ornamenta Syluestro donatam, nomine Phrygium appellatam: id ego non de Mitra Pontificum propria, quam in Eccleſia ſemper in vſu fuiſſe exiſtimo; ſed de Corona, ideſt Regno intelligendum affirmo. Etſi ſint, qui dicant vtramque donum Conſtantini fuiſſe. Poteſt autem vtrumque ita conciliari, vt Conſtantinus Mitram iam vſitatam ornatiorem donauerit, in qua ſolus ornatus donum eſſet: Regnum verò ideſt Tiaram, ſiue Coronam, ſiue Regnum de nouo, & inſtituerit pro Syluestro, & dederit. Niſi fortè maluerimus dicere Sylueſtrum, quòd nollet Coronam geſtare mitra relicta, voluiſſe hanc illa vitta aurea in orbem circumducta cingere, & inſignire, vt diadematis ſpeciem haberet; atque adeò diademàtam Tiaram reddere, ac mitræ loco geſtare. Sed hac de re poſtea accuratiùs diſſeremus. Nunc idoneum Authorem Angelum Roccam, Camertem, Epiſcopum in ſuo libello Scholiorum eruditiſſimo audiamus. Igitur in Commentarijs ſuper deſcriptionem Imaginis S. Gregorij Papæ à Ioanne Diacono lib. 4. cap. 84. factam ſic ſcribit. *Hoc loco S. Gregorium nudo capite effingendum curaui, quia non ſolum in Ædicula Sancti Andreæ, verum etiam à Ioanne Diacono ſcriptore accuratiſſimo ita deſcriptam inueni; etiamſi iam inde à Sylueſtro Papa huius nominis primo Inſulam, vel mitram Epiſcopalem, necnon Tiaram quam Cidarim, vel diadema, vel Coronam, & Regnum vocant, fuiſſe conſtet. Hæ namque Mitra ſcilicet per quam ſpiritualis authoritas; ac Tiara ſiue Corona per quam temporalis poteſtas ſignificantur teſte Innocent. III. ſerm. 3. de Conſecrat. Pontific. Max. B. Sylueſtro datæ ſunt, vt in prima parte Decreti diſt. 96. cap. 14. & apud Theodorum Balſam. in Nomocan. Photij tit. 8. cap. 1. videre licet. Hanc Platina in B. Sylueſtri vita de huius generis conceſſione ac donatione luculentiſſimam facit mentionem.* Hic omnino author eſt: duplex illud geſtamen, Mitram, & Regnum à Con-

Demp. Angelus Rocca. Inn. III. Theod. Balſam. Platina.

Quodnã fuerit phrygium à Conſtantino donatum Sylueſtro.

De Mitra & Corona Pontificia Angeli Roccæ ſententia.

à Conſtantino Pontifici Syluestro donatum fuiſſe. Et quidem ambiguum maximè donationis genus hoc reddit explicatio adiecta dono quam affert Ioſephus Stephanus, & nos breuiter ſupra adduximus. Quam inopia typorum Græcorum Latinè repræſentamus. *Similiter & Phrygium, nempe tegmen Capitis, ſiue mitram, atque ſuperhumerale, nempè illud quod Imperatoris collum ſolet circuminduere*. Quæ ſi vera eſt, non corona ex auro propria Conſtantini, ſed Pileus, ſeu mitra, cuiuſmodi Pontificis geſtare ſolent, Syluestro donata. Huic ego acquieſcerem ſententiæ, niſi inuenirem apud Innocent. III. hoc quod adſcribo teſtimonium. *Conſtantinus ſecedens Byzantium Coronam Capitis ſui voluit Syluestro conferre: ſed ipſe pro reuerentia Clericalis Coronæ, vel humilitatis cauſa noluit eam portare, verum tamen pro Diademate Regio vtitur Auriphrygio circulari*. In quo aliud prorſus donum fuiſſe Coronam datam à Mitra credimus, adeoque diuerſum, vt Syluester eo noluerit vti, quod minus Clericalem ordinem decere videretur. Quæ eſt mens expreſſa Innocentij, & ſententia Ioſephi Stephani, quam nos hic difficultatem indeciſam relinquimus, proximè ea de Corona ſeu Regno, ideſt Tiara terno diademate cincta diſſertatione decidendam. Nunc ad Syluestri Mitram Pontificiam accedamus. Et Angelum Roccam citemus. *De Mitra*, inquit, *qua vſus eſt B. Syluester in Eugenij IV: vita idem Platina loquitur in hunc modum. Eugenius S. Syluestri Mitram Romam Auenione delatam, ipſemet è Vaticano ad Lateranum detulit. Hæc Platina, nunc autem medietas eiuſdem Mitræ Beati Syluestri ad S. Martinum in Montibus inter reliquias cuſtoditur.* Cuſtodiri adhuc, ego author ſum, qui in Sacrario monſtrante Reuerendiſſimo P. Antonio Philippino Generali Carmelitano, & eiuſdem Cænobij Præpoſito illam curioſè inſpexi, & accuratè recognoui, cumque iam antea legiſſem Angelum Roccam, lecta cum viſis conferens comperi eius de Mitra teſtimonium verum prorſus eſſe: quod eſt huiuſmodi. *Medietas verò Mitræ B. Syluestri holoſerica non villoſa viridis coloris eſt, in qua Beatę Mariæ ſemper Virginis Imago Filium in gremio geſtantis acu (rudi tamen arte) picta cernitur puerulis alatis, ac Stellulis circumſepta*. Id ego ſanè affirmo adijciens, quod deeſt. Dimidium illud mitrę cornua habere obtuſiora, & conum depreſſiorem, quàm noſtrates & vulgares: & à ſummo ad imum vitta aurea per medium diſtingui, & altera item

Inn. III

Corona Imperialis donata Syluestro à Conſtantino.

Rocca.

Authoris diligentia.

Philip.

aurea inferiorem partem in Orbem circumdari, quæ propriè Auriphrygium opinor eſt. Cuius exacta in libello de veteri illa & noua Sancti Martini Eccleſia, eiuſque monumentis ab eodem Philippino vernacula lingua excuſo deſcriptio habetur. Eam verò donum Conſtantini fuiſſe certè non conſtat: nec verò mihi perſuadere poſſum mitram ab eo, non Coronam donatam, cum is Imperij ſui ornamenta donauerit; cuiuſmodi eſſe debuit Corona potiùs quàm Mitra, quamuis aliàs Mitra Corona appelletur. Cuius antiquiſſimum in Eccleſia vſum fuiſſe ex ſequenti ſeculo apparet: nam de Mitra ſua loquitur Nazianzenus in Apologet. & de Mitra S. Ambroſij Ennodius in ſuo Epigram. 77. commemorat. Mitram vero S. Auguſtini gloriatur ſe habere Valentina vrbs in Hiſpania, quæ è ſerico cærulei coloris, & aureò circulo ambiente conſtat. Mitram item Cyrillo à Celeſtino Papa miſſam narrat Nicephor. lib. 12. de Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 34.

Eccleſia Sancti Martini de Montibus.

Mitra Nazianzeni.

Mitra Ambroſij.

Mitra Auguſtini.

Nazian. Ennod.

Niceph.

Verùm Mitram mitiùs ferunt Heterodoxi recẽtiores Angli; fortè quòd ſuorum Regum Corona & humilior, & ſimplicior eſt: & quòd recens adhuc apud eos memoria Mitrarum Epiſcopalium calet, quarum formam ab Auis Atauiſq; acceperint. Sed Tiaram illam Pontificiam turritam, & turbinatã triplici corona aurea in orbem ſuis interuallis relictis cinctam, quam Regnum ſiue Chamaurum appellamus, nullatenus patiuntur. Aiunt turbinem vento ſuperbiæ inflatum eſſe, turrim inſanam, vnde arrogantia tonet, & fulminet. Regnum illud Tyrannidis domicilium præ ſe ferre, ac exitium Coronarum. Chamaurum Chimęra horribiliorem flammam ex illo auro tartaream euomere; & Regum Diademata deuorare: intorqueri in eam à Tarpeia Rupe Fulmen deſiderant, vt partim in fauillas abeat; partim in cineres ſubſidat. Ego eos ſi quà poſſim mitigare volo, & rationibus idoneis ad manſuetudinem reducere. Quid indignantur? quid fremunt? nihil eſt in hac Pontificia Tiara graue, atrox, horribile præter illud quod formant ſpectrum Pontificis. Hæc & odij, & iræ cauſa. Apud eos hęc vna mali labes: quidquid in eo ſit horrorem affert, dummodo ſplendorem, ac gloriam præ ſe ferat. Nam ſi pænarum inſtrumenta eſſent, placerent Heterodoxis, qui ſi aut Vnco tractum, aut Cruci afflixum, aut ſecuri ſubiectum viderent Pontificem mirè gauderent. Expendant ſeriò rationes irarum. An ſtomachum mouet forma Tiaræ?

Scommata Heterodoxorum in Coronam Papalem.

An

An copia coronarum? An nomen Regni & Chamauri? Omnia delicatus eorum ſtomachus faſtidit. Certè formam non poteſt reſpuere quam ſciunt in Berecynthiæ capite turritis apicibus expreſſam; nec eo inſolentem, cum intra Telluris terminos faſtigiatus ille vertex remaneret. An non meminerunt ſe legere in monumentis Romanorum Coronas murales & Roſtratas, ſimiles, pareſque formas habuiſſe? Et alias Regum Macedonum, Perſarum, Parthorumque Diadematum figuras fuiſſe. Certè longè diuerſum eſt Turcarum Imperatorum, Germanorumque Capitis inſigne: nec Regum noſtrorum, Coronæ non ab Imperatoria diſtinguuntur. At turrita eſſe non debuit. Immò debuit Romæ in Arce, & capite Orbis, vbi Princeps terrarum orbis populus habitat ad Sancti Petri, qui Petra Eccleſiæ & fundamentum eſt; & in Eccleſia quæ tota murus ac Turris contra Tartareos hoſtes erecta, quæ quòd Mater eſt, Berecynthiam imitatur, & cum ea in terris poſita. *Sydera vertice tangit*. Quid? quod Zonulata Pontificis Synagogæ Frons, exertis apertiſque cornibus inuidiam omnem Romani Capitis ventilat ac diſſipat? Certè non ſinam deijci turritum iſtum apicem, niſi prius Solem illum circularem de vertice Latini Regis decutiant.

Vtnuſta refutatio Anglicanæ calumnia.

Defenditur Corona Pontificia.

Virgil. lib 12.

Cui tempora circum
Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt
Solis Aui ſpecimen.

Dum ſol ille ſteterit, & Arx Romana, excelſa in fronte manebit. Ne igitur ea figura turbentur: cum nec inſolens ſit, nec inepta. At reijciunt numerum, & copiam Coronarum. Immeritò: nam Sacer imprimis numerus eſt, quòd ternarius ſit, quem ne prophani quidem abominantur. Si Sacer eſt Pontificatus, cur eo numero non vtetur? nolunt ij Sacrum eſſe; nos qui volumus numerum ferimus; & odimus prophanum vulgus, & arcemus. Iam verò ne vna Corona capiti illi ſufficiat multiplex ratio ſuadet, quas ſuis locis adducemus. Tres tamen ij ſuperuacaneas dicunt, & vnam ſatis eſſe clamant. Ergo ſi quis Olympionice in Grçcia, ſi quis Triumphator Romæ plures adoreas laureaſue adeptus ijs ornatus in lucem prodiret ad Tartarum relegandus eſſet, quò Alcides vnica tantùm corona inſignis intrauit: & vnde iterum vna & eadem coronatus redijt. Mirum quòd non triplicem ob trifaucem Cerberum reportauit? Sed in inferis mutatus color, non

Exempla veterum Coronarum.

non multiplicatus numerus innuit ſuperis id licere, apud quos tamen Cerberos experimur, qui latratu triſauci triplicem Coronam impugnent. Vnum, aiunt, Caput vnica decet Corona: plures non quadrant, niſi in plura capita. In Geryonem ergo quadrarent; Herylumue: quorum nos ſimilem Papam eſſe nolumus, qui vnius Eccleſiæ caput eſt, & Chriſtum repræſentat. Vt idonea illa ratio ſit, præcidant digitos vxorum ſuarum, quòd plures annulos ſinguli ferant, cum vni digito vnicus tantum conueniat. Seuerus erat ille ad quem Martialis ſcripſit Stellam Poetam.

Bella ex litteris humanioribus deprompta ratiocinatio.

Mart.

> *Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Iaſpidas vno,*
> *Portare articulo.*

Nec tamen Seuerum ſe Cenſorem exhibuit: nec Stellæ ob id radijs detraxit, tenebraſue atro calculo addito offudit. Certè tenerior eſt articulus, nec eo numero annullorum obruitur, qui quod circuli ſint coronas imitantur. Humana tamen ſunt iſta, & ego humanos Anglos exiſtimo, & perhumaniter iſta laturos. Sacra nihilominus profero. Quomodo vnum rationale duodecim gemmas, & vnius Pontificiæ veſtis ora tot mala granata & tintinnabula ſuſtinebat? & in vno Podère totus erat intextus orbis terrarum? quì vnius vola manus ſimilis ille Filij hominis Apocal. 1. Stellas ſeptem præferebat? nec in eam inuolant aduerſarij, quòd tot ſidera vnus pugillus capiat. Faciliùs ne eſt duodecim ſtellas in coronam plecti, & à femina in capite portari, quàm vnum diadema tribus circulis aureis redimitum ab homine geri? nec illud nutabat caput, nec nutabit iſtud, niſi prius fides deſtituat mentes. Hinc vitium: quod cordium eſt incredulorum, non capitum Pontificum. Nam ille Fidelis, & verax Apocal. 19. *In capite Diademata multa* geſtabat: ad erudiendos Fideles ne ambigerent de numero coronarum: inter quos ſi cenſeri Angli vellent, quem viderent in Chriſti Seruatoris capite conſecrari, in eius Vicarij vertice non damnarent. Quod ſi negant Caput Pontificis tot coronas ferre poſſe, cur affirmant ſimilem eum eſſe illi Beſtiæ Apocalypticæ habenti capita ſeptem & cornua decem? & ſuper cornua decem diademata? Certè nec cum vno collo tot capita; nec cum ſepteno numero decem cornua conueniunt, & quæ ſingulis cornibus, diademata inſeruntur, tantum pondus habent, vt ægrè poſſint à minore capitum numero, & vix ab vno collo ſuſtineri. Sed quod illam beſtiæ ima-

Numerus coronarum aſſeritur.

Sacrarũ litterarum exemplum.

Apoc.

Idonea & arguta confutatio.

imaginem Papæ effingunt, ad ignominiam omnia deuorant, vt illum infament: & qui faſtidiunt triplicem coronam ad ſplendorem & gloriam; recipiunt tot cornua ad dedecus, & infamiam. Nec pudet eos inepti argumenti. Vnum caput trium Coronarum capax non eſſe: cum par eſſe affirment tot cornuum oneri, tot ponderi Coronarum. Sed bene eſt, malunt vt Pontifex Antichriſtus ſit, & cornibus eum & coronis opprimunt, quàm vt ſit Chriſti Vicarius, & à nobis iuſtis & idoneis diadematis coronetur. Ferant igitur quod illi præ odio ad inuidiam effingunt; id nos præ amore iure nixo ad gloriam Pontificis tribuamus. Id profectò confirmamus: Si viderent ſpineis coronis redimiri Papam eos concurſuros, & vndique in eum eas congeſturos, & ne caderent capiti infixuros. Sed id tortores & impij in Chriſtum moriturum egerunt, quos illi imitari malunt, quam eos qui poſt eius mortem in Apocalypſi aurea & ſidera diademata contulerunt. *Argutatio lepida.*

Tertium in hanc Tiaram inſurgunt, quod Regnum, & Chamaurus nominetur. Non putabam eos Nominalium de Schola eſſe, quos quia ſunt Philoſophi inſectantur; nec tantoperè vocibus commoueri. Certè non in eo fortunas Eccleſiæ, aut Pontificis poſitas eſſe putamus, hoc ne, an illo vocabulo Tiara illa Papalis appelletur? Itaque illud Papæ Regnũ, aut Chamaurus Tiara eſt Pontificia, eamque ſignificat, quemadmodum à Pontificibus geſtatur. At ſi Tiara, coronas habere non debuit, non enim Mitram Corona decet. Nego qui reperiam in Sacris litteris Eccleſiaſt. 45. num. 14. *Coronam auream ſuper mitram eius*, in capite Aaronis, quòd ſi illa Regnũ diceretur, non ineptum ducerem. Multò minus certè ducam ineptum nomen Regni in Tiara Pontificia cum Pontifex iuriſdictionem exerceat ſecularem, atque adeò etſi Rex non ſit: imperet tamen Regia quadam poteſtate. Verùm ab initio Papæ, nec imperarunt, nec Regnum in capite geſtarunt: nec Chriſtus Dominus ab infantia imperauit, nec imperij inſignia geſſit. Excitatus ab inferis datam ſibi omnem poteſtatem in Cœlo, & in terra affirmauit, & coronam in Apocalypſi cap. 19. multiplicem accepit, & geſſit, *& Rex Regum & Dominantium* voluit appellari. Chamaurus nomen eſt vulgare, quaſi *flamma auri, aut Auriflammeum* quod Gallicum ſonat: nec abſurdè à Gallis deſumptum, cum ab eorum primo Rege Catholico Clodoueo corona ſit Regia Pontifici Romano

Defenditur nomen Coronæ Papalis. — Eccleſ. — *Idoneũ exemplum.* — Apoc. — *Aliud aptum*

mano dono miſſa, vti infra ſuo loco memorabimus. Accedamus propiùs, & huiuſce Tiarę fontes inquiramus.

Ac primùm quid huiuſmodi Tiara ſupra Mitram addat videamus. Id autem expreſſit Guilielmus Durandus Præſul Mimatenſis in ſuo Rationali lib. 3. cap. 13. *Romanus Pontifex in ſignum Imperij vtitur Regno, ideſt Corona Imperiali; & in ſignum Pontificis vtitur Mitra. Sed Mitra ſemper vtitur, Regno vero non ſemper, nec vbique.* Cui magnum authoritatis pondus adijcit Innocentij III. ſententia. *In ſignum*, inquit ſer. 3. de Coronat. Pontific. *Spiritualium, contulit mihi Mitram: in ſignum temporalium, dedit mihi coronam: Mitram pro Sacerdotio, Coronam pro Regno, illius me conſtituens in Vicarium, qui habet in veſtimento & ſemore ſuo ſcriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium*: ex quo rem deſumpſit Durandus. Immò & verba Durandi quæ retuli, Innocentij ſunt, à quo eſt ille Canon tranſcriptus. Eam Raynaudus Onomaſt. Fructu 1. ſubnot. 3. vocat textum è tribus Coronis alia ſuper aliam cumulata. Hieroglyphicũ rectè vocat, quia vſurpata ad ſignificationem myſticam: de qua multi ſunt noſtri Authores, quos fortaſſe irridebunt Angli: qui tamen amant Symbola, & emblemmata, & in Regiæ Faſciæ, quam Iarreteram dicunt, ſtemmate domeſticum Hieroglyphicum habent ad amorem, & vrbanitatem comparatum. Ego autem qui ſeriò de hac re diſputare volo, teretemque ac religioſum calamum habeo, priùs originem & rationem huiuſce Coronæ inquiram, deinde cauſas & ſignificationes myſticas indagabo.

Guiliel. Duran.

Diſtinctio mitræ, & Regni.

Inn. III.

Teop. Rayn.

Significatio Coronæ Regni.

Igitur Coronarum vſus ſolemnis apud veteres fuit, tum Sacros, tum prophanos: earumque forma varia, multiplexque; nec omnia earum genera recenſere opus eſt: cum à propoſito alienum ſit. Ac vt omittam priuatas, de quibus multa Tertullianus de Corona militis. Regum id inſigne capitis, ac Triumphantium, ac imprimis Deorum fuit. Regum tam erat propria, vt apud Perſas capitale fuiſſet priuato cuique capiti illam ſuo imponere. Quod obſeruat Dion Chryſoſtomus orat. de libert. & ſeruit. Vnde eſt illud in Plutarcho Alexandri Magni exemplum; cui cum Corona in flumen cecidiſſet, eamque inſignis quidam vrinator è fundo extraxiſſet, atque ad eum natans attuliſſet, quòd eam inter natandum capiti impoſuiſſet, mortis eſt ab Alexandro damnatus. Iam verò Triumphantes & lauream Coronam geſtaſſe, & auream

Origo Coronarum.

Tertul.

Dio. Plutar.

Numerus.

auro

auro radiatam lemniſcis ex auri bractea confectis pendenti-
Tertull. bus author eſt Tertull. ac *Plinius* lib. 21. cap. 3. Zonaras verò tradit duas fuiſſe coronas triumphales: quarum alteram lauream geſtabat victor in curru: alteram auream ſeruus ſupra
Vellei. Paterc. caput impoſitam ferebat: quæ in modum ſolis radijs diſtincta fulgebat: vti ex Velleio *Paterculo* lib. 2. & Suetonio in
Sueton. Auguſto conſtat. *Vnde lucem Diuinam in aureo Orbe* fulgorem
Ammia. illum Auri *Panegyriſtes* Maximini vocat, & ſphęram auream
Lazzius in ſpeciem Poli formatam Ammianus Marcellinus lib. 25. appellat. Ex quibus colligit Lazzius lib. 9. de Rom. Repub. diademata illa in ſolis ſpeciem radiata, quæ Sanctorum Capitibus imponuntur ab hiſce Coronis eſſe deducta. Etſi mihi
Tertull. propiùs vero videatur à coronis Deorũ vſum illum deſumptũ: *Coronæ in Sacris.* quorum effigies coronari mos erat, vti Tertull. lib. de Corona militis paſſim docet. Vnde & ad Sacerdotes tranſijt vſus coronarum, quos ſacra facere coronatos ſolitos fuiſſe accepimus. Quæ ſparſa per prophanos Scriptores ſunt, collecta exhibent
Regum. in vno Dauidis Paradigmate Sacri textus lib. 2. Reg. cap. 12.
Paralip. Et lib. 1. Paral. cap. 20. illic enim. *Tulit*, inquit, *Diadema Regis eorum de capite eius pondo auri talentum habens, gemmas pretioſiſſimas & impoſitum eſt ſuper caput David*. Hic autem. *Tulit David coronam Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri põdo talentum, & pretioſiſſimas gemmas, fecitque ſibi inde diadema*. Vbi cum eadem omninò res commemoretur, varietas eſt in nomine Melchom, quod idolum eius gentis eſſe Interpretes docent: huius autem dicitur Corona, quæ Regis antea dicta fuerat. Ex quo liquidò apparet coronam eſſe inſigne, tum Regis Rabba, tum Idoli Melchom, atque adeò & prophanum, & Sacrum, quemadmodum proximè docuimus. Decuit igitur Romanos Põtifices coronari, etiam antequam imperij ſæcularis participes facti eſſent à Conſtantino, alijſque
Innoc. Religioſis Imperatoribus. Quamquam Innocentius ita inter vtramque diſtinxerit, vt Mitram ſpirituali, Coronam temporali dignitati aſſignarit. Et quidem lamina illa Petalon *Coronæ ac mitræ diſtinctio.* ex auro, qua ornatum frontem Iacobum Apoſtolum Hiero-
Euſeb. ſolymitanum Antiſtitem tradit Euſebius lib. 2. cap. 1. à quo Polycrates Epheſinus Epiſcopus eſt mutuatus coronæ aureæ vſum Pontificibus licere confirmat: quo auguſtior ijs ſpecies eſſet, & Religionem infidelium animis maiorem excitaret.

Regni Corona a Conſtantino.

Originem Regni huius, ſeu Chamauri ad Conſtantinum referunt Authores: ac ita ex Actis Sylueſtri colligi tradunt. Idque mihi vehementer probatur, qui videam decere, vt à quo Imperium acceperunt, ab eodem inſigne eiuſdem coronam acciperent. Illud tamen diu ſuſpenſum tenuit, quòd Sylueſter nunquam illa fuit vſus corona. Cuius ego monumentum aliquod cum accuratiſſimè inquirerem Romæ inuenire nullum potui. Verùm id demum comperi Sylueſtrũ vſu Coronæ abſtinuiſſe, & eius loco Mitræ auri circulum, quod Auriphrygium vocant, addidiſſe: nec enim conuenire exiſtimauit dignitati Pontificiæ nudatum mitra caput corona aurea impediri. Itaque maluit retinere Mitram, eamque Diademate cingere, & vtrumque coniungere. Atque huiuſmodi Mitram Diadematam vidi in antiquiſſima Eccleſia Sancti Martini de montibus, in cuius Sacrario Sylueſtri Tiara ſeruatur, quam mihi oſtendit Reuerendiſſ. *P.* Ioannes Antonius Filippinus Carmelitani Ordinis Generalis eius Cœnobij ac Templi inſtaurator: in qua illum circulum aureum obſeruaui. Meamque poſtea coniecturam *I*nnocentij Tertij Pontificis teſtimonio cõfirmatam inueni, qui ſerm. 1: de Beato Sylueſtro ſic ait: *Conſtantinus ſecedens Byzantium coronam, capitis ſui voluit B. Sylueſtro conferre; ſed ipſe pro reuerentia Clericalis coronæ, vel vtilitatis cauſa noluit eam portare: verum pro Diademate Regio vtitur Auriphrygio circulari.* Cum igitur Coronę donum teneamus, & authorem eius Conſtantinum fuiſſe conſtet, à Sylueſtro duxiſſe originem hanc conſuetudinem exiſtimemus. Atque ita præter Innocentium tradit Leo Pontifex IX. aduerſus præſumptionem Michaelis c. 13. & placet Ioſepho Stephano Veſtanenſi Epiſcopo tract. de oſculatione pedum, libello de Coronat. Romani Pontificis: quem alij Recentiores ſequuntur. Illud autem præcipuè obſeruandum videtur, quod ex Aureolo adducit Cornelius à Lapide exponens locum illum Apocal. 14. verſ. 14. *Similem Filio hominis habentem in capite ſuo Coronam auream, eo Angelo ſignificatum fuiſſe Pontificem Stephanum*, qui & dignitate Coronam merebatur, & nomine præferebat. Tam proprium illud Pontificis inſigne Aureolus eſſe putauit. Ipſe vero Cornelius locum alium Iſaiæ 61. verſ. 10. *quaſi ſponſum decoratum Corona* de Summo Pontifice intelligit: eumque ſponſum Eccleſiæ, quòd Chriſti ſit Vicarius affirmat: atque adeo coronandum

Mitræ Sylueſtri forma.

Philipp.

Innoc. III.

Corona vſus in Sylueſtro.

Leo IX Ioſeph Steph.

Aureol. Cornel. à Lapid.

Pontificem Romanum decet corona.

cum

tum Eccleſia coronatur; in cuius capite *Corona ſtellarum duodecim* ſplendet: cui neceſse eſt in ſponſo altera reſpondeat, ſaltem ex auro lucida, gemmiſque diſtincta: quę ſidera quædam ſunt apud mortales pretioſa. Quò facit illud Tertulliani de Corona Ariadnæ in lib. de Corona militis. *Ariadnæ ſertum ex auro & Indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus, poſt & ſydus.* Nam ſi quòd Theſeus Ariadnæ ſponſus ei Coronam auream, & gemmeam dederit, ſignificauit Coronam donum ſponſalitium eſſe: ſanè quod gemmæ poſtea in ſydera ſint conuerſæ, eo oſtendit, quæ apud nos gemmæ ſunt, apud Superos ſydera cenſeri. Negent quidem Angli eſse Papam ſponſum Eccleſiæ: nos fatemur noſtræ Romanæ & Catholicæ; non ſuæ Anglicanæ & adulterę eſse: ad idque vtimur authoritate Lugdunenſis Generalis Concilij adducta in cap. *vbi periculum* de Elect. & cap. *quoniam de immunitate* in 6. & teſtimonio Turrecrematę lib. 2. ſum. à cap. 27. vſque ad 31. Et quidem ſi ſingulę caſtę, & purę animæ ſponſę ſunt Chriſti, cur Papa Vicarius Chriſti ſponſus Eccleſiæ non poſsit eſse, non video. Verùm id animaduerto Eccleſiam non coronari à Pontifice, ſed eum ab Eccleſia coronari, à qua eligitur & conſecratur. Quod ſi Chriſtus ſponſus Eccleſię & eſt, & dicitur: Papa quòd vicem gerit Chriſti ſponſus oportet vt ſit, & appelletur. Vt autem coronetur ratio capitis perſuadet; nam caput Eccleſię nemo Catholicus non fatetur; ac eo nomine appellat Chalcedonenſe Concilium epiſt. ad S. Leonem. Et ita exponit Gabriel lect. 3. in Canone. Quare meritò illo vaticinio Iſaiæ vtitur ad iſtam coronationem confirmandam Ioſephus Stephanus, optima Aquilę interpretatione, & verſione 70. adhibita.

Tertull. | *Papa ſponſus Eccleſiæ.* | Concil. Lugdun. | Turrecr. | *Argumento probatur.* | Concil. Chalced. | Gabr. | Ioſeph Steph.

Verùm vnius tantùm Coronę vſum hactenus probauimus: qui autem triplicis probemus? cum id obſcuriùs multo, ac difficiliùs ſit. Fateor hac de re mihi nondum plenè ſatis ab Authoribus factum. Etſi enim rationes afferant myſticas trigeminæ Coronæ; non tamen aut eius moris originem; aut germanam cauſam proferunt: quod Angli vti ſunt acuti diligenter inquirunt. His vt morem gererem accuratiſſimè quæ in rem poſſent facere recognoui, & ingenium exacui ſtudiumque exprompſi. Et poſt longiſſimam meditationem tandem apud me ſtatui trium Coronarum originem huiuſmodi fuiſſe, quam produco.

Origo Clamauri ſiue Regni.

Tres adeò potentiſſimos Principes conſtat Coronas totidē Sancto Petro, ac ſucceſſoribus dono dediſſe: Imperij & dignitatis ſymbola. Primus Conſtantinus fuit qui Sylueſtro: ſecundus Clodoueus, qui Hormiſdæ: Tertius Carolus Magnus Imperator, qui Leoni Tertio Coronam obtulit. De Conſtantino liquet ex dictis. De Clodoueo ſcribit Sigibertus, & Anaſtaſius Coronam illum auream cum gemmis Romam Sancto Petro miſiſſe, quæ *Regnum* appellata. De qua nos multa olim Pariſijs in Propugnaculo noſtro p. 2. Gallica contra Ioannem Chiffletium diſſeruimus. De Carolo Magno ſcribit Anaſtaſius in vita Leonis Tertij Coronam auream cū gemmis maioribus pondo librarum quinquaginta quinque ab eo cùm coronatus eſt Imperator in Ara Sancti Petri oblatam fuiſſe: quod idem tradit Baronius ad annum 800. In horum Principum gratiam & pietatis, ac Religionis memoriam, quæ maximè dignitatis Pontificiæ præſtantiam commendabat, ſequentes Pontifices Tiaræ ſuæ tria illa Diademata addiderunt, quibus ornari capita ſua ad Romanæ ſedis gloriam voluerunt. Quod cùm pietatem Principum teſtatur, tùm modeſtiam Pontificum oſtendit, qui non arbitrio id ſuo voluntateue ſumpſerunt, ſed delatum ab alijs acceperunt, vt nemo exprobrare arrogantiam poſſit, cum videat eos illo inſigni liberalitatis alienę indicium præ ſe ferre. Quod autem poſtea ad imperium & excellentiam Pontificum ſignificandam tot ſenſus in ijs Coronis ſint excogitati, id ſanè cùm pietati dandum eſt Eccleſię, tum omnium certè origo in ea donatione continetur. Nam ea mens Principum illorum fuit Coronas ſuas Chriſto, & Petro, eiuſque Vicarijs ſubmittere; & ſpiritualis ſupra temporalem poteſtatis prę́ſtantiam ſignificare: qui Fons & caput omniū quæ excogitari poſſunt laudum eſt Pontificiæ dignitatis. Nam vt de Cōſtantino qui Roma ceſſit, & Carolo Magno, qui magnam Italiæ partem conceſſit ſileam; quid aliud cogitauit Clodoueus cum eam Coronam Hormiſdæ Papæ miſit, quam *Regnum* dixit, niſi ſe ſuūque Regnum Romano Pontifici religioſè offerre, eique ſe ſe deuouere; non vt de gradu Regiæ dignitatis deſcenderet, ſed vt in eo conſiſtens Pontificium culmen veneraretur, ac in eo Chriſtum ſuſciperet; qui habet in femore ſuo ſcriptum *Rex Regum, & Dominus Dominantium*? Cætera quæcumque illa demum ſint ex his fontibus deducuntur. Etenim conſtitutis coro-

Margin notes (left): *A tribus coronis Romanis Pontificibus oblatis.* — *Conſtantinus Clodoueus Carol. Mag.* — *Poteſtas ſpiritualis ſupra temporalem.* — *Mens Clodouei erga Papam.*

Margin notes (right): Sigib. Anaſt. — Auctor Propug. Chifflec. — Anaſtaſ. — Baron. — Apocal.

coronis tribus, & in vnius Tiaræ opus coniectis haud difficile fuit rationes myſticas inuenire. Neque verò hæ improbandæ ſunt, cum proximè in veſtibus Pontificijs deſcribendis cauſam idoneã ex ſacris litteris adduxerimus,& infra cum de Calceis agamus adducturi ſimus. Fortè vtrumque ſimul mentibus occurrit, & ratio tergeminam Coronam geſtandi, & origo donandi: atque adeo cum ambo placuiſſent, vnà & exemplum aſſumptum, & reddita ratio. Ea verò multiplex eſt nec paucis probata Authoribus; quorum vti quiſque probabat morem, ita illius probatam cauſam afferebat. Omniũ fermè concors eſt ſententia Imperium eo inſigni, Poteſtatemque Pontificis adumbrari: quam rem Pierij Valeriani verbis volo deſcribere, qui lib. 41. Hieroglyp. ſic ait: *Antiquioris illius Tituli ſpecies hodie quoque in vſu eſt ſub Regni nomine, quo quidem Pontificis Maximi caput maximis quoque Sacrorum ſolemnitatibus inſignitur, & vt ſumma eius poteſtas eo geſtamine ſignificetur, triplici faſcia auro gemmiſque ditiſſima ornamentum illud redimitum conſpicitur.* In eo diſcrepant quod ad numerum attinet Coronarum, de quo multiplex & varium coniectantium iudicium eſt. Longiùs poſita perſequor. Vvolphango Lazzio viſum eas tres Coronas tres præcipuas Romani Patriarchatus Regiones ſignificare, Italiam, Illyricum, Africam. Sed iudicio planè inſolenti, nec apto: cùm Pontifex alijs item Europæ Prouincijs cum imperio ſpirituali præſit; immò, & ad omnes mundi partes ditionem ſuam extendat: niſi fortè ille quas Prouincias carere Regibus Catholicis vidit, ijs Papam ex integro præficere voluit, proindeque Gallias, & Hiſpanias excluſit. Sed hæc ratio frigida eſt: nam cum in Italia,& Illyrico, Itali alij Principes eſſent, Reges ne ſint, nec ne, parum certè ad imperium videtur intereſſe. Præterea quicquid in Africa Pontifex obtinebat alterius Regis Catholici imperio ſubiectum erat, nempe Luſitanici, & Hiſpanici: atque adeo non debuit Africa Papæ aſſignari. Aequius fuerat tribus Orbis Partibus coronarum numerum ita attribuere, vt tres illæ Coronæ Africæ, Aſię, Americæ reſponderent. Mitræ vero Europa aſſignaretur, & ſic totus orbis intra Tiaræ terminos maneret. Quod Mazzaronius excogitauit de Simandij Matre Regina Aegyptia, Filia, Vxore, Matre Regis, ac idcircò triplici ornata diademate ex Hieroglyphico Pierij ducitur; apud quem lib. 41. cum expreſſa imagine reperi-

Margin notes: *Cauſa Triplicata corona.* — Pier. Valer. — Vvolp. Lazius. — *Significatio.* — *Primum Lazij nõ placet.* — Mazzar. — Pierius.

periṫur, & à quo ad Blancam Mediolanenſem refertur, quod admodum prophanum, & alienum eſt; nec vt ſacrum foret iure placeret, quòd magis in Eccleſiam, quam in Pontificem quadret. Ea eſt enim & Filia Patris, & Sponſa Spiritus Sancti, & Mater Fidelium: niſi ſi quis & me authore, aptiùs de Diua Virgine malit intelligi. Ambitioſius, & venuſtius illud eſt quod ex Cœlio Rhodigino adducit: Triplicem Coronam eſſe Papæ ad Lunæ Reginæ imaginem, quæ in Cœlo Luna, in terris Diana, in imis Proſerpina cum ſit, tribus coronis inſignitur: ſed olet ſuperſtitionem; & fabularum tegumento inuoluitur. Accommodari tamen poteſt, itaut Lunæ Commentum refutetur, cum quod ei triplex numen tribuerunt Poetæ, ad tergeminam Papæ poteſtatem transferatur: nam in ſuperis ius quodammodo dicit, cum quidquid in terris ligat, & ſoluit, in Cœlo ſoluatur ligeturque: & in imis animarum ſupplicia pœnaſque remittat: in terris longè latèque inter homines iuriſdictionem exerceat: quę ſanè iuſta eſt, ac idonea triplicis Coronæ Pontificiæ interpretatio à noſtris Authoribus recepta: quemadmodum videre eſt in Theophilo Raynaudo in Onomaſtico ſuo, & mihi ſanè probatur. Nec diſplicet Lunæ Reginæ prolatum Paradigma, dummodo non in exemplum, ſed in ornamentum afferatur, vt quod veteres Fabulæ illi numini tribuerunt, id verè Pontificię perſonæ conueniat; quæ commentum illud illata veritate refutet. Sunt qui cum Cæſare Coſta lib. 1. Variar. ambiguit. Sacratiorem originem referant. Aiunt enim tripartitum fuiſſe Chriſti Regnum, per Crucis myſterium partum, & triplici illo linguarum idiomate in titulo Crucis expreſſum: illudque ad Papam Chriſti Vicarium translatum, tergemina illa corona ſignificari. Pulchrè quidem, ac piè, ſed non ſatis conſtat cuiuſmodi triplex illud Chriſti Regnum fuerit. Duo quippè Chriſti Regna tenemus ſpirituale, ac temporale. Pontificiæ poteſtatis fontes & radices duobus gladijs Apoſtolicis. *Ecce duo gladij hic* adumbratæ. De tertio Regno minus liquet. Sed eſt fortaſſe Regnum inuiſibile ſuper animas corporibus ſolutas, quod Chriſtus ex integro poſſidet, & èx parte concedit Pontifici, cum ei theſauri Eccleſiæ opes committit vt ſubuenire purgantium ſe ignibus Sacris animarum neceſſitatibus poſſit: eaſque à Statutis pœnis eximere. Quamquam & illud dici queat, Regnum Chriſti Iu-

Secundū Mazaronij, & Pierij diſplicet.

Tertiū Cœlij Rhodigini haud probatur.

Theop. Rayn.

Quartū Raynaudi arridet.

Idoneū exemplum.

dæos, & Græcos, & Romanos tribus illis linguis expreſſos comprehendere, quòd ijs imprimis Fides Chriſtiana annunciari cœpit: ac eorum præcipua ab Apoſtolis habita ratio fuit, vti ex Actis eorumdem & Pauli Epiſtolis conſtat: non quod aliæ nationes excludantur; ſed quod in his contineri videantur. Itaque Pontifex etſi in Vniuerſum Orbem ditionem ſuam extendat, omnis ea à Iudæa, vbi cœpit prædicatio, & Græcia, vbi confirmata; & Roma vbi fundata cum Sede doctrina eſt, emanauit.

Triplex dominiũ Chriſti & Papæ.

Non me latet aliam poſſe adduci rationem cum tripartitum Chriſti Regnum ſit. Nimirum quia Chriſtus iure Diuino Rex erat mundi: iure humano, ſed Vnione Hypoſtatica nixo, & inde deducto: iure ſanguinis accepti à Dauide per Matrem. Et vero vt admittam Regnum Chriſti tripartitum ratione iuris: hæc forma in Papam quadrare minimè poteſt, qui nulla ex ijs rationibus adminiſtrationem Eccleſiaſtici Regni vendicat: & quamquam Chriſti Vicarius ſit, id ſanè quoad repræſentationem Perſonæ Politicæ non extenditur.

Proponitur triplex Regnum Chriſti.

Equidem commemoratis quas in Authoribus inuenire mihi contigit ſententijs, probataque illa quæ triplicem iuriſdictionem in ſuperos, medios, & imos aſſerit: author ſum tamen tergeminam illam Tiaræ Pontificiæ Coronam, cum ea & rè, & ſignificatione connexam, non tam Imperiũ quàm Myſterium continere. Etenim vt Imperij ſymbolum ſit, minus certè cùm Religioni, tum veritati reſpondet: nam & diuinius quiddam Imperio illud dignitatis ſupremum faſtigium repræſentare debet, & ambitionis ſpeciem quamdam præ ſe fert illa oſtenſio Maieſtatis, & multo eſt anguſtius Imperij ſignificatum, quàm vt Tiaræ ſymbola æquare poſſit. Certè veſtimenta & Sandalia ad ſacros ſenſus referuntur, nec eſt ex ijs quidquam quod Religionem cultumque non oleat: qui ergo ſacratiùs illud faſtigium quod cœlum propiùs tangit reginiinis tantum, quod magnam partem quiddam caducum & mortale eſt ſpecimen præ ſe feret? Deinde cum hoc triplex dumtaxat ſit, & quatuor illa inſignia, ſuperabit aliquid in Tiara quod in regimine deſideretur. Etenim Mitra ipſa vnius formæ ſolida, & continuata certum quiddam ſignificare oportet, quod Imperium eſſe nequit, cum id tres Coronæ ſignificent, quarum ſingulæ ſingulis regiminis formis

Authores apta ſententia.

ratio-

rationibuſque reſpondent. Itaque vacua ſignificatione Imperij Tiara erit, cùm omnes ſint formæ in Coronis conſumptæ.

Triplex Regni Coronæ myſterium continet.

At vnum & idem ſymbolum ex Mitra, & Coronis exiſtere ecquis non videt? quod ſi eiuſmodi eſt, oportet vnum quiddam certum, & iuſtum repręſentet: quod & ſacratius multo ſit imperio, & eo non anguſtius, & ſummam Religionis contineat. Itaque mihi omnino perſuadeo illam Tiaram Mitra vna, Coroniſque tribus conſtantem Trinitatis Myſterium ſignificare: quod vti in Apice Fidei conſtitutum, ita & eius in vertice Pontificis ſymbolum collocatum. Et verò natura vna eademque Diuina in Mitra, tres perſonæ diſtinctę ac diuerſæ in tribus Coronis expreſſæ apparent: vt Tiara tota ſolidaque integrum illud & capitale myſterium repræſentet:

Myſterij Trinitatis ſymbolum eſt Regnū Pontificium.

quod ſanè ad Religionem maximè facit, & cultum exigit ſingularem. Nec verò decet vt *P*ontificis Sandalia Cruce inſignita adorationis pondus habeant, & Tiara in vertice Pontificio vacua Religione quodammodo otietur, cùm ipſa ratio perſuadeat multo maius Religionis pondus in Tiara, quà in Calceis ineſſe oportere. Quod ſi tergemina illa Corona ſupera quoque, media, & ima ſignificat, & is à nobis ſenſus admittitur: nam illud myſterinm Trinitatis à Cæleſtibus, Terreſtribus, Infernis iure adorandum. Ita & res Myſterij, & cultus adorationis retinetur, & ambitionis ſuſpicio tollitur, & dignitas Pontificia conſeruatur.

Obiecta Anglorum Heterodoxorum.

Quædam ſunt tamen quę Angli magna vi objiciunt. *Pri*mum. Geſtamen hoc priſcum non eſſe: nec niſi à recentioris memoriæ Pontificibus vſurpatum. Deinde inuidioſum illud, & ad pompam iactantiamque comparatum eſſe. Demum eo Regibus & Principibus multum de Maieſtate detrahi, cum eorum luminibus ſua altitudine, & ſplendore officiat. Itaque ex capite Pontificio exturbandum. Quibus ego ſic reſpondeo. Primò originem Regni, ſeu Coronæ antiquiſſimam eſſe, nempè à Sylueſtro temporibus Conſtantini ductam: cui illud ab eodem Imperatore inſigne donatum, vti ſupra oſtendimus, & tradit Ioannes Stephanus Durantius accuratiſſimè tomo ſuo de Ritibus lib. 2. multis adductis Authoribus: quos etiam congerit Ioſephus Stephanus lib. de Coronat. Pontificis.

Durant. *Ioſeph Stephan.*

Primum de nouitate refellitur.

Quòd ſi non tam illa Corona, quàm Auriphrygium fuit, non idcircò Coronæ genus eſſe deſijt Tiaræ accommodatum; vti etiam ſunt Coronæ, quæ hodie Ponti-

Pontificum Mitræ imponuntur, & diadematum more in orbem ducuntur ſeruata Tiaræ dignitate, quæ nudam frontem attingit ambiente extrinſecus circulo Coronarum. Vnam autem olim fuiſſe poſtea triplicem, id nihil de fide detrahit, immò auget honorem Pontificium. Quemadmodum & olim alia fuit forma Regiæ, atque nunc eſt Coronæ, nec idcirco tamen noſtratium Regum capita minus aut propriè, aut ſplendidè coronantur. Quòd ſi mutatio Coronæ, aut dignitatis amplificatio minuit fidem antiquitatis, ne Imperatores quidem hodie legitimę coronentur, quorum Coronę aliam faciem exhibent multò antiquis operoſiorem, & glorioſiorem. Fuerunt pro varietate temporum varię formę rationeſque coronarum. Hinc Faſcię, hinc diademata, hinc Cidares, hinc Phrygia, hinc Radij, hinc Cornua, hinc Lunę, hinc Coronę, hinc Regna, de quibus humaniorum litterarum Authores, ac imprimis Pierius Valerianus lib. 41. Cur autem Pontifices augere voluerint, cauſas multas, & idoneas adduximus.

Primum de nouitate refellitur.

Sed obiectioni propriè, & aptè reſpondeamus. Nouitatis notam ineptè obijciunt homines nouarum ſectarum amantes, & à ſeſquiſeculo fermè Lutheri, & Caluini diſcipuli: Satis nobis erit ſi probemus geſtamen hoc Regni multò eorũ Principibus eſſe vetuſtius. Hoc eo accuratiùs agemus, quo id ſcitu erit iucundius. Nam gratum, opinor, eruditis faciemus: ſi qui primus Papa Regnum geſtarit palam fecerimus. Fateor multum me hac in re exploranda olei conſumpſiſſe, quòd minus ea eſſet à noſtris Scriptoribus tractata. Nec vel à picturis, vel iconibus, vel ſimulacris argumenta deſumam, quoniam his audendi eſt poteſtas, ſolentq; recentiorum imagines ad morem, vſumque priſcum referre, & pro libito veterum habitu, inſignibus quæ producere. Itaque ſolida, & indubitata hic afferam. Primum ſtatuo trium Coronarũ geſtamen ante Carolum Magnum initium habere non potuiſſe, quia cùm ille tertiam Coronam dederit, non potuit ante huiuſmodi donationem tertia illa corona celebrari. Poſt eum initium habuit. Verum à quo cœperit Pontifice, id certè conſtare non poteſt. Gradatim placet numerando aſcendere, & à recentioribus ad antiquiores procedere, donec perueniamus ad eum quo altiùs non poſſit aſcendi. Ex numis mihi viſum ſuit rem æſtimare, qui falli fallere ve nequeunt, cùm ſint authoribus ſuis tempore pares.

Regni antiquitas indagatur.

Numerorum fides.

Igitur numis vbique diligenter conquiſitis,& accuratè inſpectis. Vidi Adriani V. cuſam imaginem cùm chamauro, ſiue regno: Vidi Iulij II. vidi Pauli II. à quo ea eſt Tiara mirificè ornata. Vidi Pij *II*. Vidi Calliſti III. Vidi Nicolai V. Vidi Ioannis XXIII. vidi Innocentij IV. vidi Nicolai IV. vidi Honorij IV. vidi Gregorij IX. qui floruit circa annum 1217. *I*n hoc ſteti, quòd cum me numi defeciſſent, quos inſpicerem,vlterius ire non potui. Exiſtimo tamen Innocentium III. Regnum geſtaſſe propter illa verba ſupra numerata. *Romanus Pontifex in ſignum Imperij vtitur Regno.* Quo vocabulo Tiara triplici aucta corona deſignatur. A quo ſi ea conſuetudo principium duxit, cum ille Pontificatum geſserit anno 1198. ante quatuor ſecula, & ſemis, origo inuenitur. Vt vt ſit: minus hic viderunt Morinus,& Sauſſayus ſcribentes primum, qui vnam Coronam geſtauit fuiſſe Nicolaum Primum: primum,qui duas,Bonifacium Octauum: primum,qui tres ideſt Regnum, Clementem V.cùm ex numis antiquior vſus conſtet.

Papæ in numis cum Regno expreſſi.

Num. 1.

Morin. Sauſs.

Quod attinet ſecundum quod obiecerant,rem eſſe plenam & faſtus, & inuidiæ,id liuori, & maleuolentiæ aduerſariorum imputandum. Satis ſupra ad hanc calumniam propulſandam diſputauimus, monſtrauimuſque & exemplis, & argumentis Romanos Pontifices illud ornamentum decere propter eximiam, quam ſuſtinent perſonam: cum præſertim illud inſigne ſibi ipſi non arrogarint, vſurparintue, ſed à Chriſtianis, & pijs Regibus ſponte delatum occuparint. Pudeat Heterodoxos tantorum Principum pietatem incuſare.

Secunda obiectio diluitur.

Hac ratione tertium diluitur. Nihil enim detrahit Regibus Apex ille Pontificius, cùm in Pontifice non priuati hominis,ſed impoſitę à Chriſto perſonæ ratio habeatur: quemadmodum enim in Imagine prototypon, ita in Pontifice author dignitatis Chriſtus conſideratur:cuius Papa vicem gerit, geretque vſque ad finem mundi,fremant licet, & furant inimici Heterodoxi. Hoc meditabantur ijdem illi Reges, qui Romanum Pontificem hoc ornare inſigni voluerunt, quo ſi ſpoliare eum Heterodoxi deſiderant,non tam Papæ, quàm Regibus iniuriam afferunt. Habemus tamen Catholicos, & pios Reges, qui Papæ ſubdi ſe debere, & ſciunt, & gaudent, idque multis argumentis declarant,nec vnquam vel minimā

Tertia deletur.

parti-

particulam maieſtatis Pontificiæ perire patientur. Non officit Regijs luminibus ſplendor ille, qui ſolum Chriſtum repræſentat.

CAPVT IV.

Inceſſus Pontificis defenditur.

Angli Heterodoxi, & reprehendunt, & reprehenduntur.

DOlet mihi Anglorum amanti, videre illos cum ſerpente mortifero ſectari Paparum veſtigia, *& calcaneis eorum inſidiari.* Nobilem imprimis populum minimè decet humi repere, & indecoro puluere ſordidari ex inſidijs collecto, non in acie comparato. *I*d vnum deerat obſeruare greſſus Pontificios: & quod in theatris ſolet, cothurno ne an ſocco calceati ſublimiùs, an depreſſiùs gradum faciant curioſè notare. Videant quò abiecerint oculos poſtquam eos in obſequium Fidei frenare deſierunt, & liberiùs circumferre per omnem Eccleſiæ ambitum, audaciùſque cœperunt. Reprehendunt Papalem inceſſum, ceu baſilicanum, tumoris, & faſtus plenum, ſiue cùm ad Altare pedes accedit, ſiue cum geſtatoria ſella portatur, ſiue cum carpento, curruque fertur, vt per eos ne moueri quidem liceat Papæ, quem Clauo trabali vni tantùm loco affixum vellent, & vel ergaſtulo incluſum, vel vnco ſuſpenſum, vel in Crucem actum præ odio in eundem mallent. Sic eum mirantur Sacris indutis veſtibus ad Sacra procedentem, ceu Regulum aliquem è gurguſtio in ſolem prodeuntem viderent. Quid ſi de illo audirent, quòd de Aarone ſummo Hebræorum Pontifice Eccleſiaſticus c. 45. verſu 11. *Dare ſonitum in inceſſu ſuo, auditum facere ſonitum in Templo in memoriam filijs gentis ſuæ,* commemorat? Quos ſtrepitus efficerent, quos clamores ederent, vt ne Corybantes quidem lebetes, aut Salij ſcuta pulſantes eorum ſtrepitum æquarent. Deſunt Pontificibus tintinnabula illa Aaronica, quæ illi in linguas ſuas tranſtulerunt, vt inceſſum Papalem vituperarent. Pudeat eos noſtra ſic irridere, vt ſuam imperitiam irridendo prodant: perinde enim ſe habent, ac ſi nunquam ſellas curules, carpenta, curruſque vidiſſent: nec de thenſis, & ferculis pomparum, de bigis, & quadrigis triumphorum in veteris Romæ monumentis quicquam ſcriptum reperiſſent.

Eccleſ.

ſent. Moneo illos hanc in ſe fabam cudere, & dum nobis obtrectant, ſibi detrahere. Moneo eos ambitionis pomparum ſuarum, quas certis inſtituunt temporibus, quę ſęculares, & prophanæ cùm ſint, plurimum habent exquiſiti cultus, & elegantię. His ego met meis oculis vidi Magiſtratus ciuitatum ornatiſſimo habitu equis curribuſque vehi, & magnifico inceſſu maieſtatem Regiam æmulari. Non fui Londini Regum tempore, accepi tamen eos cum magna dignitate in publicum prodire, ac per Vrbem Ferculorum more Romanorum vehi. Equidem Parlamentarijs nonnullis ſpectaculis interfui, in quibus tantùm erat ſplendoris, & pompæ, vt inuidiam noſtrarum, ſi qua eſt, poſſet extinguere. Quòd ſi nos eos ſuis, & ſpectaculis, & ſolemnijs frui ſinimus; ſinant nos & noſtris frui ad Religionem, & pietatem comparatis. Exiſtimo enim eos cum Reges, ac Principes ſuos ornant, nihil omninò de Chriſto cogitare, nec eos honores ad eum mente deferre: quod nos certæ agimus, cùm Pontificum palam cum ea, quàm taxant, dignitate incedentem videmus: vt verum illud eſſe faciamus, quod exprobant: *inceſſu pateat, non Deus, ſed Dei Vicarius*, cum in Papa Chriſtum Deum conſideremus, & colamus. Id inter nos, & illos intereſt, quod ij in Pontifice perſonam Chriſti agente Chriſti effigiem nolunt agnoſcere, & certum illum ac priuatum hominem, puta Fabium Chiſium Alexandrum Papam noſtrum VII. cogitant, nos autem in eo Chriſtum quem gerit, & induit, inſpicimus. Itaque ij (amant quippè hoc genus litterarum) ſimiles ſunt Troadibus Aeneidos 5. quæ in Iride Berois formam aſſumente, eāque ſimulante nonniſi Beroem cogitabant; atque adeò dicebant,

Idonea animaduerſio.

Eſt Beroe coniux longæua Dorycli

non *Fit Beroe*. Nos verò Pyrgonem imitamur, quę rei conſcia ſub effigie Berois Iridis numen agnoſcebat, & ad eam conuerſa inclamabat. Virgil.

Vrgentur loco humaniorū quas amant litterarum.

Ardenteſque notare oculos: Diuini ſigna decoris. Qui Spiritus illi!

Qui vultus, vociſue ſonus, quis greſſus eunti?

Quare altiùs nos introſpicimus, quàm Angli, & quòd illi negant de Pontifice homine priuato, vti reapſe eſt, nos de illo vti Chriſti Vicario affirmamus, & vultum in eo vocemque, & inceſſum Chriſti recognoſcimus.

Age

Age verò quid in inceſſu reprehendant Pontificis videamus. Cùmi,nquiunt, ad Altare egreditur Pontificio habitu indutus,velut thenſa quædam,ferculumue animatum procedit. Id ſanè cum omnibus alijs Epiſcopis, immò & Sacerdotibus cõmune eſt: qui veſtibus induti Sacerdotalibus ſacra facturi ad Aras accedunt: immò quidam in priuatis Eccleſijs Antiſtites, & Presbyteri ornatiùs ſæpè & exquiſitiùs veſtiti incedunt, quòd ijs Chriſtiana pietas pretioſiores veſtes contulit. Cuiuſmodi ego multas in Luſitania,vbi ſumma eſt Religio,cultuſque rerum Sacrarum maximus, vidi, non modo auro oſtroque rigentes, verùm etiam conſperſas vnionibus, & gemmis prætextas,adeò ſplendidas,vt ſolem ſideraque extinguerent; adeò graues vt humeros vel validos laſſarent. Certè vt elegans, vt glorioſus Pontificis Romani habitus ſit, multò ille elegantior, & auguſtior eſſe debuit, quòd perſonã illius Pontificis agit, qui 1. Apocalypſeos capite miram Sacræ Maieſtatis imaginem præ ſe fert veſtitus podere, & pręcinctus ad mamillas zona aurea,pedes eius ſimiles aurichalco, in dextera ſua ſtellas ſeptem. Quòd ſi Aaron & ſucceſſores Pontifices tanto ſplendore, & ambitione veſtium, & ornamentorum ad Sacra illa ſua accedebant vmbratica, & alieno animata reſpectu; idque Deus Optimus Maximus præceperat, cur noſtri Pontifices,qui vera & myſtica ſacra diuino ſpiritu plena, & præſenti ſœta numine obeunt, non pari, aut maiori ſpecie,elegantiaque ad Altare procedent? Educant in Religioſum Theatrum Pontificem Romanum noſtrum auguſtè veſtitum,quem reprehendunt ob inceſſus ambitionem producam ego contra parem Simonem Oniæ filium ex Eccleſiaſt.50.quem reprehendere non poſſunt baſilicè incedentem. Conferamus vtrumque. Deſcribant Papæ pompam ad augendam inuidiam, certè vt eloquentiſſimos, vti ſunt, ſe oſtendant, non poterunt Eccleſiaſticam Simonis elegantiam æquare. Carpo nonnulla. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet.* Si hæc de Alexandro VII.audirent lapides iacerent.Quid illa? *Quaſi Sol reſulgens, ſic ille effulſit in Templo Dei.* Auerterent hic oculos, & terga in Solem verterent indignati lumen ceu Pontem Araxis. Iam ijs: *Quaſi Arcus reſulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi thus redolens in diebus æſtatis.* Quaſi tonitruis

Obiectio Anglorum.

Depulſio.

Apoc.

Eccleſ.

Idoneũ è ſacris litteris exemplum.

per-

perculſi exanimarentur ; & flores, & lilia, totidem aſpides putarent. Illis verò: *Quaſi ignis effulgens, & thus ardens in igne. Quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo. Quaſi oliua pullulans & cypreſſus in altitudinem ſe extollens, in accipiendo ipſum ſtolam gloriæ & veſtiri eum in conſummatione virtutis.* Tormenta & fulmina ineſſe crederent, quibus & quaterentur, & vrerentur. Fugiant, dummodo audiant quæ ſequuntur. *In aſcenſu Altaris Sancti gloriam dedit ſanctitatis amictum. Circa illum Corona Fratrum, & quaſi plantatio cedri in Monte Libano, ſic circa illum ſteterunt quaſi rami Palmæ, & omnes Filij Aaron in gloria ſua. Porrexit manum ſuam in libatione, & libauit de ſanguine vuæ.* Conſiſtant, ſi viri ſunt, & in hac vmbra ſacrificij Solem noſtrum intueantur. Ne quęſo noctuę eſſe velint, qui Aquilæ eſſe ingenio poſſunt. Si lux tanta illi Sacerdoti nubibus legis obducto, vinum merum nudumq; offerenti; quantus deceat ſplendor oportet Pontificem noſtrum Romanum in Sole gratiæ verſantem, & verum germanumque Chriſti ſanguinem bibentem, & propinantem? Imitentur illos Aaronis Filios, Populum illum Hebræorum imitentur. *Auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. Properauerunt, & ciciderunt in faciem ſuper terram adorare Deum, & dare preces omnipotenti Deo excelſo.* Id nos agimus, qui ea in figura geſta agnouimus; nec poſſe aliud niſi ornatum Sacrum Chriſtiani Antiſtitis ſignificare intelligimus. In hac vmbra nos tantum Solis haurimus oculis Fidei, illi in tanto Sole noſtro caligant, oculis inuidentiæ. Hæc tamen veſtigia Pontificis Romani rectè ad Altare, & ſplendidè incedentis videt Catholicus, *quia lux Dei veſtigium eius eſt.* Qua Ieſus Sirach caput illud claudit ſententia. Animaduertant lucem diuinam in veſtigio, & in luce veſtigium eſſe poſſe, ne inceſſum Pontificis ſugillent. Verum Angli cum Aras euerterint, & illam pompam ſuſtulerint, quì ſuſtineant perſonam, qui theatrum ſuſtinere noluerunt?

Explicatur, & applicatur

Eccleſ.

Rurſum obganniunt. Curuli ſella & geſtatoria vtitur Pontifex, & homines baiulos habet, quì ſuccollant, & elatum humeris ſuis portant. An ita Chriſtus Petruſque incedere ſoliti? Vnde mos ille inſolens & inſanus? Apage, inquiunt, cum baiulis iſtis Pontificem degenerem ab eo qui Crucem ſibi baiulauit. Primùm depello crimen: deinde maledicta refello, & paradigmata retorqueo. Quod tandem criminis

Contra ſellã geſtatoriam obiectio Anglorum.

genus

genus eſt ſella donari Curuli, quæ cuilibet Aedili, Prætori, Conſuli, cùm ea rarior erat, & carior dabatur? An non licet Pontifici vno ex tergeminis illis honoribus Romæ cui imperat, frui? Certè & omnes illos gerit; nam & Sacris ædibus prǫeſt, & totam tuetur Vrbem vti Aedilis: & ius in Vrbe dicit vti Prętor, & Reipublicæ conſulit, vti Conſul. Immò ſcelus eſt eum ad inferiores Magiſtratus amandare, & vltra Quęſtorios, & Tribunitios limites ire non pati: & quod Plebeijs demum hominibus Romę licuit communicatis Patricijs honoribus, eò Pontifici Romano interdicere. Quid? quòd minus Pontifex Romanus ſibi vendicat, quàm Iulius Cæſar, qui inter Conſules humiliùs ſedentes in ſella Curuli ſublimis eminebat? quem item honoris gradum Auguſtus vſurpauit teſte Dione. At ij Tyranni. Certè non Auguſtus, nec nos de iure diſputamus, morem inquirimus, cum præſertim ſella geſtatoria inferior ſit Curuli: & Pontifex non in Curuli, ſed in geſtatoria vehatur. At geſtari humeris hominum id crimen eſt. Certè huius reus primum appellandus eſt Iſaias cum dixit. *Afferent Filios tuos in vlnis & Filias ſuper humeros portabunt* cap. 49. cum gentibus loquitur ad Eccleſiam: *Ecce leuabo ad gentes manum meam*. Quod ſi Filij in vlnis; & Filiæ in humeris per Deum ipſum portare licet, immò & debent portari, cur Pater à Filijs portari non poterit? Certè pietas hoc iubet, ac Religio ſuadet erga Pontificem. Aeneas inde audijt Pius, quòd Patrem humeris ſubiuit, & caro ſucceſſit oneri; & flammis eripuit. Iſti tam longè abſunt à pietate, vt nolint ab Nepotibus Parentem Pontificem humeris ſuſtineri; immò etſi liceret, ne id fieret Romanam Vrbem incenderent, cuius pignus Anchiſes manibus ſuis geſtabat, dum è Troia ardente eripiebatur. Nec ego dubito quin iſti Angli, qui tantum hoc nefas putant auderent Pontificem humeris attollere, & manibus ſuſcipere, vt in rogum ardentem inijcerent, vellent nimirum liceret odio, quod licere nolunt pietati, ſed ij ab Euandri militibus refutantur, qui mortuum, &

Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.

At ea opinor ratione, & Pontificem Romanum ferrent, quod mortuum efferrent. Quæramus in Hiſtorijs alios qui inter ſuorum ſint brachia leuati, & ad imperium euecti. Cuiuſmodi ille de quo Claudianus

Portatur iuuenum ceruicibus aurea ſedes.

Orna-

Margin notes: *Reſponſio.* — Dio. — Iſaia. — Virgil. — *Exemplis confirmata.* — Claud.

Ornatuque nouo grauior Dux.

Et rurſum

Auſonio cum iam ſuccinctus amictu
Per Ligurum populos ſolito conſpectior ires
Atque inter niueas altè veherere cohortes
Obnixique ſimul pubes electa lacertis
Sydereum portaret onus.

Minuitur inuidia. Certè Iulianus, Cæſar à militibus Gallicanis renuntiatus authore Marcellino lib. 22. *Scuto pedeſtri impoſitus, & eminens ſublatus eſt.* Sed humeros deſiderant. Audiant Tacitum de externo loquentem l. 20. *Impoſitus ſcuto more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus Dux eligitur.* Vibratur vti telum contra ipſos credere negantes. Amantium humeri pondus non ſentiunt. Imo & flores addunt oneri caro, & in leuem faſciculum vertunt; quod de Gordiani Nepote narrat Herodianus lib. 7. *Erat puer nomen Aui referens: hunc impoſitum in humeros per mediam ferebant multitudinem plebi oſtentantes, ac Nepotulum Gordiani dictitantes, vocanteſque eum nominatim populo acclamante, & conſpergente Puerum floribus.* Sic nos erga Pontifices noſtros animati ſumus, cùm eum humeris ſublatum videmus, floribus contegimus, & canimus meliore omine. Marcel. Tacit. Herod. Virgil.

Manibus date lilia plenis
Spargite Purpureos Flores.

Odium Heterodoxorum in Papam. Scio dum nos hoc agimus Heterodoxos Crucem pro Sella Curuli, & geſtatoria Pontifici meditari: ſpinas pro floribus præcerpere, & conari ſentibus impedire, quod nos caput Tiara paramus redimire. Sed iſtud cogitabant Iudæorum Principes, cum Chriſtus Hieroſolymam triumphans inter lauros, palmaſque intrabat. Cuius ingreſſum, & pompam noſtri Pontifices repræſentant, cum palam Chriſti perſonam agunt & glorioſè incedunt. Hac ratione Stephanus Secundus priſcus Pontifex, authore Platina, humeris in Baſilicam Conſtãtinianam cum ingenti plauſu deportatus eſt. Hac Adrianus item Secundus omine ſecundo brachijs Cleri, & Procerum gratulantium exceptus, ad Lateranenſem deductus. Hac Leo *Refutatur exemplis.* Sextus ad eamdem, teſte Luitprando, ſuccollantibus Primarijs Eccleſiæ, & Vrbis hominibus delatus. Hac Gregorius IX. eòdem ſuper capita portantium elatus, ceu animato curru inuectus. Hic mos ſolemnis ſacer effectus præſcripto Romani Ordinis antiqui ante Gelaſium Papam inſtituti, in quo non Platina. Luitpr. Gelaſ.

vnius

vnius modo, ſed duplicis ſellæ fit mentio, è quarum vna fiat in brachia ſacrorum Miniſtrorum deſcenſus, & in alteram aſcenſus. *Diaconi*, inquit, *eum deſcendentem de Sellario accipiunt obuijs, vt aiunt, manibus, vbi dum venerit, & in ſella ſua ſederit egrediuntur*. Ac deinde: *Pontifex prius intrat ſuſtentatus à Diaconibus, qui eum ſuſceperant de ſellario deſcendentem, vbi dum venerit ſedet in ſella ſua*. En geminæ ſedes vni honore geminato, quem nullum ei haberi volunt Heterodoxi. Non tam arctè ſedet Romæ Pōtifex, vti Iulij Ceſaris (ſic vocat Cicero) Tyrannide Romæ incipiente ſeſſum. Sedem habet Curulem in publico, & in cordibus flammeam priuatim: inde humeros ei & colla amore imperante ſupponimus. Vidi ego ſæpe in Anglia deſcendentes è curru pilentoque fęminas à viris brachijs excipi, & in terram deponi, & interdum vlnis molliter exceptas in altum per gradus ſcalarum leuari. Iam manuprehendi, & duci Virgines quotidianum id eſt, quod in vrbanitatem tranſijt. At ſella non vtuntur Curuli, quid? ſi ea opus non eſt quibus aliquando complexus pro ſella eſt? quoties aſpexi iuuenes comptos, & ornatos cyrratos, calamiſtratoſque, caproneis & anſijs pendētibus inſignes, puluere odorifero caput aſperſos, peregrina canitie fuco inducta, & in luxum verſa, lepida canorum iniuria adoleſcentiam iactantes, virgunculas nobiles de manu accipere, eaſque comitèr in Vrbem deducere. At hi ſunt qui taxant noſtram erga Pontificem pietatem, qui nolunt eum excipi manibus, cingi vlnis, brachijs ferri, humeris deportari. Dari illud volunt comitati Anglicæ. Dent quæſo, & iſtud Romanæ pietati. An non Parentes ſæpe Filios ſuos in vlnis geſtant, & pectori applicant? cur id non licebit in parentes interdum filijs? At Iſaias de Filijs vaticinatur *Afferent Filios, & Filias*. Cur autem non *Afferent Parentes Filij*? quia Propheta non dixit. At dixit Angelus ad Prophetam *Conuertet corda Patrum in Filios*. Igitur ſi Patres portabunt filios, iam ea patrum corda in filios tranſibunt, & conuerſi patres in filios, vbi filij erunt, parentes ſuos in vlnis portabunt.

[Margin: Cicero.] [Margin: *Suo Anglici uincuntur exemplo.*] [Margin: *Idoneus locus Scripturæ*] [Margin: Iſaias. Luc. 1.]

Id demum intelligere non poſſum, cur tam obſtinatè nolint Angli, & cæteri Heterodoxi, vt Pontifex in vlnas accipiatur, humeriſque portetur? Religio, inquit, obſtat quominus id liceat. Excutiamus huiuſmodi Religionem. Sanctiores ne ſunt hominum, quam Angelorum manus? & dignio-

[Margin: *Alia obiectio Anglorum.*]

gniores? legimus tamen in Euangelio Lazarum ab ijs in ſinum Abrahæ deportatum. Sed obijciunt. Animam eam fuiſſe Lazari, non Lazarum. Vrgeo. Ezechiel, & Abacuch Prophetę integri erant, & viui, cum ab Angelis, alter à Chaldæa in Hieruſalem, alter à Iudæa in Babylonem per aera Ezech. 8 Dan. 13
Idonea ſolutio ex locis ſacris. ducti ſunt. At apprehenſi cincinno & capillo: quid tum? non multum intereſt quà ſint prehenſi, vertice ne, an corpore, dummodo ſic, ab Angelis rapti ſint. Propiùs tamen refuto. Loth duo illi tutelares Angeli extra Sodomam brachijs exceptum deportarunt: & cum Iacob Angelus luctatus Gen. 19 mutuos eſt brachiorum nodos expertus. Sed cur non impello tota argumenti mole obſtantes? Gen. 32. Deus ipſe Enoch manibus tranſtulit ſuis; & religionem omnem ſuſtulit; imò & intulit Gen. 5. ne quis omnino fieri prohiberet. Verùm nec Deus, nec Angeli manus & vlnas habent. Fateor, ſed eo fortiùs ago. Cum ęas non habuerint ſumpſerunt aliunde, vt officium charitatis implerent; quòd ſi tanti fuit vt ne ijs deeſſent brachia mutuarentur à corpore, cur qui corpus, & vlnas, & brachia habent, eorum ſe vſu priuabunt ne officium piæ Charitatis impleant? Quam id ſit fædum & abſurdum ecquis non videt? Itaque Angeli cum corpore careant vſuram corporis aliunde capiũt, vt hominibus obſequium deferant: homines cum corpus habeant vſura tamen carere volunt ne exerceant Religionis
Alia obiectio. officium. At nolunt, nec ſolent Papæ manibus ſuorum excipi, nec deferri: ſella vehi mos eſt. Reponunt. Paulatim eò veniet, vt manibus deferatur, quod maximè inſolens eſt & inurbanum. Id deerat, vt homines certè, & vrbani inurbanum ducerent, quod vel maximè barbari humanum, & vrbanum putarunt. Certè Gotthis mos fuit, Caſſiodoro teſte Caſsiod Reges ſcutis impoſitis inter militum manus efferre, ac elatos ſalutare: quem morem ad alios populos, & Romanis ſitu, &
Depulſio cum eruditione. cultu propiores tranſlatum ſcimus. Aureis enim iam temporibus Francos id facere conſueuiſſe Turonenſis Gregorius Gregor. Turon. lib. 11. de Principe illo Rege Clodoueo ſcribens, & de altero Clodoueo, Clothario, Addo Viennenſis agens teſtatur. Byzantinæ gentis morem illum erga Imperatores fuiſſe eius gentis Authores ſunt. Id vniuerſim de nouo quocumque Imperatore tradit Curopalates Humeris ſuorum excipi, & ſuſtolli ſolitum, dulce onus futurum cum imperaturus eſſet. Curop. de offic. Eo modo ſalutatum, & deductum lib. 3. Hiſtor. Michaelem Paleologũ

Gregor. lib. 4. author eſt Gregoras. Eo Alexium Emmanuelis filium portatum ſcribit Nicephorus Choniates. De Hippathio idem narrat Zonaras lib. 3. Annal. 3. Spinoſam hanc & moleſtam Heterodoxis Anglis doctrinam Corippęi ſtyli floribus molliamus. Hic de Iuſtino ita l. 2. cum eſt Imperator creatus.

Nicep. Chon. — Zonar. — Corip.

Quatuor ingentem clypeis ſublimibus orbem
Attollunt lecti iuuenes: manibuſque leuantes.

Deinde *Ipſe Miniſtrorum ſupra caput aſtitit.*

Nihil igitur inſolens erga ſuos Pontifices Romanus populus faceret, ſi eos brachijs excipi, & humeris attolli portarique, aut iuberet, aut probaret: nec ipſi Pontifices quicquam ex arrogantia peccarent, ſi hac ratione excipi, deducique paterentur: cùm præſertim Patres ſint, & innocenti imperio vtantur. Ego certè vidi morem hunc placere ijs, qui in Academijs verſantur, ſuntque eo acuti, & ingenui: nam quoties ex Academicis candidatus quiſque cathedram communibus ſuffragijs obtinet; is qui data opera longè ſecedit, & in remoto loco ſe continet magno ſtudio à fautoribus quæritur, & inuentus, ſubita, ſed grata vi rapitur, & in humeros principum amicorum ponitur, & elatus magno concurſu, plauſuque ad Academiam, vbi laurea donandus eſt portatur: nec pedes etſi longiſsima ſæpe ſit via, ire permittitur. Ita in Academia Conimbricenſi, qua in Vrbe ſum natus, ſæpe fieri vidi: nec dubito quin & in alijs Oxonienſi item, & Cantabrigienſi, quę illuſtriſsimæ in Anglia ſunt Academiæ eadem conſuetudo ſeruetur: imò & propè ſum, vt credam ab ijs ad reliquas Academias deriuatam, quòd ſcio Oxonienſis & antiquitatem, & vrbanitatem.

Conuincuntur aduerſarij. — *Academiarū conſuetudo.*

Verùm, vt ſunt Anglis argutiæ, excipiunt. Papam Paſtorem eſſe; proindeque nò debere illum ſuarum ouium humeris portari, ſed oues in humeros ſuos imponere, Chriſtumque imitari: imò & ſubſannant Papam quòd contra quàm Chriſtus fecit prorſus faciat. Ille, aiunt, feſſam ouiculam quæſiuit, eique ſuccollauit. Hic Papa oues ſuas grauis fatigat, & onere iniuſto premit: quo ſe Pſeudopaſtorem prodit. At didici ego inter Anglos argutari: Repono. Paſtor Chriſtus ouem errantem quæſiuit, & inuentam gaudens in humeros impoſuit, & ad gregem retulit, non eas quæ in grege erant illa ratione portauit. Sinant Angli quæri ſe à Pontifice, & reduci, recepti vt ab eo in humeris ad Eccleſiæ caulas geſtentur.

Alia obiectio.

tur. Sin experiantur, promittant ſe redituros ea lege, vt qui redeant à Summo Pontifice brachijs excipiantur; ego ijs Fidem pro Pontifice meam iuratam obſtringo, amplexu molliſſimo exceptum iri, in quo brachia omni pluma molliora inuenturi ſint. Itaque non deeſt officio ſuo Papa cum illos velut oues errantes non excipit, qui nolint quæri & reduci: nec quicquam pręter officium agit cum ſe ab ouibus ſuis portari ſinit, quę ſunt in caulis, & mentis compotes ſunt, amantq; Paſtorem & obſeruant. Opinor autem, ſi quas Paſtor oues paſcit, ac regit, eæ ratione iudicioque valerent, fore vt raro Paſtor per ſenticeta pedes incederet, quòd eum oues fatigari nollent, atque adeò & colla ſubmiſſuras, & onus gratum iuſtumque ſubituras. Ita nos ratiocinamur, & quod rationis compotes ſumus Paſtori noſtro ſuccollamus. Aliter & intelligunt, & agunt Heterodoxi, quòd oues non ſunt, ſed Lupi, qui & Gregi noſtro inſidiantur, & Paſtorem maximè oderunt. Cui ne quid mali à quoquam hoſte accidat eundem noſtris brachijs humeriſque excipimus, & oppoſitus laterum, corporumque noſtrorum pollicemur.

Idonea coniectura.

Ab humeris ad Currum veluti ſaltu quodam iracundo tranſeunt: indignantur quòd Pontifex curru per Vrbem inſignis vehatur. Timent nimirum ne Romæ triumphet. Propè eſt Porta Capena, & Appia quibus ingrediatur: propè Capitolium in quod inuehatur. Habitum ei triumphalem dedimus. Coronam impoſuimus: Si adſit currus triumphabit. At metuunt, ſi triumphandum ſit nonniſi de hęreticis triumphandum. Iuſtos ſe eſſe & certos hoſtes non dubitant. Tribunos non habent qui intercedant. Itaque perſuaſum ijs eſt Papam de ſe, ſuaque Hæreſi triumphaturum. Currum igitur tollere, militaremque manum conantur, nefas quippè putant ſine curru triumphum agere. Quos ego amicè moneo, ne turbent, quieſcant: nec enim Romana lege decernetur Pontifici Togato homini Triumphus, nec vt armatus eſſet, Hæreticoſque iuſto prælio ſuperaſſet, & liceret per legem triumphare: cùm non auxiſſet inter nouos populos imperium, ſed vetus amiſſum recuperaſſet: quo nomine triumphus concedi nun potuit, nam idcircò neque Fuluio, qui Capuam receperat, neque Lucio Opimio, qui Fregellas recuperarat permiſit Senatus vt triumpharent; præſertim cum Pontifex non armis pugnet, ſed amore, ac legibus. Nec periculum eſt, quòd

In Currum Pontificio inuectiua.

Venuſta, & idonea reſpõſio.

illo

illo curru, illoue Comitatu triumphet, cum & currus vulgaris ſit, & Comitatus domeſticus: nec aut ſtatuæ effigieſque deuictarum Vrbium præferantur, vinctiue hoſtium Duces ante currum acti ingemiſcant. Maioris molis currus ille eſſe debuit, quem ſublimiſſimum Tertullianus punico faſtu appellauit: nec aut Ciſij Britannici, aut Petorriti Belgici, aut currus Circenſis, ſed turris inſtar rotundę longè, lateque eminebat. Itaque ſiue ſella geſtatoria, vti fermè fit, aperta, ſiue curru feratur Pontifex inepto ad triumphandum vehiculo vtetur. Nuſquam certè legimus triumphaſſe Pontifices, niſi amore: eo triumphi genere delectantur, quod Romani libenter offerunt: qui veriùs gaudio triumphant, cùm Pontificem ſuum Chriſti vices gerentem vident, quàm Papa cum ſublimis, & ſpectandus per Vrbem inuehitur. Non ille vti Camillus equis candidis: non vti Pompeius Elephantis: non vti Aurelianus Ceruis: non vti Heliogabalus Tigribus: non vti Nero equis Hermaphroditis, aliiſque inſolentibus beſtijs ad currum iūctis triumphabit. Moderatè ſe gerit. Sumit quod ad ſuſtinendam perſonam ſit ſatis; non abutitur aut poteſtate, aut opibus ad ſuperbiam. Sed quorſum, aiunt, illa equitum ala, illa tympana, illa vexilla, ſpecieſque illa militaris? An non naſcenti Chriſto militia Cœleſtis prælusit? An non Deus Exercituum Deus dicitur! An non Aſtra militant Deo? An non Eccleſia Caſtrorum acies ordinata? An non in Apocalypſi Chriſtus & Imperator, & rector inter equos equiteſque Cælum fatigat, & palmas prouocat? *Certè lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiebāt. Omnes tenentes gladios ad bella doctiſſimi.* Cuſtodia opus eſt Pontifici, nec arma dedecent floridæ pacis Miniſtrum; nam & Roſa Spinarum ſatellitio ſtipatur, & liliū innocentiſſimus flos ſpinis præter naturam cinctū reperitur. *Lilium inter ſpinas.* Nec idcircò non Agnus inter lilia paſcitur, inermis armata, mitis aſperata, pulcher horridula. Excubabant circa lectum Salomonis fortes illi propter timores nocturnos. Excubant circa Pontificem milites illi non tam propter timores nocturnos, & diurnos, quàm pro decoro & perſonæ, & dignitatis. Pacificum legimus Salomonem, ſed in alta pace locus timori fuit. Cur non erit in domo, & Ciuitate Pontificis cautioni, & prudentiæ, cuius eſt habenda ratio Principibus? At Papa Chriſti vicem agit; & Salomon Chriſti figuram geſſit: qui Pontificem improbet, & Salomonem

Bella cum Heterodoxis oſtentationis.

Erudita ratiocinatio.

monem reprobet neceſſe eſt. Verum opponunt impotunè Salomonem fuiſſe Regem, cuiuſmodi non eſt Pontifex. Repello. Non eſt opus ad habendam militarem cuſtodiam corporis Regia dignitate, Viris Principibus, & Dynaſtis habere licet. Nec Papæ deeſt titulus, & dominium Principatus. Quin & plerique Epiſcopi in ſuis Diœceſibus ũtramque & ſpiritualem Paſtoris, & temporalem Principis gerunt, atque adeo & milites alunt, & ſatellitio cincti incedunt. Pergant ire Angli per omnes Chriſtiani Orbis Prouincias, & in omnibus inuenient eiuſmodi aliquot Epiſcopos, penes quos ſit poteſtas temporalis, quàm illa militaria inſigna, & ornamenta comitentur. Cur ergo Pontifici, qui tanto latiùs, & glorioſiùs, quemadmodum Vindicia 5. & 6. oſtendimus, imperat, quod his minoribus Principibus, licet non licebit. Deteſtantur præterea illos baiulos, quos lecticarios dicunt ſellam geſtatoriam portantes, damnant humerorum curuitatem, ceruicem flexionem dorſi inclinationem. Morem abominantur, & inſolentiæ accuſant. Aiunt, delicatè, & ſuperbè Pontifices vehi, & velle hac ratione de hominibus triumphare. Sed hos ego ſatis ſupra refutaui. Nunc ſatis erit locum Pamelij adducere, quo illorum ora obturentur. Hic igitur in notis ad librum 1. Tertulliani ad vxorem nota 29. ad vocem. *Germanicos baiulos*: ſic ait. *Porrò Romanus Pontifex vſum lecticæ ex antiquitate retinuit, vt alia multa fauentibus, & concedentibus hoc Imperatoribus Flauio Conſtantino, & cæteris, qui hunc inſecuti ſunt. Denique Romæ baiulos agunt hodieque Germani Pontificis corporis geſtatores, ex coborte illa ſtipatorum palatina, quàm à multis annis Romani Pontifices alunt.*

Lecticariorũ defenſio.

Pamel.

Sed redeunt, & importunè objiciunt duos illos flabelliferos, qui à lateribus ſellæ geſtatoriæ incedunt ad ventulum faciendum aerem excitantes. Fremunt, indignantur, furunt, quod & indignum homine putant, nedum Pontifice flabellis, vti præſertim Pauonum verſicolore pluma conſtantibus & mille culorum lenocinia præferentibus. In titiuilitio certè laborant. An non licet ad leuandum æſtum ventulum adhibitis flabellis facere. Ego in Anglia id licere vidi. Quod ſi pernegent, ſaltem concedant eum ad muſcas abigendas. Sed non ferunt illos varios & elegantes colores in flabellis. Ferendi ſunt, cum hæc Pauonina ſint. Ecquis autem neſcit Pauonum plumas verſicolores, & elegantes eſſe? Fiant, inquiunt,

Alia calũnia ridicula.

ex alia materia. Illa placet quia priſca & Romana eſt teſte Martiali: & nos Romani antiquitatem etiam in his minutijs diligimus. Compingantur ex alijs plumis. Aptiores Pauoninis non ſunt, quòd longiores, quòd amęniores; itaque illæ veteribus placuerunt. Nimis importunè agunt, & muſcas imitantur; ad quas abigendas ingentibus illis flabellis opus eſt. Itaque effecerunt ſua importunitate, & moleſtia, vt neceſſaria ſint illa magna muſcaria ad eos, tanquam muſcas maiores effugandos. Quare & leuandi ęſtus cauſa & hanc muſcarũ turbam abigendi Flabella ſunt illa retinenda, & in flagella commutanda. En ad quas nos quiſquilias Hęretici, docti cæteroquin, & belli homines redegerunt. *Depellitur.* *Mart.*

Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis.

Obiectorum ſummæ initio Vindicia X. propoſitę breuis, & idonea refutatio.

HAec de ornatu, inceſſu, comitatu Pontificio *Petrus* Molinæus ſæpè, ac importunè obiectat: atque vt liberiùs conuitietur, Gallico ſermone vtitur, quemadmodum videre eſt in libro Prophetiarum complemento, & libro de Paſtor. vocatione, & lib. de nouit. Papatus, vbi audacter, & vt verè dicam, petulanter in Pontifices Romanos inuehitur, quaſi mundum omnem muliebrem in ſe tranſtulerint, & proprijs fœminas ornamentis ſpoliarint, vt ſe veſtirent: ac vt eos in inuidiam vocet, & riſui omnium exponat, Sacras veſtes ſingillatim percurrens, ijs nomina muliebris cultus imponit, quæ Gallicè ſunt effæminata, & ad infamiam facilè detorquentur. Addit ſcommata, conuitia, ſales mordaces, dicteria dentata, quibus ſemper abundant cùm de Pontifice Romano loquuntur, & ſcribunt conciones, & libri Hęreticorum: quæ ij tamen acumina putant. Itaque eodem ſtyli genere, ſed intra moderationem tamen, Molinæi, à quo Angli illa ſumpſerunt mihi ſunt dicta refutanda. *Molinæi petulantia.*

Cum Papæ mundum muliebrem obiectant ſatis ſignificant mulierum cauſam agere, non Chriſti. Dolent, quòd quę ornamenta Papæ; cum Chriſti perſonam ſuſtinent, ſibi accommodant, fœminis ſuis detrahantur, & hac ratione ſacra ornamenta ad eas transferre moliuntur. Malè collocari putant, vbi ijs ad laſciuiam abuti non poſſunt. Regnum nempè

eo-

eorum de hoc mundo muliebri eſt. Cui velint addici non modò Coronas Regum, ſed & Tiaras quoque Pontificum. *I*js iam Londini initiarunt Eliſabetham; cuius Baccatæ gemmis Coronæ, bacchantes, ceu Berecynthiæ Corybantes plauſerunt. Huic Britannici ſe Leones Cybeli ſubiecerunt, nimirum Virgini, ſed fide proſtituta. Deliciantur dum quibus pigmentis, & lenocinijs fœminæ Anglicanæ abſtinent, ijs Pontificem Romanum ſtudent inficere, quò Catholicis fucum faciant. Scio eos & nomina, & artes muliebrium deliciarum, & ornamentorum tenere, quibus eorum Arculæ, & Scrinia ſunt referta, templa & altaria vacuata. Egregiam pietatem nudare Aras, vt veſtiant fœminas: ſpoliare tholos, vt exornent toros. Nos idololatras vocant, quòd imagines Dei ſanctorumque colimus; ſe, qui cultum & ornatum ad fœminas transferunt Religioſos dicunt. Sed illud ex ſacra ſcriptura didicerunt. Ponere in puellis ſuis Altaria, vt ſit Religio ornare, & virtus adorare. Nam de Anglis, aiunt, vaticinatus eſt Dauid, *Filię eorum compoſitæ circumornatæ, vt ſimilitudo Templi*. Planè hunc ſenſum germanum, & litteralem putant. Nec illi niſi ex præſcripto Dauidis animata hæc altaria exornant, & adorant: nec ille ſe niſi ex hac interpretatione veſtiri, colique patiuntur. Irrident Claues Papales: nos suam in aperiendis Scripturis Clauem illudimus. Chriſtus Clauibus Petri Cæli portas adiunxit. *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*. Angli Claues Scripturæ *P*uellarum ſuarum Strophiolis, Zonuliſque adligant: & vt ſacratiùs intelligant mamillis adſtringunt. Illud conijcio, ſi Papiſſas nos Romæ haberemus minus eos ægrè eos Pontificium ornatum laturos. Ideò *I*oannam *P*apiſſam tanta vi in ſolium intrudunt, vt pati in fœmina poſſint, quod in viro non patiuntur. Solus ne Papa ſplendidè veſtitur, ac pretioſè ornatur? Omnes id agunt Pontifices, & Sacerdotes, cùm ſacris operantur, quod argumento eſt, non ambitioni, ſed Religioni ſeruire. Sacram in ſcena agunt perſonam, eiuſque ſuſtinent dignitatem. Alius eſt habitus priuati hominis, alius publicæ perſonæ. Arctam eſſe ſalutis viam ſcimus, qui non omnibus eam Hæreticis, & Sectarijs, cuiuſcumque ſint factionis, ſed vnis ſoliſque Catholicis aperimus: ſed eius anguſtias priuatis virtutibus, continentia, temperantia, iuſtitia, oratione, maceratione corporis moderatione, & harmonia partium animi exprimimus; habitu

& ve-

Inueſtitura in Anglos.

Pſ.143.

Matth.

Punguntur Angli.

& veſtitu, & pompa Pontificali terminum illius viæ, ideſt gloriam triumphantis Eccleſiæ, Chriſtique ſponſi decorem, ſpeciemque adumbramus. Idcircò illa continuò, & priuatè agimus: hoc interdum, & palàm præſtamus. Itaque Martyrum cruciatus, tormenta, carnificinam, quoad eius fieri poteſt, flagellis quibus verberamur, cilicio quo maceramur, ieiunio quo attenuamur exhibemus. Victorias, laureas, triumphos ſpecie illa, pompaque veſtium repræſentamus. Quin immò & Chriſtum ipſum Dominum ſæpè viatorem, & aliquando comprehenſorem delineamus. Et quidem ille ieiunia Cæli delicijs, tempeſtates roſis, mortalitatem gloria, improperia plauſu, prælia triumpho, mortem Anaſtaſi commutauit. Hinc illa Cidaris turrita, & lemniſcata: illa redimicula, illa reticula, illæ Stolæ, illæ Planetæ, illa Pluuialia, & quę maiore ſonitu quàm tonitruorum ſit, deſcripſerunt, ad dignitatem gloriamque ſponſi Chriſti, & ſponſæ Hieruſalem nouæ repræſentandam. Cuius ſi vel vni Virgunculæ Sanctiſſimæ putà Clarę, Catharinæ, Theraſiæ, ideſt lilio, par Salomon non fuit, cur eum nobis de lilijs hortenſibus aut ſylueſtribus textum obijciunt? Ad eumdem nos Salomonem, & Aaronem Pontificem prouocamus, quorum ornamenta & opes non conſequimur. Certè illis Aaronici limbi tintinnabulis tinnulos iſtos Anglicarum linguarum ſonitus refutamus. Iam vero Crucem præcedentem quòd impugnent, inde profectò eſt quòd nollent eam in ſublime attolli, ac exaltari. Quam nullo apud ſe loco patiuntur conſiſtere. Nos eam vbique erigimus, vt ijs Crucem ſtatuamus. Euchariſtiæ qui non credunt eius tam glorioſè ante oculos Papę aciem intendentis triumphantis gloriam videre non poſſunt. Nos per illam obiectam ſpeciem quaſi per nubem latentem intus Chriſti Solem intuemur. Doleant ijs oculi caligantes, dum oculi mentis noſtræ Fidei radijs illuſtrati beantur. Iam quæ de lecticarijs, flabellarijſque obmurmurant, tam putida ſunt, & inania, vt ipſo flabellorum ventulo diſſipentur. Itaq; aura, quam collecta, dum altiùs quid obijciant cogitant, anima, in turbinem cogunt, & inflatis buccis euomunt, momento eiecta euaneſcit, & ſenſa

Omnia diſcerpit, ceu nubibus irrita donec.

CAPVT V.

De vſu præferendæ Crucis, & Euchariſtiæ ante Summum Pontificem Romanum.

SECTIO I.

De Cruce.

Occupatio idonea.

ET hoc obiecere olim, & hodie obijciunt Heterodoxi: non quòd Crucem aut Euchariſtiam curent, ſed quòd ex eo cultu, quem nos vtrique tribuimus, probare velint abuti religione Papas, & ſibi arrogare, quod minimè homini erudito, & noſtris ſacris imbuto liceat. Quare neceſſe erit accuratiùs reſpondere.

Primùm de vſu & conſuetudine agamus, vt nouitatem, quam item obijciunt euitemus; deinde de cauſis, cur id in conſuetudinem venerit tractabimus. Crucem in bello Conſtantinum prętuliſſe, videtur conſtare ex Labaro ipſius vulgari, quod ait Sozomenus lib. 3. cap. 16. *Conſtantinus in Crucis inſigne commutauit*, ad quod reſpexit haud dubiè Prudent. lib. 1. contra Symmachum. Sozom. Pruden.

Ipſe Senatorum meminit clariſſimus ordo
Complexuſque pedes victoris ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens. Tunc ille Senatus
Militiæ vltricis titulum Chriſtique verendum
Numen adorauit, quod collucebat in armis.

Et manifeſtiùs.

Agnoſcas Regina lubens mea ſigna neceſſe eſt
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.

Rurſum. *Chriſtus purpuream gemmanti textus in auro*
Signabat Labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat; ardebat Summis Crux addita criſtis.

Formas vero Labari Cruce expreſſa proponit ex multis Baronius ad annum Chriſti 318.

Origo Crucis prælatæ quę?

Hinc ait Chryſoſtomus in demonſtrat. contra Gent. *Vbique celebrari, videlicet in domibus, in foro, in ſolitudine, in vijs, in montibus, in collibus, in mari, in nauigio, in inſulis, in lectis.* Quemadmo- Baron. Chryſ.

admodum eruditè percurrit Stanislaus Oſius in Cathol. Confeſs.cap. 11. & latiſſimè Grethſerus de Cruce, & alij: cùm Auguſtino Fiuizano Sacriſta Palatij Apoſtolici Auguſtiniano commentario de Cruce prælata Pontifici. Et quòd Imperator Conſtantinus Crucem exaltauit, ceu ad dignitatem rediret honor Adrianus I. Leo III. Papæ Imperatori Carolo Magno alteri Conſtantino Romam venienti cum vexillis ciuitatis obuiam miſere referente Sigonio & Aemylio, in eiuſdem Imperatoris vita. Sacratior paulatim hic vſus fieri cœpit procedente die Chriſtiano, & aperiente ſe magis Eccleſiæ Sole poſt perſecutionum tempeſtates, vbi Pax cum Religione ſimul creuit. In ſupplicationibus præire, in Synaxibus prælucere, in Litanijs proferri, in Conuentibus ſacris eminere. Illud proprium ac rem continens, quòd omnibus Patriarchis, & Metropolitis Crux præferri ſolita. Qua de re inſignis eſt textus cap. *Antiqua* extrauag. de Priuil. & priuileg. exceſs. in quo decernitur, vt Patriarchæ Conſtantinopolitanus, Alexandrinus Antiochenus, Hieroſolymitanus Crucem ſibi vbique deferri faciant, excepta Vrbe Romana, & loco, vbi aut Summus Pontifex, aut Legatus illius vtens inſignibus, exiſtat. Quæ facultas Crucem præferendi Archiepiſcopis communis eſt, teſte eodem Stanislao Oſio de Fide & ſymbolo cap. 12. idque experientia docet. Habet autem Crux prælata Chriſtum affixum, hac ratione, vt facies Chriſti ad faciem Pontificum conuerſa ſit, vti patet ex libro Cæremoniarum. Id accuratè animaduertendum Patriarcharum Crucem duplicem eſſe, vnam maiorem & iuſtam, alteram minorem ſuper ipſam impoſitam. Cæterorum, ſimplicem illa minori detracta: qualem proferri videmus Romæ ante Pontificem: qui Cruce vtitur ordinaria, non illa duplici Patriarcharum. Quamquam grauis author Ioannes Molanus in opere de picturis affirmet, Pontificem Romanum vſum Cruce triplicata, vt à Patriarcha diſcerneretur. Verùm ea conſuetudo, ſi vnquam fuit, iam pridem deſijſſe videtur. Non negarim tamen extare Romæ effigies nonnullas Romanorum Pontificum manibus, & duplicatam, & triplicatam Crucem præferentium, ſed ea Crux fertur ab ipſis, non ipſis ab alio præfertur. Eſſe morem hunc antiquiſſimum, & quem Heterodoxi nouitatis non arguant, conſtat ex vita Papæ Leonis IV. de quo Baronius anno 855. nec dubito fuiſſe antiquio-

Stanisl. Ozius.

Vſus multiplex Crucis.

Ius Canonicū.

Crux à quibus deferri ſoleat.

Modus portandi Cruce.

Ioannes Molan.

rem, & fortaſſe à Sylueſtro incæptum, & inductum: quemadmodum exiſtimat Auguſtinus Fiuizanius Sacriſta Palatij Apoſtolici Auguſtinianus commentario de Ritu Sanctiſſimo Crucis; ſed id ſola coniectura probatur. De Leone tradunt hiſtoriæ. Hinc illud præſcriptum Cæremonialis Romani, vt quoties Papa domo exeat, ſiue per vrbem incedat, ſiue extra eam iterfaciat Crux illi ſemper ritè præferatur. Quare vetuſta conſuetudo in legem tranſijt: vt documento Anglis ſit Crucem Romano Pontifici præferri oportere. Nec illud nouum, ac inſolens eſſe, ſed videri poſt inductas in Anglia Sectarum nouitates, quæ antiquos mores extinxerunt, & vsū ſolemnem Sacroſanctæ Crucis prorſus abſtulerunt. Itaque nouitas eſt in Anglia, non in Eccleſia. Quod ſi auent ſcire cur inſigne Crucis Papæ pręferatur? paucis exponemus. Ac primùm quemadmodum Moyſen, & populum Dei nubes, & columna præcedebat, ad ductum, & tutelam Exod. 13. ita Crux nubes rorida Chriſti ſanguine, & columna ignea charitatis debet Pontificem, & Eccleſiam quam repræſentat, ducere, ac tutari. Et ſicut Arca teſtamenti antefaciem Ioſue, & populi prælata Iordanem aperuit, & in terram promiſſionis introduxit, ſic vera noui Teſtamenti Arca, ideſt Crux Papam & populum Chriſtianum antecedens ſignificat planam, & expeditam fore viam ad Paradiſum, quò tendunt omnes Chriſti Fideles, quibus imperatum eſt in Euangelio, vt Cruces ſuas portent poſt Ieſum, ac eius Crucifixi veſtigia inſequantur. Hęc Paradigmata & cauſas continent. Nunc propius ad rem accedamus. Prima ratio præferendi Crucem eſt, vt meminerit Pontifex, cui acceptam referre debeat eam, qua fruitur, dignitatem; nempè Chriſto crucifixo, qui Principem huius mundi debellauit, Papam ſpirituale caput inſtituit, cuiq; omnes fideles Chriſtiani tãquam ſui Vicario obedirent. Secunda vt Papa in Crucem intuens ſit paratus Chriſtum vſque ad Crucem ſequi, & vti ille tanquam bonus Paſtor animam ſuam pro ouibus poſuit, ita ſibi pro grege eſſe, ſi opus fuerit, moriendum. Tertia, vt in Pontifice perficiatur illud vaticinium. *Erit vita tua pendens ante oculos tuos:* ad quam vitam mortuam pro redemptione mundi, vitam ſuam conformet Pontifex *configuratus morti eius*. Quarta, vt qui mortuum in Cruce videt, curet illum in ſuis membris à mortuis ſuſcitare, pro quorum vita ille paſſus eſt mortem. Quinta, vt mu-

Fiuizan.

A quo mos cæpert.

Punguntur Angli.

Exod.

Firmatur ex ēpiis ſcripturæ. Colūnæ Nubis.

1. Reg.

Arca Teſtamenti.

Rationes cur præferatur.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

mutuus ille aſpectus, & Pontificis in faciem Chriſti, & Chriſti in faciem Pontificis intelligatur, & huius proijcientis in illum, & illius ſuſcipientis in ſe huius cura, ita vt Pontifex ſuam erga Chriſtum fiduciam, & Chriſtus ſuam erga Pontificem prouidentiam ſignificet. Sexta, vt Crux prælata muniat aduerſus æreas poteſtates viam Pontifici incedenti, cuius greſſibus Dœmones inſidiari conantur, ne ouibus ſuis conſulat, & opituletur. Septima, vt qui Princeps, & caput Eccleſię eſt, ſignum illud, & quaſi ſtemma præ ſe ferat, eoque ſuum Principatum à cæteris temporalibus diſtinctum eſſe confirmet. Octaua, vt eo velut explicato vexillo bellum Diabolo, Mundo, & Carni denuntiet, quod eſt bellum Domini Crucifixi, & eorum qui ſe crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs. Nona, vt appareat in qua Vrbe fuit Sedes Imperij tot inſignibus Faſcium, Securium, Aquilarum, Trabearum, Laticlauiorum, Prætextarum celebrati eam in poteſtatem Chriſti Crucifixi veniſſe. Cuius demum Crux deiectis illis ſuperbis inſignibus ſola eminet, ac triumphat, vt altè prælata in Vrbe Roma, & extra vrbem opera Pontificia vbique ius ſacrum dicentis, longè latèque dominetur. Quas qui ſeriò expendere velit rationes, comperiet Crucē iure pręferri Romano Pontifici oportere. Nec obſtare quòd alijs etiã Patriarchis, & Archiepiſcopo ſit permiſſum, quia his nec Romę permittitur, & ſicubi permittitur, id Sanctæ Sedis Apoſtolicę ſit priuilegio conceſſum, à qua mos ille cum deriuatus eſt, tum communicatus. Verùm Angli Heterodoxi repugnant. Quid mirum? At ij Crucem & Crucifixi Imagines ſuſtulerunt: quo iure hoc fecerunt, eo & illam pręferendi Crucē conſuetudinem inſectantur. Nos qui Crucem & Crucifixum colimus, morem & retinemus, & approbamus. Veniet ille dies, qua Chriſtus aduenie mundum iudicaturus, & Crucis ſignum præferet, tum heu! ſed ſerò agnoſcent Heterodoxi Angli errorem, quo nunc tenentur; cogenturque, vel obliquis oculis Crucem intueri ad Cruciatum, non ad profectũ, & dicent montibus. *Cadite ſuper nos*, vt veſtra mole obruti, ac oppreſſi Crucem, quæ ſuo nos aſpectu vexat, & torquet videre nequeamus. Nec falſus vates dico, ſi ij ſua in perfidia obſtinatè perſeuerabunt.

Quinta *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Nona.* *Crux maximè propria Papę.* *Exhortatio ad Anglos.*

S E-

SECTIO II.

De Euchariſtia Romanis Pontificibus prælata.

Obiectio Heterodoxorum. *Argutia.*

PVpugerunt Romanos Pontifices Angli Heterodoxi,quòd Euchariſtiam in qua Corpus Domini ineſſe, immò ipſum Corpus Domini eſſe putant, pręire ſibi more ſerui deducentis faciant, idque ſuperbiæ ac faſtui imputant : & nouitatis, ac inſolentiæ accuſant. Minus ijs ſuccenſerem, ſi id taxarent reuerentia Sacramenti, ſed cum eſſe nullum exiſtiment : noſtram inducunt perſonam, vt tutiùs reprehendant. Rogo eos vt eam per tempus ſuſtineant, dum reſpondeo,depelloque calumniam.

Depulſio, & refutatio. *Euchariſtiæ Bona.* *Mos portandi domum Euchariſtiã.* *Quomodo viri, quomodo Fœminæ portarint.*

Tertull. Clemẽs Alexan. Cypr. Cyrill. Nazian. Baſil. Hieron. Maxim.

Nihil committunt Pontifices noſtri, quod aut contra dignitatem Sacramenti,aut contra conſuetudinem Eccleſiæ ſit. Euchariſtiam ſic Dominus Ieſus Chriſtus inſtituit, vt Eccleſiæ ſuæ, & cibus ſpiritualis, & comes, ac pignus eſſet.Itaque & in Ara conficitur, & confecta manet in Sacrario,vnde cum eſt vſus,educitur, & interdum populo exponitur, interdum ad infirmos defertur,& Viatici more ad æternitatis iter ſeſe accingentibus datur. Immò & ipſa Viaticum & eſt, & dicitur,tam illius eſt proprium comitari. Quare olim Euchariſtię familiaris erat, & facilis vſus, tanquam Sacramenti amoris, & neceſſitudinis.Solebant enim Sacerdotes dare illud in manus Fidelium, vt acceptum in domum ſuam portarent, & ibi fidenter ſumerent.Quo de more agit Tertullianus lib.2. ad vxorem, & lib.de orat.in fine, & Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromat.& Cyprian. ſerm.de lapſis, & Cyrill. Hieroſolymitanus in Myſtag.cap.5.& conſtat ex Gregorio Nazianzeno,qui orat.in funere ſororis ſuæ Gorgoniæ teſtatur illam ſeruare apud ſe ſolitam Euchariſtiam ſuper aram decenter collocatam: eique ſeſe commendare,à qua ſemel fuiſſet morbo quo laborabat grauiſſimo, liberata. Hoc idem tradit Baſilius in Epiſt.ad Cęſariam Patriciam, & Hieronym.Epiſtol. ad Pammach.& habetur in Sexta Synodo Canone 3. & apud Maximum Dialogo contra Monothelitas reperitur locus expreſſus,vbi dicitur *viros manibus, fœminas linteolis Corpus Chriſti de manu* Sacerdotis accipere,& domum referre : quæ verba inueniuntur ſerm.252.Sancti Auguſtini. Vbi obſeruandum

illud

Auguſt. Hieron. illud Linteolum *Dominicale* appellare. Immò idem Hieronymus proximè citatus ait, quoſdam Fideles, quibus non erat licitum ingredi Eccleſiam, domi ſuæ, quam ſeruabant Euchariſtiam, ea ſe communicare. Ita Primitiuæ Eccleſiæ fideles domi ſuæ. Nunc extra Eccleſiã propiùs ad cauſam. Mos item fuit Peregrinantibus: Iter facientibus: Nauigantibus Euchariſtiam ſecum portare. Primum, quod inuenio in Eccleſiaſtica hiſtoria eius rei exemplum eſt anni 255. Papa Stephano in vita S. Tharſicij apud Surium. Hic enim Martyr ad Martyrium deductus Euchariſtiam ſecum portare deprehẽſus fuit: verum quia non conſtat an ea tantùm die, & obeundi Martyrij cauſa portaret, alia inueſtiganda ſunt. Manifeſtum eſt illud Satyri fratris Sancti Ambroſij, de quo narrat nauigantem imminente periculo naufragij, accepta Euchariſtia ſeſe muniuiſſe, eaque munitum in mare ſe deieciſſe, ac incolumem euaſiſſe. Ita orat. de obitu Satyri fratris. Exploratum eſt item illud de Maximiano Syracuſę Epiſcopo, qui ſimili tempeſtate iactatus cum ſocijs Euchariſtiam, quam in naui deferebant tanquam Viaticum moriturus ſumpſit. Quod narrat Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 36. In Actis Sancti Laurentij Epiſcopi Dublinenſis ipſum iter facientem Euchariſtiam ſecum afferre ſolitum traditur. Magis memorabile eſt, quod de Sancto Birinio Epiſcopo Dorceſtrienſi ſcribit Surius Decembris tertio. Hic quòd conſueſſet collo appenſam incluſa intus Euchariſtia thecam geſtare, ſemel per obliuionem in littore illam reliquit. Quo animaduerſo vicem ſuam anxius, dolere, ac gemere cœpit, mox, quòd retro redire nauis non poterat, vti erat indutus in mare ſe proiecit, & ſuper fluctus, quos Deus ſolidauit, ambulans remeauit ad littus, accepit thecam, & collo appendit, & in nauem ſubductis velis expectantem receptus omnes rei nouitate attonitos reddidit. Tandem Hieronymi idoneo teſtimonio rem confirmo. Is in Epiſtol. ad Ruſticum 4. loquens de Exuperio Epiſcopo Toloſano. *Nihil ditius*, inquit, *quàm qui Corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro*. Quo quid manifeſtiùs? Ex his conſtat Euchariſtiam Sacramentum eſſe viæ, & itineris ſocium. Forte ex eo quòd in extrema vitæ periodo exituris è mundo in Viaticum dabatur. Quod vocabulum eſt ſolemne, & à Niceno Concilio vſurpatum. Sic enim Canone 12. *De his vero qui recedunt ex corpore antiquę legis*

Marginalia: Cõſuetudo deferendi Euchariſtiam in itinere. — Ambr. — Gregor. — Varia & apta exempla. — Surius. — Locus Hieronymi idoneus.

Euchariſtiæ Viaticum.

legis regula obſcurabitur, ita vt ſi quis fortè recedat ex corpore, neceſſario vitæ ſuæ Viatico non defraudetur. Eſtque familiare alijs Concilijs vocabulum, & quotidie vſurpatur, in illa vltima communione.

Defenditur conſuetudo Pontificum Romanorum in præferendo Sacramento Euchariſtiæ.

Nihil igitur inſolens efficiunt Romani Pontifices, dum ſuſcepto itinere Euchariſtiam ſecum deferri iubent, quod enim alijs licuit, cur ijs non licebit? Nec id indecorum eſt Sacramento, cùm Eccleſia ſua conſuetudine rem ſacrarit: immò religioſam fecerit. Si enim minus deceret Euchariſtiæ dignitatem, nunquam Eccleſia committeret, vt mos iſte inualeſceret. Verùm originem curioſè Heterodoxi inquirunt, & an ſit antiqua examinant. Perinde ac ſi ſit recens, ſuſpecta ſit. Homines nouitatis amantes in noſtris quærunt vetuſtatem. Satis nobis erit ſi origo, eorum ſit ſectis, & ſectarum authoribus antiquior.

Origo inquiritur.

Laborant noſtri de initio ſtatuendo. Vtuntur coniecturis ad aſtruendam vetuſtatem. Sunt qui timeant ne noua ſit conſuetudo. Mihi qui Nouatores noui parum laborandum. Obijciunt iſta nobis vt fucum faciant, vt deterreant obtento nouitatis: cum nihil apud eos fermè ſit ex antiqua Eccleſia præter baptiſmum, quem ipſi tamen nouum detractis cæremonijs ſacris reddiderunt. Fateor me non inuenire in hiſtorijs antiquius exemplum, quàm *P*apæ Gregorij XI. eius qui relicto Auenione poſt annos fermè LXX.

A Greg. XI. initium.

Romæ Cathedram reſtituit. Hic enim cum poſtea circa annum ſalutis MCCCLXXVI. Anagniam Romę contenderet ex Baſilica Sancti Ioannis Laterani, vbi ſacris operatus eſt, Hoſtiam quam ipſemet ſacrauerat in pyxidem miſit ante ſe in itinere deferendam. Eamque Kalendis Iunij mane pręire imperauit, quemadmodum ex Petro Aemylio Auguſtiniano Sacrarij Pontificis præfecto (quod eius clariſſimi Ordinis munus eſt) refert Angelus Rocca eiuſdem & familię ſocius, & officij poſtea conſors, & demum Epiſcopus in ſuo aureo ſanè commentario de Sacroſancto Chriſti Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo. *Angelus Rocca.* Eugenius IV. (quem miror prætermiſiſſe Angelum Roccam) cùm Ferraria Concilium Florentiam transferret, eoque ſe conferret, Sacram Euchariſtiam ſecum aſportari more ſolemni, & miro apparatu iuſſit. Rem deſcribit accuratè Dorotheus Græcus Monembaſenſis Epiſcopus in Synopſi.

Pius II.

*P*oſt Eugenium Pius II. cum de bello Sacro Turcis inferendo

rendo conuentum Mantuam indixiſſet eam vrbem ingreſſus eſt Sacra Euchariſtia, quemadmodum ipſemet in ſuis commentarijs vbi tradit pompam & apparatum deſcribit, Id contigit circa annum Domini MCDLIX.

Alexander VI. Roma Vicouarum Oppidum in Latio ſupra Tibur ſitum, ibi cum Alphonſo II. Neapolis Rege de communi defenſione aduerſus Galliæ Regem acturus, Reipublicæ cauſæ profectus, præferri ſibi eo in itinere Hoſtiam Sacroſanctam curauit, eaque duce iter confecit. *Alexand. VI.*

Iulius II. Bononiam liberaturus à tyrannide, Euchariſtia præcedente Roma eo vſque ſe contulit, quo in itinere, ait Platina, Rauennam, Ariminum, & Aemyliam vniuerſam recuperauit. Adrianus Cardinalis iter illud totum deſcripſit. Iterumque poſtea eodem Sacramento præuio eandem vrbem repetijt, bellum Alphonſo Primo Eſtenſi Duci Ferrariæ illaturus. *Iulius II.*

Leonis X. memorabilis ad eandem vrbem profectio fuit: Franciſcum I. Galliæ Regem eo venturum expectaturus, Florentiam primum, deinde Bononiam præcedente Euchariſtia eſt ingreſſus. *Leo X.*

Clementi VII. eandem vrbem petenti ad coronandum Carolum V. Imperatorem Sacrum hoc Viaticum viam muniuit. Quin & intra Vrbem Papam, & Imperatorem ſimul incedentes Euchariſtia anteceſſit. Paulo Iouio Hiſtor. lib. 17. authore. *Clemens VII.*

Tertium idem Clemens Bononiam Die 18. Nouembris Anno MDXXXII. iter intendens excepturus Carolum V. Vienna venientem Euchariſtiam prætulit. *Idē Clemens*

Quartum ab eodem Clemente die IX. Septembris Anno MDXXXIII. Niceam, & Maſſiliam ad Regem Franciſcum contendente Sacroſanctum Chriſti Corpus ſolemni more delatum. *Idem.*

Paulus III. Roma Peruſiam proficiſcens eodem eſt Viatico vſus Anno MDXXXVIII. *Paulus III.*

Idem ſtatuerat Gregorius XIII. cùm Bononiam cogitaret, ac omnia ad apparatum neceſſaria prouiderat, & præpararat. *Gregor. XIII*

Nullum tamen celebrius, & illuſtrius exemplum prælati Euchariſtiæ Sacramenti, quam quod exhibuit Papa Clemens VIII. cum Roma ad recuperandam poſtliminiò Ferra-

Nnnn riam

riam profectus eſt. Cuius itinerarium accuratiſſimè deſcribit Angelus Rocca eius tum Sacriſta toto lib. 3. ſui commentarij: in quo ille de apparatu in ornanda, pompa in comitanda, cultu in excipienda Euchariſtia, numeratis oppidis per quæ tranſibat, donec peruenit Ferrariam ſcitè, ac eleganter commemorat.

Hactenus de Euchariſtia terrà, & in itinere delata. An vero per aquas ab vllo Pontifice vecta nauigio, aut cymba fuerit: digna res eſt, quæ curioſè inueſtigetur. Vnum tantùm affert Pontificem Rocca Clementem VII. à quo Liburnis Maſſiliam ſacroſancta Hoſtia in triremi prçuia delata fuerit. Ego tamen inter varios mihi monſtratos à D. Felice Zacchia Rōdinina illuſtriſſima, & erudituſſima fçmina numos, vnum notaui in quo erat effigies Pij II. nauigantis in cuius prora Euchariſtica Hoſtia vehebatur. Sedebat in Puppi coronato triplici corona capite Pius vultu ad Euchariſtiam verſo, cui ex aduerſo Pyxidis facies reſpondebat. Erat autem numus priſcus argenteus, ſine fuco, ac omnium prorſus iudicio germanus. Naui, ne an lyntre, mari, an fluuio ferretur? ambiguum. Vndæ apparebant, quas ſulcabat nauigium: Certè vt minus conſtet eum ſulcaſſe poſt Pontificatum maria, illud certum eſt eum vti affirmat Angelus Rocca *varia Italiæ flumina nauigaſſe*. Potuit ergo tum in cymba Euchariſtiam deferre: vti numus repræſentabat. Hoc exemplum addo Camerti vno doctiſſimo. Nec multum curo aliud quod affert de Petro de Luna, qui fuit dictus Benedictus XIII. haud dubiè Antipapa, quem inducit inter Pontifices, qui Euchariſtiam prætulerunt. Nam etſi conſtet eum, cùm ſe exautoratum vidiſſet, remeantem in Cataloniam Sacrum Chriſti corpus palàm tuliſſe, non ideò feciſſe exiſtimo, quòd ea ratione Papam ſe vellet oſtendere, quanquam hoc non omninò negare auſim, ſed ne à quopiam iniuriam acciperet, & tuto iter ſuſceptum faceret; Religione Sacramenti nocere conantibus incuſſa. Nemo enim aliorum, qui ſe Pontifices putabant eo vſus eſt, vel adiumento, vel ornamento. Supererat cauſas huius rei afferre: verùm cùm multas Superiori capite de Cruce, & Crucifixo adduxerim, & omnes in Euchariſtiam, quæ idemmet ſacrificium citra ſanguinis effuſionem exhibet, quadrent, non eſt opus eas recenſere. Tantum animaduerto hos Pontifices, qui Euchariſtiam prætulerunt, tum

Mari delata Euchariſtia à Clem. VII.

Flumine defertur à Pio Secundo.

Numus idoneus.

Petrus de Luna. Antipapa.

Animaduerſio opportuna

id egiſſe, cùm Reipub. cauſa ardua negotia, & aleæ, & periculo obnoxia ſuſceptum ibant, quemadmodum exempla demoſtrant. Propterea tantum ſecum pręſidium detuliſſe: memores illius verſiculi Pſalm. 22. *Paraſti in conſpeſtu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.* Et quidem de his hactenus. *Animaduerſio opportuna.*

COROLLARIVM.

Pontifices Romanos poſt adeptum, & adminiſtratum temporalem Dominatum, & recognitos, & cultos ab Angliæ Regibus, ex ipſis eius Regni Hiſtoriarum monumentis oſtenditur.

CAPVT I.

Exempla priſcorum ante Normannos Regum afferuntur.

SI quis populus optimos Reges habere meruit, eum certè Anglorum fuiſſe conſtat: cùm gens Anglica, tum ijs quæ natura inſunt, tum quæ arte, & virtute parantur bonis inter cæteras eminere videatur. Nam ſi illa ſpectentur, quæ ad animum referuntur: eſt ijs acre, & acutum ingenium, maturum, ſyncerumque iudicium, vis mentis prompta, & perſpicua, prudentia, & ſolertia ſingularis, indoles celſa, magnus animus: ſi quæ ad corpus pertinent, idonea conſtitutio, apta membrorum compoſitio, agilitas, robur, vires, ſtaturæ præſtantia, oris dignitas, vt qui eorum habitum animi, corporiſque conſideret, is parum Anglos ab Angelis diſtare non dubitet. Iam vero quæ arte, & induſtria comparantur, ſumma in ijs reperiuntur: linguarum peritia, ſtudiorum frequentia, doctrinarum notitia, Iuris prudentia, ſcientia rei militaris, armorum vſus, rei nauticæ experientia, opes, & potentia tanta, quantam vix in alia Europę gente inuenias. Omitto quæ ad minores, & quæſtuoſas artes pertinent, in quibus ij cæteris facile antecellunt. Certè Anglos cereo ad omnem virtutem ingenio eſſe conſtat, ac vtinam eo dignos magiſtros nanciſcerentur, qui ad Religionem, & pietatem fingerent, non qui ad vitia oppoſita, quæ flexibilis ingenij conditio eſt, traducerent. Id ego ſum, qui penè omnium, quæ in Europa ſunt, gentium linguam, & mores noui, expertus;

Anglicæ gentis commendatio. *Ab indole.* *Ab ingenio.* *A ſcientia.* *A bellica virtute.*

tus, nullos Anglis, aut humaniores, aut dociliores, aut ſuauiores, aut generoſiores natura eſſe, vt ſi doctrina, cultuſque accederet, nuſquam maiores virtutum prouentus extitiſſent.

A docilitate ingeny.

Quòd Reges attinet: illud mihi Anglicanas hiſtorias legenti, & cum aliarum gentium alijs conferenti videtur, nulli earum plures numero, nec diſſimiliores moribus contigiſſe: eoſque non mediocribus, ſed ſummis aut virtutibus, aut vitijs fuiſſe. Haud facilè medium quiddam tenent Angli, in vtramuis partem ſe dent, excedunt limites exuberante, vel in bonum vel in malum fœcunda fertiliſque natura. Ita nuſquam Religioſiora pietatis exempla, quàm in pijs: nuſquam turpiora impietatis, quàm in ijs qui ſecus; reperias. Licet hoc fatear non vereor tamen cum peritiſſimis Angelorum hac lege certare, vt qui plures ac clariores Reges à ſe ſtare monſtrarit, is cauſa vincat. Euoluam Annales, producam exempla ſumma fide. Arbitrium Anglorum, & lectorum eſto.

Lucius Rex.

Agè verò à primis illis ſæculis incipiamus, & cum in partes Angliæ Regnum diuiſum erat. Singularum Reges enumeremus, enumeratoſque expendamus. Ante omnes integra Britannia ſolitarius prodeat in Catholicam ſcenam, auguſtam acturus perſonam Rex Lucius, quem conſtat ſublatis Druydarum ſuperſtitionibus Romana Sacerdotia inſtituiſſe, & Romam ad Eleutherium Papam miſiſſe, qui Magiſtros ſibi, ſuiſque impetrarent: nec enim niſi à fonte ſalubris doctrinæ aquas petere voluit. Has è Romani Fontis origine Fugacius, & Damianus in Angliam corriuarunt. Eos Lucius, vti Eleutherij Romani Pontificis miniſtros excepit, ac ijs ſe initiandum tradidit, & luce exempli tamquam illata face plurimos illuſtrauit, & ad ſuſcipienda Sacra Romana accendit. Ita primus Anglorum Rex Chriſtianus fieri auſpicijs, & ope Romani Pontificis voluit, vt eius Sedis dignitatem confirmaret, & obſeruantiam in Pontificem & profiteretur ipſe, & alijs commendaret. Hoc exemplum etſi longiùs poſitum videatur, afferre tamen placuit, vt illuſtrem Lucio in Rege aditum ad cauſam facerem, & ad cæteros lumen accenderem.

Eleutherius Papa.

Arturus.

A' Lucio igitur vſque ad Arturum tanta caligo rebus Britanniæ incubuit, vt ne Reges quidem ſatis illuxerint. In Arturi verò Hiſtoria, quamquam aliqua Chriſtiana Religionis exempla emineant, ſunt ea tamen ab Authoribus tot in-

uoluta

uoluta fabulis, vt ad ſplendorem magis, & pompam, quàm ad ſolidam veritatem compoſita illius Regis vita eſſe videatur. Itaque fabuloſa illa Heroum commenta, ad rotundam illam menſam accommodata locum in Arturi Aula habuerunt: vnde in omnes nationes libri militarium fabularum pleni, otioſorum hominum iucundæ occupationes, negotioſorum amæna diuerticula, prodierunt. Quare ad quintum nobis ſæculum properandum: quo à Gregorio Magno Auguſtinus in Angliam eſt Apoſtolus deſtinatus. Cantiæ tum Rex erat Ethelbertus, cui Auguſtinus Fidei Chriſtiana myſteria cum mandatis Gregorij officij, & pietatis plenis aperuit: quibus ille ſuſceptis Chriſto nomen dedit: eiuſque Romæ Vicarium Gregorium recognouit. Duobus erectis Religionis ſuæ monumentis ære perennioribus: ideſt Templis altero Cantuariæ Diuis Petro, & Paulo, altero Londini Diuo Paulo ſacro: quæ nominibus ipſis Romanę Sedis dignitatem, ac erga illam obſeruantiam ſignificabant, quam Gregorius miſſis ad Regem litteris collaudauit, ac confirmauit.

Talla Redunda vulgò dicunt.

Arturi Regis geſta.

Reges Cantię.

Ethelbertus

Magnus Gregor, Auguſt.

Opera Chriſtiana Ethelberti.

Edbaldum Ethelberti filium iuuenem initio Regni pręposterus in nouercam amor, è tranſuerſo iniectus æſtu quodam abreptum paulum à recto, quem cœperat curſu pietatis auertit. Sed haud multò poſt Laurentius Epiſcopus Cantuarienſis, cui Galliam ob deſperatam Regis correctionem cogitanti S. Petrus per ſpeciem ſeſe obiecerat, cui fidem vibices faciebant, eum ad rectum Religionis iter reuocauit. Illum longè melior excepit Ercombertus filius, quem alterum Angliæ Conſtantinum dicere iure poſſumus, tam ille omni pietate laude excelluit. Turbulenta poſt eum in Cantiam tempora, ceu turbines incurrerunt, ſed nunquam tamen clauus Religionis amiſſus, donec ad Vvithredum Regem ventum eſt, quo certè Regnum adminiſtrante mira ſerenitas Religionis extitit, clariſſimis obſeruantiæ, & officiorum in Romanos Summos, Anglicanoſque priuatos Pontifices exemplis illuſtris, quæ ad Aldredum vſque vltimum Cantiorum Regem, quamquam intermiſtis domeſticis Regiæ domus calamitatibus tenuerunt. Vt Reges Cantiani acceptam ab Ethelredo pietatem tenaciùs, quàm Regni hæreditatem trecentos fermè ex quo ab ijs regnari cœptum eſt, annos retinuerint.

Edbaldi mores.

Ercomberti Religio.

Vvithredi pietas.

Aldredus.

A' Cantianis ad Oſtroſaxones Reges ſtylum vertamus; Mi-

Oſtroſaxonũ Reges.

Minus ij initio & Imperio, & Religione clari, etſi Londinum ſplendidiſſimam Vrbem Sedem Regni haberent. Sed Religionem tamen Catholicam puram, illabatamque Sibertus ſororis Ethelberti filius Auunculi hortatu accepit, & Romanæ Eccleſiæ doctrinam, & cultum didicit. Cuius filij Senedius, Senardus, Sigebertus, cum ad Idola deflexiſſent impietatis ſuæ pœnas dederunt, Regnumque deinceps obnoxiũ vicinis Regibus habuerunt. Non idcirco tamen Catholica Religio iacuit, reuixit quippè in Sigiberto Seuardi filio, à quò & piè culta, & fæliciter poſteris tradita, quamuis minus caſtè ab his, qui acceperant, conſeruata, etſi Rex Sebba haud dubia Religionis ſigna prodiderit, quæ Deus inſigni poſt eius obitum extenti ad menſuram corporis derepente ſarcophagi miraculo illuſtrauit. Floruerunt ijs Regnantibus Sanctiſſimi Præſules, quibus plurimum honoris Reges ipſi deferre ſoliti, nec quiſquam eorum quicquam de obedientia, & cultu in Romanum Pontificem detraxit, dum Fidem Chriſtianam coluit, nec ad Idola deflexit. Adeo Religio & Doctrina, & Obſeruantia erga illius Vicarium ſe comitantur, ac tuentur.

Siberti fides. *Filiorum Impietas. Sigeberti.* *Sebba Religio.*

Clariùs haud paulò Catholicę Fidei laudibus Orientalium Anglorum Reges extiterunt. Princeps omnium quartus ab Vffa Regni authore Etherualdus Rex purę, & incontaminatę Romanæ Religionis ſignum extulit: quod maternus eius frater Sigebertus altiùs euexit, & inſtituta Cantabrigienſi Academia nouam Arcem in qua Crux Chriſti emineret, ac præſidium armis inſtructum litterarijs pro Romanę Sedis defenſione excubaret, erexit. Quam non ignobiles Authores ab Honorio I. & ornatam, & munitam priuilegijs honorarijs memorant, vt iam tum cum primo litterarum lacte Romanorum Pontificum reuerentiam Angli imbiberent. Certè Sigebertus cùm Regnum fęliciter adminiſtraret, abundaretq; opibus, nouo exemplo Pauperis Chriſti ſequutus veſtigia, cucullo, quem tantopere nunc horrent Hęretici Angli, purpuram commutauit, & monaſterio ſe incluſit. A quo poſtea per vim Reip. cauſa extractus morti in acie deuotus, honeſtè interijt. Extant præclara eius in Pontifices obſeruãtię exempla, & in Monachos magnificentiæ monumenta. Nihil ab eo degenerarunt Egricus, & Annas, qui acceptam cum Regno pietatem ſanctiſſimè coluerunt.

Orientalium Anglorũ Regis. *Eſernaldus.* *Academia Cantabrigienſis laudatur.* *Sigiberti Regis Religio.* *Egricus, Annas.*

Tar-

Tardiùs Viſoſaxonum Reges Chriſti Fidem ſuſceperunt. Sed Religione tarditatem compenſarunt; nam vix tu illuſtrius alijs vel locis, vel temporibus ad commendandum cultum erga *Pontifices*, & refutandam Anglicanam calumniam exemplum reperias. Igitur Chinigillum Primum Regem Catholicorum illa ſtirps habuit: certum, & conſtantem: cuius ſucceſſor, & filius Cenoualchius minus eſt imitatus conſtantiam, ſed exitum tamen eundem conſequutus, quòd etſi Sacramentum Eccleſiæ ſymbolum vitauit, poſtea reſipuit, & varijs pietatis operibus admiſſum ſcelus expiauit. *Reges Viſoſaxonum.* *Chinigillum Rex Chriſtianus.* *Cenoualchius.*

Sed rapit iam ad ſe oculos Cedualla qui cum potiendi Vecti Inſula cupiditate æſtuaret, nec Chriſtianis myſterijs initiatus eſſet, vouit ſi ea potiretur quartam eius partem diuinis vſibus ab ſe addictum ſeque luſtrali aqua tinctum iri. Cuius cum voti compos factus fuiſſet, & quod vouerat fideliter reddidit, & quod ad eam inſulam attinet promiſſam partem (quæ 300. familias continebat Vvilifrido Auſtalium Saxonum Epiſcopo tradidit. De baptiſmate ſic ſtatuit. Illud Romam ire ſuſceptum, & Papam venerari, à quo luſtrari, & in album referri cupiebat. Repudiato itaque Regno Romam contendit, Sergium, is tum erat *Pontifex*, adijt, ab eo cœleſti aqua perfuſus Ceduallæ nomen depoſuit, *Petri* ſumpſit: atque hoc edito inſignis virtutis opere ne, an miraculo paulo obijt: ac per Baptiſmi ianuam, Cælum eſt ingreſſus, eo facilius, quo propius erant Claues Petri, quę portas ingredienti aperirent. Diſcant ab eo Reges Angli quam his temporibus abiecerunt colendi Romanos Pontifices doctrinam; & hoc ſuis poſtremis Regibus obijcio, & exemplum, & documentum, illuſtre, ac ſingulare. *Cedualla inſignis pietas.* *A Sergio Papa baptizatur*

Ex Merciorum Regibus vnum accipio, quem inſtar multorum habeant Catholici, & quo velut in aciem oblato, Heterodoxi cedant. Is eſt Ethelredus, qui depoſita corona, abiecto ſceptro, trãslato in nepotem Clemedum Regno in Monaſterio Bardoneo à ſe condito, Chriſto inter fratres nomen dedit. An negent Angli, qui Monachus factus, eum Romani Pontificis hoſtem non fuiſſe? cum ij eo nomine vehementer oderint id genus hominum, quòd illius dignitatem tueantur, & Papæ ſint prorſus addicti. *Merciorum Reges.* *Ethelredi Religio.*

Multos inſignes Religioſæ pietatis laude Nortumbria Reges affert: ſed alium præſtantem malo producere: in quem tam-

tamquam in ſpeculum cæteri intueantur, ſeque ad omnem virtutem componant. Eduuinum ſignifico, ad quem cùm Bonifacius hortatorias ad ſuſcipiendam, de qua iam diu deliberauerat, fidem; tum Honorius gratulatorias ob eandem ſuſceptam Roma litteras miſit: quem Regno Sacris, legibus, moribus Chriſtianis inſtituto, & Carpualdo Rege Redoualdi Regis filio ad Catholicam fidem traducto, odio nominis Chriſtiani, & inuidia gloriæ, & potentiæ Penda Rex immaniſſimus adſcito Ceduualla Duce, bello petijt, & occidit, vnde iure illi nomen Martyris peperit.

Eduuinus pius Rex.

Martyr.

His illa ætas priſca exemplis, Regibuſque abundauit. Media ſequens ab octauo vſque ad vndecimum ſæculo clariora multò ſuppeditauit. Quæ Regnorum iam coaleſcentium minori habita ratione, mihi ſunt hinc inde petenda. Offa Rex Merciorum potentiſſimus, & Egfridus filius particeps Regni à Patre factus optimi Catholici, Legatos Romani Pontificis Adriani honorificentiſſimè exceperunt: eoſque magnificentiſſimè donatos dimiſerunt. Quin ipſe Pater Offa Romam profectus Conſtantini Papę oſculatus eſt pedes, & ab oſculis pedum ad Chriſti amplexus in Monaſterium ſe recepit. Non minore fama Orientalium Saxonum latis legibus, & ſtatuto iure, rebus domi, foriſque compoſitis, partis de hoſtibus trophæis mirabili ſanè exemplo hodiernis Anglis mirabili Regnum obnoxium Romanæ Sedi fecit. Norunt Angli ſuum *Romeſcote*, nos *Petri Denarium*. Voluntarium & nobile gentis ſuæ tributum: quod, ne inficiari poſſint obſeruantiam, ſingulæ domus quarum hæredes ſunt, pependerunt. Velint, nolint à parentibus piè ſtipendiarijs Romanorũ Pontificum originem trahunt: & domos addictas Romanæ Sedi ſine rubore intrare non poſſunt ſubtracto religioſo & pio vectigali. Quod vt vberius fieret Rex Merciorum Offa effecit, à quo illud Regis Inæ prę euntis, & inuitantis exemplo Papis perſolutum. Ac vt illud ſtatum, ac firmum foret Rex Romam ad Pontificem adiens, illius & author, & præs, & obſes fuit. Legant Polydorum Virgilium hęc Henrico VIII. adhuc viuo ſcribentem. *Officia Inæ Regis pietatis plena infinita produnt, & illud in primis quod Regnum ſuum Romano Pontifici vectigale fecit. Singulis denarijs argenteis, quos denarios vocant in ſingulas domos impoſitis. Fecit autem idem eius exemplo, vt opinor, ductus Offa Rex Merciorum, qui non multum poſt tempus regnauit.*

Offæ Regis pietas.

Regnum ſedi Apoſtolicæ deuouet cum tributis.

Denarius Petri.

Eius tributi author quis?

guauit. Fuit is Annus ſalutis circiter 740. & vectigal, vt quidam ſcribunt auxit poſt hæc Ataulphus, ſiue Atulphus qui totius fere Inſulæ Imperium obtinuit, & mox omnis Anglia hoc tempore istud vectigal pietatis, & Religionis cauſa Romani Pontifici pendit domeſticatim collatum, & numi illi argentei vocantur à vulgo denarij B. Petri, quos Pontificius Quæſtor, quem non inciſè Collectorem appellant exigit. Hęc ille anno Domini 1533. viuente Henrico ſcripſit. *Polydori Virgilij teſtimonium.*

Obiecimus latrantibus Hæreticis, ceu Cerberis in Offa Rege medicatam ſuis frugibus offam: quam vt deglutiant Regem Inam medicum adhibemus, ne Angina pereant, dum hac Argentangina premuntur. Dolorem dedi Anglis. Tormentum addo: ſed neutrum niſi ſalutare eſſet adhiberem. Reuocatis in memoriam duobus Regibus Merciorum Chenredo, & Ethelbaldo: quorum alter cum Ina Romam profectus Religioſam profeſſus eſt vitam: alter ob ſolicitatam ſanctimonialium Virginum pudicitiam, & violata Eccleſiarum priuilegia acriter reprehenſus à Pontificio Legato Romanæ Sedis, patienter tulit, modeſtèque ſe geſſit, ac in meliorem frugem recepit. Vtinam Henricus, & Eliſabetha, vti Regni hæredes, ita Religionis, moderationiſq; fuiſſent, & Paparum monita ſaluberrima audiſſent; næ non illi Auitam Fidem perdidiſſent, immò ſe, & ſuos integros, illibatoſque ſeruaſſent. *Chenredus Ethelbaldus.*

Templaque nunc ſtarent, Aræque, & ſacra manerent.

Vrgeo inducto inſigni optimi alterius eiuſdem ſtirpis Regis Chenulphi exemplo, qui vt Cantuarienſis Sedis dignitatem labantem ſuſtineret, ſuam apud Leonem Romanum Pontificem litteris ad eum ſupplicibus datis authoritatem interpoſuit, ac reſponſum beneuolum elicuit, quo accepto, & impetrauit, quod voluit, & rationem quam in rebus Eccleſiaſticis ſeruare debent ſæculares docuit. Extant litterarum exempla, Regiæ officij, & obſeruantiæ plenę: Pontificię, amoris, & authoritatis. Has ſi legiſſent hodie Angli puderet ſui obſtinati in Pontificem odij, & quot lineas, tot reprehenſiones ſceleris inueniſſent. *Chenulphus pius.* *Obſeruans Pontificis Romani.*

Habitabant in Anglia Reges, ſed corda Romę erant; ceu eorum ibi theſaurus foret, eò ferebantur. Bertulphum Regem teſtem profero, quem Romę mortuum, cùm in Vrbem Religionis cauſa veniſſet, ex Hiſtoricis Anglis accepimus. *Bertulphi religio.*

Oooo Illud

Illud quoque mirabile, quam facilè ſceptra dimitterent, quibus tam tenaciter poſterorum Regum manus adhęſerunt. Itaque in Reges Monachos paſſim incurrimus. Duos Nortumbria vidit Clelulphum, & Egbertum vno ſæculo, cucullo, quem modo Angli horrent, inuolutos. Octo ij numero omnes fuerunt? At ò Ethelulphe octaui ſæculi lumen, quibus te laudibus efferam, qui neque Regnum ſuſcipere, niſi Leone Papa Authore voluiſti, & illud antiquo cenſu perſoluto vectigale Romanæ Eccleſiæ fuiſſe ſignificaſti, & nouo trecentarum auri Marcarum, ſic vocant, addito eidem obnoxium reddidiſti, & relicto Regno Romam contendens te ad pedes Pontificis abieciſti? Rex certè tam cereo ad pietatem, quàm ferreo ad bella ingenio, qui Danos per totam Angliam cædibus, incendijſque graſſantes cùm varijs primum cladibus fugaſti, tum vna & conſtanti apud Oderam Auſtralium Saxonum debellaſti: O Ideam & Religionis, & virtutis militaris! quam ſi Henricus exprimeret, minus Bolenæ amoribus deperiret, nec illo incendio fatali Angliam corriperet.

Apoſtraphe à ad Ethelulphum.

Soluit tributũ Papa Romam vertit.

Clariorem tu tamen, Alurede lumen Angliæ, ſplendore Regiæ dignitatis accenſum, à Leone Chriſmate ſacro vnctum, & in patriam vt ibi luceres remiſſum, tum Domi Pacis, tum foris Belli artibus lucem prębuiſti; cuius erat illa vox immortalitati commendanda. *Illum verum, ac germanum eſſe Regem, qui in Regno Chriſti, id eſt Eccleſia ſe non Regem, ſed Chriſtum agnoſceret.* Tu Mariano Authore. *Famoſus, Bellicoſus, viduarum, pupillorum, orphanorum, pauperumque prouiſor ſtudioſus. Poetarum Saxonicorum peritiſſimus. Tu genti chariſſimus, affabilis hominibus, liberaliſſimus, prudentia, fortitudine, iuſtitia, temperantia præditus, in morbis patientiſſimus, in exequendis iudicijs indagator diſertiſſimus, in ſeruitio Dei vigilantiſſimus, & deuotiſſimus.* Addo Leonis Romani pullus, ad Eccleſiæ cuſtodiam, & defenſionem eruditus, & Bello Romulus, & Pace Numa, in acie inter milites elatus, in Eccleſia inter Epiſcopos, & Sacerdotes demiſſus: quorum Concilia frequentabas, quorum conſilijs parebas. Dignus à quo Reges poſteri Regiæ conſecrationis Ritus, & Cæremonias (quæ vocantur regalia) acciperent. Quæ ab Eduuardo aucta religioſè ſeruantur, nec niſi abs te, qui Romæ à Pontifice initiatus es tradi debuerunt, vt cum Regia dignitate Romani Pontificis ad Reges veneratio tranſiret.

Alia commendationis plena ad Aluredum.

Ritus Sacros ſeruauit.

Huic

Huic par cætera Edmundus, & Vnctione haud diſſimilis: quippè qui ab Humberto Dummocenſi Epiſcopo conſecratus. At ſorte beata Martyrij multò præſtantior. Sagittis confixus ad cælum quaſi pennatus ales euolauit, & Sebaſtianum Romanum Martyrem Anglus natione expreſſit.

Edmundus Rex & Martyr.

Decimum ſæculum ingentes protulit, & fortitudine, & pietate, & liberalitate Reges. Omnia penè extant præclara Religioſæ obſeruantiæ in ſacratos, quibus tum Anglia abundauit Epiſcopos exempla. Eminent Edouardus, Ethelſtanus, Edmundus, Edgarus, & Martyr Edouardus, eſſetque feliciſſima, & Religioſiſſima ſeries, niſi Ethelredus ſucceſſiſſet, qui eam prauis tum artibus, tum moribus inquinauit. Cuius rei omen dirum, & fœdum illius Baptiſmus tulit. Copronymo enim ſimilis luſtralem, dum immergeretur, & purgaretur, fontem conſpurcauit. Non ille tamen legitur Maieſtatem *Pontificiam* violaſſe. Quam Edouardus initio Regni magnopere confirmauit, cùm Formoſo *Papę* per litteras eum ob negligentię ſacrorum obiurganti obaudierit. Cui ſingulare teſtimonium reddidit oratione habita ad Epiſcopos Edgarus: in qua duas poteſtates Eccleſiaſticę, & ſæcularis formas diſtinguit, & duobus gladijs comparat: quorum alterum Conſtantini quē ſibi Regi, alterum Petri quē Pontificibus aſſignat eſſe nouerat, vt nos ſuo loco repræſentauimus.

Agnoſcunt Reges Angliæ vtramque poteſtatem in Papa.

Duo qui ſuperſunt, & ad vndecimum ſpectant ſeculum in Anglia Reges, alter Dacus, alter Anglus ante Normannicum Imperium, haud obſcura certè nobis ſcribentibus argumenta pietatis miniſtrant. Primus Canutus inter leges, cautioneſque quas pręſcripſit Anglis, illa in primis fuit de Petri denarijs D. Petro Romam, ſoluendi tributi cauſa mittendis, vt norint Angli ijs poſtremis temporibus, cùm iam ad Normannos deuoluebatur Imperium, iſtud Religionis obſequium adhuc retentum, & frequentatum, atque adeò cum Regno ad Normannos traductum. Secundus verò Edouardus, vti omnium vltimus coronam geſtauit, ita & illam gemmeis virtutibus diſtinxit. Hic ſanè coronidem illuſtrem Regno Anglico ſanctiùs impoſuit. Conſtat eum cùm in Normannia patria pulſus exularet, Diuo ſe Petro tamquam Diuo Tutelari commendaſſe, ac ſi eius ope Regnum Anglię poſtliminiò vindicaret, vouiſſe Romam ad eius limina peregrinationem. Quod cum Petro apud Deum Authore obtinuiſſet

Canuti pietas

Eduardi fides

de reddendo voto agitantem graues, quæ interuenere cauſæ prępediſſe. Itaque ad Leonem nonum legatos miſiſſe, qui rem exponerent, conſiliumque peterent, cui ſe omnino pariturum eſſe reciperent. Pontificem tamen illum a voto abſoluiſſe, aliudque opus pium loco illius iniunxiſſe. Quod cum ille beneficium accepiſſet, totum ſe ad ornandam, & amplificandam rem Eccleſiaſticam contuliſſe. Hoc inſigni Regiæ ſanctitatis exemplo, quod in hoc ſanctiſſimo Rege, qui Virginitatem fœtam virtutibus matrimonio lubens fœcundo pręferre maluit, loco hęreditatis eſſe poteſt, primam iſtius capitis partem concluſerim, & ſecundam à Gulielmo Normanno nouæ gentis Rege inchoarim.

In Sedem Apoſtolicam reuerentia.

CAPVT II.

Eadem Pietatis Religioſæ veſtigia Normannos in Anglia Reges inſtitiſſe monſtratur.

GVilielmus I. Normannus Rex noui Regni initia illuſtri pietatis opere conſecrauit. Nam qui Euchariſtię ope vicerat Haraldum, & Anglos vicerat, miſſo vexillo indice victoriæ Romam Alexandro Summo Pontifici, ei Regnum ſeque ſubiecit. Et ibi Trophęum locauit, vbi Pontificis pedes inſiſtebant. Hunc Authorem habuit quarta Monarchia Britannorum, quam tanti faciunt Angli, vt Saxonum, & Dacorum Regum memoria penè deleta Normannos celebrent. Fortè quod ij & latiùs, & diutiùs imperitarint, nam iuſtiùs, aut feliciùs non facilè auſim dicere. Id ſcio: eorum imagines ad pompam & ſplendorem in celeberrimo illo Mercatorum atrio Londinenſi, vbi eorum fit conuentus, & vbi inſigne ac frequens totius Europę Emporium eſt, intuentium oculis exhiberi. In quas ego ſępè inſpiciens miratus ſum arma, & geſtus ad viuum expreſſos, ac per eos ad eorum ingenia & animos pertingebam.

Guilielmi Regis pia geſta.

Emporium Londinenſe.

Verum non tam conſtans Normannorum, quàm Anglorum quos hactenus numeraui, Regum pietas fuit. Vtramque in partem, & cultum, & contemptum Pontificis deflexerunt. Quare exemplis ſic vtar, vt qui coluerunt Pontificem, eos rectè, ac è Republica feciſſe; qui contempſerunt, ſecus egiſſe demonſtrem, vt in alteris quid imitandum; in alte-

ris, quid fugiendum ſit, commemorando appareat. Iterum ad Guilielmum reuertar. Minus in eo media primis reſponderunt. Ambitioſus Rex alienus, retinendi quod occuparat, & augendi Imperij ſtudio pecuniarum cupiditate exarſit. Prophanis haud contentus, ad ſacra oculos adiecit, & manus. Copioſiſſima res tum erat in Anglia Eccleſiaſtica, multa & pretioſa ſupellex ſacra, eximius ornatus, paratuſque Templorum. Accenderunt hęc hominis cupidinem. Itaque prędia inuaſit, reditus auertit: deinde diripuit Templa, ſurripuit vaſa, Cimelia compilauit. Magnam vim auri, & argenti facti, infectique ex Eccleſiarum Arculis, repoſitorijſque collegit. Cumque Pontifices ſe opponerent, odiſſe eos cœpit ac inſectari, & cùm ob id à Romano Pontifice incuſaretur, minus quàm par erat obaudijt: non tamen commiſit, vt quicquam contra ius, authoritatem, poteſtatemue, aut ſentiret, aut tentaret. Tantùm, quòd ea ætas turbulenta fuit, & ſeditionum flatibus Pſeudopontificum opera agitata, Guilielmus eò animum ſuum flexit, quò auaritia cupiditaſque vocabat: ac ijs partibus adhęrebat, quas obnoxias ſibi fore exiſtimabat. Sed huius ille inconſtantiæ, ac impietatis luit pœnas: nam ex Filijs Primogenitus Robertus eum bello laceſſiuit, & in acie vulnerauit, ac ex equo deiecit; ac ob id diris Paternis deuotus, & Regni hęreditate priuatus eſt, & in carcere voluntariam mortem obijt. Richardus item alter proximus à Roberto Filius, à Feris, quas venando agitabat miſerrimè laniatus fuit. Quin & nepos Richardus Roberti Filius in denſa Sylua equo decurrens alliſo ad truncum capite fœdè interemptus. Quid? quòd ſucceſſor Guilielmus Ruffus in partem diuinæ vltionis venire poteſt: nam & prauum relinquere poſt ſe ſucceſſorem Regibus infelicitati datur. Huiuſmodi autem Ruffum fuiſſe, ex ipſius, quam proximè ſubijciam, hiſtoria apparebit. Illud tamen in Guilielmo laudandum quod in extremo vitæ actu religiosè, ac piè ſe geſſit: legata in tabulis magna pecuniarum vi monaſterijs, & templis; ceu vellet hac ratione ablata reſtituere: ædificatis Eccleſijs, erectis altaribus, ſacris conſtitutis. Ita prima, & poſtrema medię vitę maculas abluerunt.

Mutatio Guilielmi.

Calamitates.

Qui ei ſucceſſit Guilielmus Ruffus, illum ingentia vitia famoſum reddiderunt. Nihil homini ſanctum, nihil integrum, nihil inuiolatum, omnem ſanè ſpeciem virtutis extinxit.

Guilielmus Ruffus

tinxit.

tinxit. Toleraſſe illum Angliam miraculo dandũ. Ille ſacros homines contempſit, Pontificem Romanum irriſit; & Antipapam Vvibertum fouit. Celebrem penſionem annuam intercepit. Sacra temerauit. Ius omne tum Eccleſiaſticum, tum prophanum conculcauit. Non lacrymas tantum ex hominum oculis, ſed etiam è fontibus ſanguinem elicuit. Nam quo anno eſt mortuus, eo anno Fons Haſtedienſis in Comitatu Bershirij quindecim dies ſanguine manauit. Igitur acerba, & inopinata morte ſublatus eſt. Nam dum in fatali illa Sylua venaretur, ſagitta, quam Gualterus quidam in Ceruum coniecerat, è tranſuerſo ictus, nulla penitus voce emiſſa, interijt. Ecquis neget hoc ei à ſuperis pro ſceleribus ſupplicium conſtitutum? Henrici Primi virtus in Anglia, & rem Eccleſiaſticam, & politicam ſubleuauit. Accepta in thorum Mathilde Edouardi abnepti, & ſanguinem Anglicum, & pietatem Normannicam in domum induxit. Quamquam verò næuas quoſdam vitiorum contraxerit, pulchram tamen virtutis formam expreſſit. Cùm præſertim, quas cum Romanis Pontificibus contentiones habuit, eæ temporum potius iniuriæ, quam illius culpæ ſint aſſignandæ: quæ tandem felicem exitum habuerunt. Duos illeq; quippè Pontifices coràm eſt allocutus, Calliſtum apud Giſorcium, & Innocentium II. apud Carnotum, & Rhotomagum, eoſque officioſè coluit, & honorificè proſecutus eſt. Immò & Anacleto pertinaci Pſeudopontifici ſe oppoſuit, & Regem Galliæ Ludouicum, eiuſque Regnum in officio continuit, & in iuſta veri, ac germani Pontificis Innocentij obedientia confirmauit.

Guilielmi Ruffi impietas.

Mors infauſta.

Henrici Primi mores.

Coluit Papas

Henricum Secundum Mathildis Auguſtę Filium, prætermiſſo Stephano partim adulterino, partim precario Rege Henrici primi Nepotem Regem Anglia nacta eſt, eum quem magnæ virtutes, & vitia in vtramque partem inſignem fecerunt. Nemo maiores Eccleſiaſticis iniurias intulit, nemo melius illatas reſarcijt. Nemo Romanum Pontificem acerbiùs eſt inſectatus, nemo in ſe ob id acriùs ſeueriuſque animaduertit: nemo Chriſtianam Eccleſiam grauiùs afflixit, nemo eam impenſiùs recreauit, vt qui peccantem Reges imitari velint, ab eodem delente quod peccarit illuſtria pietatis capiant documenta. Nullum autem ex ijs qui Romano Pontifici defuerunt, iuuare poterunt exempla Henrici ad errorem, & pertinaciam confirmandam, ſed ad officium, & obedientiam

Henrici Secundi varia indoles, & geſta.

Petrus Bleſenſ.

præ-

tiam præſtandam. Id ego breuiter vti ſoleo, ſed perſpicuè oſtendo.

Fateor primum multa ſibi arrogaſſe,quę cùm Eccleſiæ ſcitis & rationibus non cohærent. Sacerdotia diſtribuere, ſacra iura vſurpare, reditus intercipere, prouocationes ad Romanum Pontificem tollere, Legatos à ſe ab eo miſſos examinare,& legibus Regni obnoxios reddere:eoſdemque repugnantes Anglia extrudere. Sed illo præcipuè Henricus crimine condemnatur, quòd in Sanctiſſimum Thomam Cantuarienſem admiſit: quanquam non vnum fuit, ſed ex omni genere ſcelerum conflatum. Auaritia, rapina, impietate,Schiſmate, ſacrilegio, parricidio, quibus ille totam aulam Regiam fœdauit,& Angliam infamauit. *Primum impius.*

Verum hæc & alia domeſtica,priuataque delicta,quorũ & quòd hominis erãt,faciliùs gratiã facimus,ſic purgauit,vt qui peccata cum ſatisfactione conferat, magis Eccleſiæ profuiſſe ſatisfaciendo, quàm peccando nocuiſſe comperiat. Indoluit vehementer morti Thomæ,ac eius ſe authorem negauit:tantùm excidiſſe irato ſibi minacia verba faſſus eſt; ſed cum id parum videret probari, Cantuariam contendit,ad ſepulcrum Martyris adijt,nudis pedibus obſoleta in veſte ſeminudus,ibi diem noctemque inſomnis & ieiunus egit. Epiſcopis & Monachis ſe virgis cędendum præbuit. Aram cenſu annuo ditauit. Pontifici Romano increpanti, & pœnas exigenti paruit, nuncupato ſuſcipiendæ Hieroſolymitanæ expeditionis Prouinciæ voto: à quo poſtea eſt ritè abſolutus. Legatos ad ſe miſſos benignè, ac officiosè excepit: ſeque in eorum poteſtatem permiſit. Quin Author eſt Bleſenſis, cum Legatis ei conueniſſe, vt Regnum Angliæ iuris Pontificij foret, ac nemo poſtea Rex, niſi ab eodem Romano Pontifice deſignatus Regnum capeſſeret. Mirum ſanè id,ac inſolitum videbitur, ſed do idoneum eius temporis teſtem ſcriptorem. Apud quem eſt Epiſtola Henrici ad Alexandrum in qua gladium eius ſpiritualem contra rebelles filios implorat,atque ad eundem conciliandum hęc piè adſcribit. *Me veſtris aduoluo genibus conſilium ſalutare depoſcens: veſtræ iuriſdictionis eſt Regnum Anglię, & quantum ad Feudatarij iuris obligationem vobis duntaxat obnoxius teneor.* Illius poſtremę tabulę multa, & pręclara ſeruant pietatis monumenta. Vtinam hunc Henricum Secundum Octauus ille, vt peccantem imitatus eſt, ita imitari

Perſecutor S. Thomæ Cantuarienſis.

Pęnitet, & humiliatur

Petrus Bleſenſ.

Obſeruantia in Sedem Apoſtolicam.

ri

ri vellet poenitentem, ſed eum tranſuerſus Amor fœminarũ egit, maluitque Salomonis, quam Manaſſis imitator eſſe: cum multo præſtaret Henrici vnius ex maioribus ſuis iudicio acquieſcere, qui Manaſſis exemplo ſupremas ad Deum Deum curas conuertit: quem ſanè, vt ita dicam lacrymarum fluuius

Plorantem ad ſuperos abluta cæde remiſit.

Richardi virtutes. Richardum vixdum apud Hannonis Portum (Portes mutham dicunt) inito Regno, mirè commendat, & ſuſcepta ibi Hieroſolymam expeditio, & ante illam inchoatam ſolemne ſeruandi ius diuinum, ac Eccleſiaſticum, & ſacra ſacroſque homines tuendi, & colendi, & ſtatuendi vbique æquitatem, cum à Cantuarienſi Epiſcopo inungeretur, iuramentum. Cui pondus addidit Religioſa ad ſacrum bellum profectio. In quo ille tam ſe ſtrenuè, ac piè geſſit, vt omnium ante, & poſt ſe Regum famam ſuperarit. Nec dubium quin eius expeditionis Authores Papę hortatoreſque fuerint, quorum eximius cultor Richardus extitit. Illud ſanè conſtat, eum tantum honoris detuliſſe ſacris hominibus, vt palam diceret. Si ijs compertum eſſet, quanti à ſe fierent, eam in ſui contemptum opinionem eſſe verſuros. Quod exaggeratius dictum miram quandam, & ſingularem in eos obſeruantiam ſignificat. Qui vero priuatos tam coluit, multò certè magis Romanos, ideſt communes Parentes Pontifices coluiſſet.

Ioannes infelix Rex. Quis crederet Ioanne Rege, quo nemo in Anglia impotentius, infeliciuſque regnauit, nemo aduerſus Romanum Pontificem obſtinatius ſe geſſit, nemo ſacra & Sacerdotia acrius, & vehementius eſt inſectatus, clariora Pontificiæ authoritatis, & iuris documenta fore, & qui rebellis maximè & refractarius fuerat, ab eo præcipua & Religionis, & obſeruantię exempla petenda? etſi hæc non à volente data, ſed ab inuito extorta, id ipſum facit ad cauſam, vt appareat Regiam poteſtatem obnoxiam Pontificiæ eſſe. Nec licere Regibus à Romana Sede deficere, ac ei bellum mouere, cùm ea Petra illa ſit ſine manibus, quæ tum opes, tum vires Regum Diuina virtute confringat. Igitur Ioannes, cum ſe in ſacras optiones intruſiſſet, & Archiepiſcopum Cantuarienſem, Ioannem Nordouicenſem Epiſcopum, excluſo Stephano, quem malebat Innocentius, retinere voluiſſet, magnas in Regno turbas aduerſus ſacra, & Romana iura excitauit. Abuſus

Sedi Apoſtolicæ infectus.

Regia

Digitized by Google

Regia authoritate Stephanum Cardinalem ei Eccleſiæ præpoſitum ab Innocentio III. & qui ei adhærebant monachos multarit exilio. Litteraſque Innocentij vetantis ne vltrò procederet, & hortantis, vt acta reſcinderet, ad ſe miſſas, contempſit,& minaces alias feroceſque remiſit.Cùmque eum Pontifex ad officium reuocaret, & Legatos cum alijs litteris mitteret,non tulit ille, & grauiter exarſit, & in eoſdem Legatos,& alios Religioſos viros ſæuire immaniter cœpit.Strinxit ergo Innocentius gladium Pauli, & interdicti Regnum, & Regem ictu percuſſit.Hinc eum quaſi exauthoratum Philippus Galliæ Rex bello appetijt & in Regnum, ceu vacuā poſſeſſionem Ludouicus filius iure vxoris Anglicæ è Regia domo, cum armis irrupit. Ad hunc Principes Angliæ deficere, plures inclinare, Reſpubl.conuerti, Ioannes labare, exanimari,de ſumma rerum deſperare. *In* his anguſtijs putatis ſecum rationibus belli,paciſque, ſtatuit eundem,quem offenderat Pontificem conciliare, & initā cum eo amicitia, bellum amouere. Quare cum *P*andulpho Legato,qui in Gallia agebat in Angliam accerſito conuenit, vt cum in poteſtatem eius Pontificiſque ſe daret, & damna Eccleſijs illata ſarciret, *R*egnumque denuò Romanæ Sedi obnoxium redderet,Clientemque ſe & Beneficiarium eius profiteretur,abſolutionem impetraret, & Regnum tranquillè poſſideret. His conditionibus fœdus factum, & Ioannes periculo explicatus. Quanquam, quòd non erat admodum conſtans voluntas, nec ille ad regnandum ſatis inſtructus, nouis ſubinde exiſtentibus cauſis, ortæ ſeditiones domi, bella foris totum Regni ſtatum ita conturbarunt, vt *I*oannes ex ægritudine animi, & iactatione corporis contracto morbo perierit.Quid à Rege Pio, & Religioſo optari amplius potuit ad commendationem poteſtatis, authoritatiſque Romanę, quàm quod à Ioanne collatum eſt: Itaque illud ei debere volumus, quòd in alijs videri potuerunt voluntaria in Sedem Romanam pietatis obſequia,in hoc iuſta viſa ſunt debita Religionis officia, non modo ſponte à Regibus deferenda, ſed etiam ab inuitis extorquenda. Rem tangit Paulus Iouius in ſua Britannia ſuis verbis,dum Henrico VIII. rebellionem aduerſus Romanum Pontificem exprobrat. *Ex ipſorum Annalibus liquidò conſtabat Ioannem Regem ante* 300.*annos, ſeſe,ſucceſſores poſt eum Reges, & totius Regni ſacra,templa, & Sacerdotia ad authoritatem, ac Im-*

Ioannis calamitates.

Pauli Iouij teſtimonium.

Pppp *perium*

perium Romani Pontificis vicarijque D. Petri Apoſtoli libera voce contuliſſe, certaque auri pondera quotannis tributi nomine dependiſſe cùm Innocentius III. in ipſum Regem ius dicendi, conſtituendique Cantuarienſis Antiſtitis vſurpantem Anathematis fulmina contorſiſſet.

Henrici Tertij varia & fortuna Imperij, & ratio vitæ fuit. Conſtans ei tamen in Romanos Pontifices religio. Primum cum Innocentio de relaxandis, quibus ſe obſtrinxerat, iuramentis conuenit. Deinde ſuper alijs controuerſijs ad rerum tum Eccleſiaſticarum, tum Politicarum adminiſtrationem ſpectantibus eundem per litteras Pontificem Lugduni tum agentem conſuluit: ab eis expediendi ſe vias quæſiuit. Legatos pręterea ad ſe à Pontificibus miſſos, & benignè admiſit, & beneuolè audijt. Accepit autem ab Innocentio Vvalonem. Ab Honorio & Gregorio Ottonem. Ab Vrbano Epiſcopum Sabinenſem. Ab Innocentio IV. Ottobonum. Et cum diutiſſimè imperaſſet, totos nimirum quinquaginta ſex annos, plurimos, qui id temporis clauum Eccleſiæ tenuerunt, Pontifices & recognouit, & coluit. Eorum litteras, reuerenter accepit, Synodos ab eorum Legatis indictas, & coactas probauit, & veneratus eſt. Propter quę officia Religionis, & pietatis, illi Pontifices aduerſus Proceres contra eum ſępè conſpirantes fauerunt impenſè, & Regnum ſæpius commotum, & fluctuans obnoxium ei & obſequens reddiderunt.

Henrici III. erga Papam obſeruantia.

Beneficia & à Pontificibus Romanis collata.

Edouardi I. eximia virtus facit, ne de obſeruantia in Romanam Sedem dubitare poſſimus. Quam ille reuerſus in Angliam è Syria inuiſit, & ſuſpexit. Et qui poſtea ſederunt Pontifices ſanctiſſimè coluit, & ſtudioſiſſimè obſeruauit. Quare de ijs benemeritus multa obtinuit, quę ad dignitatem Imperij, & Patrimonij Regis incrementa pertinebant. Dimiſſum ſanè à Bonifacio in eius Regis gratiam, & à Clemente V. ius illud, quo Regnum Scotiæ in mancipio & clientela Eccleſię Romanę eſſe dicebatur, vel certè non exactum, acriter ſe huic iuri Edouardo per litteras opponente. Ita conniuere Pontifices Regi Religioſo, quàm ſuum ius perſequi maluerunt. Adeò pietas ad rationes etiam politicas conducit.

Eduardi I. religio.

Calamitoſiſſima Edouardo *II.* Rege fuere tempora, & quæ quadrarunt in miſerrimum Principem. Sed non defuerunt clara authoritatis Pontificiæ erga Regem, & Proceres argumenta. Alterum quòd ad pacificandum Regem cum Regni

Prin-

Principibus miſſi ſunt à Clemente V. in Angliam Legati. Alterum quòd Rex ipſe collato cum Gallorum Rege ſtudio mortuo Clemente, ac electione vltra biennium dilata, litteris ad Concilium Purpuratorum Patrum datis, optionem noui Pontificis maturauit, qui fuit Ioannes XXI. ſeu vt alij malunt XXII. Tertium quòd is Ioannes per Legatos & litteras cum Edoardo grauiſſima de rebus ſacris negotia tractauit, donec ille à Regno pulſus, & in ordinem redactus eſt.

Eduardo II. Rege diſſenſiones, & bella ſeruata dignitate Eccleſia Romana.

In Edouardo III. omnium, quos ętas illa tulit, immò & Anglia, per tot ſecula bellicis laudibus clariſſimo, diutius immorari oportet, vt appareat cum maximè floruit Anglia diuitijs, opibus, armis, victorijs, Religionis quoque, ac obſeruantiæ erga Romanam Sedem ſtudijs floruiſſe. Quinquaginta hic imperauit, an triumphauit annos, Scotis vicinis attritis, Hiſpanis remotis ſuperatis, Gallis medijs continenti præliorum curſu oppreſſis, quorum Regnum iure materno repetebat. Eo tempore cùm de Pace inter vtrumque Regem facienda ageretur, & variam diuerſi, vti ſuccedebant, Pontifices operam ad concordiam ſtatuendam ponerent: cum ijs quo Rex modo ſe gereret, id operæ pretium erit inquirere. Ac primum ante illa bella Edouardum Papa Ioannes donatione decimarum promeruerat. Quo beneficio Regem Eccleſia Romana obnoxium habuit. Qui cum ſecutus eſt Papa Benedictus XI. induciarum inter Edouardum, & Scotiæ Regem author fuit. Idem vt imminentia iam Franciæ bella auerteret, Legatos ad Edouardum in Angliam miſit, ab eoque obtinuit, vt alijs in Galliam expeditis Pax ſtatueretur. Quæ cùm non conſtaret, bellum extitit, quo ſuperior ad Cluſas Edouardus euaſit. Vix dum anno euoluto Cardinales iterum Legati ab eodem Benedicto duo venerũt, qui inducias annorum trium impetrarunt. Iſque ab vtroque Rege Arbiter honorarius illius controuerſiæ, auditis amborum Legationibus conſtitutus. Sunt autem litteræ Edouardi ad Benedictum officioſæ, quibus ſe de illo bello Gallis illato purgat. Ad huius ſucceſſorem Clementem VI. pius Rex Ducem Lancaſtrium cum Comite Darbiæ, & Oxonienſi Epiſcopo expediuit, qui & nomine ſuo amanter ſalutarent Pontificem, & vt Pax toties tentata, & nunquam obtenta finiretur. Ac ſuper eadem re vltrò citroque miſſæ Legationes: quòd citò bellum erupturum Pontifex videbat. Duæ inter

Eduard. III. felix, & religioſus.

Legationes Pontificum ad eum.

alias celebriores: altera qua Pontifex Ludouicum Bauariæ Ducem & Auguſtum, cui Edouardus erat magnopere ob ſtudia in Gallum infenſus excuſauit. Altera qua Edouardus Clementem vt à reditibus Sacris Angliæ, quorum magnam ſæpè occupabat partem, temperaret, hortatus eſt. Et ſanè Rex obtinuit; vti etiam Clemens annuas demum poſt multas illatas Gallo Regi clades ab Edouardo inducias impetrauit. Indulgebat Pontificibus Religioſus iuxta, ac bellicoſus Rex. Itaque Innocentius VI. cum eodem per litteras egit, vt Carolum Bleſenſem Britanniæ Ducem iure belli captum, ac detentum liberè demitteret. Idque accedente Simonis Islepij opera eſt conſecutum. Ecce iterum noua Legatio Romam ab Edouardo Anglo, & Ioanne Gallo Regibus ſuper inimicitijs ponendis, belliſque amouendis adornata. Sed cum irrita cecidiſſet, & poſtea Edouardus memorabili ad vrbem Pictonum pugna Gallorum copioſiſſimum exercitum profligaſſet, Ioannemque Regem cepiſſet, alia Legatio ab Vrbe Innocentij de moderanda victoria, iraque in captum ſuperuenit. Quæ cum nonniſi ad inducias biennij proceſſiſſet, alia addita eſt obtentu Ioannis Regis inuiſendi, ſed cauſa Regis pacificandi. Tandem poſt annos ſex malè ſarta Pax coijt & Ioannes liber dimiſſus in Galliam. Quo anno Innocentij indulgentia duo ſunt inter Regios iuuenes conſanguineos, quorum neceſſitudo coniugium dirimebat, matrimonia celebrata. Grata Regi gratia Innocentij fuit. Igitur & is gratiam retulit Legationis ad ſe miſſæ ſumptibus factis, ac permiſſo ex reditibus Cleri ampliſſimo pecuniarum ſubſidio. Qua de re litteræ extant Pontificis grati animi indices. Vrbani V. breuis vita effecit, vt pauciora eſſent Regiæ pietatis exempla. Sed nemo eo vehementius ſtuduit lites illas fatales componere. Inſtituit Legationes: venit Auenionem: cogitauit Flandriam: ſed mors conatus abrupit. Gregorius XI. qui Vrbanum excepit, eàdem ſuſcepta pacis faciendæ cauſa multas, & graues Legationes miſit, & accepit: quarum expenſæ ad Anglicum Clerum redierunt: qui liberaliter ſuppeditarunt ſumptus, Rege annuente, & adhortante. Non negarim maximas ſæpè de optione Epiſcoporum, controuerſias inter Regem, & Romanos Pontifices exortas fuiſſe, ſed ex Parlamento potiùs, quàm Edouardo authore excitatæ. Verum illæ ſunt tandem cum Pontificis Romani dignitate compoſitæ, vt Regis,

In multos Pōtifices obſeruantia.

Recognoſcit poteſtatem diſpenſandi Pontificiam.

gis poteſtas eligendi eſſet : *Pontificis*, confirmandi ; qui mos in alijs Regnis, & tenuit olim, hodieque tenet. Itaque nihil eo Rege de Maieſtate, & authoritate *Pontificia* detractum. Quod autem aiunt quidam Authores, quibus cupide aſſentiuntur noſtrates Angli, vetuiſſe Edouardum ne Petri Denarij Romano Pontifici ſoluerentur, id certè non admodum conſtat, nec vt conſtet, multùm ad rem facit, cùm hic non agamus de penſione, & feudo Anglorum, ſed de reuerentia cultuque in Pontifices, quæ ſarta & tecta eo Rege fuit. Plerique enim aliarum gentium Reges ab eo ſe onere liberarunt, nec ob id tamen quicquam de obedientia erga Romanã Sedem remiſerunt. Nolumus vt Angli ſint ſtipendiarij, & obnoxij, ſed vt ſint morigeri, & obſequentes. Habeant ſua bonis auibus, reddant aliena. Quæ Cæſaris ſunt, retineant; quæ Dei ſunt, reſtituant.

Diſſidia una Sede Apoſtolica orta compoſita.

Idonea animaduerſio.

Diſpar longè fuit Richardi Regis adminiſtratio : ſi Rex is demum dicendus eſt, qui vix vnum menſem quietum Regnum habuit. Seruili implicitus bello domeſticis ſeditionibus conflictatus, vix ſui iuris, & Procerum inuidiæ obnoxius fuit ; in quos cùm impotenter ſæuiret, Regno priuatus eſt. Similia nactus eſt in Eccleſia tempora, propter Schiſmata turbida : quæ vix locum germanũ Pontificem ab adulterino dignoſcendi relinquebant. Verùm felix eo Anglia fuit, quòd Vrbano iuſto *Papæ* adhęſit, & Clementem intruſum repudiauit. Cuius tamen partibus fauebant Galliæ, ac Hiſpanię tum Reges. Qui vana quadam ſpecie deluſi Clementem Pontificem exiſtimarunt ; ſenſit cum Anglia Luſitania, in qua Rex Ioannes I. vir omni genere laudum excellens imperabat, cum Anglo fœdere & Religione coniunctus, qui ducta Philippa Ioannis Lancaſtrij Gandauenſis filia vxore, ſocerum in Hiſpaniam, quę iuri vxoris Conſtantiæ Petri Filię debebatur, armis irrumpentem, ſtrenuè iuuit, & multis antea afflictos cladibus Hiſpanos ſociali bello eſt perſecutus. Ex eiuſdem mihi Luſitano homini hiſtoria compertum eſt Angliam tunc Vrbani Papæ germani, & legitimi cum Luſitania aduerſus Clementem partem tuendas ſuſcepiſſe, eoque item nomine Hiſpanis bellum intuliſſe. Quo refello recentioris quoſdam memoriæ ſcriptores Anglos, qui temerè affirmant Anglos Richardo imperante omnem prorſus erga Apoſtolicam Sedem, & obſeruantiam ex Parlamenti ſcitis expun-

Richardi Regis breuitas, & infelicitas Regni.

Sequitur Anglia verum Pontificem.

expunxiſſe. Et quidem extant multa, & præclara iuris, & authoritatis Pontificiæ in Regem Regnumque Angliæ monumenta. Nam Vrbanum in Comitijs Pontificem ritè declaratum Angli exceperunt, & cùm Clemens Gallum, & Scotum Reges aduerſus Vrbanum excitaſſet, hic Ioannem Lancaſtriæ Ducem contra Hiſpanum, & Henricum Spenſerium contra Gallum in Flandria dimicaturos Sacris Anglicarum decimarum opibus iuuit. Quid? quòd ipſe Richardus Rex ad eundem Vrbanum ſupplices litteras dedit pro liberando vinculis, in quibus tenebatur, Adamo Eſconio Monacho ante Benedictino, tum Cardinali, quem in gratiam Regis Pontifex dimiſit, & poſtea dimiſſum Bonifacius dignitati ſplendorique reſtituit. Huius item Pontificis ad eumdem Richardum litteræ ſuper varijs Reipub. tum ſacræ, tum prophanæ negotijs ſcriptæ in priſcis Tabularijs reperiuntur.

Refutantur quidam hiſtorici Angli.

Henrico IV. Romani Patres inſigne Religionis, & ęquitatis in tollendo Schiſmate, quod ijs temporibus in partes diſtraxit Eccleſiam, teſtimonium reddiderunt. Certè inter omnes Reges, ac Principes Catholicos, qui ſua in eam rem ſtudia contulerunt, nemo præſtitit Henrico Anglo. Ille multas & illuſtres Romam Legationes miſit, idem ille litteras ad Pontifices qui tum ferebantur, ſalutares dedit: ipſe ille Synodos in Anglia Prouinciales ad quærendas, quibus ea his tolli, aut componi poſſet, rationes coegit: ille maximos ſumptus mittendis, & accipiendis Legatis fecit. Eo item felix fuit, quòd nemini ex ijs, qui vitio creati fuerant, adhęſit. Et cùm multum authoritate potentiaque valeret, in quam ſecunque partem dabat, Patres, & Reges, & ipſos Pontifices ſecum ferebat. Itaque vnus è præcipuis fuit authoribus, tum Patribus Piſani Concilij congregandi, tum Pontificibus in eo iuri ſuo renuntiandi, & quemcumque Patres eligerent Papam, eius ſe arbitrio ſubmittendi, & honorem ei cultumque deferendi. Nec ille non aliud ſingulare dedit pietatis documentum, ſuſcepta conſilio Hieroſolymitana expeditione, quam tamen illius immatura mors intercepit. Id verò bellum quòd ſacrum erat, & à Romanis Pontificibus conſecratum, ad eorum item obſeruantiam trahitur. Sed ille in Anglia Hieruſalem inuenit, nam cubiculum in quo eſt mortuus eo nomine dicebatur. Quod illi & ſolatium prębuit renouata illa memoria piæ expeditionis, & omen attulit futuræ

Henricus IV de Sede Apoſtolica benemeritus.

Mors Henrici IV. memorabilis.

turæ in Cæleſti Hieruſalem, quam cogitabat, felicitatis.

Henricus V. militari ne, an Religioſa laude præſtãtior fuerit iure ambigam. Paucos ei certè pares Anglia, immò & tota Europa tulit. Ab illo Pax Eccleſiæ confirmata. Schiſma magna ex parte compoſitum. Hęreſes partim depulſę, partim vitatæ, certè prorſus damnatę. Extat eius Teſtamentum in quo Deum precatur, vt Regnum Anglię ab hæreſis contagio liberum fore deinceps vellet. Sanctè vixit, ſanctiſſimè obijt, immortuus cogitationibus belli Hieroſolymitani. *Henrici V. pietas.*

Huius Filium Henricum VI. Lutetia coronatum miſit in Angliam; atque adeò optimè ad omne genus virtutum eruditum. In quo illi ſe felicius, quàm in militari ludo exercuit. Nimirum alteri eum Deus Regno deſtinauit. Atque vti ille inter lilia Gallica adoleuerat, ita Roſam ei auream Eugenius Romanus Pontifex ſolemni Legatione dono miſit. Florentis in eo Religionis, & odoris virtutum argumentum. Donum ille gratus accepit, & per litteras Eugenio, daturum ſe operam, vt eundem, & Romanos Pontifices, de collatis in ſe beneficijs minimè pœniteret. Impleuitque votum, ac cumulatiùs impleret, ſi per bella importuna, & mortem immaturam licuiſſet. Huius acerbitatem ſacra eius memoria minuit, quam multa, & illuſtria miracula honorificè renouarunt, adeò vt Rex Henricus VII. apud Alexandrum VI. & Iulium II. Romanos Pontifices de illius Apotheoſi ſedulò, ac obnixè egerit: quemadmodum ex litterarum vtrimque miſſarum exemplis conſtat. Eiuſdem opera Concilium, quod Baſileæ inceptum erat ab Eugenio, ne Bononiam interruptum transferretur, commodè effectum eſt. Cuius Pontificis conciliabulum Baſileenſe abrogantis, & verum Ferrariam deſtinantis (quod ipſum Florentinum fuit) & poſtea congregantis, & habentis, eodem Concilio per Legatos petente patrociniũ ſuſcepit. Idem Schiſma Amadei, qui Felix dici voluit, magna ex parte ſuſtulit, & Felicem ipſum ad deponendam Pſeudopontificis perſonam Legatione miſſa ad Nicolaum legitimum Papam authoritate ſua compulit, & pacem Eccleſiæ optatam vel reddidit, vel confirmauit. *Henrici VI. eximia in ſedem Apoſtolicam ſtudia, & merita.*

Qui deinceps ab eo duo ad Henricum VII. Sceptrum tenuere Edouardi IV. & V. & vnus, qui vſurpauit Richardus Reges, ijs, vti breuia & calamitoſa Imperij contigere tempora, ita ſatisfuit, à veteri in Romanos Pontifices obſeruan- *Eduardi IV. & V. infortunia cum Religione tamen coniuncta.*

tia

tia cultuque haud receſſiſſe. Hunc ij firmiter in tot tamque fœdis, commouentis ſe ſæpè ad ſeditiones *R*egni, tempeſtatibus, varijs & aduerſis hinc inde ſtudiorum Optimatum Populariumque ventis exiſtentibus, cùm obſequendum flatibus eſſet Clauum Fidei tenuerunt: & & in Petri nauicula æquor illud procelloſum nauigarunt. Edouardos dico, quibus ius regnandi & ſuit, & pietas iuri annexa: optimiſque tum conſiliarijs, tum adminiſtris vſi ſuam Religionem probarunt. Richardum ego libens è numero Regum eijcerem, cuius memoriam horreo, & deteſtor, ac ſi poſſem in Africam, quæ maximè inculta eſt, & barbara relegarem: non tamen hic; Tyrannidis monſtrum id auſus eſt, quod poſt eà molliſſimi Reges effecerunt. Sed eſt tamen, vbi plus noceat mollities, quàm immanitas.

Richardi immanitas.

Ad nobiliſſimum, & feliciſſimum Regem veniamus Henricum VII. quem Phœnicem Anglicanus ſcriptor appellat. Hic primùm profugus, & cum exercitu in Angliam reuerſus, profligato tyranno Regnum Sacris auſpicijs ad D. Pauli inijt, & innocenti ab eo accepto gladio cùm *P*ſeudo Henrici mentiti Clarentiani Ducis Filij, quem *R*ichardus Simondus presbyter malè feriatus vi & armis Hibernorum in ſolium tentabat intrudere, copias profligaſſet, Simondi capiti pepercit, ne in eo reuerentiam ordinis violaret. Cuius ille *R*eligionis rurſum ſpecimen præbuit, cùm in alio ſacrato viro alium pro Edouardo item Clarentij Filium *R*egem ſupponēte, rationem habuit dignitatis, & contentus vinculis incolumem eſſe iuſſit. Hac ille virtute in paucis claruit. Quàm procul aberat à proſcribendo Pontifice, qui minutos ſacerdotes, vel ſceleratos & perduelles attingere non audebat? *I*taque illius ſupremæ tabulæ eiuſmodi ſunt, vt in ijs viuere emorientis Pietas videatur. Quam cùm probè noſſent *R*omanæ Sedis Antiſtites, ad eum ſæpè Legationes ſuper Eccleſiaſtico ſtatu, & concordia communi *I*nnocentius, Alexanderque miſerunt. Nec ab eo ad eoſdem pauciores remiſſæ. *I*nter quas ea & eminet, & loco hæret, qua per Pium, tum Cardinalem, Alexandro Papæ VI. Regni ſui tutelam, & patrimonium commendauit. Ad quem mox Pium III. in locum Alexandri ſubrogatum Legatos miſit, eumque Protectorem Anglicani Imperij conſtituit. Perinde ac eo titulo vellet, quod ſibi Richardus tyrannus Protectoris arrogauerat, tacitè refutare.

Henrici VII. militaris virtus.

Obſeruantia erga Eccleſiaſticos viros, & Romanam Eccleſiam.

Papam Regni ſui protectorem facit.

Hoc

Hoc Regnum cum armis & opibus, & virtutibus florens Henricus VIII. Filius accepiſſet, diu vti acceperat conſeruauit, ac illud, ſeque obnoxium Romanæ Sedi eſſe multis, & magnis argumentis teſtatus eſt, nec ab auita quicquam Religione diſceſſit. Vtar enim illius exemplo, quamdiu ille ſui iuris,& arbitrij fuit. Nam poſtquam Annæ Boleniæ amoribus exarſit. *Henr. VIII. initia.*

Deperijt, perijt, mentem malus abſtulit error.

Dum ergo integer Rex & ſui, & aliorum fuit, noſter fuit: cum alterius eſſe cœpit, noſter eſſe deſijt. Faciam in deſcribenda Henrici imagine, quòd me Apelles docuit in Antigono, dimidium pingam, non totum: ne vitium detegam. De quo ego haud illepide, quòd Marcus Tullius de Dolabella genere ſuo facetè dixit paulum deflexum *Henricum maiorem, & meliorem eſſe dimidium, quam totum,* dixero. Dabo Anglis iſtum dolorem, quod cùm ij putabant legendo, me in Henrico VII. finem dicendi facturum, ac ſibi Henricum Filium integrum relicturum, eos nec opinantes deluſi, illo aſſerto, quem deſertum iri exiſtimabant. Pugnabimus ſuper Henrico, dum ij ad ſe trahunt, ego retraham. Dum ij tollere nituntur, ego conabor retinere; quod ſi contingat frangi, & in partes ſecari, certè apud me caput, apud eos pedes remanebunt: ac ne ij quidem liberi, ſed duro amoris compedi vincti.

Igitur Henricus VIII. tranſmiſſum ad ſe hæreditario iure Regnum initio ſingulari pietate adminiſtrauit. Floruit Religione, Fide, Pietate: Quare ad eum Iulius II. Roſam auream ſacro Chriſmate delibutam miſit. Eamque illi inter Miſſarum ſolemnia Vvilihelmus Vvaramus ritè tradidit. Rege illam demiſsè, ac piè ſuſcipiente. Rectè, nam paulo poſt Roſas locuturus erat; & quidem aureas in aureo illo, quem contra Lutherum pro Romana Fide ſcripſit, libro. Cuius cum Lutherus authorem Regem eſſe negaret, & Volſæo tribueret, Rex ſibi vindicauit, & ſuum eſſe confirmauit. Hoc ſub Roſa Angli eſſe, hoc eſt, ſilentio inuolui, volunt; ſed tantus eſt illius odor, vt omnino factum prodat: & in eum tum certè Roſa quadrabat. *Chriſti bonus odor* erat Henricus. Pungant interim Anglos ſpinæ, nos Roſa innocenti fruamur. Nemini, qui illius & Caroli V. Imperatoris hiſtorias legerit, notum non eſt, quo ſtudio Catharinam Hiſpanicam *Pietas.* *Religio.*

Ferdinandi filiam Caroli *I*mperatoris materteram vxorem, & acceperit, & coluerit; atque ad eam poſt Arturi Fratris & connubium, & mortem ducendam, poteſtatem à Pontifice Romano obtinuerit, eoque nomine ei Sedi deuinctum ſe oſtenderit, Caroloque adhæſerit. Teſtis eſt arx illa Anglicana in qua Henricus Anno MDXX. Carolum deſignatum Imperatorem in Germaniam euntem ſplendidiſſimè excepit, & habuit. Nihil illi tum erat antiquius authoritate Pontificia, cui demiſsè, pièque parebat. Hoc animo Carolum aduerſus Lutherum iuuit, eumque per Germaniam bacchantem compeſcuit: nec minus ille libris, quàm Carolus armis fulminauit. Leone X. imperante pro Indulgentijs, & Apoſtolicæ Sedis dignitate pulcherrimum opus edidit, quo quaſi clypeo protexit Eccleſiam, & vmbone repulit, & ſummouit hoſtem. Spectata virtus effecit, vt eum Adrianus VI. Pontifex ad tuēdos Catholicos aduerſus Turcas per litteras adhortaretur, adhibita item opera Vvarhami Cantuarienſis Archiepiſcopi, cui Henricus vehementer cupiebat. Nec indigebat Henricus calcaribus. Cum ſciret Lutherum de corrigendis arbitrio ſuo, vel corrumpendis biblijs, ac in Germanicam linguam transferendis agitare, ac cum Ducibus Saxoniæ rem communicare, non diſtulit quin ad hos ſcriberet, ac moneret, vt ſibi à peruerſa illa ſacrarum litterarum verſione ac interpretatione cauerent, vetarentque Lutherum rem inceptam perficere. Nemo illius ętatis Princeps Sycophantæ illius technas acutiùs, nemo aſtus penitiùs inſpexit, nemo fraudes exactiùs nouit. Nemo inſidias clariùs detexit, nemo errores validiùs confutauit. Impulerunt iſta Lutherum ad libellum quendam famoſum aduerſus præſtantiſſimum Regem ſcribendum: in quo multa de lacu, & muſto conuitia ſumpta impudenter iactabat: Cuius cum poſtea puderet ſcripti, ac ſe Henrico per litteras demiſſiſſimo ſtylo purgaret, Rex plenum Religioſæ, ac eruditæ pietatis reſponſum miſit, quo Lutherum non tam procacitatis in dicendo, quàm impietatis, & impudentię in deſerenda Fide Romana, & profeſſione Auguſtiniana arguit: vt minus ſuam priuatam, quàm communem Matris Eccleſiæ iniuriam curare videretur.

In Eccleſiam Amor.

Contra Lutherum ſcripta.

*I*am verò datis ad ſe à Conuentu Smalcaldico *P*roteſtantiū litteris, quàm ſeuerè Catholicèque reſpondit! vt qui Franciſci Regis Galliæ I. quo nemo genus hoc hominum acriùs

eſt

eſt inſectatus, reſponſionem cum Henrici conferat, nihil ei ceſſiſſe comperiat. Quanta ille reuerentia Vvarhamum coluit? Volſæum nondum ſuſpectum? quanta Roffenſem? quanta Thomam Morum? quam in pios effuſus? quàm in ſtudioſos liberalis? quàm in Monarchos propenſus? vt nihil eo Rege in Anglia ſanctius, & honeſtius, & iuſtius haberetur. Itaque titulum *Defenſoris Fidei*, quem antea cum librum in Lutherum ſcripſit, meruerat, doctrinæ poſtea, morumque probitate ſuſtinuit.

Hic Henrici ad annum 1533. felix curſus fuit. Qualis ille poſteà fuerit tacere malo quam dicere; pudet me quippè illa referre, quibus lectorum oculos offendam. Ac vti in depingendo dimidio Henrico vnius Pictoris, id eſt Apellis conſilium ſum ſecutus, ita & in celando, alterius, id eſt Timanthis ſequar, obducto reliquæ dimidiæ parti velo ſilentij, ne cogar pulcherrimæ hactenus deſcriptæ imagini iniuriam facere. Illud vehementer doleo: maluiſſe Anglos illius ætatis, exemplum eius, cuius me pudet, Henrici ſequi, quam tot Clariſſimorum Regum maiorum eiuſdem & ipſius met ſani, & incorrupti Henrici, quem viuis & germanus coloribus expreſſum in eleganti tabula reddidimus. Paucos annos erroris quatuordecim ſeculis ſolidiſſimæ veritatis antepoſuerunt. O pudor! dimidium Henricum, immò & minus quàm dimidium, quòd Annæ dimidium erat, pluris quàm tot Reges integros illibatoſque fecerunt! Verùm, inquiunt, ille in prima ætate perſeuerauit: in extrema defecit, cùm maturiora ſunt conſilia. At alij ante ipſum Reges nulla ætate defecerunt. Quid? quòd ille iuuenis canos habuit, ſenex amiſit. *Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata*. Sic nempè obijciunt, perinde ac Salomonis poſteriora conſilia meliora. Illi ſimilis eſſe maluit Henricus, cùm eodem morbo laborauit. Vtrumque amores Regem perdiderunt: in deuexa ætate, ceu idoneam, & ſiccam materiam nacti incenderunt. Ecquis Salomonis ſenectutem iuuentuti anteponat? Vnus Henricus fuit, qui Veneri vt litaret, ſacra eiurauit. Vnus Salomon indulſit Amori, & alienos Deos adorauit.

Mutatio Henrici VIII.

Senex deſipit

Nunc ſcio quid ſit Amor?

Ac melius quàm Paſtor, qui in duris cotibus genitum norat.

Ille eſt pernicioſior,qui mollibus in culcitris,aulæque delicijs gignitur. Illum.

Iſmarus,aut Rhodope,aut extremi Garamantes.
Nec noſtri generis puerum,nec ſanguinis edunt.

Nempè immanem,Tigridi non homini ſimilem,audaciæ, & furoris plenũ.At Henrici amor in ſinu purpureo natus,nutritus in croco,ſtratus in pluma,recreatus cibo, quò humanior, eò peſtilentior.Illecebris,lenocinijs,blanditijs,in præcordia ſe inſinuans,vitalia corrupit,& totum eſt corpus depaſtus. Illud miror,Anglicam gentem, tam in ſuum Henricum dimidio minorem pronam fuiſſe, vt tulerint illam impotentiam,inſolentiamque imperandi, nec modo corporum ei, ſed animorum quoque poteſtatem fecerint. Legant Angli monumenta Regum ſuorum, quorum fuerunt obſeruantiſſimi, opponant eos vni Henrico,cogant eum ad cauſam dicendam, cur à Maioribus ſuis defecerit? quo exemplo caput ſe Eccleſiæ conſtituerit,ſibique Chriſtianos honores arrogauerit? certè nullus etiam ex ijs, quos prauos commemorauimus Regibus, tantum auſum fuiſſe nefas comperietur. Quòd id primus ſit auſus Henricus miror, ſed magis miror eum *auſo potitum*. Addo id me mirari ſatis non poſſe. *Fuiſſe ab Anglis toleratum*. Amo Anglos,ſed puderet me,ſi Anglus eſſem tum Anglicani ſanguinis; ac ne puderet,eum pro cauſa Fidei alacriter profudiſſem.Hac vna mihi ratione, quòd exſanguis eſſem, placerem.

Amoribus corruptus.

Verùm Edouardus Henricum Patrem ſecutus.Nempè Rex delicatus, & mollis, recens à crepundijs; opportuna erroribus ætate, & minimè cum tot Edouardis comparandus. At Eliſabetha maſculi animi Regina Patris amplexa eſt inſtitutum. Fateor;ſed illa ipſa refutat ſexu, quod & Angli in ambitionem proni contulerunt. Maſculi animi fœminam illius temporis Angli dicant fracti in fœminas: digni qui à muliere docerentur. At felix fuit. Nego eſſe felicem, qui Auitam Religionem deſerit. Quod ſi felicem ob bene geſtam Rempublicam dicant. Felicem ego foris dixerim, & alienis magis calamitatibus,quàm innata Anglorum virtute. Domi infelix,tot ſeditionibus agitata, tot terroribus cincta, tot inſidijs appetita, tot cœdibus cruenta, atque vna Mariæ Stuar-

Edouardus.

Eliſabetha.

Stuardæ Optimæ Reginæ famoſa. Nolo cætera perſequi, & hic Timanthem verum præſto. Itaque abſtineo calamum à Iacobo, & Carolo. Fuerint iſti probi Reges. Ecquid demum volunt Angli: vt eorum potius, quam quorum texui Catalogum, Regum exempla ſequamur? Sanè ſiue numerent ſiue pendant, multò minoris ſunt, quam commemorati. Itaque Semi Henricus VIII. ſeptem Henricis par erit? qui ne ſibi quidem par eſſe poteſt. Vnum Edouardum tanti quanti quinque fecero? Eliſabetham ſi opponant, vna Maria obiecta, ſatis refutem. Si ire contra obſtinatè pergant, quot ego Reginas producam? Regibus malo vti, qui imperarunt. Sed aiunt, vnus Iacobus Rex ſcripſit, & docuit. Vtinam nec ſcripſiſſet, nec docuiſſet. Regem non Cathedra decet, ſed ſolium. Capulo admouere debet manum non calamo. Nõ atramento ſacellanorum ſcribit, ſed ſanguine Imperatorum. Eum tamen ego ſcribentem, inducta grauiſſimorum teſtium nube, vt loquar cum Paulo facilè obruo. Omiſſa Scotorum ſobole, & in ijs Iacoborum ſerie Anglorum tantum meminero Lucij, Arturi, Ethelberti, Edbaldi, Ercomberti, Vvithredi, Siberti, Sebbæ, Eteruualdi, Sigeberti, Egrici, Annæ, Chinigilli, Cenoualchij, Ceduallæ, Ethelredi, Eduini, Inæ, Offæ, Cherredi, Chenulphi, Bertulphi, Ethelulphi, Edmundi, Edgari, Canuti, Richardi. Hac ſerie venerabilium Heroum deducta, & ante oculos poſita, exiſtimo Anglos ſatis, ſi prudentes, ſi cordati ſunt, refelli; nec alio ego, ſi Londinum irem argumento vterer, quàm hiſce imaginibus prolatis; quæ mutæ, vel aſpectu ipſo errorem Anglicum refutarent. Atque hic aptè locum Marci Tullij recitauero, quem ob iudicium, & eloquentiam authorem amant: ex libro 3. De Natura Deorum depromptum, vt norint quantum ſit Maiorum authoritatis momentum ad Religionem tuendam.

Improbantur

Series Regum Catholicorũ.

Non mediocriter Balbe moueor authoritate tua, orationeque ea quæ me in perorando cohortabatur, vt meminiſſem me, & Cottam eſſe, & Pontificem. Quod eo credo valebat, vt opiniones, quas à maioribus accepimus, de Dijs immortalibus, Sacra, Ceremonias, Religioneſque defenderem. Ego verò eas defendam, ſemperque defendi: nec me ex ea opinione, quam à maioribus accepi de cultu Deorum immortalium, vllius vnquam oratio aut docti, aut indocti mouebit. Quid Anglis faciemus, qui Henrico Rege à maiorum ſuorum authoritate Fide nixa diuina, temerè receſſerũt.

Heterodoxi refutantur Tullij verbis

Hæc

Hac ego omnes, Academicos Anglos, & Scotos, quibus cum præcipuè diſputo, ſententia vehementer, opinor, percello. Ac quòd ſcio quanti Tullij iudicium faciant ea vti volui. Verùm cum ego & Chriſtianus, & Deo ſacratus ſim, ſanctiore illos debeo authoritate conuincere. Ea verò erit Auguſtini, qui partes agens Catholicæ Fidei, argumento eſt vſus enumerationis eorum Patrũ, qui ante illas controuerſias Pelagianorum exortas doctrinam veram germanamque tradiderant. Igitur quæ ille aduerſus Iulianum lib. 2. ſcripſit, contra eos aptè depromo, & adduco. *Quod inuenerunt in Eccleſia tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt hoc Filijs tradiderunt.* Deinde. *Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias recitamus, nondum vobiſcum certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus.* Hanc nobis proponimus Catholicam Fidem, *quam illi in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerunt, cuius lac & cibum paruis magniſque miniſtrauerunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, vnde nunc reuelamini, apertiſſimè, ac fortiſſimè defenderunt.* August.

Refelluntur authoritate Auguſtini.

Atque hic ego vos, O Angli, & in primis Academici, Orationem conuerto. Si ſtudium erga vos meum, ſi cura ſalutis veſtræ, ſi officij mei ratio, ſi antiqua neceſſitudo priuata mea, ſi recens cum Luſitana gente Reipub. cauſa inita Societas ante oculos obuerſetur veſtros, nihil me commiſiſſe iudicabitis, quod in crimen, aut inuidiam vocari poſſit. Nam & amor ſtimulabat, & cura vrgebat, & officium exigebat, & neceſſitudo poſtulabat, & ſocietas impellebat, vt ſcriberem quæ neceſſaria videbantur, ad eam vobis doctrinam monſtrandam, ſine qua nec in hac caduca mortalique vita felices, neque in illa ſempiterna beati eſſe poſſemus. Hæc nimirum eſt Romano Catholica, quę ab initio Eccleſiæ à Patribus tradita, à Concilijs ſtabilita, ſucceſſione Pontificum confirmata, traditione accepta, ad nos vſque inuiolata peruenit. Et quoniam compertum eſt vos ab eius capite, quod malum eſt capitale, defeciſſe (nec enim niſi eiuſdem capitis membra ſimus, ſalui eſſe poſſumus) in eo præcipuè verſata eſt contentio mea, vt oſtenderem Romanum Pontificem Vicarium Chriſti, Petri ſucceſſorem, Eccleſię caput, gregis Chriſtiani Paſtorem eſſe. Et vt veſtris Iuellis, Humfredis, Charcis, VVitakeris, & Molinęis, qui ad eos, qui à primo vſque ad ſextum ſęculum vixere Patres, prouocare ſolent, om-

Apoſtrophe ad Anglos heterodoxos.

omninò ſatisfacerem, intra eos me terminos dicendo continui, monſtrauique ab ijs Romanos Pontifices, & probatos, & recognitos, & obſeruatos fuiſſe.

Deinde, quòd vidi eoſdem illos magiſtros veſtros à Luthero, & Caluino ſeductos, multa Pontificibus Romanis vitia, iniuſtitię, inſolentię, pompæ, luxus, ſuperbiæ, ac demum tyrannidis impoſuiſſe, quò eos in odium, ac inuidiam apud indoctum vulgus adducerent, curaui diligenter ea omnia colligere, & fucatis depicta coloribus proponere, & ſigillatim refutare, & fucos inductos illata veritate abſtergere. Nec vero exiſtimetis ad veſtram eruditionem, & calumniarum depulſionem, quam viam veſtrates patria, noſtrates Fide Hardingi, & Sanderi, Poli, Stlapletonij, Briſtolij, Campiani inierunt, eandem me iniuiſſe; longè aliam excogitaui, qua incederem, nimirùm quà vulgares, & fucatæ calumniæ, inanibus mixtæ terriculamentis populum ad odium Pontificis ducunt. Hęc ego accuratè detexi, ſtrenuè propulſaui, ne vana illa ſpectra vulgus terrerent; & pulchra veritatis facies emineret. Propoſui inſuper vobis Regum veſtrorum, quorum eſtis, & fuiſtis ſemper obſeruantiſſimi, Catholicorum exempla, qui Romanam, & priſcam Religionem ritè obſeruarunt, vt à quibus vos extremis his temporibus defeceritis, manifeſtè conſtaret; valerentque apud vos magis tot imagines veterum heroum, quàm tam paucæ recentium; ac vt obiter vos monerem, quos hodie nacti eſtis Reges, eos ſimiles eſſe priſcorum optimos, & iuſtiſſimos; quorum Alter nihil opinor obſtabit: Altera & profeſſione, & pietate, & virtutum omnium exemplo inuitat, & veteres Ethelburgas, Ethelredas, Ermenildas, Mathildes, Eleonoras Reginas ſanctiſſimas imitatur. Huius ſi vos veſtigia ſequimini, ad Matrem Eccleſiam, quæ vos expanſo ſinu ad ſacrum gremium vocat reuertemini. Nec vos aut morentur, aut detorqueant ſophiſmata Lutheri, captiones Caluini, pompæ Melancthonis, ſonitus Brentij, tendiculæ Kemnitij, aucupia Bezæ, machinę Molinæi, artes cæterorum. Quid enim ſunt illa ſophiſmata, niſi poppyſmata, illę captiones, niſi proditiones: illę pompæ, niſi ſtrophę: illi ſonitus, niſi ructus: illę tendiculę, niſi fidiculæ: illa aucupia, niſi periuria, illę machinę, niſi mendacia, illę artes, niſi fraudes, ad fallendas mentes, & decipiendos animos comparata? Omnia apud eos ſunt

Epilogus oratorius.

fuca-

ſucata, inania, futilia; apud nos Catholicos, omnia vera, plena, ſolida. Sacras Scripturas, Canones, Concilia, Patres, Traditionem, Doctores, & habemus & ſequimur. Vos in plures ſectas diuiſi, nullam tenetis. Nos vni Sanctę, & Catholicę, & Apoſtolicę Eccleſię adhęremus: extra quam ſalus eſſe non poteſt.

Idonea admonitio.

Nec vos quicquam iuuant, quæ affirmatis habere Sacramenta, & documenta Chriſtiana, quemadmodum Irænica veſtra ſparſa in vulgus ad inanem ſpeciem fiduciæ iactant, nihil enim vobis extra Eccleſiam Romanam Catholicam ad ſalutem æternam proficient. Itaque Auguſtino lib. 2. Creſcon. authore, *Si diſcordioſo errore depoſito ad Catholicam veritatem paremque conuerſi fuerint, per donum Dei proprium, hoc eſt Sanctum eius Spiritum, per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris, mundari ſanarique poteritis; non vt deſtruantur in vobis Eccleſiæ Sacramenta, quæ aliena pernicioſè habebatis, ſed vt ea ipſa intus iam veſtra ſalubriter habeatis.* Auguſt.

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERVM.

A

AARON, Summus Pontifex veteris legis. 55. Habuit ſucceſſores ibid. Figura Papæ. ibid. 297.
Aaronis ſucceſſio duplex per duas lineas. 297.
Abiathar qui ceciderit à Summo Sacerdotio. 296. & 519.
Abraham recognoſcit Superiorem Melchiſedechum. 285.
Abraham præludit Regibus ad Stratoris munus erga Pontifices exercendum. 513.
Adoratio quid & quotuplex ſit? 535. & ſeq.
Adorationis ſubiecta quæ? ibid.
Adorationis mos in Sacra Scriptura. 356. 357.
Adorentur ne Sancti Angeli, & homines? ibid.
Adorabant antiqui ex reuerentia Principes. 538.
Adorationis in ſuas formas ſpecies ne diſtributio. 539. 540.
Adorentur ne imagines, & quomodo. 539. 540. & ſeq.
Adoratio an ſit ſola ciuilis? 540. An Religioſa quadret in Sanctos, & imagines Sanctorum? 540. & ſeq.
Adorari an ſoleat Pontifex Romanus, & an id liceat? 533. ad 555.
Adoratio an ſolius Dei ſit propria? 540. 548. & ſeq.
Adoratio quos actus requirat? 548. in quo præcipuè conſiſtat? ibid.
Adoratio Sanctorum, & Sanctarum Imaginum defenditur. 549. 550.
Adorationem quæ argumenta impugnent? 551. & ſeq.
Adorationis formæ, quibus, & quomodo aſſignandæ? 536. 540. 548. 550. 567. 571.
Africani Patres recurrunt ad Innocentium I. 75. 79. & ad Zozimum. ibid. 79. 80.
Alba veſtis ſacra. 599. taxatur ab inimicis. 610. Aſſeritur, laudatur. 610. 601. quid ſignificet? 601.
Alexandrina Sedes ſubdita Romanæ. 98.
Alpes Cottiæ antiquiſſimum Patrimonium Eccleſiæ. 326. 327.
Ambroſij mitra apud Ennodium. 616
Amictus Sacer qui? 597. Impugnatur ab Heterodoxis? 597. defenditur. 598. Eius ſignificata. 599.
Amoris an odij maior ſit vis? 1. 470.
Amor Summus Petri Primatum meruit. 31.
Amoris natura ſuſpicax. 406.
Angliæ Reges olim Paparum cultores eximij. 301.

Anglorum Regum ante Normannos pietas, & in Romanos Pontifices obſeruantia.655.ad 664.
Anglorum poſt Normannos Regum erga Papas Religio.664.ad 672.
Angliæ Reges laudantur.655.656.
Angliæ Regnum commendatur.655.
Anglorum dotes, & virtutes, & geſta commemorantur.655.& ſeq.
Angli Heterodoxi pulchrè redarguuntur.511.512.
Angli Heterodoxi acute pungu ntur.637.644.
Anglicana Eccleſia monſtrum.304.305. nulla eſt Eccleſia.ibid.
Angliæ Regum qui donationes fecerunt Romanæ Sedi catalogus.451
Angliæ Reges exceptis Longobardis Eccleſiæ Romanæ donarunt.451.
Arius & Ariani à quibus Pontificibus Romanis condemnati.115.119.120.
Antiochiæ vrbis dignitas, & nomen.7.
Antiochiæ Cathedra prima Petri, & & qualis?6.7.
Apoſtolorum dignitas, & poteſtas.41.42.46.47.
Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, ſed non cum æquali poteſtate.43.ad 53.
Apoſtoli in quo minores Petro? 54. An priuati fuerint temporali poteſtate.309.
Apoſtoli an exercuerint poteſtatem aliquam temporalem?ibid.
Appellationis ius, & forma, & vſus.48.49.
Appellatio ad Summum Pontificem.49. Etiam ab Hæreticis.150.& ſeq. Appellandi ius defenditur.178.180.181.182.
Athanaſij cauſa ſuſcipitur à Iulio I.73.
Auguſtinus Primatus Petri defenſor.22.23.24.33.
Auguſtinus Niceni Concilij vindex.51.
Auguſtinus cum PP. Africanis recognoſcunt ſupremam authoritatem Romani Pontificis.75,ad 80.
Auguſtini grauiſſimum de Romanæ Sedis dignitate teſtimonium.81.82.
Auguſtini erga Romanum Pontificem reuerentia.81.82.
Auguſtinus nouit & defendit ius appellandi ad Romanum Pontificem.181.
Auguſtini de adoratione S. Petri inſigne teſtimonium.474.
Auguſtini Mitra Valentiæ in Hiſpania ſeruatas.616.
Auguſtorum & Auguſtarum de Primatu Petri iudicium.89.90.100.101.

B

BAptiſmus Conſtantini an dilatus ad finem vitæ? 334. ad 337. vbi proponitur pars affirmans.337.
Baptiſmus Conſtantini Romæ à Sylueſtro.337.& ſeq.
Baptiſmus Conſtantini initio Imperij.366.& ſeq.
Baſilij pro Primatu Petri loca. 31.32.
Bracharenſes Patres doctrinam Sedis Apoſtolicæ reuerentur.109.

dete-

deteſtantur Priſcillianum.123.
Byzantium an & quando receſſerit Conſtantinus? 438.442. & ſeq.

C

CAlceorum varietas. 486. & ſeq.
Calceamenti Imperatoris forma.487.
Calcei, Campagi qui? 486.
Calceorum inſignia.486. ornamenta. 488.colores: 489.
Calcei in rebus Sacris vſus.490.
Calcei Pontificij aſſignati à Conſtantino Syluestro.492. Vdones è lino. ibid.
Calceis Papæ aſſuta Crux & quare? 493.
Calcei Sancti Syluestri ad Sanctum Martinum de Montibus. 500. & 501.
Calceorum colores.529.
Caluini ineptiæ: calumniæ: errores: 1.2.29.270.271.272.
Caluini maledicentia in Reges Hæreticos.303.
Caluinus nō probat in Regibus vſurpationem poteſtatis Spiritualis. 303. Errat circa dominium ſpirituale, & temporale. 306.
Caluini inuerecundia. 317.
Canones condere pro vniuerſa Eccleſia Romani Pontificis eſt. à 125. ad 155.
Cappa quæ ſacra veſtis? 610. & ſeq. Eadem cum Pluuiali.16. Forma illius.16. Significata ibid.
Caroli Magni pietas.301. Donatio. 323.324.450.452.
Caroli Magni erga Romanum Pontificem obſeruantia. 520.
Caſſiodori erga Sedem Apoſtolicam reuerentia.103.
Caſula quæ veſtis ſacra. 606. & ſeq. Improbatur ab Anglis Heterodoxis.16. Defenditur.16. quid ſignificet? 620. An ſit eadem cum Planeta? 607.
Catechumeni à baptizato differentia. 352. & ſeq.
Catechumenis quæ non licerent. ibid. 373.378.
Cathedra Petri Antiochiæ. 2.3.4. 13.14.
Cathedræ Antiochenæ Feſtum.13.
Cathedra Petri Romæ. 3.5.7. ad 14.
Cathedræ etymologiæ.15. pro Doctrina.16.
In Cathedram Petri ſucceſſio Pontificum.36. ad 43.
Celeſtini I. in Concilio Epheſino auctoritas.83.87.
Celeſtini Legatus Cyrillus.86.
Celeſtinus condemnat Neſtorium. 83. ad 87.
Celeſtinus Cyrillo mitrā mittit.616.
Chalcedonenſe Concilium aſtruit Primatum Papæ.66.90. ad 92.
Chalcedonenſe Concilium cum Leone Papa damnat Eutychen ab 87. ad 92.
Chamaurus. Vide Regnum Papæ.
Chriſti dominium quale.195. ad 200. cum Pontificatu coniunctum.196. 217.218.
Chriſtus an habuerit dominium temporale.197.
Chriſtus an fuerit ſubditus, & ſeruus.198.199.

Chriſtus an ius habuerit ſanguinis ad Regnum Iuda? à 199. ad 216. qui negent. 199. qui affirment? 200.

Chriſti genealogia explicatur. 207. *ad* 211.

Chriſtus caruit vſu Regni, iure non caruit. 213.

Chriſtus an fuerit Dominus temporalis? 217. *ad* 227.

Chriſtus habet dominium vniuerſale Excellentiæ. 220. *ad* 242. *nixum vnione hypoſtatica.* 220. 221.

Chriſtus eſt Filius Dei naturalis non adoptiuus. 222. 223. 234. *Chriſto omnia ſunt ſubiecta.* 224. *& ſeq.*

Chriſtus eſt Caput & Dominus Angelorum. 225. *ad* 233.

Chriſtus non eſſet ſi Adam non peccaſſet. 228. 229.

Chriſtus dici ne poſſit ſeruus Dei? 233. *ad* 236.

Chriſtus an re ipſa exercuerit dominium Excellentiæ in rebus temporalibus? 249. *ad* 252.

Chriſtus non communicauit Petro, nec ſucceſſoribus hoc dominium excellentiæ. 257. 258. *ad* 261.

Chriſtus non exercuit Regnum temporale. 262. 263.

Chriſtus non ſuſtulit Regna, ſed Regum vitia. 313. 314.

Chriſtus Dominus non ſemper eſt profeſſus humilitatem, & paupertatem. 588. *& ſeq.*

Chriſti glorioſæ actiones deſcribuntur. 590. *& ſeq.*

Cingulum Sacrum defenditur. 601. 602. *quid ſignificet? ibid.*

Claues Petri quid contineant? 308.

Clodoueus I. Rex Galliæ mittit Coronam Hormiſdæ Papæ. 457. *& ſeq.*

Eo nihil nocuit Regiæ authoritati. 457. 458.

Clodoueus adorat Seuerinum Abbatem 546.

Concilia aſſignant Diæceſes Patriarchis, & Epiſcopis. 47. *ad* 51.

Concilia celebrari ſolita in domibus aſſignatis ab Imperatoribus. 332. *& in templis. ibid.*

Conſtantinopolis quando, & quomodo condita. 443. *& ſeq.*

Conſtantinopolis quando Sedes Imperij? ibid.

Conſtantinopolitani Patriarchæ Primatum Romanæ Sedis nunquam negarunt. 57. 58. 60. 61.

Conſtantinopolitani Patriarchæ primas poſt Romanum optabant. 57. 58.

Conſtantinopolitani Patriarchæ vniuerſalitatẽ Primatus Papæ agnouerunt. 67. *Secundi ab ijs eſſe voluerunt.* 16. *&* 68. *&* 69.

Quomodo ſibi arrogarunt titulum Vniuerſalis? 68. 186. *ad* 192. *ob id reprehenſi.* 16.

Conſtantinopolitanum I. Concilium quomodo vniuerſale? 73.

Conſtantinopolitani Patriarchæ ſubditi Romani Pontificis. 95.

Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui & quot, & quando titulum Vniuerſalis vſurparint. 187. *quo ſenſu illum aſſumpſerint?* 188. *Reprehenſi à Pelagio, & Gregorio.* 190. 191. 192.

Conſtantini pietas. 301.

Con-

Conſtantinus an & quomodo dederit Lateranum Papæ. 329.& ſeq. An dederit domum Fauſtæ Melchiadi? ibid.
Conſtantinus non fuit baptizatus in fine vitæ à 334. ad 347. baptizatus Romæ à Syluestro à 337. ad 341 Initio ſui Imperij à 347. ad 357.
Conſtantini baptiſmus in Laterano, ibid.
Conſtantinus an ſit perſecutus Chriſtianos. 364. & 385. & ſeq.
Conſtantini pugna & victoria de Maxentio. 383. & ſeq.
Conſtantini Edictum proponitur, & examinatur. 392. ad 404. & ſeq. Donatio & Edictum quatenus probentur. ibid.
Conſtantini inſignis donatio. 420. & ſeq. 429. & ſeq.
Conſtantinus an donarit Imperium? 429. & ſeq.
Conſtantinus an Romam donauerit? 431.
Conſtantinus an iure donauerit. 434. & ſeq.
Conſtantinus inter Filios diuidit Imperium. 436. & ſeq.
Conſtantini munificentia expenditur. 435.
Conſtantinus quando donare cœperit? 441. & ſeq.
Conſtantini dona exacte proponuntur. 441. 442.
Couſtantinus deduxit freno Syluestrum Papam. 57.
Corona an & quæ donata à Conſtantino Syluestro? 431. 622. 624.
Corona donata à Clodoueo Hormiſdæ Papæ. 624.
Corona donata à Carolo Magno Leoni III. 624.
Coronarum apud antiquos vſus. 620. & ſeq.
Corona in prophanis, & in Sacris, 621. & ſeq.
Coronæ tres in Chamauro, ſiue Regno Papæ quid ſignificent. 625. ad 628.
Coronarum varietas quanta? 629.
Crux in calceis Pontificis Romani, 485. & ſeq.
Crux cur aſſuta calceis Papæ? 494.
Crux in calceis imaginum antiquarum. 495.
Crucis geſtatæ in calceis origo. 497. & ſeq.
Crux in calceis Sancti Syluestri. 500.
Crux in calceis Honorij I. 502.
Crux in alijs calceis. 503. & ſequent. ad 510.
Crux in calceis Martyrum Epiſcoporum non Paparum. 510.
Crux quare aſſuitur pedibus Pontificis? 529. 530.
Crucis in calceis ſignificationes. 530. & ſeq.
Crux ante Papam prælata. 646.
Crucem præferendi mos vnde. 646. & ſeq.
Crucis multiplex & pius vſus. 647.
Crux olim Imperatoribus obuiam miſſa. 647.
Crux Pontificum diuerſa à Patriarchali. ibid.
Crucis prælatæ cauſa. 648. 649.

D

DAmaſi profeſſio Fidei ad Paulinum inſtructio fuit Conſtantinopolitani Concilij.73.
Damaſus Romanam Eccleſiam & Sedem illuſtrauit.432.Luſitanus genio gentis pius, & magnificus. ibid.
Diœceſeon diſtributio antiquiſſima. 41.44.ad 53.
Diœceſes reſtrictas non habuerunt Apoſtoli à 41.ad 53.
Dominium quid ſit? 143. quale ſit excellens Chriſti.144.ad 145.
Dominium Chriſti excellens nixum vnione Hypoſtatica latè proponitur, ac defenditur à 196. ad 241. Vide Chriſtus.
Dominia duo de eadem re an & quatenus dari poſſint? 244.245.
Dominium Chriſti fuit vniuerſale in res omnes.246.
Dominium ab vſu ſemper ne, & quomodo diſtinguatur? 247. De eo controuerſia inter Nicolaum IV. & Ioannem XXII. affertur, & componitur.247.248.
Dominij huius vſum, & exercitium an habuerit Chriſtus? 249. ad 252.
Dominium Chriſti excellens idonea ratione probatur. 252.253. non fuit communicatum Petro, nec ſucceſſoribus.257.258.
Dominium temporale, an pugnet cum ſpirituali.171.
Dominij origo, & fons à Deo ductus ab imagine Dei.274.& ſeq.
Dominium Pontificum ſimile Leuitico.284.
Donatiſtas damnat Anaſtaſius I.Papa.74.
Donationes factæ Eccleſiæ Romanæ à Regibus, & Imperatoribus à 322. ad 327. vide nomina Donantium.
Quando & quarum rerum factæ? ibid.
Donatio Conſtantini aſſeritur, & confirmatur à 401.ad 427.
Donatio Conſtantini quid continuerit? 408. & ſeq. An fuerit iuſta, & valida? 434.
Donatio quo tempore facta? 441.& ſeq.
Donationem Conſtantini Morinus impugnat. 449. & ſeq. refellitur. ibid.
Donationem Conſtantini Rabbini, & Arabes admittunt, & tradunt. 425.426.449.
Donatio Conſtantini fuit prima ſolemnis.445.& ſeq.
Dulia quæ ſpecies adorationis? 340. 348.365.

E

ECcleſia vniuerſa tradita Petro. 16.ad 21.29.ad 35.
Eccleſiæ perſonam geſſit Petrus.33.
Eccleſiæ caput, & fundamentum Petrus.16.ad 35.
Eccleſia Romana magiſtra cæterarum.125.ad 155.
Eccleſia Romana ordinat ſacra & ritus.137.138.139.
Eccleſiarum omnium ſolicitudo ſpectat ad Papam.146.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ magiſtra eſt Sedes Apoſtolica à 125. *ad* 155.
*Edictum Conſtantini exhibetur.*408. *impugnatur.*417.*defenditur.*420. *& ſeq. Ab eo nihil timendum Primatui Sedis Apoſtolicæ.*405.
Edictum Conſtantini non probatur Baronio : probatur Bellarmino. 427.
*Edictum Conſtantini qui Papæ aſſerant.*426.427.
*Edouardorum Angliæ Regum erga Papas Religio.*670.*& ſeq.*
*Edouardi Angliæ Regis in Papam Nicolaum II.obſeruantia.*301.
*Eleonoræ Reginæ Angliæ erga Papam obſeruantia.*301.*eiuſdem teſtimonium de Primatu.*302.
Eliſabetha caput Eccleſiæ Anglicanæ monſtroſum. 303.*vituperatur à ſuis ibid.*
*Ennodij inſignis locus de vniuerſalitate Primatus.*99.
*Enoticon Zenonis hæreticum.*139.
*Epheſinum Concilium teſtatur Primatum Petri.*84.
Ephod quæ veſtis? quorum? 287.
Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum. 40. *ſed non cum eadem poteſtate.* 43. *ad* 53.
Epiſcoporum inter ſe ſubordinatio, & omnium ſubiectio ad Romanum Pontificem à 41.*ad* 53.
*Epiſcoporum poteſtas an ſit de Iure Diuino.*42.
*Epiſcoporum iuriſdictio reſtricta ad Diœceſes.*45.46.
*Epiſcopi non ſunt omnes inter ſe æquales.*50.51.
Epiſcopi duo in vna ciuitate eſſe non poſſunt. 51.
Epiſcoporum cauſas iudicat Papa. 145.146.147.
Epiſtolæ Pontificum Romanorum quantæ ſunt authoritatis? 108. 110. *Decretales antiquæ expenduntur à* 125.*ad* 132.
*Eucharistiæ Sacramentum familiare Chriſtianis.*650.65.
*Euchariſtia olim dari in manus ſolita.*650.
*Euchariſtia olim qui à viris accepta.*650.
*Euchariſtia quomodo à fœminis ſuſcepta.*650.651.
*Euchariſtia domum portata.*16.
*Euchariſtia comes viæ, & nauigationis.*651.
*Euchariſtiam præmittendi mos à Romanis Pontificibus.*652. *Is mos defenditur, & confirmatur exemplis.*652.653.*& ſeq.*
Euchariſtia an mari nauigio delata? 654.
Euchariſtiæ præferendæ cauſæ? 654. 655.
*Euſebij ſententia de Baptiſmo Conſtantini refellitur.*341.*& ſeq.*
Eutyches à Leone I.& Concilio Chalcedonenſi damnatur. 90.91.92 *Appellat ad Sedem Apoſtolicam.* 159.

F

F*Auon ſiue Fanon inter Sacras veſtes quid?* 611. *Deſcribitur. ibid. Proprium Papæ ornamentum.*611.
Fauſtæ ædes in Laterano. 330.331.

An

An donatæ Melchiadi.ibid.
Fauſtæ in domo Concilium habitum à Melchiade.330.331.
Filij naturalis, & adoptiui differentia.222.
Filius naturalis Dei Chriſtus, non adoptiuus.222.223.234.& ſeq.
Forbeſij fraus aperitur,& depellitur. 21.ad 25.26.ad 33.
Forbeſius refutatur. 22.23.28.32. 33.48.49.ad 51.
Forbeſij inepta interpretatio. 26.27. 28.29.
Forbeſij incogitantia.34.
Forbeſius acutè pungitur. 51.52.53. 100.
Forbeſius quem Primatum concedat Petro. 59.
Forbeſij calumniæ in Papam Vigilium.105.106.107.
Franciſci Primi Galliæ Regis pietas. 499. Henrici Regis Legatos reprehendit.480.
Friderici Ænobarbi erga Alexandrum III.reuerentia.484.

G

GAllia Vicarium accipit à Papa Hormiſda.148.
Galliæ Epiſcopi remittunt lites ad Papam.150.151.
Galliæ Synodi recognoſcunt præcepta Papæ.150.151.
Galliæ Rex fruitur ſpiritualibus dignitatibus.224.
Galliæ Reges liberales in Eccleſiam Romanam.447.
Galliæ Regibus nihil detrahitur donatione Conſtantini.448.& ſeq.
Gallicæ gentis, & Regni libertas. 456.& 457.
Gelaſij forma Fidei. 96. Epiſtolæ aſſerunt Primatum Petri. 96.97. 98.
Gelaſij Epiſtolæ plenę doctrinę. 147.
Gladij duo apud Lucam quid notent? 318.319.
Gotthi Reges Hiſpani vectigales Sedis Romanæ.455.
Gregorij Magni de vniuerſalitate Primatus ſententia. 111. 112. 113.177. Sedem Apoſtolicam caput Eccleſiarum appellat.113. dãnat hæreticos.124.
Gregorij Magni in vniuerſa Eccleſia authoritas.153.154. Humilitas erga Mauritiũ & cauſæ.173. 174.& ſeq.in eundem grauitas,& authoritas.177.
Gregorij humilitas nihil detrahit ſupremæ Sedis Apoſtolicæ dignitati. 174.175.& ſeq. Cur non admiſerit, & quomodo reiecerit nomen vniuerſalis? 174.& ſeq.ad 277.
Gregorius quanti fecerit Auguſtinum? 175.

H

HEnrici I. Imperatoris donatio 325.
Henrici II. Angliæ Regis erga Papam Alexandrum III. obſeruantia.301.
Henrici VIII. Angli cum Abrahamo venuſta comparatio ad ironiam 285.286. Eius ſacrilegium, & ſupplicium.294.Felicitas dum Catholicus. Infelicitas dum Hæreticus.

cus. 284.285. *Pungitur.*302. *ob contemptum Apoſtolicæ ſedis.*479.
Henrici IV. *Galliæ Regis erga Papam obſeruantia?* 481. *Eius &* Henrici VIII. *Angli antitheſis. ibid.*
*Hæretici negant Petrum Romam aduentum.*1.2.
Hæretici negant Cathedram Romę. 6.7.
*Hęretici negant Primatum Petri.*21. *ad* 34. *refutantur ibid.*
*Hęretici tollunt ſucceſſionem in Cathedram Petri.*35.
*Hęretici conuincuntur de Primatu Petri.*62.
*In Hęreticos Inuectiua.*61. *ad* 64.
*Hęretici multi faſſi ſunt Primatum Petri.*63.64.
*Hęreticos declarare, & damnare vnius eſt Sedis Apoſtolicę.*88.
Hęreticos damnare Summorum eſſe Pontificum latè oſtenditur à 114. *ad* 124. *ibi omnium ſeries proponitur.*
Hęretici poſt mortem an ſit damnandi? 123.
Hęreſiarchę priſci agnouerunt Primatum Papę. à 155. *ad* 152. *Eorum catalogus texitur.ibid.*
*Hęretici appellabant ad Sedem Apoſtolicam.*156.167. *& ſeq.*
*Hæretici impugnantes vniuerſalitatem Primatus Romani aptè refelluntur.*168.169.
*Hæreticorum in Romanam Sedem iniuriæ.*170.
*Hæretici acutè refutantur.*170.171. *conuincuntur aptis exemplis ad recognoſcendum Papam.*171.
*Hæreticorum arrogantia circa ſcientiam ſcripturarum.*272. *& ſeq.*
*Hæretici non perſuadent iuriſdictionē ſpiritualem in Regibus.*302.303. *Oderunt Papam.*305.
*Hæretici opponentes Papæ luxum, & factum confutantur.*586.
*Hæretici impugnant vſum præferendi Crucem ante Papam. Defenditur hic vſus.*646. *& ſeq.*
*Hæretici improbant conſuetudinem præmittendi antè Euchariſtiam cum iter faciunt.*650. *& ſeq. refutantur.ibid.*
*Hierarchia Eccleſię ab vno Papa deducitur.*54.58.
*Hiſpanica Eccleſia accepit à Sede Apoſtolica Sacrorum, & Rituum ordinem.*137.138. *ad* 142. *& ſeq.*
Hiſpanię Regna quæ obnoxia Romano Pontifici? 454.
Hiſpani Reges qui tributum ſpontaneum Romano Pontifici ſoluerint? 454.456.
Hyperdulia quæ ſit Adoratio? 540. *An fuerit cognita antiquis Patribus?* 16.
*Hyperdulia ſoli Virgini Matri Dei conuenit.*548.571.572.

I

IMperator *an ſit inferior Papa?* 162.163. *ibi.negant hęretici. In ſpiritualibus eſt inferior.* 183. *& ſeq.*
Imperatores an conuocarint Concilia? 164. *argumenta pro parte affirmante.ibid.*
Imperatores an prefederint in Concilijs? 165.

Imperatores quomodo dicantur conuocaſſe Concilia? 182.183.quomodo dicantur præſediſſe? 184.

Imperatoria & Pontificia poteſtas quomodo ſe habeant? 260. comparantur inter ſe. 161. & 261.& 262.

Imperatores qui maximè coluerint Papas.301.

Imperatorum donationes factę Eccleſię Romanę.325.326.

Imperatorum qui Romanæ Eccleſiæ donationes fecerunt Syllabus.450 & ſeq.

Imperatores aurigantium factionibus dediti.515.

Imperatores oſculantur ex more Pio pedes Pontificum.478.& ſeq.

Imperatores deducunt freno Pontificis.517.& ſeq. Id eos docuit Conſtantinus.517.

Imperium & partes eius an donauerat Conſtantinus? 429. & ſeq.

Ijs hæretici inceſſum Pontificis inceſſunt dicterijs.585.631.

Inceſſus Pontificis defenditur à 631. ad 643.& ſeq.

Inceſſus Summi Pontificis ſynagogę affertur.631.

Inceſſus Papæ in ſella geſtatoria aſſeritur,& vēdicatur à 634.& ſeq.

In Pontificio inceſſu nihil eſſe reprehēdam monſtratur à 631.ad 646.

Ius appellandi ad Papam impugnatur ab aduerſarijs. 163.ſtatuitur & defenditur.177.ad 182.

Illud aſtruit Auguſtinus. 181.nihil ei detrahunt Africana Concilia. 180.

Iuſtinianus Imperator agnoſcit Primatum Petri.103.104.

Iuſtiniani Confeſſio Fidei miſſa ad Sedem Apoſtolicam.103.103.Reuerentia erga Papam. 120.121. 161.

Iuſtinianus ſuo conſtituto non dedit Primatum Papę, recognouit. 405.

L

Lateranum Palatium an fuerit donatum Melchiadi à Conſtantino? 329.& ſeq.

Laterani Fauſtę ædes locus Concilij aſſignatę Melchiadi.330.331.

Lateranum poſt Melchiadem an habitarit Conſtantinus? 330.& ſeq.

Lateranum Palatium quando donatum? 441.& ſeq.

Latria quę ſpecies adorationis? 536. 540.549.566.567.

Latria eſt propria ſolius Dei.ibid.

Latria quę res diuinæ, & cur poſſint adorari.ibid.

Latria purę Creaturę & vt intra ſphæram creatam deferri non poteſt.575.577.& ſeq.

Latria in ratione participata à Deo fundatur.567.& ſeq.

Latria an Crux, & inſtrumenta Paſſionis adorentur.550.568.

Latria adorari an Papa poſſit? 564. ad 576.

Lecticariorum vſus priſcus.642.

Leonis I. Papæ authoritas in Concilio Calcedonenſi.88.ad 92. Leonis Epiſtolæ doctrinales. 89. Hęreſes extinguit.118.præſcribit regulas, & Ritus rerum ſacrarum. 143. 144.De-

144. *Dirimit litem inter Arelatenſem, & Viennenſem Epiſcopos.* 144.
Lepra Conſtantini an vera? 458. 459. *& ſeq. Quæ cauſa illius?* 16. *Cur de ea nihil Euſebius?* 465.
Leuitæ an caruerint omni dominio temporali. 281. *& ſeq.*
Linus cuius diſcipulus? An & quando Papa? 9.
Longobardi Reges quid reſtituerint Eccleſiæ Romanæ. 323. 450.
Ludouici Pij donatio. 324.
Luſitaniæ Rex Alphonſus I. quando, & quomodo creatus. 454. *ſe cum ſuo Regno deuouet Sedi Apoſtolicæ. ibid. A quo ſit Papa confirmatus. ibid.*
Luſitania Diuini cultus amans. 633. *Sacra apud Luſitanos pretioſa. ibid.*
Lutherus fatetur Primatum Romani Pontificis. 63.
Lutherus maledicit Regibus ſui temporis. 303.

M.

MAcchabæi qui. An Duces ſimul & Sacerdotes. 280. 281.
Manipulus improbatur ab Heterodoxis. 603. *Adſtruitur & probatur.* 603. 604. *Illius ſignificata.* 603.
Mathildis Comitiſſæ Donatio. 226. 451.
Maxentius Imperator donauit Eccleſiæ. 333.
Maxentius non ſemper Perſecutor. 382. *quomodo, & quando victus à Conſtantino?* 388. *& ſeq.*
Melchiadis Concilium in Laterano in domo Fauſtæ. 329. *& ſeq. An ibi habitauerit. ibid.*
Melchiſedech quis? Eius Sacerdotium, & Regnum quale? 277.
Melchiſedech quæ, & in quo Figura Chriſti. 178.
Melchiſedechum Superiorem agnouit Abrahamus. 285.
Mitræ nomen & origo. 612. *Cuius partis corporis ornamentum?* 613. *Quorum geſtamen?* 613.
Mitra an idem cum Petalo? 613.
Mitræ deſcriptio. ibid.
Mitra & prophanum, & ſacrum ornamentum. 613. *& ſeq.*
Mitra Sancti Syluestri an donum Conſtantini? 614. 615. *Seruatur, & monſtratur apud Sanctum Martinum de Montibus.* 615. *Deſcribitur. ibid.*
Mitra geſtamen Epiſcopale. 616.
Mitra Sancti Gregorij Nazianzeni. 616.
Mitra Sacra Ambroſij, & Auguſtini. 616.
Monachorum Scythiæ error, & recurſus ſuper eo ad Sedem Apoſtolicam. 160. *Condemnantur à Papa Hormiſda. ibid.*
Monachi Acæmetæ prouocant ad Ioannem Papam. 161. *Ab hoc damnantur. ibid.*
Monarchia Eccleſiæ perfecta. 54. 57.
Moyſes Sacerdos, & Princeps. 279. 306.

N

NEſtorius condemnatur à Celeſtino & Concilio Epheſino ab 84.ad 87.& à Sixto III.87.

Niceni Concilij Canon.15.17.expenduntur.44.45.

Niceni Concilij Canon apud Auguſtinum.51.

Niceni Concilij Canon VI.à Chalcedonenſi Concilio exponitur, & augetur:66.Fauet Papæ.95.

Nicenum Concilium à Sylueſtro confirmatum.72.

Nicænum Concilium confirmat Primatum Papæ.95.96.

O

ORnatus Pontificius impugnatur ab Heterodoxis. 584.& ſeq.iterum.596,& ſeq.

Ornatus,& veſtitus Pontificius defenditur. 585.& ſeq. & rurſum. 597.& ſeq.

Oſcula pedum Pontificiorum. 470. ad 532.

Oſculandi pedes meos.471.Oſcula ſtatuis Deorum.16.Regum,Imperatorum.161.& ſeq.

Oſcula priuatis Sanctorum pedibus impreſſa.477.& ſeq.

Oſculati pedes Papæ Imperatores. 478.

Oſcula pedum Regiarum formula litterarum.478.

Oſculandi pedes Pontificum cauſæ. 525.

[illegible] quond[illegible] vſitata?526.

Oſcula Cardinalium ex religione in Papam quę & qualia?526.

Oſcula pedum ad Papas antiquitus oblata.528.

Othonis Magni donatio. 324.Othonis II.alia.325.

P

PAlea in Iure Canonico quid ſignificet.407.

Palea eſt Edictum Conſtantini, ſed idcirco certum.ibid.

Papa ſucceſſor Petri.13.35.ad 43.

Papa ſuper omnes Patriarchas.18.

Papa ſuccedit Petro cum æquali poteſtate.38.ad 43.53.ad 63.

Papa Superior eſt Epiſcopis. 40. ad 43.& à 43.ad 53.

Papa Caput Eccleſia.55.

Papa Patriarchas ſubditos habuit, nõ pares.66.

Papa habet in totam Eccleſiam dominium excellentiæ, & influentiæ,& iuriſdictionis.67.

Papæ vniuerſalis nomen & iuriſdictio competit.68. 69.190. ad 92.

Papæ eſt decidere controuerſias fidei. 70.& ſeq. de Paſchate. 70. 71. Exigunt confeſſionem Fidei. 111. 112.

Papæ qui hæreſiarchas condemnarunt à Petro vſque ad Magnum Gregorium numerãtur à 114.ad 124.

Papæ proponunt doctrinam & regulas morum à 125.ad 154.diſcurritur per Canones & Epiſtolas Papales. ibid.

Papa decidit controuerſias Epiſcoporum.145.147.

Papa ponit Vicarios extra Italiam in Prouincijs.148.in Gallia, in Hiſpania.ibid.

Papam eſſe tyrannum arguunt hęretici. 166.167. Refelluntur. 192. 193.194.

Papæ poteſtas in totam Eccleſiam. 172.

Papa non eſt ſubditus vlli poteſtate humana.173.

Papa an habeat dominium excellentię participatum à Chriſto?255.256

Papæ quo titulo temporaliter dominatur à 321.& ſeq.

Papæ quando cęperint habere dominium?321.& ſeq.

Papæ qui habuerint & auxerint Patrimonium Eccleſiæ?431.& ſeq.

Papę pedum oſcula.468.& ſeq.

Papæ in calceis Crux.485.& ſeq.

Papæ freno à Principibus deductio. 511.& ſeq.

Papa an ſit & quomodo adorandus ſ 533.& ſeq.

Papa ſit ne Latria vlla ratione adorandus? 564.& ſeq.

Papa Crucem ante ſe fert,& quare?à 646.ad 649.

Papam iter facientem Euchariſtia antecedit.650.ad 653.

Papæ an nauigando Euchariſtiam prętulerint? 654.

Patres tradunt Primatum Petri. 22.23.

Patres aſſerunt ſucceſſionem Romanorum Pontificum in Cathedram Petri.36.

Patres aſtruunt Chriſti dominium temporale in res omnes quod eſt Excellentię.238.ad 241.

Patres Hebręorum, qui ſimul Sacerdotes & Principes?276.& ſeq.

Patriarchę qui? 16.44.45.

Patriarcharum iuriſdictio. ibid. & 55.

Patriarchæ Conſtantinopolitani confirmant Primatum Romanæ Sedis.57.ad 64.

Patriarcharum Principalium quæ poteſtas? 66.

Patriarchæ ſubditi Pontifici Romano.66.95.

Patriarchis Crux prælata & quomodo? 647.

Patriarchalis Crucis forma quæ? 647.

Patrimonium Eccleſiæ ampliſſimum 328.Eius initium.329.Ante Syluestrum.333.Patrimonium Petri in Gallia.430.

Paulus an habuerit Cathedram Romæ.6.7.ad 12.

Paulus non fuit Romanus Epiſcopus ibid.

Paulus cur ſiluit de Petro.11.

Pauli prædicatio Romæ & alibi. 11. 12.

Paulus cum Petro Romæ martyr. 3.10.

Pelagius & Celeſtius damnantur à Romanis Pontificibus. 77. ad 82.

Pelagium & Pelagianos qui Pontifices damnarint?117.118.119.

Pelagius & Celeſtius appellant ad Sedem Apoſtolicam.158.

Petrum Romam veniſſe ac ſediſſe quo hęretici negent? 1.ad 4.

Petri Romam aduentus improbatur ab hęreticos.1.ad 4.& 7. Probatur à Catholicis à 4.ad 6.

Petrum Romæ ſediſſe quibus argumentis negent heretici?6.ad 8.
Petrum ſediſſe Romæ oſtenditur. 8. *ad* 15.
*Petri Cathedra Antiochena.*6.7.8.
*Petri Cathedra Romæ.*8.*ad* 14.
*Petrus quando venit Romā.*5. *quandiu Romę ſederit?* 16.*&* 24.
*Petrus & Paulus Romæ martyrium paſſi.*3.10.
*Petrus Romæ priuſquam Paulus prædicauit.*11.12.
Petri Primatus oſtenditur. 16. *ad* 21.
Petri claues quid ſignificent? 17.
Petri Fides inconcuſſa. 18.
Petrus Paſtor ouium, & Paſtorum. 19.20.
*Petrus & Caput, & Figura Eccleſiæ.*24.
*Petri Summus Amor ratio Primatus.*29.
Petrus in quo excederet Apoſtolos? 54.
Petrus an acceperit cum Clauibus dominium temporale? 254.255.
*Petri Molinai petulantia retunditur.*643.
*Phocas interdixit Patriarchis Conſtantinopolitanis titulo vniuerſalis.*68.69.
*Nihil Romanę Sedi iuris potuit conferre.*405.
*Phocæ conſtitutio ponderatur.*68.69. 405.423.
*Pipinus quid donauerit Eccleſiæ Romanæ.*322.
*Planetam veſtem ſacram vituperant heterodoxi.*607.*Catholici tuentur.* 607.608. *quarum rerum ſit ſymbolum?* 609.610. *Cur ita dicta* 607. *Caſula item & cur appellata* 607.608.*Quot & quibus à Beata Virgine Maria de Cœlo donatæ?* 609.
*Pluuiale veſtis ſacra eadem quæ Cappa deſcribitur & aſſeritur.*610.*& ſeq. quid ſignificet. ibid.*
*Poteſtas ſpiritualis & temporalis nō pugnant in eodem ſubiecto.*306. *ad* 317. *Argumenta contraria ponuntur, & ſoluuntur.*16.*&* 320.*ſpiritualis poteſtas cum temporali in Epiſcopis coniuncta.*424.
*Primatus etymologia.*55.*ſpecies.* 56. 57.
Primatus Petri probatur. 16.*ad* 21.
*Primatus Petri ſupremus.*56.
Primatus omne genus conuenit Petro & Papæ à 53.*ad* 64.
Primatus Eccleſiæ Romanæ ad ipſoſmet antiquis hæreſiarchis recognitus à 155.*ad* 162.
*Primatus eſt à Chriſto non ab Imperatoribus.*60.61.405.
*Principatus origo.*275.*nixa Sacerdotio.*276.*idque docent ſcripturæ.* 276.*ad* 285.
*Princeps ſæcularis nequit vſurpare munus ſacrum.*286.*& ſeq. multis exemplis ſcripturæ vetatur. ibid.*
*Principes & Duces humeris hominis portari ſoliti.*636.637.638.
*Profeſſio Fidei Damaſi ad Paulini fuit inſtructio Concilij Conſtantinopolitani.*173.
*Profeſſiones Fidei approbantur à Romano Pontifice.*98.112.

Rex

R

REx ne Chriſtus temporalis fuerit? à 197. ad 216. & 264.
Reges ne Chriſto naſcente Supremo Rege Regni ius amiſerint? 264.
Reges non acceperunt Regna à Chriſto. 265. ad 268.
Regni vſu & exercitio Chriſtus caruit. 266. & 267.
Regnum ſpirituale Chriſtus geſſit. 269. 300.
Reges Hebræorum an Superiores Sacerdotibus? 298. & ſeq.
Reges Chriſtiani ſubditi Pontifici in ſpiritualibus. 300.
Regum qui Eccleſiæ Romanæ donationes fecerunt catalogus. 450. & ſeq.
Regum oſcula ad pedes Pontificios. 470. & ſeq.
Reges freno deducunt Papas ex more pio. 516. & ſeq.
Regnum Papæ Tiara cum triplici corona. 616. & ſeq. Illud Heterodoxi impugnant. 161. & ſeq. Defenditur à 617. ad 630. Forma, & figura, & deſcriptio illius. 619. & ſeq.
Regni ſiue Chamauri origo. 622. & ſeq.
Regnum quarum rerum ſit ſymbolum 625. & ſeq.
Regnum an ſit ornamentum priſcum? 628. & ſeq.
Regnum Pontificum primus quis geſtauit? 630.
Regnum qui geſtarint Papæ? 630.
Ritus Sacri à Sede Apoſtolica manarunt à 125. ad 155.
Romam venit Petrus & Romæ ſedit 2. ad 14.
Romæ an ſcripſerit Petrus? 3. Cur ab eo Babylon dicta? 3.
Romæ debuit Petrus Cathedram figere. 3.
Romam quando, & quoties Petrus venerit? 5. 14.
Romæ quamdiu ſederit? 5. 14.
Romam vrbem an donarit Conſtantinus. 431. & ſeq.
Romæ an & quomodo Papæ imperarint? 448. & ſeq.
Romæ quale imperium poſt Conſtantinum? ibid.
Romana Sedis indefectibilis. 18.
Romanæ Sedis Primatus. 57.
Romana Sedes magiſtra Fidei. 101. & morum. 139. ad 135. & rituum & cæremoniarum. 136. 137. & ſeq.
Romanæ Eccleſiæ Patrimonium. 326 quando iſtud cœperit? 329.
Romanus Pontifex ſucceſſor eſt Petri à 25. ad 43.
Romanus Pontifex formam Fidei emittit ad doctrinam aliorum. 96. Hæreſiarchas proſcribit à 114. ad 124.
Romani Pontificis temporale dominium vnde? 284.
Romani Pontificis an fuerint domini Romæ poſt Conſtantinum? 438. & ſeq.
Romano Pontifici faſtum & luxum obijciunt heterodoxi. 584. Defenditur à calumnijs. 595. & ſeq.
Romani Pontificis ornatus, & apparatus prædictus in Sacris litteris. 593. & ſeq.

Ro-

Romani Pontifices olim humeris portari ſoliti.636.637.
Romani Concilij ſub Felice egregium de Primatu Papę teſtimonium. 95.

S

*Sacerdotium non conuenit Regibus.*289.*& ſeq.*
Sacerdotium Leui non Iudæ tribus habuit.ibid.
*Sacerdotium Melchiſedechi cum Regno.ibid.Tale fuit Chriſti.*16.
*Sacerdotium qui Reges in ſacra ſcriptura vſurparint & quomodo puniti fuerint.*290.*& ſeq.*
Salomon an depoſuerit Abiatharem? 297.*& ſeq.*
Salomon an inſtituerit Sadoch? ibid.
*Sacramentorum ritus & cæremonias ordinat Romana Sedes.*137.138.139.*ad* 142.
Salomon quo iure amouerit Sacerdotio Abiatharem, & Sadoch in eo conſtituerit? 296.*& ſeq.*
*Salomonis egregium paradigma.*641.
*Sardicenſis Concilij laudes.*131.132 *De quibus rebus agat? ibid. Commendat authoritatem Papæ. ibid. Ius appellandi ad Papam aſſerit.* 134.
*Scripturæ multę olim ſolemnis deprauata.*401.
Sella Curulis quæ & quorum? 635.
Sella Geſtatoria quæ & qualis? 636.*& ſeq.*
Sella Geſtatoria Papæ defenditur. 636.*ad* 447.
Sol & Luna ſymbolum Principatus. 275.
*Stolam impugnant Heterodoxi.*604. *Vindicatur.*605.606.*Cuius rei ſymbolum.*606.
Stratoris officium obeunt Reges ob pietatem erga Pontifices Romanos à 511.*ad* 521.
*Stratoris officium Abraham præuenit & ad iſtum præluſit.*513.
Stratoris munus non eſt nouum in Scriptura. 514. *Qui Reges illud erga Papam obierint?*516.*&* 521.
*Subordinatio Epiſcoporum inter ſe.*55
Succeſſio Pontificum Romanorum in Petri Cathedram oſtenditur à 35.*ad* 43.
*Succeſſio non inducit parem poteſtatem in ſuccedente.*40.41.
Succeſſio Epiſcoporum in locum Apoſtolorum non exigit æqualem poteſtatem à 45.*ad* 53.
Succeſſio Paparū in locum Petri vendicat parem in omnibus poteſtatem à 41.*ad* 53.*ad* 63.
*Summi Pontificis Hebræorum ornatus.*593.
*Syluester confirmat Concilium Nicenum.*72.
*Syluester multas hæreſes euertit.*136
Syluester baptizat Conſtantinum. 337.*& ſeq.*
Syluester fugit & latet in Soracte. 364.*&* 388.*& ſeq.*
Syluestri Acta an idonea? 407.
Syluestro data Corona à Conſtantino. 622.624.
Syluester an geſtarit Coronam? 622.*& ſeq.*
*Synagogæ ornatus & pompa.*393.

Tar-

INDEX

T

TArraconenſium Epiſcoporum de Vniuerſalitate Primatus Romam teſtimonium.92.

Tiara quid?616. An ſit ſacra.ibid.

Tiara Pontificia deſcribitur.616.

Tiaram Papæ oderunt hæretici.616.

Tiara Summi Pontificis tribus Coronis diſtincta & cumulata.624.

Tiara Pontificia Chamaurus ſiue Regnum quarum rerum ſit ſymbolum. 627.& ſeq.

Triumphi Romani cauſæ.640.

Triumphi Romani ſpecies & pompa. 640.641.

Triumphantium Currus qui? ibid.

V

VEſtes ſacræ, & Pontificiæ ab hæreticis improbantur. 596. Defenduntur.16.& ſeq.

Viaticum eſt Sacramentum Euchariſtiæ viuorum.650.651. etiam nauigantium.ibid.

Viaticum eſt præmiſſum ante Pontifices iterſacientes. ibid. An etiam mari nauigantes?654.

Viaticum moribundorum.650.651.

Vigilius defenſor authoritatis Pontificiæ.105.

Vigilius defenditur à calumnia. 106.

Vigilium Pelagius II. Papa defendit. 107.108.

Vigilij authoritas apud Iuſtinianum. 161.

Vniuerſalis titulum cur & quomodo Patriarchæ Conſtantinopolitanę vſurparunt.167.68.186. ad 192.

Vniuerſalis titulus Papę debitus.ibid. quo ſenſu illum repudiarit S. Gregorius Magnus? ibid. Eo priuauit Phocas Patriarchas Conſtantinopolitanos.68.69.

Vniuerſalis iuriſdictio competit Papæ.68.69.190.191.192.

Vniuerſalis Epiſcopus dicitur Leo Papa in Concilio Chalcedonenſi.91.

Vniuerſalis Papę an conueniat Romano Pontifici? pars negans proponitur.165.166.

Pars affirmans ſtatuitur. à 166. ad ſeq.

FINIS.

REGESTVM.

†. ††. †††. ††††. ABCDEFGHIKLMNOPQRS TVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ.

Omnes ſunt Duerniones, pręter primam †. quæ eſt quinternio, & ſecundam ††. quæ eſt ternio, & Aa. quę eſt ternio, & Sſſſ. quod eſt ternio.

R O M AE,
Typis Philippi Mariæ Mancini. M.DC.LXVI.
SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX

N

NEſtorius condemnatur à Celeſtino & Concilio Epheſino ab 84.ad 87.& à Sixto III.87.
Niceni Concilij Canon.15.17.expenduntur.44.45.
Niceni Concilij Canon apud Auguſtinum.51.
Niceni Concilij Canon VI.à Chalcedonenſi Concilio exponitur, & augetur:66.Fauet Papa.95.
Nicenum Concilium à Syluestro confirmatum.72.
Nicænum Concilium confirmat Primatum Papæ.95.96.

O

ORnatus Pontificius impugnatur ab Heterodoxis. 584.& ſeq.iterum.596,& ſeq.
Ornatus,& veſtitus Pontificius defenditur. 585.& ſeq. & rurſum. 597.& ſeq.
Oſcula pedum Pontificiorum. 470. ad 532.
Oſculandi pedes meos.471.Oſcula ſtatuis Deorum.16.Regum,Imperatorum.161.& ſeq.
Oſcula priuatis Sanctorum pedibus impreſſa.477.& ſeq.
Oſculati pedes Papæ Imperatores. 478.
Oſcula pedum Regiarum formula literarum.478.
Oſculandi pedes Pontificum cauſæ. 525.
Oſcula quondam quì vſitata?526.
Oſcula Cardinalium ex religione in Papam quę & qualia?526.
Oſcula pedum ad Papas antiquitus oblata.528.
Othonis Magni donatio. 324.Othonis II.alia.325.

P

PAlea in Iure Canonico quid ſignificet.407.
Palea eſt Edictum Conſtantini, ſed idcirco certum.ibid.
Papa ſucceſſor Petri.13.35.ad 43.
Papa ſuper omnes Patriarchas.18.
Papa ſuccedit Petro cum æquali poteſtate.38.ad 43.53.ad 63.
Papa Superior eſt Epiſcopis. 40. ad 43.& à 43.ad 53.
Papa Caput Eccleſia.55.
Papa Patriarchas ſubditos habuit, nõ pares.66.
Papa habet in totam Eccleſiam dominium excellentiæ, & influentiæ,& iuriſdictionis.67.
Papæ vniuerſalis nomen & iuriſdictio competit.68.69.190. ad 92.
Papæ eſt decidere controuerſias fidei. 70.& ſeq. de Paſchate. 70.71. Exigunt confeſſionem Fidei. 111. 112.
Papæ qui hæreſiarchas condemnarunt à Petro vſque ad Magnum Gregorium numerãtur à 114.ad 124.
Papæ proponunt doctrinam & regulas morum à 125.ad 154.diſcurritur per Canones & Epiſtolas Papales. ibid.
Papa decidit controuerſias Epiſcoporum.145.147.

Pa-

Papa ponit Vicarios extra Italiam in Prouincijs. 148. *in* Gallia, *in Hiſpania.ibid.*

Papam eſſe tyrannum arguunt hęretici. 166.167. *Refelluntur.* 192. 193.194.

Papę poteſtas in totam Eccleſiam. 172.

Papa non eſt ſubditus vlli poteſtate humana. 173.

Papa an habeat dominium excellentię participatum à Chriſto? 255.256

Papæ quo titulo temporaliter dominatur à 321.*&* ſeq.

Papæ quando cœperint habere dominium? 321.*&* ſeq.

Papæ qui habuerint & auxerint Patrimonium Eccleſiæ? 431.*&* ſeq.

*Papę pedum oſcula.*468.*&* ſeq.

*Papæ in calceis Crux.*485.*&* ſeq.

Papæ freno à Principibus deductio. 511.*&* ſeq.

Papa an ſit & quomodo adorandus 533.*&* ſeq.

Papa ſit ne Latria vlla ratione adorandus? 564.*&* ſeq.

Papa Crucem ante ſe fert,& quare?à 646.*ad* 649.

*Papam iter facientem Euchariſtia antecedit.*650.*ad* 653.

Papæ an nauigando Euchariſtiam pretulerint? 654.

Patres tradunt Primatum Petri. 22.23.

*Patres aſſerunt ſucceſſionem Romanorum Pontificum in Cathedram Petri.*36.

*Patres aſtruunt Chriſti dominium temporale in res omnes quod eſt Excellentię.*238.*ad* 241.

*Patres Hebręorum, qui ſimul Sacerdotes & Principes?*276.*&* ſeq.

Patriarchę qui? 16.44.45.

Patriarcharum iuriſdictio. ibid.& 55.

*Patriarchæ Conſtantinopolitani confirmant Primatum Romanæ Sedis.*57.*ad* 64.

Patriarcharum Principalium quæ poteſtas? 66.

*Patriarchæ ſubditi Pontifici Romano.*66.95.

Patriarchis Crux prælata & quomodo? 647.

Patriarchalis Crucis forma quæ? 647.

Patrimonium Eccleſiæ ampliſſimum. 328.*Eius initium.*329.*Ante Sylueſtrum.*333. *Patrimonium Petri in* Gallia.430.

*Paulus an habuerit Cathedram Romæ.*6.7.*ad* 12.

Paulus non fuit Romanus Epiſcopus ibid.

*Paulus cur ſiluit de Petro.*11.

Pauli prædicatio Romæ & alibi. 11. 12.

Paulus cum Petro Romæ martyr. 3.10.

Pelagius & Celeſtius damnantur à Romanis Pontificibus. 77.*ad* 82.

Pelagium & Pelagianos qui Pontifices damnarint? 117.118.119.

*Pelagius & Celeſtius appellant ad Sedem Apoſtolicam.*158.

Petrum Romam veniſſe ac ſediſſe quo hęretici negent? 1.*ad* 4.

*Petri Romam aduentus improbatur ab hæreticos.*1.*ad* 4.*&* 7. *Probatur à Catholicis à* 4.*ad* 6.

Petrum Romæ ſediſſe quibus argumentis negent heretici? 6. ad 8.
Petrum ſediſſe Romæ oſtenditur. 8. ad 15.
Petri Cathedra Antiochena. 6. 7. 8.
Petri Cathedra Romæ. 8. ad 14.
Petrus quando venit Româ. 5. quandiu Romę ſederit? 16. & 24.
Petrus & Paulus Romæ martyrium paſſi. 3. 10.
Petrus Romæ priuſquam Paulus prædicauit. 11. 12.
Petri Primatus oſtenditur. 16. ad 21.
Petri claues quid ſignificent? 17.
Petri Fides inconcuſſa. 18.
Petrus Paſtor ouium, & Paſtorum. 19. 20.
Petrus & Caput, & Figura Eccleſiæ. 24.
Petri Summus Amor ratio Primatus. 29.
Petrus in quo excederet Apoſtolos? 54.
Petrus an acceperit cum Clauibus dominium temporale? 254. 255.
Petri Molinæi petulantia retunditur. 643.
Phocas interdixit Patriarchis Conſtantinopolitanis titulo vniuerſalis. 68. 69.
Nihil Romanę Sedi iuris potuit conferre. 405.
Phocæ conſtitutio ponderatur. 68. 69. 405. 423.
Pipinus quid donauerit Eccleſiæ Romanæ. 322.
Planetam veſtem ſacram vituperant heterodoxi. 607. Catholici tuentur. 607. 608. quarum rerum ſit ſymbolum? 609. 610. Cur ita dicta? 607. Caſula item & cur appellata 607. 608. Quot & quibus à Beata Virgine Maria de Cælo donatæ? 609.
Pluuiale veſtis ſacra eadem quæ Cappa deſcribitur & aſſeritur. 610. & ſeq. quid ſignificet. ibid.
Poteſtas ſpiritualis & temporalis nõ pugnant in eodem ſubiecto. 306. ad 317. Argumenta contraria ponuntur, & ſoluuntur. 16. & 320. ſpiritualis poteſtas cum temporali in Epiſcopis coniuncta. 424.
Primatus etymologia. 55. ſpecies. 56. 57.
Primatus Petri probatur. 16. ad 21.
Primatus Petri ſupremus. 56.
Primatus omne genus conuenit Petro & Papæ à 53. ad 64.
Primatus Eccleſiæ Romanæ ad ipſoſmet antiquis hæreſiarchis recognitus à 155. ad 162.
Primatus eſt à Chriſto non ab Imperatoribus. 60. 61. 405.
Principatus origo. 275. nixa Sacerdotio. 276. idque docent ſcripturæ. 276. ad 285.
Princeps ſæcularis nequit vſurpare munus ſacrum. 286. & ſeq. multis exemplis ſcripturæ vetatur. ibid.
Principes & Duces humeris hominis portari ſoliti. 636. 637. 638.
Profeſſio Fidei Damaſi ad Paulini fuit inſtructio Concilij Conſtantinopolitani. 173.
Profeſſiones Fidei approbantur à Romano Pontifice. 98. 112.

Rex

R

Rex ne Chriſtus temporalis fuerit? à 197. ad 216. & 264.
Reges ne Chriſto naſcente Supremo Rege Regni ius amiſerint? 264.
Reges non acceperunt Regna à Chriſto. 265. ad 268.
Regni vſu & exercitio Chriſtus caruit. 266. & 267.
Regnum ſpirituale Chriſtus geſſit. 269. 300.
Reges Hebræorum an Superiores Sacerdotibus? 298. & ſeq.
Reges Chriſtiani ſubditi Pontifici in ſpiritualibus. 300.
Regum qui Eccleſiæ Romanæ donationes fecerunt catalogus. 450. & ſeq.
Regum oſcula ad pedes Pontificios. 470. & ſeq.
Reges freno deducunt Papas ex more pio. 516. & ſeq.
Regnum Papæ Tiara cum triplici corona. 616. & ſeq. Illud Heterodoxi impugnant. 161. & ſeq. Defenditur à 617. ad 630. Forma, & figura, & deſcriptio illius. 619. & ſeq.
Regni ſiue Chamauri origo. 622. & ſeq.
Regnum quarum rerum ſit ſymbolum 625. & ſeq.
Regnum an ſit ornamentum priſcum? 628. & ſeq.
Regnum Pontificum primus quis geſtauit? 630.
Regnum qui geſtarint Papæ? 630.
Ritus Sacri à Sede Apoſtolica manarunt à 125. ad 155.
Romam venit Petrus & Romæ ſedit 2. ad 14.
Romæ an ſcripſerit Petrus? 3. Cur ab eo Babylon dicta? 3.
Romæ debuit Petrus Cathedram figere. 3.
Romam quando, & quoties Petrus venerit? 5. 14.
Romæ quamdiu ſederit? 5. 14.
Romam vrbem an donarit Conſtantinus. 431. & ſeq.
Romæ an & quomodo Papæ imperarint? 448. & ſeq.
Romæ quale imperium poſt Conſtantinum? ibid.
Romana Sedis indefectibilis. 18.
Romanæ Sedis Primatus. 57.
Romana Sedes magiſtra Fidei. 101. & morum. 130. ad 135. & rituum & cæremoniarum. 136. 137. & ſeq.
Romanæ Eccleſiæ Patrimonium. 326 quando iſtud cœperit? 329.
Romanus Pontifex ſucceſſor eſt Petri à 25. ad 43.
Romanus Pontifex formam Fidei emittit ad doctrinam aliorum. 95. Hæreſiarchas proſcribit à 114. ad 124.
Romani Pontificis temporale dominium vnde? 284.
Romani Pontificis an fuerint domini Romæ poſt Conſtantinum? 438. & ſeq.
Romano Pontifici faſtum & luxum obijciunt heterodoxi. 584. Defenditur à calumnijs. 595. & ſeq.
Romani Pontificis ornatus, & apparatus prædictus in Sacris litteris. 593. & ſeq.

Romani Pontifices olim humeris portari ſoliti.636.637.
Romani Concilij ſub Felice egregium de Primatu Papę teſtimonium. 95.

S

SAcerdotium non conuenit Regibus.289.& ſeq.
Sacerdotium Leui non Iudæ tribus habuit.ibid.
Sacerdotium Melchiſedechi cum Regno.ibid.Tale fuit Chriſti.16.
Sacerdotium qui Reges in ſacra ſcriptura vſurparint & quomodo puniti fuerint.290.& ſeq.
Salomon an depoſuerit Abiatharem? 297.& ſeq.
Salomon an inſtituerit Sadoch?ibid.
Sacramentorum ritus & cæremonias ordinat Romana Sedes.137.138.139.ad 142.
Salomon quo iure amouerit Sacerdotio Abiatharem, & Sadoch in eo conſtituerit? 296.& ſeq.
Salomonis egregium paradigma.641.
SardicenſisConcilij laudes.131.132 De quibus rebus agat? ibid. Commendat authoritatem Papæ. ibid. Ius appellandi ad Papam aſſerit. 134.
Scripturæ multę olim ſolemnis deprauatæ.401.
Sella Curulis quæ & quorum? 635.
Sella Geſtatoria quæ & qualis?636. & ſeq.
Sella Geſtatoria Papæ defenditur. 636.ad 447.
Sol & Luna ſymbolum Principatus. 275.
Stolam impugnant Heterodoxi.604. Vindicatur.605.606.Cuius rei ſymbolum.606.
Stratoris officium obeunt Reges ob pietatem erga Pontifices Romanos à 511.ad 521.
Stratoris officium Abraham præuenit & ad iſtum præluſit.513.
Stratoris munus non eſt nouum in Scriptura. 514. Qui Reges illud erga Papam obierint? 516.& 521.
Subordinatio Epiſcoporum inter ſe.55
Succeſſio Pontificum Romanorum in Petri Cathedram oſtenditur à 35.ad 43.
Succeſſio non inducit parem poteſtatem in ſuccedente.40.41.
Succeſſio Epiſcoporum in locum Apoſtolorum non exigit æqualem poteſtatem à 45.ad 53.
Succeſſio Paparũ in locum Petri vendicat parem in omnibus poteſtatem à 41.ad 53.ad 63.
Summi Pontificis Hebræorum ornatus.593.
Syluester confirmat Concilium Nicenum.72.
Syluester multas hæreſes euertit.116
Syluester baptizat Conſtantinum. 337.& ſeq.
Syluester fugit & latet in Soracte. 364.& 388.& ſeq.
Syluestri Acta an idonea? 407.
Syluestro data Corona à Conſtantino. 622.624.
Syluester an geſtarit Coronam? 622. & ſeq.
Synagogæ ornatus & pompa.393.

INDEX

T

Tarraconenſium Epiſcoporum de Vniuerſalitate Primatus Romam teſtimonium. 92.

Tiara quid? 616. An ſit ſacra. ibid.

Tiara Pontificia deſcribitur. 616.

Tiaram Papæ oderunt hæretici. 616.

Tiara Summi Pontificis tribus Coronis diſtincta & cumulata. 624.

Tiara Pontificia Chamaurus ſiue Regnum quarum rerum ſit ſymbolum. 627. & ſeq.

Triumphi Romani cauſæ. 640.

Triumphi Romani ſpecies & pompa. 640. 641.

Triumphantium Currus qui? ibid.

V

Veſtes ſacræ, & Pontificiæ ab hæreticis improbantur. 596. Defenduntur. 16. & ſeq.

Viaticum eſt Sacramentum Euchariſtię viuorum. 650. 651. etiam nauigantium. ibid.

Viaticum eſt præmiſſum ante Pontifices iter facientes. ibid. An etiam mari nauigantes? 654.

Viaticum moribundorum. 650. 651.

Vigilius defenſor authoritatis Pontificiæ. 105.

Vigilius defenditur à calumnia. 106.

Vigilium Pelagius II. Papa defendit. 107. 108.

Vigilij authoritas apud Iuſtinianum. 161.

Vniuerſalis titulum cur & quomodo Patriarchæ Conſtantinopolitanę vſurparunt? 67. 68. 186. ad 192.

Vniuerſalis titulus Papę debitus. ibid. quo ſenſu illum repudiarit S. Gregorius Magnus? ibid. Eo priuauit Phocas Patriarchas Conſtantinopolitanos. 68. 69.

Vniuerſalis iuriſdictio competit Papæ. 68. 69. 190. 191. 192.

Vniuerſalis Epiſcopus dicitur Leo Papa in Concilio Chalcedonenſi. 91.

Vniuerſalis Papæ an conueniat Romano Pontifici? pars negans proponitur. 165. 166.

Pars affirmans ſtatuitur. à 166. ad ſeq.

FINIS.

REGE-

REGESTVM.

†. ††. †††. ††††. ABCDEFGHIKLMNOPQRS TVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ.

Omnes ſunt Duerniones, pręter primam †. quæ eſt quinternio, & ſecundam ††. quæ eſt ternio, & Aa. quę eſt ternio, & Sſſſ. quod eſt ternio.

ROMAE,
Typis Philippi Mariæ Mancini. M.DC.LXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Google